Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/romanpontifextam0007augu

ROMANUS PONTIFEX

TAMQUAM

PRIMAS ECCLESIAE,

ET

PRINCEPS CIVILIS

E MONUMENTIS OMNIUM SECULORUM

DEMONSTRATUS.

ADDITA AMPLISSIMA LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

Tomus VII.

Monumenta de Primatu et infallibili magisterio R. P. e Concilio Oecum. Vaticano (a. 1865—1871) complectens.

NITRIAE. 1873.

TYPIS MICHAELIS SIEGLER.

ROMANUS PONTIFEX

TAMQUAM

PRIMAS ECCLESIAE,

ET

PRINCEPS CIVILIS

E MONUMENTIS OMNIUM SECULORUM

DEMONSTRATUS.

ADDITA AMPLISSIMA LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

ALMA COLLEGE
213
LIBRARY
R737
Alma, California

Tomus VII.

Monumenta de Primatu et infallibili magisterio R. P. e Concilio Oecum. Vaticano (a. 1865—1871) complectens.

NITRIAE. 1873.

TYPIS MICHAELIS SIEGLER.

44581

Conspectus Tomi VII.

Pag

Introductio . . . . . I—LXXXXIV

Acta nonnulla praeparatoria ad S. Syn. Gen. Vaticanam.

Mon.

1487. *Card. Praef. Congr. S. Concilii* ad Eppum *Nitriensem* de celebrando Conc. Gen. 1865 1

1488. Eppus *Nitriensis* designat obiecta in Conc. Gen. pertractanda. 1865 . 3

1489—1491. *Pius IX P. M.* Eppis Romae a. 1867 congregatis manifestat suum consilium de celebrando Conc. Gen. . 10 ss.

1492. 1493. *Card. Pragensis* ad Card. a Secr. Status de Theologis pro Commissionibus praeparatoriis qualiter deligendis. 1868 13

1494—1500. Acta ad *indictionem Conc. Vaticani* spectantia, item literae ad *Orientales schismaticos* et ceteros *acatholicos*. 1868 17

Duplex Breve ad *AEppum Westmonasteriensem* de doctore Scotico *Cumming* . 30

1501. *Constitutio* de limitatione *Censurarum latae sententiae*. 1869 . . . 33

1502. *Constitutio* de *ordine in celebr. Concilii* servando. 1869 . . . 40

1503. *Constitutio* de *electione Rom. Pont.* si durante Concilio Sedes Sancta vacaret. 1869 49

1504. *Epporum Germaniae* Pastorales de indicto Conc. Gen. 1869 . . . 52

Mon. Pag.
1505. 1506. *Primatis Hungariae* Encyclicae ad Clerum, et fideles. 1869 . . . 60. 77

Acta Concilii Vaticani usque Sessionem III.

1507. 1508. **Pii IX P. M.** duplex Allocutio ad Patres Synodales. 1869 . . . 99. 102
1509. *Index Schematum* per Theologos et Consultores praeparatorum. 1869 . 106
1510. Triplex repraesentatio Praesulum *Galliae, Germaniae* etc. de *Constitutione quoad Ordinem* in Concilio servandum. 1869. 1870 . 109. 112. 114
1513. Decretum *Praesidum Concilii* circa Ordinem in Concilio servandum. 1870 117
1514. Animadversiones nonnullorum Patrum quoad hoc Decretum . . . 119

Ex Sessione III. Conc. Vaticani.

1515. *Constitutio* dogmatica de *Fide Catholica* 125

Acta Primatum et infallibile magisterium R. P. concernentia, quae Sessionem IV C. Vat. praecesserunt.

1516—1572. 57 Declarationes *Sacerdotum Galliae pro infall. R. P.* latina lingva concinnatae 1869. 1870 . . . 137
1573—1595. Declarationes *Cleri Galliarum* de *infall. R. P.* per *epistolas latinas* ad Pont. Max. 1869. 1870 . . 149
Ex dioecesibus: *Nemausensi, Tarbiensi, Elnensi* . . 149 s.
Rupellensi, Ambianensi, S. Flori . . . . . 151 s.
Suessionensi, Apamiensi, Albiensi . . . . 152 ss.
Burdigalensi, Vapincensi, Lingonensi . . . 154 ss.
Aeduensi, Anneciensi, Cenomanensi . . . 157. s. 162
Auscitana, Tullensi, Augustodunensi . . . . 159 s.

Mon. Pag.
Rotomagensi, Cadurcensi . 162 s.
1596. 1597. *Eppi Massiliensis* cum *tribus sacerdotibus* controversia 164. 167
1598.—1602. *Cleri Italici* epistolae et declarationes *pro infall. R. P. latine* exaratae. 1869. 1870. 176
Capit. *Anconitani*, Cleri *Veronensis, Pactensis* . . 176 ss.
Universitatis Romanae, et Ephemeridis *Unita* . 179. 182
1603—1662. *Cleri Italici* vota 60 pro definitione infallibil. R. P. *latine* enunciata. 1870 184
Ex dioecesibus: *Novariensi, Veneta, Adriensi* . . . 184 s. 199
Utinensi, Bononiensi, Genuensi . 186 ss. 192. 214
Brixiensi, Patavina, Teatinensi . . . 190. ss.
Casalensi, Taurinensi, Savonensi . . . 195 s.
Parochi Urbis Romanae 196
Vicetina, Biellensi, Aesina . . . . 199 ss.
Epistola Praep. Loverensis de infall. R. P. a *C. Passaglia* 1855 propugnata 200
Mediolanensi, Pisciensi, Clodiensi . . . 203 ss.
Catanienses, Beneventana, Cuneensi . . . 207 ss.
Comensi, Fidentina etc. etc. 212 ss.
E ditione pontificia et Sardinia multi 189. 191. ss. 202. 208
1663. *Lovanienses* Theologi ad Praesules Belgii pro infall. R. P. 1869 . . 219
1664. 1665. Orientales *Montis Libani*, et *Armeni* pro infall. R. P. 1869. 1870 . 222 s.
1666. 1667. Clerus *Neo-Aurelianensis* in America, et Eppus *Curiensis* in Helvetia pro inf. R. P. 224. 226
1668. 1669. Clerus *Luxemburgicus*, et Gener. Congr. *Passionistarum* pro inf. R. P. . 228. 230

Mon.		Pag.
1670.	*Portugalli* Romae praesentes pro infall. R. P.	232
1671—1673.	Clerus *Angliae* et *Scotiae* pro infallib. R. P.	234. ss.
1674—1699.	Brevia *Pii IX P. M.* ad singulares personas pro inf. R. P. semet enunciantes	237
	Vicario *Atrebatensi*, Eppo *Pistoriensi*, Clero *Patavino* .	237 ss.
	Vicario *Caesenatensi*, Parochis *Pisarum*, Eppo *Andriensi*	240 ss.
	Clero *Lucensi*, mulieribus *Brixiensibus*, Cap. *Avenionensi*	242 ss.
	Vicario *Herzegowinae*, Clero *M. Pessulani*, Generali *Lazaristarum*	244 ss.
	Vicario *Aginnensi*, et Parochis in D. *Aurelianensi* .	246 s.
	Canonicis *Reginensibus*, et *Briocensibus*	249
	Clero *Massiliensi*, Eppo *Tarvisino*, etc. etc. . . .	250 ss.

Acta ad Conciliarem pertractationem Primatus et infall. magisterii R. P. pertinentia.

1700.	*Schema Constitutionis de Ecclesia*, quatenus *de Rom. Pontifice* agit .	254
1701. 1702.	Fragm. e *Schemate* de *Eppis*, eorum nempe relatione ad Papam . .	272. 274
1703. 1704.	*Propositio et petitio plurium Praesulum* ad Concilium directa *pro defin. inf. R. P.* 1870	276
1705.	Petitio Praesulum *Italorum* in eodem merito	282
1706—1710.	Petitiones Praesulum ex *Germania*, *Austria*, *Hungaria*, *Gallia*, *America*, *Oriente*, et *Italia* ad Papam pro eo, *ut de infall. R. P. non tractetur in Concilio* . . .	283 ss.
1711.	Propositio *Epporum Austr. Hungar. Germ.* de modo tractandi Schema de Ecclesia	289

Mon.		Pag.
1712.	*AEppus Chald. Patr. Babyl. Vicarius retractat* votum contra inf. R. P. editum	291
1713—1800.	*Synopsis analytica observationum in Caput de Primatu R. P.* factarum	293
1801.	Secr. Concilii communicat *Schema de infall. R. P.*	344
1802—1940.	*Synopsis analytica Observationum in Schema de infall. R. P.* factarum	346
	Observationes Card. Vienn. *Rauscher* .	346
	— Eppi Moguntini *Ketteler* .	356
	— AEppi Olomucensis *Fürstenberg* . . .	358
	— Eppi Rottenburgensis *Hefele*	360
	— Cardin. Pragensis *Schwarzenberg* . . .	362
	— AEppi Coloniensis *Melchers*	370
	— Epporum quatuor ex *Hungaria*	421
	— Eppi Budvicensis *Jirsik* .	426
	— Eppi Varmiensis *Krementz*	458
	— AEppi S. Ludovici *Kenrick*	476
1941—1943.	Schemata ab Eppis: *Moguntino, Calvensi*, et *Baltimorensi* concinnata . . . . . 492. 495.	498
1944.	Petitio Epp. *Galliae, Austriae* etc. ut ante infall. R. P. tractetur quaestio *de relat. Eccl. ad Civit.* .	502
1945. 1946.	*Petitio* plurium Patrum *pro ocyori discussione quaestionis de infall. R. P.* et discussione decreta *gratiarum actio* ad Papam	506 s.
1947.	*Relatio Commissionis de Observationibus Patrum in Schema super Primatu et infall. R. P.*	508
1948.	*Constitutio de Eccles. Christi* Patrum examini proposita	540
1949.	*Protestatio* nonnullorum Patrum *contra immutatum tractandi ordinem* .	545
1950. 1951.	*AEppi Cameracensis* duplex litera pastoralis *contra Gallicanismum* . 551.	556

Mon. Pag.

1952. *Petitio 150 Patrum Concilii*, ut generali discussioni Schematis de Primatu et infallib. R. P. finis imponatur 578

1953. *Protestatio 93 Patrum Concilii* super fine imposito discussioni antelatae . 578

1954. Petitio aliquot Patrum pro suspensione Concilii ob aestivos calores . . 580

1955. 1956. *AEppus Rhedonensis* absens a Concilio pro infall. R. P. se enunciat . 581

1957. Gravamen plurium Patrum contra *mutatum textum* Cap. 3. de Primatu 582

1958. *Protestatio Praesidum Concilii* contra calumnias ephemeridum et libellorum . 585

1959. *Declaratio Patrum*, quibus Constitutio de Eccl. *non placuit*, et qui eapropter a Sessione publica se absentarunt 586

De Sessione IV S. Conc. Vaticani.

1960. *Constitutio dogmat.* prima de Ecclesia Christi, seu de *Primatu et infall. R. P.* 588

1961. *Historia* discussionis de eadem Constitutione 596

Acta praecipua definitionem infallib. R. P. a. 1870 sequuta.

1962. 1963. *Brevia* P. M. ad Canonicos *Genuenses*, et Clerum *Angliae* ac *Scotiae* . . 628 s.

1964—1968. *Epistolae* nonnullae ad Summum Pontificem, signanter *Societatis Vindob. S. Michaelis* 630

Soc. *iuventutis Cath. Italiae*, et *Decani S. Collegii* . . . . . 631 s.

Eppi *Bergomensis*, et Catholicorum *Germaniae* 633

1969. Breve ad *Eppum Briocensem*, qui definitioni se subiecit 636

1970—1971. Pastorales *Eppi Nemausensis* egregiae, cum Brevi Pontificio 637. 705

1972—1974. Pastorales *AEppi Parisiensis*, item li-

Mon. Pag.

tera subiectionis AEppi *Darboy* cum Brevi . . . . . 706. 716 ss.

1975. Pastorales *Eppi Aurelianensis* (F. Dupanloup) 719

1976. Encyclica *AEppi Gnesnensis et Posnaniensis* 726

1977. 1978. Pastorales *Praesulum Germaniae* e Congressu *Fuldensi*, cum Brevi P. M. 727. 731

1979. Decretum de *suspensione* Concilii . 736

1980. 1981. *Eppi Varmiensis* Encyclica, et Instructio 738. 740

1982. *AEppi Coloniensis* Instructio . . 742

1983. *AEppi Monaco-Frisingensis* fusior Pastoralis epistola. 744

1984—1987. *Eppi Tergestini, Card. Vindobonensis*, et *Eppi Rottenburgensis* Encyclicae 780. 783. 787

1988. 1989. *Epporum Germaniae* nova pastoralis litera adversus *agitationes antisynodicas* 793

1990—1993. Literae gratulatoriae ad *AEppum Monacensem*, agitationibus Bavaricis strenue obsistentem . . . 806

1994. *Protestatio Professorum Theolog. in Univ. Monacensi* contra declarationem *Döllingeri* 809

1995. *Pius IX* P. M. ad suum Vicarium *contra agitationes Döllingerianas* . 814

1996. 1997. Pastorales *Epporum Helvetiae* cum Brevi Pontificio 816. 856

1998. *Pius IX* P. M. in *Allocutione* anni 1871 contra *agitationes germanicas* 858

1999. Idem ad Deputatos *Conventus Nationalis Gallicani* 860

2000. *AEppus Bambergensis* contra *Comitia Protest. Darmstadensia* . . 861

2001. 2002. Vicarii *Spirensis*, et Eppi *Herbipolensis* Encyclicae 863. 866

Acta ad promulgationem definitionis de Prim. et Infall. R. P. in Hungaria factam spectantia.

2003. 2004. Encyclica *Eppi Nitriensis*, cum Brevi Pontificio . . . . . 868. s.

Mon.		Pag.
2005—2008.	Acta ex Dioecesi *Albaregalensi* . .	870
2009—2013.	Circulares Epporum *Szathmariensis, Iaurinensis, Cassoviensis, Q. Ecclesiensis, Vaciensis* . .	889—892
2014.	*Primas Hungariae* fusiore Circulari epistola proponit *traditionem Ecclesiae Hungaricae pro infall. R. P.*	892
	Appendix eiusdem Circularis literae de sententia *Cornelii Iansenii* . .	981
2015.	*AEppus Colocensis* cum suo Clero in Consultatione dioecesana pro definitione Vaticana	986
2016.	*Primas Hungariae* altera fusa Circulari epistola proponit *universalem traditionem catholicam pro infall. R. P.*	988
2017. 2018.	*Eppi Rosnaviensis* duplex litera pastoralis pro defin. Vatic. . . .	1119. s.
2019.	*Primas Hungariae* fusiore commentario illustrat duplicem Constitutionem dogmaticam C. Vaticani . . .	1128

Errata graviora.				Corrigenda.
Pag.	74.	lin. 33.	quaevis	quaeris.
—	115.	— 1.	spes non	spes nos.
—	186.	— 28.	qui tu	qui tui.
—	242.	— 3.	Omina	Omnia.
—	346.	— 22.	atque	absque.
—	610.	— 20.	Rabylonensis	Babylonensis.
—	1048.	— 13.	fin	in.
—	1126.	— 23.	casam	causam.
—	1185.	— 11.	extermini	exterminii.

INTRODUCTIO.

Iam in praefatione, quam sexto operis nostri volumini inseruimus, enunciatum per nos habetur: nos nec historiam Sacrae Synodi Vaticanae scribere, nec omnia ad Concilium istud spectantia documenta colligere velle; sed solum illa recensere monumenta, quae Romani Pontificis Primatum, et cumprimis praerogativam inerrantiae magisterii pontificii, in Synodo solemniter definitam, concernunt. Monumentorum horum quaepiam erant veluti *praeparatoria*, quae S. Synodum praecesserunt, et partim ad consilium ac *intentionem convocandi oecumenici Concilii*, a Summo Pontifice praevie manifestatam, partim ad ipsam *indictionem* Concilii, ordinem in illo observandum etc. referuntur. Singula editorum desuper a Romano Pontifice decretorum, Bullarum, Brevium, et quocunque alio nomine compellandarum Apostolicarum Literarum totidem sunt summae ac primatialis in Ecclesia Auctoritatis documenta. Quapropter primum in Monumentis Concilii damus locum iis, quae ipsam Synodum praecesserant, et tam intentionem Summi Pontificis celebrandi Generalis Concilii exprimunt, quam ad ipsam indictionem Sacri Oecumenici Concilii pertinent.

Intentionem suam de convocando Oecumenico Concilio manifestavit Papa Sanctissimus iam a. 1865, datis medio *S. Congregationis Concilii* die 20 Aprilis ad nonnullos Orbis catholici Eppos, ac inter hos ad nostram quoque imbecillitatem literis: in quibus provocati extitimus *ad significandas et exponendas eas res praecipuas, quas ratione habita tum errorum in nostris regionibus grassantium, tum gravium abusuum gliscentium, aliarumque populi necessitatum in Concilio*

pertractari et agi expediens iudicaremus.[1]) Paruimus benignae provocationi Patris Sanctissimi, et attento tenore literarum S. Congregationis ad nos dimissarum, excussisque actis Provincialium cumprimis Synodorum inde a postremo Oec. Concilio Tridentino habitarum, Rescriptis item et decretis S. Sedis Apostolicae, aliisve ad rem facientibus monumentis; expensis quoque temporis ac locorum adiunctis, grassantibus quamplurimis erroribus, et abusibus, *concinnavimus bene longum rerum in Oec. Concilio pertractandarum elenchum,* in *duas Sectiones* divisum: *doctrinam* quippe, et *media promovendae religiositatis.* In *priore* adnotatis praecipuis aevi nostri erroribus, cumprimis doctrinam *de Ecclesia* uberius evolvimus, momentumque et optabilitatem imo necessitatem *dogmaticae definitionis plurium propositionum* commendavimus: signanter *de Romani Pontificis, velut veri in terris Vicarii Christi Domini, suprema et infallibili docendi potestate;* de eiusdem *immediata ubivis iurisdictione; propositionum Gallicanarum anni 1682 absurditate ac detestabilitate*; *divisionis Febronianae iurium Primatialium in essentialia et accidentalia inanitate; temporalis ditionis ad regendam Ecclesiam et auctoritatis Apostolicae liberum exercitium necessitate* etc; porro de *auctoritate obligativa decretorum,* quae per *Sacras Romanas Congregationes* eduntur; item habito ad *relationem inter Ecclesiam et Civitatem* respectu de *libera Romani Pontificis cum membris Ecclesiae communicatione; Constitutionis Ecclesiae divina et immutabili auctoritate; independentia potestatis Ecclesiae et Epporum iurisdictionis a civili regimine; libera nominatione et confirmatione Epporum a Romano Pontifice,* et *beneficiorum ecclesiasticorum ab Eppis collatione; bonorum temporalium possessione; infundata ac prorsus reiicienda praetensione Status Civilis sive influendi in exercitium Potestatis Ecclesiasticae tam doctrinalis quam iurisdictionalis, sive sic dictum Placetum Regium exercendi, sive quacunque demum ratione liberum Potestatis Ecclesiasticae exercitium impediendi*; de *iure Ecclesiae matrimoniali* etc. In *posteriore*

[1]) Mon. 1487. pag. 1.

tum praecipua *disciplinae ecclesiasticae* capita percurrendo, tum opportuna regnantibus vitiis atque abusibus remedia suggerendo, inprimis proposuimus *Pias Sodalitates; Orationis ab Ecclesia pro Clericis praescriptae*, prout et *castitatis ac continentiae clericalis* assiduum exercitium et custodiam; *vestitus ecclesiastici* exterioris uniformitatem; *scholarum noncatholicarum aut mixtarum* pericula; *seminariorum pro pueris* erectionem; *cautam communicationem in vita sociali cum acatholicis*; *prohibitam autem penitus in sacris* etc. etc. [1])

Anno 1867 occasione *solemnitatis centenariae martyrii beatissimorum Principum Apostolorum* universos congregatos orbis catholici Eppos alloquens *Pius Papa IX*, eandem, quam iam a. 1865 (ut supra) manifestaverat, intentionem celebrandi Generale Concilium repetiit; cumque *praesentes Eppi in sua ad Summum Pontificem oratione* gaudium suum desuper enunciarent, idem SS. Pater in suo ad Orationem Epporum responso amplius declaravit: *firmum manere suum de convocando Generali Concilio propositum, Conciliumque sub auspiciis Deiparae Virgioris ab omni labe immunis constituendum et eo die aperiendum fore, quo insignis huius privilegii ipsi collati memoria recolitur.* Oratio Praesulum ad Papam ex eo etiam memorabilis est, quod *divinum in Papa residens magisterium*, item *augustissimum ius, omnis auctoritatis, omniumque iurium certissimam sanctionem* clare profiteantur[2]). — Eadem occasione, qua celebratio solemnium centenariorum martyrii Principum App. quamplurimos Eppos Romam excivit, *Cardinalis Sacrae Congregationis Concilii Praefectus* de mandato Summi Pontificis *plures posuit praesentibus in Urbe Praesulibus quaestiones* circa disciplinam Ecclesiae, responsumque ad illas desideravit. Cum quaestiones per Cardinalem positae potissimum *relationem Ecclesiae ad Civitatem* respiciant, literas et quaestiones has, item unum alterumve ad eas responsum in Sectione illa exhibemus, quae Monumenta Vaticana relate ad Statum Civilem continet. Ipsas

---

[1]) Mon. 1488. pag. 3. — [2]) Mon. 1489—1491. pag. 10—12.

vero literas Cardinalis Praefecti vol. 6. huius nostri operis p. 349. vulgavimus.

Paulo post manifestatam intentionem suam de convocando Generali Concilio *Summus Pontifex*, de rebus ad pertractationem Conciliarem pertinentibus debite praeparandis ac discutiendis sollicitus, *plures e variis orbis partibus evocavit eruditione ac doctrina celebratos viros theologos*, qui cum designatis in Urbe individuis ea, quae pro Concilio praeparanda erant, praevie discuterent, in certum systema redigerent, et S. Sedi exhiberent. Ex theologorum huiusmodi evocatione ad Urbem *Cardinalis AEppus Pragensis* (Schwarzenberg) occasionem sumsit interpellandi a. 1868. *Cardinalem a Secretis Status* (I. Antonelli), velut Commissionis a Summo Pontifice constitutae Praesidem, ut in evocandis ex *Germania* et *Austria* Theologis non modo eruditionis scholasticae sed cumprimis experientiae vitae et regiminis ecclesiastici usus respectum habeat, virosque celebres, qui in Universitatibus *Monacensi*, *Tubingensi* etc. docent, in reflexionem sumat, signanter *Carolum Hefele, Ioan. Döllinger* etc. Respondit Cardinali Pragensi Cardinalis Status Secretarius, monendo: considerationes in epistola prioris propositas per S. Sedem debite expensas fuisse in evocandis ad Urbem ex Germania Theologis.[1])

Monumentis, quae praemisimus, succedunt ea, quae ad *indictionem Generalis Concilii* semet referunt, et anno 1868 in lucem edita fuerunt. In iis primum occupat locum *Allocutio Consistorialis* 22 Iunii ad S. Collegium habita: in qua Summus Pontifex proposita opportunitate convocandi pro die 8 Dec. anni 1869, immaculato conceptui Deiparae Virginis sacra Oecumenicum Concilium in Vaticana Basilica celebrandum, quaesivit e S. Collegio, num propositioni huic voto suo accedat? acceptoque omnium S. Collegii membrorum affirmativo responso annunciavit: Apostolicas indictionis Literas propediem evulgandas fore.[2]) Et reapse festo Principum Apostolorum in diem 29 Iunii incidente edita est *Bulla indictionis Concilii Oecumenici*. In ea praemisso eo, quod Christus Dominus fun-

[1]) Mon. 1492. 1493. pag. 13. 15. — [2]) Mon. 1494. pag. 17.

datae ab se Ecclesiae regendae potestatem Apostolis tribuerit, ex iisque unum seligens *Petrum* Apostolorum *Principem, suum in terris Vicarium, Ecclesiae Caput, fundamentum ac centrum* constituerit, *plenissimaque ad regendam Ecclesiam auctoritate potestateque* instruxerit, *haecque potestas in Romanis Pontificibus Petri successoribus, in Romana Petri Cathedra collocatis perseveret ac vigeat:* mentio fit tum constantis Romanorum Pontificum in conservando fidei deposito, inque docenda ac regenda universa Ecclesia sollicitudinis, tum speciatim moris convocandorum pro opportunitate temporis *Generalium Conciliorum* eo fine, ut collatis cum Antistitibus orbis catholici consiliis de doctrina fidei asserenda, erroribus profligandis, disciplina tuenda, moribus corruptis corrigendis congrua et salutaria ederentur decreta. Descendit dein Apostolica Litera ad recensenda gravissima mala, queis de praesenti iactetur et affligatur tum Ecclesia, tum civilis societas: dum quippe *Catholica Ecclesia in salutari sua doctrina et veneranda potestate, ac suprema Apost. Sedis auctoritate oppugnatur, sacra omnia despiciuntur, bona ecclesiastica diripiuntur, Antistites sacrorum aliique viri divino ministerio addicti et viri seculares catholicis sensibus praestantes modis omnibus divexantur, Religiosae Familiae extinguntur, impii omnis generis libri, pestiferae ephemerides, et multiformes perniciosae sectae undique diffunduntur, iuventutis institutio Clero eripitur, et in locis haud paucis magistris iniquitatis ac erroris committitur* etc. eoque tendere omnia videntur, ut propagata impietate, morum corruptione, divinarum humanarumque legum violatione, perturbataque non modo religione verum etiam humana societate, ipsa, si fieri posset, Ecclesia et civilis societas funditus evertatur. Cum autem, ut Bulla ultro prosequitur, malis his per remedia ex parte S. Sedis Ap. hactenus adhibita obviari non potuerit: Summum Pontificem, vestigiis praedecessorum insistendo, ad convocandum Oecumenicum Concilium sese determinasse memorat Apostolica Litera: ut collatis consiliis cum Eppis orbis universi ea statuantur, quae ad propulsanda ab Ecclesia et civili societate mala idonea et opportuna visa fuerint; siquidem negari haud possit, Ecclesiae Catholicae eiusque doctrinae

vim non solum ad aeternam spectare hominum salutem, verum etiam temporali populorum bono, ordini, tranquillitati, et scientiarum humanarum progressui prodesse. Annunciat itaque Bulla: *Oecumenicum Concilium a. 1869 in Vaticana Basilica habendum, die VIII Decembris, immaculatae conceptioni Deiparae Virginis sacra, inchoandum, dein prosequendum et Domino adiuvante absolvendum fore.* Spem tandem exprimit Litera Apostolica, fore, *ut* Deo dante *Viri Principes, praesertim catholici*, de maximis bonis ex Catholica Ecclesia in humanam societatem redundantibus convicti, *non tantum non impediant, quominus Eppi ad Concilium conveniant, verum etiam iis, ut Catholicos decet Principes, libenter opem ferant et cooperentur* [1]).

Indictionis Concilii Generalis Bullam exceperunt mense Septembri eiusdem anni, 1868, *Literae Apostolicae ad Eppos Ecclesiarum ritus Orientalts communionem cum Apost. Sede non habentes,* et *ad omnes Protestantes aliosque Acatholicos.* In *prioribus* praemisso, quod *Ecclesia Christi supra Petrum Apostolorum Principem ceu solidissimam petram aedificata,* Romanus Pontifex pro suo munere ad omnes, qui christiano consentur nomine, curas suas extendere debeat, moerorem suum exprimit Pontifex Maximus, *quod multae adhuc Ecclesiae, quae olim unitatis vinculo cum Sede Apostolica coniunctae fuere, per nefarias primi in coelo schismatici artes ac machinationes a communione Romanae Ecclesiae avulsae, hodiedum in statu schismatis existant*; tum significando, ab se Oecumenicum Concilium indictum haberi, monet ac obsecrat Orientalis ritus Eppos, *ut exemplo maiorum, qui ad Concilium Lugdunense II sub Gregorio X, et ad Concilium Florentinum sub Eugenio IV venientes, cum Ecclesia Romana rursus semet univere, ad indictum ab se Vaticanum Concilium compareant, agantque, ut legibus antiquae dilectionis renovatis, et Patrum pace ad vigorem revocata, post longam moeroris nebulam et atram ingratamque diuturni disidii caliginem serenum unionis optatae iubar omnibus illucescat* [2]). In *posterioribus* pariter ac in

---

[1]) Mon. 1495. pag. 17. — [2]) Mon. 1496. pag. 22.

prioribus in memoriam revocat Summus Pontifex: *a Christo Domino his in terris unam duntaxat aedificatam haberi Ecclesiam supra Petrum, cui Romani succedunt Pontifices,* hancque Ecclesiam praebere unice rectam ad salutem viam; *multiplices* porro *sectas, in quas acatholici scinduntur, licet christiano glorientur nomine, extra communionem cum vera Ecclesia constitui, et praescriptam a Christo Domino viam, ad aeternam salutem ducentem, minime sectari.* Observat dein Pontifex Maximus: *mobilitatem ac instabilitatem in doctrina apud sectas acatholicas numquam cessare,* eoque ipso repugnare Ecclesiae Christi, in qua veritas semper stabilis nullique mutationi obnoxia persistit; *ex dissidiis opinionum et doctrinarum nasci socialia schismata, et innumerabiles communiones sive sectas* cum summo christianae civilisque reipublicae detrimento. Provocat igitur Acatholicos et Protestantes idem Summus Pontifex: *ut Oecumenici Concilii ab se indicti, per quod Ecclesia Catholica novum intimae unitatis et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibet argumentum, occasionem amplectendo, ab illo statu, in quo de sua propria salute securi esse non possunt, se eripere studeant, atque ad unicum Christi ovile, cui maiores ipsorum adscripti erant, redire festinent* [1]).

Inter documenta anni 1869 primum tenet locum *Litera Apostolica de precibus pro Concilio Oec. fundendis:* ad quas pie fundendas ut fideles potentius excitentur, coelestes *Indulgentiarum* thesauros reserandos censuit Pater Sanctissimus, denunciataque orbi catholico *Indulgentia adinstar Iubilaei,* huius lucrandae terminum inde a prima Iunii usque ad diem absolvendi Concilii defixit; insuper praecipiendo, ut toto hoc tempore in Missa *oratio de Spiritu S.* sumatur, et qualibet feria quinta *Missa Conventualis de Spiritu S.* in Cathedralibus, Collegiatis, et Regularibus Ecclesiis celebretur [2]).

Cum post invitatorias Summi Pontificis ad Protestantes et Acatholicos literas, *Scotus* Doctor *Cummingius* apud *AEppum Westmonasteriensem* quaereret, *an Protestantibus, si ad Concilium comparerent, concedenda sit facultas libere*

[1]) Mon. 1497. pag. 24. — [2]) Mon. 1498. p. 27.

loquendi, et argumenta pro sua sententia proferendi? ab APraesule autem ad SSmum Patrem inviatus, huic ipsi epistolam scriberet, renovataque priori petitione sciscitaretur: *num Protestantibus danda sit libertas loquendi in Concilio, et causas suae ab Ecclesia Romana separationis reddendi?* Summus Pontifex dato ad antelatum AEppum Brevi annunciavit? *divino eoque infallibili in definiendis dogmatis ac morum quaestionibus magisterio per Divinum Servatorem in Ecclesia constituto, Ecclesiam pati non posse, ut errores ab ipsa sedulo expensi, iudicati ac damnati rursum in* in *disceptationem revocentur.* Hunc esse sensum verborum iam in literis ad Protestantes invitatoriis adhibitorum de aedificata a Christo Ecclesia unica supra Petrum; nimirum *extra disputationis aleam positum esse Primatum honoris ac iurisdictionis Petro eiusque successoribus collatum, in quo ceu cardine tota inter catholicos et dissentientes quaestio vertatur;* ideoque planum esse, *nulli damnatorum errorum patrocinio locum dari posse in Concilio, nec acatholicos ad disceptandum invitatos fuisse, sed tantum ideo, ut occasionem Concilii amplectantur ad redeundum in Ecclesiam, cui maiores ipsorum erant adscripti, et in qua unice de salute sua securi esse possunt.* Breve istud non multo post alterum excepit Breve, occasionem suppeditante nova memorati Scoti Doctoris interpellatione, ac respective querela, quod in sensu superioris Brevis omnis praeclusa sit acatholicis via ad exponendas difficultates reditus ad Catholicos. Summus Pontifex in altero ad laudatum APraesulem Brevi rescripsit: *sensum primi Brevis nequaquam eo tendere, ut silentium indicatur illis, qui prava institutione decepti recteque se sentire putantes, dissensum suum validis inniti rationibus arbitrantur, easque a sapientibus viris serio expendi desiderant. In Concilio quidem id fieri haud posse, non defuturos tamen viros rerum divinarum peritos, quibus mentem suam et momenta rationum sententiae suae aperiant, et ex ipso disceptationis, solo veritatis assequendae studio institutae, conflictu maiore luce perfundantur, et ad eam redeant* [1]).

[1]) Mon. 1499. 1500. pag. 30. 31.

Praeter documenta S. Sedis hactenus recensita, triplex insuper praecessit Concilii celebrationem Constitutio Pontificia. *Prima* IV Idus Octobris 1869 emissa continet limitationem *Censurarum ecclesiasticarum latae* (ut dicunt) *sententiae ipsoque facto incurrendae:* signanter *excommunicationum speciali modo Romano Pontifici reservatarum;* item *simpliciter* (ut dici solet) *eidem reservatarum; excommunicationum Eppis seu Ordinariis reservatarum; excommunicationum nemini reservatarum; suspensionum Summo Pontifici reservatarum;* et *interdictorum reservatorum*, — omnium *latae sententiae.* Numerum idmodi censurarum admodum adauctum restringit Constitutio ad casus pauciores, pro ratione mutatorum adiunctorum temporis, ob quam censurae antea impositae a pristina utilitate et opportunitate exciderunt, et tam animarum curatores, quam fideles in dubia, anxietates angoresque conscientiae coniecerunt [1]). — *Altera* dd. 22. Nov. 1869 sonat *de ordine in celebratione Concilii servando*, nimirum *de modo vivendi in Concilio; de iure et modo proponendi; de secreto servando; de ordine sedendi et non inferendo alicui praeiudicio*; *de iudicibus excusationum et querelarum; de officialibus Concilii; de Congregationibus Patrum; de Sessionibus publicis; de non discedendo a Concilio;* et *de indulto apostolico super non residentia pro iis, qui Concilio intersunt.* In decursu huius Constitutionis diserte enunciat Pater Beatissimus: *auctoritate sua apostolica decerni ea, quae quoad ordinem in Synodo servandum continet Constitutio;* item: *ius ac munus proponendi negotia in Synodo Oecumenica tractanda, rogandique de iis Patrum sententias unice ad se et ad Sedem Apost. pertinere; cupere se tamen et monere Patres, ut quod ad publicam utilitatem conferre posse existimaverint, libere proponant* [2]). — Constitutio *tertia* pridie Non. Dec. 1869 in lucem edita *electionem Romani Pontificis* concernit, *si contingat Sedem Apostolicam durante Vaticano Concilio vacare.* Pro casu eiusmodi ad normam aliarum Constitutionum in similibus adiunctis emanatarum decernit Pontifex Maximus: *ut electio novi Pontificis Summi*

---

[1]) Mon. 1501. p. 33. — [2]) Mon. 1502. p. 40.

unice per Sacrum Collegium Cardinalium instituatur, et Concilium suspendatur; imo et deinceps, quandocunque contigerit, durante Concilio Generali Romanum decedere Pontificem, norma haec eligendi novum Papam et Concilium suspendendi observetur [1]).

Pastorales Epporum literae, quas ex occasione indicti Generalis Concilii ad Clerum populumque dioecesanum dimiserunt, magni quidem sunt momenti, et pleraeque, in quantum sive de Conciliis Oecumenicis generatim, ac de indicto Vaticano speciatim, sive de Primatu et suprema docendi regendique Ecclesiam potestate Romani Pontificis uberius sese diffundunt, tamquam totidem Primatus supremaeque Romani Pontificis in docendo et regendo auctoritatis apologiae considerari possunt, dignaeque sunt, quae inter Monumenta nostra de Romano Pontifice locum sortiantur: eas tamen colligere et evulgare non est intentionis nostrae, tum quod completa ipsarum collectio haberi haud possit, tum quod opus nostrum plura iam exhibeat universi chori Epporum documenta, in quibus suam de summa S. Sedis Apost. auctoritate et intima sua cum eadem coniunctione professionem amplissimis verbis enunciatam deposuerunt. Duas duntaxat pastorales epistolas, ante inchoatum Vaticanum Concilium editas, inserimus nostris Monumentis: unam ex *Germania*, alteram ex *Hungaria*. Prior e *Congressu Epporum Fuldensi* mense Septembri 1869 vulgata *refellit multiplices rumores contra indictam Oec. Synodum sparsos* eo scopo, ut iam praevie Synodus indicta in odium et invidiam adducatur; *quasi* quippe *in Synodo nova dogmata, in fontibus revelationis non contenta, stabilienda, et principia proponenda forent, quae indigentiis Ecclesiae et Status adversantur, civilitatem ac scientiarum progressum impediunt, et libertati ac bono populorum opponuntur*; *quasi* porro *Summi Pontificis in indicenda Generali Synodo mens ac intentio unice ad amplificandam suam potestatem, et perimendam Epporum libertatem directa fuerit* etc. Egregie reiicit pastoralis haec litera cumprimis obiectionem de mente Summi Pontificis Synodum indicentis malitiose non minus quam

[1]) Mon. 1503. p. 49.

false formatam, uberius commonstrans: *quam arcta sit inter Papam et Praesules unio, quam sublimis Summi Pontificis, pro centro ac fundamento Ecclesiae divinitus positi, et eo ipso supra omnes factionum humanarum impetus elevati dignitas et auctoritas*, quantopere SS. Pater Synodum indicens, non tantum nullum libertati Epporum impedimentum ponere, sed potius consilia ipsorum exquirere cupiat etc. [1]). — *Posterior* encyclica a *Primate Regni Hungarici* tam ad Clerum quam ad fideles dioecesanos mense Novembri 1869 dimissa pariter insignem continet adiunctorum, indictionem Generalis Synodi provocantium, discussionem, et supremae dignitatis ac potestatis Pontificiae apologiam. In epistola *ad Clerum* de *auctoritate Summi Pontificis* enunciat Primas: *ipsum esse successorem Apostoli Petri, qui petra et fundamentum fuit Ecclesiae a portis inferi numquam expugnandae; cui plenitudo potestatis soli concessa est; pro quo solo Christus, ne unquam a fide deficeret, oravit, et cui soli curam imposuit fratres in fide confirmandi; cui soli totum Christi ovile pascendum commissum fuit; qui a Patribus et Conciliis unanimi consensu totius Ecclesiae fundamentum, controversiarum supremus iudex, unitatis fidei centrum, quo perfidia non possit habere accessum, agnoscitur; qui singulari suae Sedis privilegio in suis successoribus semper vivit, regnat, et indefectibilitatis gratia divinitus obtenta universos fratres in fide semper confirmat.* Rursum ex incidenti eo, quod in Basilica Vaticana celebrandum sit Concilium, de *Ecclesia Romana* scribit: *eam semper mansisse immaculatam, et Domino providente ac Petro Ap. opem ferente mansuram in futurum atque sine ulla haereticorum insultatione firmam et immobilem omni tempore perstituram; — in sola Petri Cathedra incorruptam servari Patrum haereditatem, — et dominici seminis puritatem centum fructus ferre.* (S. Hier.) Concilii indicti circumstantias commemorans, non modo utilitatem imo necessitatem eiusdem demonstrat, verum etiam errores ac haereses dierum nostrorum perstringit; *in Concilio neminem libertate sentiendi loquendique privandum fore* ait;

[1]) Mon. 1504. p. 52.

quodsi Pastor omnium locutus fuerit, et definitivam dederit sententiam, notum fore Eppis, a Petro se debere confirmari, nec posse a fundamento suo Ecclesiam avelli, vel unitatem inter caput et membra discindi; — Ecclesiam Catholicam opus esse divinum, nulla sui parte ab hominibus reficiendam; in Hierarchia invariabilem regiminis formam, unum e duodecim electum, cui plenitudo potestatis symbolo clavium collata sit; divino magisterio et Petri auctoritate ferri leges generales Ecclesiae; Petrum per os Pii IX locuturum etc. [1]). Non absimilia sunt, quae in epistola *ad fideles* continentur. In hac de Romano Pontifice dicitur: post gloriosam millionum et millionum Martyrum mortem, post tantarum terrenarum petestatum interitum, totque regnorum occasum *aeternam stare Urbem; stare fulgereque S. Petri Sedem, aeternae suae durationis pignus in infallibilibus Dei promissis et reportatis per tot seculorum fluctus victoriis possidentem et exhibentem; peculiari modo electum fuisse a Domino Petrum, eiusve successores in Sede Romana; magnam quidem potestatem Apostolorum collegio collatam, sed eam iam prius soli Petro traditam, imo ea maiorem, siquidem Petrus eiusque successor in Romana Sede sit Vicarius Iesu Christi in terris, visibile Caput et gubernator Ecclesiae.* De relatione Concilii ad Papam pronunciat encyclica Primatis: *Papam duntaxat posse convocare ac dirigere Concilium; huiusque decreta nonnisi per Papam fieri valida, vimque obligantem a Papa consequi; solum Papam esse legislatorem in universa Ecclesia, ab eoque Eppos in Concilio elevari ad dignitatem universalium legislatorum, et participes reddi pontificiae legislatoriae potestatis; Papam esse iudicem latae per Eppos iudices in Synodo sententiae; ubi est Petrus, ibi Ecclesiam esse; in Petro eiusque successoribus esse Ecclesiam unam, sanctam, catholicam, apostolicam* [2]).

---

[1]) Mon. 1505. p. 60. — [2]) Mon. 1506. p. 77.

Utprimum *Praesules* ad Concilium convocati Romam advenerunt, *Summus Pontifex* eosdem pro *Congregatione praesynodali* convocatos *die 2 Dec. 1869 allocutus est.* Allocutio quemadmodum praecipuae caritatis pontificiae plura conspicua edit specimina, ita inprimis *summam animorum consensionem*, cum qua *Eppi S. Sedi coniuncti* hactenus fuerunt, commemorans, eosdem ad hanc unionem porro etiam eo magis servandam excitat, quod eam tuendo, *Apostolorum insistant vestigiis, qui suae unanimis et constantis cum Divino Magistro coniunctionis luculenta exempla reliquerunt.* Tradit porro Beatissimus Pater *normas* apostolicis literis consignatas et editas, quae *ad omnia in actionibus Conciliaribus rite et ordine facienda* constitutae sunt. Tandem monet, *ut spiritualibus militiae armis utantur, totamque certaminis vim tum divina nixi auctoritate, tum caritatis, patientiae, precationis et constantiae clypeo sustineant* [1]). — *Allocutio* in prima Concilii Sessione 8 Dec. 1869 habita post expressum super maiore Praesulum frequentia *in arce Religionis Catholicae* conspicua gaudium, paucis recenset occasionem et causas congregati Concilii: *quod* nimirum *magno impetu aggressus sit antiquus humani generis hostis Domum Dei, eoque auctore funesta illa impiorum late grassetur coniuratio, quae coniunctione fortis, opibus potens, munita institutis, et velamen habens malitiae libertatem, acerrimum adversus Ecclesiam Dei bellum, omni scelere imbutum, urgere non desinit; bellique istius arma sint: sanarum doctrinarum, quibus res humanae in suis quaequae ordinibus innituntur, perturbatio et confusio, luctuosa iuris cuiusque perversio, multiplices mentiendi audacter et corrumpendi artes ad solvenda iustitiae, honestatis et auctoritatis vincula, ad pessimas quasque cupiditates inflammandas, ad fidem christianam ab animis funditus convellendam.* Exposito dein scopo Concilii, ut videlicet congregati Praesules cum Summo Pontifice testimonium perhibeant Verbo Dei, et testimonium Iesu Christi, viamque Dei in veritate doceant omnes homines, et de oppositionibus falsi nominis scientiae duce

[1]) Mon. 1507. p. 99.

Spiritu S. iudicent, repetitim provocat Eppos *ad arctissimam cum Centro et Capite Ecclesiae coniunctionem,* affirmando: ut nullum fortasse aliud infestius et callidius bellum in Christi regnum exarsit, sic *nullum fuisse tempus, in quo magis Sacerdotum Domini cum Supremo gregis eius Pastore unio, miram vim in Ecclesiam effundens, postularetur;* itaque *docendam in hoc Concilio esse viam, veritatem et vitam, ad quam tot agitata aerumnis gens humana iam non adspirare non potest; dandamque operam, ut pax regnis, lex barbaris, monasteriis quies, Ecclesiis ordo, Clericis disciplina, Deo populus acceptabilis restitui possit.*[1])

Index Schematum, quae a Theologis et Eccl. Iurisconsultis pro Conciliari deliberatione praeparata, et Patribus Synodi communicata fuerunt, manifestum reddit, quam multa et gravia obiecta tum ad doctrinam, tum disciplinam pertinentia, item circa Ordines Regulares, et res Ritus Orientalis atque Missiones Apostolicas, Conciliari discussioni ac decisioni substrata extiterint. Inter ea, quae *de Ecclesia* proposita habentur, occurrit *Primatus Romani Pontificis*, et *temporale Sanctae Sedis dominium.*[2])

Relate ad Constitutionem *de servando ordine in Concilio* plures ponebantur ex parte Patrum Synodalium reflexiones. In repraesentatione, quam *14 Praesules Galliae et Eppus Diakovariensis* subscripsere, praeprimis *plena ac perfecta Patrum libertas in discutiendis ac definiendis sacris dogmatibus, statuendisque circa mores et disciplinam regulis*, porro *maturitas examinis* ceu talia identidem memorantur, quae omnimode sarta tectaque servari debeant. Insuper optatur et velut necessarium censetur, *ut ad Deputationes sive Commissiones viri eligantur doctiores ac ad rem aptiores, et ut omnibus Patribus ad Deputationum congressus liber pateat aditus.* Circa *Secreti* legem observatur: *eam in omni suo rigore vix servari posse, imo, postquam consvetudo iam nunc ubique viget, gravissima negotia publice pertractandi, item ad eludendas pravas hominum contra Ecclesiam suspiciones*

[1]) Mon. 1508. pag. 102. — [2]) Mon. 1509. pag. 106.

optandum esse, ut lex secreti nonnihil temperetur. Demum enunciatur: *a Pastorum unanimitate pendere omnes praecipue circa dogmata definitiones* [1]). — Ex parte *Epporum Germaniae, Austriae et Hungariae* duplex occurrit quoad eandem Constitutionem de ordine in Concilio servando remonstratio: altera a 26 Eppis (accedente quoque AEppo S. Ludovici in America), altera a 44 Praesulibus subscripta. In *priore* animadvertitur: *ius proponendi in Concilio, quod quis ad publicam utilitatem pertinere existimaverit, Patribus quoque vi muneris sui salvum manere debere; et optandum esse, ut ad Deputationem examinandis Epporum propositionibus destinatam plura adhuc membra Concilii suffragiis eligenda adsciscantur* [2]). In *posteriore* petitum fuit: *ut Schemata, quae de fide et disciplina agunt, omnia Patribus exhibeantur; ut Patribus liceat praeter Generales Congregationes in minoribus quoque consultationibus negotia discutere, suamve sententiam in consessu Deputationum Conciliarium explicare ac defendere; ut* demum *liberum sit Patribus tam orationes in Congregatione Generali habitas, quam alia scripta, quibus res tractandae uberius exponuntur, typis mandanda disponere* [3]). — Repraesentationibus Praesulum in trutinam sumtis, Summus Pontifex instar supplementi ad priorem Constitutionem per Praesides Concilii 20 Febr. 1870 edi iussit *decretum de ordine in Concilio servando*, in quo plures pro discussionibus Generalium Congregationum stabiliuntur normae eo tendentes, ut et libertas discussionum, quae Eppos Ecclesiae Catholicae decet, in tuto servetur, et plenior ac expeditior rerum tractandarum ratio procuretur [4]). Verum nec per novum decretum rem finitam esse existimarunt plures e Patribus Concilii, et nova repraesentatione, 1 Martii 1870 a centum et amplius Patribus subscripta, postulationes suas Praesidibus Concilii proposuerunt: *ut* scilicet *voto Patrum, longiorem moram pro pertractatione gravioris obiecti desiderantium, deferatur;* ut *omnes Patrum animadversiones sedulo referantur, relationique motiva adnectantur, et Pa-*

---

[1]) Mon. 1510. pag. 109. — [2]) Mon. 1511. pag. 112. — [3]) Mon. 1512. pag. 114. — [4]) Mon. 1513. pag. 117.

tribus suas animadversiones coram Deputatione defendere liceat; ut *oratoribus integrum sit, ad responsa Deputationis replicare;* ut *discussio numquam censeatur plus aequo protracta, quamdiu ex Patribus aliquis tamquam testis et iudex fidei nondum auditus circa propositam quaestionem iure suo uti voluerit;* ut *in ferendis suffragiis conditio dissentientium sit favorabilior et ipsis prioritas in dandis votis concedatur;* ut *dogmata fidei non maioritate numerica, sed unanimitate morali definiantur, idque pro praesenti Synodo eo magis, cum ad ferenda suffragia multi Patres admissi fuerint, de quibus non constat evidenter, utrum iure tantum ecclesiastico an ctiam divino votum decisivum habeant;* ut *in rebus dogmaticis suffragia Patrum non super toto schemate, et quasi in globo, sed seorsim super unaquaque definitione rogentur et edantur*[1]).

In Sessione III SS. Vaticani Concilii edita est *Constitutio dogmatica de Fide Catholica:* quam Monumentis nostris de Romano Pontifice inserimus tum ideo, quod *suprema auctoritate docendi* Primatui propria illam Pius IX P. M. in S. Synodo ediderit, tum ideo, quod ipsa haec auctoritas in Constitutione repetitis vicibus sat luculenter indigitetur. Mox in *prologo* Constitutionis inter salutares postremi Oecumenici Concilii *Tridentini* effectus recensetur *arctior membrorum Ecclesiae cum Visibili Capite communio*; tum in fine eiusdem prologi disertis verbis declarat Summus Pontifex: se *pro supremo suo apostolico munere docendi ac tuendi veritatem catholicam et perversas doctrinas reprobandi* officium numquam intermisisse, — et nunc una cum Eppis, *sua auctoritate* in Synodum congregatis, *ex Petri Cathedra* profiteri ac definire doctrinam et adversos errores proscribere ac damnare; Capite 3 dicitur: fide divina et catholica ea omnia credenda esse, quae in Verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio (in Conciliis), sive *ordinario et universali magisterio* (Primate Ecclesiae Romano Pontifice) tamquam divinitus revelata credenda proponuntur; tandem in conclusime seu *epilogo* omnes admonen-

[1]) Mon. 1514. pag. 119.

tur officii, *servandi Constitutiones et Decreta, quibus pravae opiniones, in Constitutione praesenti diserte non enumeratae, a S. Sede proscriptae sunt et prohibitae.* [1])

Monumentis hactenus recensitis succedunt ea, quae *Primatum Romani Pontificis* et sublimem ac divinam Primatus praerogativam concernunt, quippe *infallibile* eiusdem *magisterium*, in S. Concilio Vaticano solemniter definitum. Definitionem hanc iam ante Concilium in votis se habere *quamplurimi sacerdotes*, cumprimis ex *Gallia* et *Italia* manifestarunt, partim in suis ad Pium IX P. M. epistolis, partim lucubrationibus super hac quaestione in lucem publicam editis et in *Literatura* per nos recensendis. Nos ipsi, ut docet primum et secundum Monumentum huius voluminis, inter obiecta pertractationum Synodalium quaestionem hanc referre non dubitavimus. In ipso autem Concilio, ut notum est, mature se insinuavit votum Patrum plurimorum, ut infallibilitas Romani Pontificis in rebus fidei et morum a S. Synodo definiatur. Monumentis Synodalibus super hac quaestione eiusque definitione praemittimus enunciationes *Sacerdotum* de hac Primatus praerogativa extra Synodum factas. Inter eas occurrunt primo *Sacerdotum Galliae declarationes, et epistolae ad Summum Pontificem* a. 1869 et 1870 directae. Priores ea occasione factae sunt, qua *sacerdotes suos S. Petri denarios Pontifici Maximo, post sacrilegam ditionis temporalis occupationem in summas angustias redacto, filiali cum devotione offerebant.* Munusculorum idmodi oblatio semper cum piis, et plerumque etiam energicis *inscriptionibus* ac *declarationibus* (frequenter ipsis Patrum Sanctorum verbis conceptis) pro inerrantia pontificia coniuncta fuit: eo maioris ponderis ac pretii, quod ex *Gallia* venerint, in qua *famosa anni 1682 declaratio,* subin in foro et schola doceri iussa, antiquam Gallicanam fidem et doctrinam de excelsa Pontificalis inerrantiae praerogativa pro aliquo tempore obfuscavit; divina providentia ita rem moderante, ut eius nationis Clerus in vindicando S. Sedi

---

[1]) Mon. 1515. pag. 125.

divino hocce privilegio palmam ceteris praeriperet, cuius Antistites octuagesimis Seculi XVII annis regio iussu Parisiis congregati privilegio isti bellum indixerunt. Longum foret seriem enunciationum ac literarum, quas laudati Sacerdotes pro infallibili magisterio Cathedrae Romanae ediderunt, texere, cum adeo multae sint, ut solae vastum volumen efficerent. *Seligimus* ex iis duntaxat *illas, quae lingva Ecclesiae, latina, vulgatae, et potissimum praestanti ephemeridi* **L' Univers** *insertae existunt.*

In *declarationibus et inscriptionibus*, quae transmissioni *denariorum S. Petri* adnexae erant, et e quibus *septem et quinquaginta* exhibemus, enunciant Gallici sacerdotes: *vocem Petri esse vocem Dei ; — Petrum eiusque successorem esse custodem fidei; — praeter Deum non esse ei similem nec in coelo nec in terra; — Papam esse os totius Ecclesiae infallibile, solum Apostolorum successorem, qui super orbem terrarum iurisdictionem ordinariam accepit ; — eum verba vitae aeternae habere ; — nec congregatum totum Concilium Generale sine Papa, nec nisi per hunc posse cognoscere ; — Papam omni Concilio superiorem esse, nec robur habere, quidquid ibi agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur ; — infallibilitatem Papae esse infallibilitatem Christi ipsius, qui cum Papa et per Papam regit Ecclesiam suam ; — Papam esse iudicem iniudicabilem, oraculum Verbi Dei ; — pestem eos Ecclesiae ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei doctrinaeque auctoritate succedere, aut certe adstruunt, Summum Ecclesiae Pastorem errare in fidei iudicio posse ; — infallibilitatis pontificiae praerogativam constantissima perpetuaque SS. Patrum traditione commonstrari ; — Ecclesiam apostolicam Petri ab omni seductione haereticaque circumventione manere immunitatam, — in suis Pontificibus plenissimam in fide et auctoritate Petri; — Sedem Petri super petram struere, et fideliter fovere immotam, ac perenni foedere firmare Deum ; — cum omnes teneantur adhaerere definitionibus S. Sedis, easdem constitutiones habere necesse esse pro iudicio certo, irreformabili, infallibili ; — Petrum esse rectorem civitatis Christi, fontem et normam veritatis,*

sortem aeternam reserari ad Petri iudicium; — Pontificis Maximi verbo Domini circumamictam fidem non deficere; — unam totius Ecclesiae fidem esse non posse, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti praeest Ecclesiae, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur; — in vanum a Christo plena potestate leges ferendi pro toto orbe donatum esse Pontificem Romanum, si licitum sit, constitutiones eius infirmare; — S. Romanam Sedem esse fundamentum a Deo fixum, et sacrum verticem, in quo omnes vertuntur, sustentantur, levantur etc. — *Inscriptiones* porro omnes diriguntur ad *Pontificem* et *Doctorem infallibilem*, oecumenicum, universalem, *infallibilem totius Ecclesiae doctorem* etc. — In pluribus diserte memoratur *Gallicanismus*, eiusque damnatio, contritio, sublatio postulatur, partim soluta, partim ligata oratione, subinde in forma litaniae; e. g: „Doctor oecumenicus et infallibilis quos vocant *Gallicanos errores*, interimat. Amen; — veteres Ecclesiae Gallicanae Proceres in Summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse; — *1682* (famosa declaratio) abeat quo libuerit!; — *erraverunt a fide* et inseruerunt se doloribus multis *(Gallicani*: P. *Hyacinthus*, et *Maret)*; — Domine, salva nos, perimus, et *libera nos a malo Gallicano*; — Credo unam sanctam catholicam apostolicam Ecclesiam *Romanam*, et *non Aurelianensem, vel Suratensem* (Dupanloup, Maret); — ut doctrinae infallibilitatis S. Sedis Ap. propugnatores confortare, et *adversarios illuminare* digneris, te rogamus, audi nos; — *a Gallicano libera nos*, Domine; — *quod inopportunum dixerunt, necessarium fecerunt;* — Iesu, Salvator mundi, exaudi preces supplicum pro destructione *Gallicanismi* et definienda infallibilitate Summi Pontificis; — et portae inferi, et *Gallicanismus*, et Liberalismus non praevalebunt; — *Gallicanismi* opus non renovandum, sed cum honore sepeliendum; — ut ad veram poenitentiam *Gallicanos* omnes perducere digneris, te rogamus, audi nos; — exurge, Domine, adiuva nos, et *libera nos ab erroribus Gallicanis;* — super *Gallicanismum* ambulabis, et conculcabis leonem et draconem; — *a foeda Gallicanismi servitute libera* nos, Domine; — gaude, Maria Virgo Immaculata, *haeresim Galli-*

canam iamiam interemisti," etc. Liceat et sequens subnectere carmen:

„Quaelibet obiiciant meditantes schismata Galli,
Petre, tibi Iesus credidit ipse gregem." [1])

In *epistolis* ad Summum Pontificem directis suam de magisterio eiusdem infallibili convictionem Clerus *Galliarum* insigniter manifestavit. Ex his epistolis *lingva latina* exaratis, *tres et viginti* sistimus in Monumentis: signanter e Dioecesibus *Nemausensi, Tarbiensi, Elnensi, Rupellensi, Ambianensi, S. Flori, Suessionensi, Apamiensi, Albiensi, Burdigalensi, Vapincensi, Lingonensi, Aeduensi, Anneciensi, Cenomanensi, Auscitana, Augustodunensi, Tullensi, Rotomagensi*, et *Cadurcensi.* In iis non modo *definitio infallibilitatis pontificiae* ceu *novum pro fidelibus lumen, pro Eppis adiuvamen, Ecclesiae propugnaculum, Christo adversus infernas potestates triumphus atque trophaeum, finis errorum diluvii,* et *obstructio fontium abyssi* postulatur; verum etian *opportunitas* imo *necessitas* istiusmodi definitionis propugnatur, et exquisitis Romano Pontifici attributis titulis, aliisque argumentis convictio super excelsa praerogativa exprimitur dum dicitur: *super solum Petrum aedificatam a Christo esse Ecclesiam, eiusve solius esse confirmare fratres*, et non al his ipsum confirmandum; — in *Romano Pontifice* recognosci *Sedis, primatus, et dotum D. Petri haeredem omnimodum ac successorem mirificum, Vicarium Christi indefectibilem ducem salutis ab omni errore immunem ideoque securum columnam veritatis inconcussam, regulatorem morum perfectum; — inerrantiam pontificiam Scripturae Sacrae, SS. Patrum traditioni, praxi omnium seculorum, et sanae rationi consonam esse atque in Primatu privilegium infallibilitatis necessario contineri; — decisiones doctrinales a S. Sede prolatas tamquam a Deo emanatas habendas, eandemque ac ipsi Evangelio auctoritatem eis tribuendam esse; — magisterium supremum, permanens, universale cuius definitiones ab omni erroris ac deficientiae periculo sint immunes, et tamquam summa ac infallibilis fidei mo-*

[1]) Mon. 1516—1572. pag. 137—149.

rumque regula ab omnibus recipiendae, Petro eiusque successoribus in Sede Romana a Christo commissum fuisse; — Papam ad docendam ac regendam Ecclesiam sufficere, eiusque doctrinam singulari Omnipotentis Dei gratia ac privilegio immaculatam esse et ab omni erroris labe praeservatam immunem; — Papam esse Magnum Sacerdotem, e quo quaerenda sit veritas, et per cuius os audire debeant omnes gentes verbum Evangelii; — privilegium confirmatoris infallibilis in B. Petri persona finem non habuisse, sed iisdem remanentibus Ecclesiae necessitatibus et errandi periculis, imo ab Apostolorum aevo magis ac magis succrescentibus *in omnes eiusdem successores in Romana Cathedra transmissum fuisse; — clavibus regni aeternae veritatis Petri eiusque successorum manibus a Christo creditis, eorumdem labia ne una quidem die destitui posse divino hoc thesauro, infallibilibusque oraculis aeternae veritatis*, etc. Praeterea quemadmodum in supra memoratis declarationibus, ita in epistolis quoque saepius perstringunt Galliarum sacerdotes errores *Gallicanismi:* sive dum aiunt *doctrinam de inerrantia Romani Pontificis in Gallia constanter professam fuisse;* sive dum enunciant *paucos admodum esse in Galliis, qui fidelem veterum Patrum traditionem de potentiore Romanae Sedis principalitate et summa magisterii potestate non servaverint;* sive dum impensius orant, *ut ad Gallicana effugia penitus praecludenda privilegium infallibilitatis R. P. absque ambagibus clare definiatur*; sive dum ad gallicanam famosam declarationem anni 1682 alludendo declarant *se animo volenti et fide non ficta solemne Ecclesiae iudicium expectare, quod Petrum in successoribus infallibilem orbi nunciabit, et lumine veritatis antiquum errorem propellente conferet coelo lactitiam, religioni stabilitatem, ipsique conturbato mundo firmamentum.* In pluribus literis urgendae ac sollicitandae Synodalis definitionis occasio inde quoque petitur, quod (ut *Cenomanenses* scribunt) *cum inimicis S. Romanae Ecclesiae ad labefactanda Cathedrae Apostolicae privilegia nonnullos etiam filios incautos ingratosque concinere non puduerit;* quodque (ut Capitulum *Anneciense* se exprimit) *in dies ingravescentibus contra catho-*

licam de infallibilitate R. P. sententiam inimici hominis conatibus, simulque magis ac magis crescentibus ad praecavendam definitionem errori mortiferam eiusdem insultibus — silentium periculi plenum esse videatur. Clerus *Auscitanus* et *Cadurcensis* non dubitavit enunciare: *paratum se esse ad doctrinam hanc etiam usque ad sangvinis effusionem tuendam.* [1])

Literis Galliae Sacerdotum, modo relatis, adiicimus memorabilia documenta ex Dioecesi *Massiliensi.* Quum nempe *Eppus Massiliensis*, inerrantiae pontificiae minime propitius, editis ante Concilium Vaticanum circularibus literis clero suo annunciasset, *se observationibus contra opportunitatem definiendae infallibilitatis Pontificiae ab Eppo Aurelianensi* (Dupanloup) *factis plene adhaerere;* clerus vero Massiliensis fere universus doctrinam de inerrantia R. P. firmiter teneret, nec tamen ob suam ab illa Praesulis sui divergentem sententiam palam propugnare et manifestare auderet, imo non pauca huiusmodi manifestationi impedimenta poni observaret: evenit, ut tres dioeceseos sacerdotes, *Coulin*, *Beranger*, et *Caseneuve*, primo in Conferentiis proiectum de litera ad Romanum Pontificem pro infallibili eiusdem magisterio mittenda facerent, tum reipsa literam eiusmodi ad Summum Pontificem mitterent, indeque collaudatorium Breve obtinerent, in quo una ad impedimenta demonstrationi huiusmodi posita alludebatur. Documentum hoc Pontificium in ephemeridibus vulgatum *Eppo Massiliensi* occasio extitit, primum ad antelatos tres sacerdotes, tum ad universum clerum dioecesanum literas, factum trium sacerdotum perstringentes ac reprehendentes dimittendi. Cum in his literis plura obiicerentur saepedictis tribus sacerdotibus, hi opportunum imo necessarium duxerunt, ad literas Eppi fusius respondere. In responso suo penes omnem erga Praelatum reverentiam, ea, quae ipsis obiecta fuere, refutant, et sequentia notatu digna proponunt: *se nonnisi documentum absolutae suae devotionis et de infallibili magisterio R. P. convictionis edere voluisse per epistolam ad Papam dimissam; nemini competere ius, commercio literarum inter Ca-*

[1]) Mon. 1573—1595. pag. 149—163.

put Ecclesiae et eiusdem filios invigilandi; epistolam hanc in ephemeridibus simul cum Brevi pontificio vulgatam non fuisse, tum quod Papae scribere per Eppum prohiberentur, tum quod e deferentia erga Praesulem noluerint publicum facere actum, pleno alias iure perfectum; e contra Brevis pontificii publicationem omitti non potuisse, cum augusta Capitis Ecclesiae eloquia proprietatem constituant omnium; se numquam fuisse sive delatores sive calumniatores Eppi dioecesani, sed solum fassos fuisse id, quod verum erat, nimirum sacerdotibus in manifestanda sua erga Papam devotione et doctrinae, quam universus fere dioeceseos clerus tenet, professione impedimenta poni etc.[1])

E Clero *Italico* primum occurrit *Anconitanum Capitulum*, quod in epistola a. 1869 scripta, postquam praemiserat, se in maximis etiam angustiis ac tribulationibus vinculo caritatis ac reverentiae cum Sede Apostolica in dies arctius stringi, profitetur: *se firmiter credere, reiicere ac damnare, quae Summus Ecclesiae Magister ad credendum, reiiciendum et condemnandum proponit; se vehementer optare, ut in Vaticana Synodo infallibilitas R. P. definiatur; hanc fuisse semper suam fidem; scire quippe se, a quo discat, et errorem haud formidare; scire, a quo pascatur, et venena non timere.*[2]) — Clerus *Veronensis* ad initium anni 1870 diserte declarat: se *summae auctoritati S. Sedis* devotum, cuncta Concilii Vaticani decreta promtissimo animo excepturum. [3]) — Canonici et beneficiati *Pactenses* Summum Pontificem conspicuis titulis, a SS. Patribus adhibitis, honorantes, quidquid ab ipso ceu *infallibili supremo doctore et magistro* confirmatum fuerit, alacri animo excepturos se profitentur, et optant, *ut ex ore Patrum Vaticanorum, per quod Spiritus S. loquitur, exeat ab universo catholico orbe exoptatum iudicium de Romani Pontificis inerrantia ac infallibilitate, quam S. Ecclesia, Patrum traditio, Conciliorum decreta, RR. PP. iu-*

---

[1]) Mon. 1596. 1597. pag. 164. 167. — [2]) Mon. 1598. pag. 176. — [3]) Mon. 1599. pag. 178.

lingva potissimum italica depromta, paucis demtis, quae vel latine vel gallice exarata existunt. In serie Monumentorum nostrorum sistuntur 59 declarationes et epistolae *latine* concinnatae: ex Dioecesibus ac civitatibus *Novariensi, Veneta, Adriensi, Utinensi, Bononiensi, Veronensi, Genuensi, Brixiensi, Nonantulana, Romana, Patavina, Teatinensi, Casalensi, Taurinensi, Savonensi, Vicentina, Biellensi, Aesina, Mediolanensi, Pisciensi, Cassanensi, Clodiensi, Cataniensi, Beneventana, Cuneensi, Comensi, Ravennatensi, Fidentina, Montispolitiani, Recinetensi, Faesulana, Senensi*, pluribus item *Pedemontii* ac *Sardiniae* dioecesibus etc. Praecipua ac notatu digna literarum harum ac declarationum enunciata sunt: *per Pium IX P. M. tamquam Petri successorem, et Vicarium Christi Domini praeberi in Concilio Vaticano aeternae vitae saluberrima et catholicae fidei ac morum infallibilia pabula; — supremae quidem auctoritatis esse, semetipsam et suae existentiae modum affirmare, posseque Summum Pontificem ceu supremam in terris auctoritatem se ipsum velut magistrum erroris nescium pronunciare, svaviter tamen eventurum, si Concilium Oecumenicum supremi Pontificalis magisterii inerrantiam simul cum Papa asserat, tamquam veritatem cum reliquis doctrinae catholicae capitibus arctissime connexam, atque ideo hactenus etiam indirecte de fide creditam; — magisterium Pontificis esse divinum, eoque ipso infallibile, siquidem Iesus ipse declaret, Petrum non ab alio, non a pleniore Concilio fratrum supernae infallibilisque doctrinae donum accepisse, sed ab ipso Deo Patre; — Ecclesiam et fundamentum esse unum, quod veram solidamque constituit basim aeternae veritatis erroris nesciae; — negata inerrantia pontificia sequi plura absurda ac blasphema, e. g. Christum non satis Ecclesiae providisse suae, non esse efficaciter lucem mundi, dum Petro oves pascendas commisit, pascua etiam venenata intendisse*, etc.; — *Romanum Pontificem tamquam in Concilio et extra Concilium Petram, fundamentum Ecclesiae, Eppum Epporum, Magistrum totius orbis terrarum, non posse non esse inerrantem et infallibilem; — inerrantiam Pontificis Summi esse veritatem a S. Literis decerptam, Apostolicae*

Traditionis auctoritate suffultam, rationi consonam, ac Divi Petri magisterio inhaerentem, praxi Ecclesiae edoctam, ex decretis SS Conciliorum profluens iusta sanae Logicae canones corollarium: — asserta Petrae mobilitate molem quoque super eam consurgentem contra promissum Christi mobilem redd., sublata in Romano Sede praerogativa hac coelesti statim et indefectibilitatem, et unitatem, et veritatem Catholicae Ecclesiae corruere debere; — inerrantiae Pontificiae privilegium indefectibili Christi Domini triplici inniti verbo: promisso, prece, mandato (Matth. XVI. — Luc. XXII. — Ioan. XXI.) etc. Nonnulli, uti *Adriensis* Clerus et *Dominicani in Noto* paratos se declarant *pro doctrina ista sanguinem quoque fundere*: alii *carminibus* et *epigrammatibus* rem celebrarunt, uti sacerdotes *Pedemontani, Genuenses, Nonantulani* et alii: e quibus hoc loco unum alterumve carmen inserimus:

„Haud erit: eloquere, alme Pater, quae dixeris, haec nos
Credimus haud hominis, verba sed esse Dei.
Ex Cathedra fateor te vera et certa docere,
Clamo, et iam excipio dogmata Concilii.
Pontificem falli dubitas oracula dantem,
Veraque non nobis scita aperire Dei?
Quae Christus Petrusque docent, Pius haec quoque Nonus:
Ergo mihi ut prosit credere, credo Pio."

Clerus *Genuensis* dolorem exprimit suum ob nonnullas ephemerides, quae secus S. Sedi consequentes et addictae, novitatibus adhaerent et sententias proponunt novas periculi plenas quoad iura et praerogativas S. Sedis. *Praepositus* autem *Lucerensis* in epistola italica ad Summum Pontificem refert: Professorem suum *Carolum Passaglia* antea Soc. Iesu presbyterum a. 1850 Romae propugnasse et multis argumentis defendisse thesim sequentem: *a potestate Primatus, qua Romani Pontifices praecellunt, secungi nequit infallibilitas docendi, dum edita e Cathedra constitutionibus catholicae fidei unitati prospiciunt.* In recensione argumentorum pro thesi hac probanda occurrit et sequens: *imbecillitas probationis eorum, qui Romanorum Praesulum infallibilitatem inficiantur, et fallacia eorum commentarii, sive cum traditio-*

nem explicant, sive cum Scripturarum oracula enarrant. Notatu digna est quoque *epistola dedicatoria ad Pium IX P. M.* qua vota Cleri Italici in memoratis tribus voluminibus exhibita comitabatur nomine eiusdem Cleri *Maurus Riccius* e Sch. Piis, quam nostra continent monumenta. In ea praeter repetitiam identidem amplissimam devotionis ac fidei erga Summum Pontificem professionem, firmiter asseverant Italici sacerdotes credere se et praedicaturos *Romanum Pontificem* ceu *veritatis magistrum, expertem et nescium errorum* [1]).

Ex aliis quoque regnis, praeter Galliam et Italiam, dirigebantur partim ad S. Sedem, partim ad Eppos in Concilio congregatos epistolae pro inerrantia Rom. Pontificis; edebantur pastorales literae ad Clerum super hac doctrina, aut secus enunciabatur convictio Praesulum et sacerdotum, imo et laicorum. Nonnulla e pretiosis huiusmodi documentis exhibent nostra monumenta. *Rector et Facultas Theologica Lovaniensis* a. 1869 egregiam direxit ad Eppos *Belgii* in S. Synodo congregatos literam *de constanti doctrina ac fide Academiae Lovaniensis quoad Romani Pontificis in docenda Ecclesia perpetuam erroris immunitatem.* Commemorant sua in epistola Lovanienses tempora *Lutheri*, quibus praesertim *Iacobus Latomus* pro antelata doctrina decertabat; tum scriptum a Doctoribus Lovaniensibus a. 1544 evulgatum de praecipuis catholicae doctrinae capitibus, ac in his de iure S. Sedis supremo in iudicandis fidei controversiis; enumerant quamplurimos Doctores Lovaniensis Academiae strenue pugnantes pro doctrina, iuxta quam Romanus Pontifex, ubi Petri officio fungens toti Ecclesiae aliquid tamquam divinitus revelatum praescribit credendum, errare non potest; narrant, *post famosam Gallicanam anni 1682 declarationem statutum fuisse, neminem ad collegium Professorum S. Theol. admissum iri, qui non prius promisisset, se R. P. infallibilitatem pro visibus esse defensurum;* porro existere spissas collectiones *thesium theologicarum* inde a declaratione Gallicana usque tempora Iosephi II Imp. in Academia Lovaniensi publice pro-

[1]) Mon. 1603—1662. pag. 184—219.

pugnatarum, nullamque in iis inveniri, quae Gallicanae favisset declarationi, e contra plurimas, quae infallibilitatem R. P. defendunt: instaurata tandem a. 1834 Lovaniensi Academia, hanc maiorum suorum sententiae constanter adhaesisse, hodieque adhaerere. Quare etiam votum suum exprimunt, ut doctrina haec dogmatico decreto definiatur [1]).

Orientales Montis Libani datis 1. Nov. 1869. ad Summum Pontificem literis desiderium suum aperiunt, *ut divina Summi Pontificis infallibilitas definiatur*, novaque hac luce fulgens Ecclesia Orientalis cum Occidentali arctius uniatur [2]). — *Praesules* pariter *Armeni* Romae congregati in suis 11 Ianuar. 1870 habitis Conferentiis pronunciarunt: *in Ecclesia quidem Armena numquam dubitatum fuisse, quin irreformabilitas iudiciorum a Romano Pontifice uti supremo Ecclesiae Cath. Magistro et Doctore editorum Primatui eiusdem arctissime et inseparabiliter cohaereat; cum tamen ea a quibusdam in dubium revocetur, necesse videri, ut ab Oec. Concilio definiatur* [3]).

Ex *Americana dioecesi Neo-Aurelianensi* 134 sacerdotes in epistola ad Summum Pontificem mense Maio 1870 scripta non modo inconcussam fidem suam de eo, *quod donum infallibilitatis B. Petro a Christo concessum propter Ecclesiam, ad eius successores ac haeredes, nempe Pontifices Romanae Ecclesiae transierit;* verum etiam *propter nefariam* (ut aiunt) *oppositionem, qua coeci homines hanc veritatem audacter obnubilare conantur*, agnoscunt *Ecclesiam universam semper professam fuisse et in praxi observasse hanc veritatem*, dolereque se affirmant, *ingratos filios huic privilegio, tam Verbo Dei quam constanti traditione firmato, obsistere* [4]).

Eppus Curiensis in Helvetia mense Ianuario 1870 per Encyclicas ad Clerum literas *positiones* quasdam sive themata pro instructione populi deservitura de infallibili magisterio in Ecclesia divinitus constituto proposuit: signanter *vivum magisterium et controversiarum iudicem in Ecclesia a Domino constitutum esse infallibilem; Epporum potestatem, a Deo*

---

[1]) Mon. 1663. pag. 219. — [2]) Mon. 1664. p. 222. — [3]) Mon. 1665. p. 223. — [4]) Mon. 1666. p. 224.

licet concessam, subordinatam esse Romano Pontifici; Papae iudicium in rebus fidei ac morum eousque praevalere reliquorum Epporum iudicio, ut hoc sine illius consensu numquam finale sit ac decisivum; ipsius R. P. iudicium in rebus fidei ac morum pro universa Ecclesia latum se solo a vero et sancto non posse deflectere, universamque Ecclesiam ad assensum ipsi praestandum ex Christi voluntate stringere; hancve sententiam esse fidei proximam [1]).

Clerus ex Ducatu *Luxemburgico* initio mensis Iunii 1870 per epistolam adiit Summum Pontificem ad profitendam suam fidem de sublimi Primatus praerogativa, *quod* quippe *Papa velut per os Petri Christus ipse loquens nec fallere nec falli possit, supremus in rebus fidei et morum magister,* et *quod vetus hocce de thesauro Christi recenter proferendum dogma innumeris animabus perennis lucis et gloriae fons futurus sit in vitam aeternam scaturiens* [2]).

Generalis *Congregationis Passionistarum*, cuius fundator erat S. Paulus a Cruce, exposito in litera ad Pontificem Maximum statu quaestionis, commemoratoque eo, quantopere nitantur istis diebus portae inferi eo rem deducere, *ne fidei vindex a Domino constitutus nascentium haeresum monstra suffocare, et rei christianae de tempore valeat subvenire:* proponit suo et Congregationis suae nomine necessitatem definiendae in Synodo praerogativae infallibilitatis R. P. et profitetur hanc fuisse semper et esse suam suorumque fidem, *quod necesse sit omnes undique fideles ad Romanam Ecclesiam i. e. ad Pontifices Romanos convenire, tamquam ad apostolicae traditionis indeficientes testes, unde fidei accipienda est certitudo, esseque Romanos Pontifices quasi os Catholicae Ecclesiae, quo Christus nobis loquitur, idcirco in rebus fidei et morum omnino falli nescios* [3]).

Lusitani in Urbe aeterna praesentes per literas ad Pontificem missas prorsus egregiam de sua fide ediderunt professionem. *Vaticanam Petri Sedem appellant arcam Noëmiticam fluctibus dominantem, ex qua pacis columbam, Spiritus*

[1]) Mon. 1667. p. 226. — [2]) Mon. 1668. p. 228. — [3]) Mon. 1669. p. 230.

S. oracula venerabundus expectat universus orbis; columnam et firmamentum veritatis, unum et intemeratum calholicae fidei repositorium, veram morum magistram etc. [1]).

Ex *Anglia* Clerus ADioecesis *Westmonasteriensis* (100 sacerdotes) confitetur: *Romanum Pontificem in solidum possidere principatum docendi regendique Ecclesiam, quo ipse Novi Testamenti Pontifex, Dei Filius gaudet, ab hoc Petro et huius successoribus cum eadem plenitudine traditum, dictaque illius quoad fidem vel mores esse infallibilia.* Confitetur porro, Clero inferiori, licet de fide iudicium ferre ad ipsum haud pertineat, ex occasione motae de *opportunitate* definitionis super hac doctrina quaestionis, ius surgere, suum quoque sensum palam aperiendi [2]). — *Eppus Hagulstadensis* professorum et alumnorum *Collegii S. Cuthberti* vota pro definienda infallibilitate R. P. paucis ante ipsam definitionem diebus Summo Pontifici obtulit [3]). Eodemque tempore *universi cleri Angliae et Scotiae* (cum subscriptione 839 sacerdotum) ad Romanum Pontificem pertigit litera, ardens eiusdem desiderium exprimens, ut per Concilium Vaticanum infallibile Romani Pontificis in docendo magisterium stabiliatur, fideque catholica credendum proponatur [4]).

In Monumentis nostris super infallibilitate R. P. desiderari haud possunt *Brevia Apostolica*, quibus viros ecclesiasticos et laicas personas, suam erga infallibile magisterium S. Sedis adhaesionem ac fidem manifestantes, Sanctissimus Dominus honorare ac recreare dignatus est. Rescriptorum eiusmodi Apostolicorum magna est copia: omnia tamen colligi et exhiberi nequeunt. Seleginus potiora, et vulgamus 25 Brevia, omni attentione digna, eo praenotato, quod similia rescripta ad eruditos quoque viros, qui de excelsa hac Primatus praerogativa lucubrationibus editis inclaruerunt, Summoque Pontifici easdem praesentarunt, dimissa fuerint, et plura ex iis in nostra Literatura locum sortiantur. Praefata 25 Brevia diriguntur ad *Cler. Atrebatensem; Mauritium de Bonald e decuria iudicum Ruthe-*

---

[1]) Mon. 1670. p. 232. — [2]) Mon. 1671. pag. 234. — [3]) Mon. 1672. p. 235. — [4]) Mon. 1673. p. 236.

nensi ; *Eppum Pistoriensem ac Pratensem; Clerum Patavinum ; Clerum Cacsenatensem ; Parochos Pisarum ; Eppum Andriensem; Clerum Lucensem ; mulieres Brixienses ; Canonicos Avenionenses ; Vicarium Apost. in Herzegovina ; Canonicos et sacerdotes dioecesis Montis-Pessulani ; mulieres Concordienses ; Superiorem Generalem Lazaristarum ; Vicarium Aginnensem et Parochum Neracensem; Parochos nonnullos dioecesis Aurelianensis ; Clerum Modanae in Sabaudia ; Societatem Catholicam Patavinam ; Canonicos Reginenses in Calabria ; Canonicos Briocenses ; Neapolitanos* ; *Vicarios, Canonicos, Clerum et populum Massilienses ; Eppum Tarvisinum ; Parochos dioecesis Aretinae ; Eppum Caputaquensem ac Vallensem.* Per haec Brevia Pater Beatissimus meritis prosequitur laudibus firmam adhaesionem erga *cathedram catholicae veritatis et unitatis, in qua Christus Iesus inexpugnabile fundamentum constituit Ecclesiae suae ;* — porro fidem quoad *supremam magisterii eiusdem auctoritatem et vim a divino ss. religionis auctore ei collatam* ; — item ardens desiderium ac votum, *ut auctoritas huiusmodi solemni ratione hoc tempore ad medelam tot malorum, quae humanam societatem perturbant, et ad salutem hominum elucescat* ; — reflexe ad indictum *Oec. Concilium* enunciat : *non aliud per id se spectasse, nisi ut corrigeret perversa praesentis aetatis principia, erroresque profligaret, atque ita malorum causa submota nativum veritati imperium, religioni honorem, Ecclesiae libertatem, auctoritati obsequium, sanctitati iurium reverentiam, moribus emendationem, orbi compararet tranquillitatem.* Sedem Apostolicam vocat *arcem veritatis*, et hortatur, ut *sacerdotali libertate* eoque maiori contentione *propugnent divinam S. Sedis praerogativam, quo amplius eam a zelo non secundum scientiam oppugnari conspiciunt*, et constanter mente repetant, *Petri fidem illam esse petram, supra quam aedificavit Dominus Ecclesiam suam ;* — perstringit *cavillationes olim excogitatas adversus divinas Apost. Sedis praerogativas rursum excitatas, novaque refictas forma propagatas in vulgus.* In Brevibus ad *Galliae* sacerdotes directis amplius commendat studium *aperte profitendi eandem fidem de Petri successore eiusque prae-*

rogativis, quae communis est Catholicorum, oraculis SS. Literarum munita, dum ii, qui praerogativis S. Sedis infensi sunt, eas insectari et convellere per publica scripta non verentur; excitat, ut ultro quoque firmiter adhaereant *supremae veritatis cathedrae, cui qui adhaeret, a nullo perversae doctrinae vento circumferri potest;* gaudium exprimit super eo, quod *antiquae Galliarum fidei* conformiter censeant de divinis Petri eiusque successorum praerogativis, *in firmitate fundamenti soliditatem* agnoscendo *aedificii*, et *in virtute ac decore Capitis robur et honorem corporis.* — In Brevi ad *Eppum Tarvisinum* (Zinelli) dum Canonicorum, parochorum aliorumve sacerdotum ac fidelium *in asserendis divinis Cathedrae Petri privilegiis unitatem mentium* commendat, simul ipsum Praesulem amplis exornat laudibus, quod firmitatem suam in tuendis Ecclesiae legibus et propugnandis S. Sedis iuribus per conciones publicas et scripta polemica, quorum postremum *adversus assertam unanimis suffragii in synodalibus definitionibus necessitatem* dirigitur, abunde testatam fecerit [1]).

Post praemissa *extraconciliaria* documenta, quae de infallibili successorum Divi Petri Principis App. sonant magisterio, transitum facimus ad *Monumenta Conciliaria.* Inter ea primum sibi vindicat locum *Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi*, quatenus *de Romano Pontifice* agit. Schema hocce, cum ceteris Schematibus (ut iam suo loco monuimus) Patribus Concilii consignatum, *Capite XI* de Romano Pontifice disserit, eiusque *Primatum* cum plena docendae regendaeque universae Ecclesiae potestate dogmatice evolvit, *nulla facta infallibilis magisterii mentione.* Declaratur in Schemate: *in B. Petro Apostolo a Christo Domino institutum fuisse utriusque unitatis, quippe fidei et communionis, principium ac visibile fundamentum, per promissum et collatum immediate et directe eidem Apostolo Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam;* porro *Primatum*

[1]) Mon. 1674—1699. p. 237—253.

hunc, in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae institutum, in ea iugiter perdurare, et quidem *in B. Petri successoribus S. Romanae Sedis Eppis, hos proin in universum orbem tenere Primatum iurisdictionis ordinariae et immediatae*; demum *ex suprema ordinaria et immediata iurisdictionis potestate consequens esse, ut Romanus Pontifex in huius muneris exercitio libere communicare valeat cum Pastoribus ac gregibus totius Ecclesiae.* In horum nexu in eodem Schemate *damnatur ac reiicitur* eorum sententia, *qui constitutam a Christo Domino in Ecclesia sua regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum vero proprioque iurisdictionis Primatu instructum fuisse, aut affirmant, Primatum non immediate et directe Petro, sed Ecclesiae et per hanc illi ut suo ministro delatum esse*; porro reprobatur ac damnatur illorum sententia, *qui negant Petrum in Primatu perpetuos habere debere successores, aut affirmant, iurisdictionem Romanorum Pontificum non esse ordinariam et immediatam in omnem Ecclesiam, licerequa a iudiciis RR. PP. ad futurum Generale Concilium, quas auctoritatem Romano Pontifice superiorem, appellare;* tandem reiicitur ac condemnatur eorum sententia, *qui liberam communicationem Supremi Capitis cum Pastoribus ac gregibus impediendam dicunt, aut eandem reddunt seculari potestati obnoxiam, ita, ut Apostolicae Sedis decreta per Placitum secularis potestatis confirmari debeant* Ad calcem decreti tres occurrunt *Canones*, per quos sub poena anathematis reiiciuntur errores doctrinae de Primatu oppositi. Adnexae sunt etiam tam decreto quam Canonibus *adnotationes* eruditae, singulas decreti et canonum positiones uberius explicantes, opportunasque de erroneis systematibus *Protestantium, Schismaticorum, Richeristarum, Iansenistarum, Gallicanorum, Regalistarum, Febronianorum*, etc. Primatui oppositis notitias suppeditantes [1]).

Schemati Constitutionis de Romano Pontifice subnectimus bina fragmenta ex *Schemate Constitutionis de Disciplina Ecclesiastica*, signanter de *Episcopis:* quatenus in ea propo-

[1]) Mon. 1700. p. 254.

nitur *relatio Epporum ad Romanum Pontificem.* Occurrit huiusmodi relatio in duobus potissimum capitibus: altero *de obligatione visitandi sacra limina Apostolorum et exhibendi relationem status Dioecesis;* altero *de Conciliis Provincialibus.* In *priori* praemisso eo, quantopere necessarium sit, *ut sacri Pastores cum eo, cui confirmandorum fratrum et universi gregis pascendi cura demandata est, arctius coniungantur*, enunciatur: ad finem hunc maxime conducere, *si Pastores sacri iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam et ss. Canonum praescripta Principum App. sepulchra veneraturi ad almam Urbem accedant, seseque Romano Pontifici sistentes de statu suarum Dioecesium relationem exhibeant*; et in huius nexu innovatis Constitutionibus Apostolicis iniungitur Praesulibus, ut obligationi isti satisfaciant. In *posteriori* praecipitur: *ut Eppi in prima post Concilium Vaticanum Provinciali Synodo decreta Vaticani Concilii palam recipiant, veramque Romano Pontifici obedientiam spondeant ac profiteantur, haeresibus et erroribus, quos Synodus Vaticana damnavit, publice reiectis et anathematisatis; idque in qualibet deinceps Provinciali Synodo observent*[1]).

Primis mensis Ianuarii a. 1870 diebus exhibita fuit Patribus Concilii Oecumenici *propositio ac petitio* ad ipsam Synodum directa, et *per 43 Praesules variarum nationum subscripta* pro declaranda *infallibilitate Romani Pontificis.* Petitio ipsa id continet: *ut apertis omnemque dubitandi locum excludentibus verbis sancire velit Concilium, supremam, idcoque ab errore immunem esse Romani Pontificis auctoritatem, quum in rebus fidei et morum ea statuit ac praecipit, quae ab omnibus Christifidelibus credenda et tenenda, quaeve reiicienda et damnanda sint.* Rationes pro fulcienda petitione adferuntur sequentes: 1. *Supremi magisterii Primatum* Petri et successorum aperte doceri in *Scripturis.* 2. Ex *Traditione* Ecclesiae constanti ac universali patere, *iudicia Romani Pontificis* de fidei morumque doctrina *irreformabilia* esse. 3. Perversa ea doctrina, quae tenet iudiciis S. Sedis nonnisi *obsequiosum* deberi *silentium absque interno*

[1]) Mon. 1701. 1702. p. 272. 274.

mentis assensu, vel *provisorie* tantum, subverti auctoritatem Romani Pontificis. 4. Ab Eppis catholicae veritatis custodibus ac vindicibus supremam Apost. Sedis docendi auctoritatem per recentissima *decreta synodalia* agnitam haberi. (Conc. Prov. Coloniense, Ultraiectense, Colocense, Baltimorense, Westmonasteriense, et 500 Epporum Romae 1867 declaratio.) 5. Per multis libellis et scriptis oppugnari hodie hanc praerogativam; eius itaque definiendae non solum *opportunitatem* adesse, verum et *necessitatem:* ne secus tacente Concilio Vaticano populus de vera doctrina reipsa dubitare incipiat, imo sensim ad detrectandum iudiciis S. Sedis obsequium perducatur. 6. Metum, ne *schismatici* ac *haeretici* per definitionem longius ab Ecclesia arceantur, superfluum esse: imo catholicos ius habere deposcendi ab Oecumenica Synodo, ut doceat, quid in re tam improbe impugnata credendum sit; et nec Lugdunenses nec Tridentinos Patres a stabilienda recta doctrina deterritos fuisse offensione haereticorum ac schismaticorum. Petitioni adnexa litera 43 Patrum orabat Patres Synodales, ut quo plures *nomina sua petitioni subscribant*, quo ipsa subin Congregationi speciali pro expendendis propositionibus designatae exhiberi valeat [1]).

Praeter praeallatam petitionem alia quoque eiusdem meriti *petitio* exhibita fuit Oecumenicae Synodo nomine *aliorum Praesulum, potissimum Italorum*, quorum tamen nomina et subscriptiones nobis non constant. In ea *provocative ad verba S. Evangelii, Ecclesiae doctrinam ac monumenta, item SS. Thomae Aquinatis, et Alphonsi de Ligorio effata* postulatur (verbis S. Ligorii): ut S. Concilium sancire velit, *quod licet Romanus Pontifex qua privatus doctor errare possit, dum tamen loquitur qua doctor universalis ex cathedra, in controversiis fidei et morum decernendis ab errore sit immunis* [2]).

Petitionibus his alii Patrum Concilii contrarias opposuere petitiones ad ipsum Summum Pontificem directas, *ut* quippe *doctrina de infallibilitate R. P. Concilio discutienda*

[1]) Mon. 1703. 1704. pag. 276. 280. — [2]) Mon. 1705. pag. 282.

haud proponatur. Petitionem huiusmodi proposuere 13 Ianuarii 1870 *Praesules 44 ex Germania, Austria et Hungaria.* Principio petitionis admiratio exprimitur desuper, quod (per Patres Concilii petitionem pro infallibilitate proponentes et subscribi desiderantes) *fidei iudices invitentur, ut ante causam dictam de sententia ferenda declarationem subscriptione sua munitam ederent.* Tum argumenta proponuntur pro eo, ut a quaestione hac in Concilio discutienda abstineatur: 1. S. Sedis iura hodie a Catholicis in dubium haud vocari, imo omnes mandatis Apostolicis promte obsequi. 2. In Conciliis Florentino et Tridentino clare edici, quid tenendum sit fidelibus de auctoritate R. P. 3. Hoc tempore pugnandum esse adversus eos, qui religionem velut commentum generi humano exitiale proclamant, proin non videri consultum, ut populis catholicis plus imponatur, quam a Patribus Tridentinis factum sit. 4. Fidei definitiones pendere praecipue ex traditione apostolica et consensu Ecclesiarum, innumerosque errores primis seculis Ecclesiarum particularium decisis, a successore Petri totiusque Ecclesiae consensu approbatis, profligatos fuisse. 5. Indubium esse, ab omnibus fidelibus veram deberi obedientiam decretis S. Sedis, piosque ac eruditos viros docere, quod quae Pontifex Summus de fide moribusque ex Cathedra loquens statuit, etiam sine consensu Ecclesiarum irrefragabilia sint. 6. Graves superesse difficultates ex dictis factisque Patrum, documentis historicis, et ipsa doctrina catholica enatas, quae nisi penitus solvantur, fieri non posse, ut doctrina in petitione Patrum primo loco nominatorum commendata tamquam a Deo revelata proponatur. 7. Definitionem, quae postulatur, inimicis religionis nova suppeditaturam arma ad invidiam rei catholicae concitandam, et Guberniis regionum (Germ. Austr. Hung.) praetextum praebituram, in iura Ecclesiae residua invadendi [1]). — Petitioni huic successit eadem die (12 Ian.) signata et 38 *subscriptionibus* munita Epporum *Galliae* et paucorum aliorum postulatio [2]). — Sequebatur petitio 27 *Praesulum Americae* de 15 Ianuarii 1870. tribus rationum momentis

[1]) Mon. 1706. p. 283. — [2]) Mon. 1707. p. 285.

innixa: 1. discussionem quaestionis clare monstraturam defectum unionis et unanimitatis inter Eppos; 2. definitione in regionibus, ubi haereses impune grassantur, ab Ecclesia magis abalienandos fore haereticos; 3. interminabiles lites exinde orituras, in detrimentum ministerii Eppalis [1]). — Eppi etiam *Orientales* 18 Ian. 1870 petitionem similem adornarunt, *17 subsignationibus* firmatam: orantes Summum Pontificem, ut ultra ea, quae de Romano Pontifice in Synodo Florentina Graecis Latinisque consentientibus sancita sunt, non sinat „plus oneris humeris Graecorum imponi" (verba petitionis!) [2]). — Epporum quoque *Italicorum* nonnulli (7) 18 Ian. 1870 supplicibus adiere Papam literis, petitionem Epporum Germaniae suam facientes, et exponentas, per definitionem infallibilitatis pontificiae inimicos nova in Ecclesiam arma sumturos, melioris notae viros autem non absque periculo schismatis in persolvendis praecipuis religionis officiis laxiores evasuros [3]). — Petitionibus his accessit 9 Febr. 1870 nova *40 Praesulum Austriae, Hungariae et Gemaniae* propositio *de modo discutiendi Schema de Ecclesia Christi.* Propositio id secum ferebat: ut Schema non in omni sua extensione simul et adsemel examinetur, sed in tres principales partes dividatur ita, ut prima pars Cap. 1—9 de Ecclesiae proprietatibus; secunda Cap. 10—12 de potestate ecclesiastica (Rom. Pont.) et temporali dominio S. Sedis: tertia Cap. 13—15 de relatione Ecclesiae ad Civitatem complectatur [4]).

In petitione Epporum *Orientalium* ea insignis facta est mutatio, *quod AEppus Amadiensis una Vicarius Patriarchatus Babylonici Chaldaeorum* (Georgius Ebediesu Khayatt) ope epistolae ad Summum Pontificem Kalendis Martii 1870 scriptae *votum suum contra definitionem infallibilitatis R. P. depromtum retractaverit.* In litera retractatoria primum exponit: se votum illud simul cum Orientalibus Eppis ideo depromsisse, quod existimaverit offendicula quoad schismaticos ex definitione consecutura, et difficulter explicare ac conciliare sciverit factum *Honorii* Papae. Post haec animadvertit: ex

---

[1]) Mon. 1708. pag. 286. — [2]) Mon. 1709. pag. 287. — [3]) Mon. 1710. p. 288. — [4]) Mon. 1711. p. 289.

petitione Epporum Orientalium erronee attribui illam Orientalibus opinionem, quasi hostiliter sentirent in S. Sedem, aut quasi ipsi sententias Gallicanas amplecterentur. Tum declarat: *Sedem Apostolicam ab se haberi velut arcem veritatis, religionis, decusque Orientalium immortale;* et, siquidem sive qua Doctor in Theologia sive qua Eppus semper tenuerit, *irreformabile debere esse iudicium Romani Pontificis ex cathedra docentis;* ex lectione porro libri, quem *Ramiere* Soc. I. instar confutationis libellorum presbyteri *Gratry* vulgavit, et uberiori quaestionis huius discussione in eadem de irreformabili iudicio Papae convictione amplius adhuc confirmaretur, *retractato priori voto non modo inerrantiam Pontificiam profitetur, verum etiam exposcit, ut desuper in Concilio dogmatica edatur definitio, quam vehementer postulant ipsa veritas ac argumentatio theologica, manifestatio male cogitantium contra Sedem Apostolicam, hostium eiusdem S. Sedis petulantia ac abusus, tot Doctorum et* (si cum Augustino dicere licet) *totius Ecclesiae Catholicae auctoritas.*[1])

In serie documentorum sequitur *Synopsis analytica Observationum, quae a Patribus in Caput et Canones de Primatu Romani Pontificis factae fuerunt.* (Schem. Cap. XI.) Quum nimirum distributo primo hoc de Primatu schemate (nulla facta adhuc in eo infallibilis magisterii mentione) Patres pro attributo sibi in Constitutione de servando ordine in Concilio iure suas reflexiones seu observationes fecissent: eae subin in systema redactae et, *reticito semper nomine Patrum* observationes facientium, typis procusae fuere. Documentum exhibet 88 numeros, sed in permultis numeris partim in genere plures, partim numerice designati Patres allegantur, numerusque eorum ad 130 et amplius assurgit. Observationes Patrum partim stylares sunt, partim meritoriae. Praecipuas paucis notamus. Reflectitur itaque per Patres: 1. verba *ordinariae* ac *immediatae iurisdictionis* in universam Ecclesiam praeiudicare ordinariae potestati Epporum in suis dioece-

---

[1]) Mon. 1712. pag. 291.

sibus. 2. In Schemate de Romano Pontifice *Eppalis ordini* *ac dignitatis* mentionem, et relationis Epporum ad Papam circumscriptionem desiderari. 3. Argumentis biblicis pro Pri matu adnecti debere etiam *Traditionem* et historicam demon strationem. 4. Institutionem Primatus e praemissa *doctrinc de Apostolatu divinitus ordinato* unice rite concipi posse proinde Caput praecedens *de Ecclesia* praemitti oportere. 5 Integrum textum *decreti Florentini* citandum esse. 6. *Au ctoritatem R. P. non esse pure et simpliciter monarchicam absolutam, seu independentem a Conciliis Generalibus et ss. canonibus;* proinde, ubi agitur de ordinaria ac immediata Pontificis Romani potestate, addendum esse: *salvis Epporum iuribus.* 7. Resecanda esse verba ad decreti Florentini textum adiecta: *iudicem supremum;* nec expedire damnare eorum sententiam, qui dicunt *Generale Concilium esse superius Romano Pontifice.* 8. Seorsim tractari debere in Schemate *de administratione Ecclesiae Petro et Apostolis data, de Primatu R. P.* et *de potestate Epporum.* 9. Omnia, quae litem movere possent, omittenda esse, signanter quaestionem illam: *a quonam singulis Eppis ordinaria iurisdictio deferatur?* 10. Sufficere definitionem *Concilii Florentini* de Primatu R. P. in qua *plenitudo potestatis* eidem tribuitur. — Utut autem maior pars Patrum in documento hoc allegatorum *supremae potestati docendi* et *ordinariae ac immediatae iurisdictioni* Romani Pontificis in universam Ecclesiam minus propitiam se exhibeat; *bene multi Patres* tamen aut simpliciter approbant Schema propositum, aut stylares solum ponunt animadversiones, aut *significantius* adhuc *exprimi desiderant supremam Romani Pontificis auctoritatem:* dum vel *errorem exploratissimum, gravissimum et nostro etiam tempore vividissimum Gallicanorum de superioritate Concilii supra Papam* diserte damnari; vel clarius quaestionem illam: *an de iure divino Primatus ita adnexus sit Romanae Sedi, ut in nullius potestate sit, eum in aliam sedem transferre?* explicari; aut clare edici, *quod Romanus Pontifex super omnia Concilia habeat auctoritatem;* aut officium *obedientiae erga Romanum Pontificem* clarius exponi, et addi verba: obedientiam ad *re* quoque *disciplinares* extendi; item diserte statui, *quod in*

stitutio confirmatioque Epporum iure proprio ac divino ad unum pertineat Rom. Pontificem; praeterea *illos, qui summam Papae maioritatem negant, vel inter ipsum et Eppos aliquam divisionem ponunt, et supremum Ecclesiae Pastorem ab Eppis ceu Caput a corpore, Petrum ab Ecclesia distrahere moliuntur*, diserte damnari; insuper obiectionem, ac si *potestas ligandi et solvendi omnibus Apostolis aequaliter cum Petro*, nulla facta huic speciali promissione et maiori auctoritate, concessa foret, elidi; imo totum Caput a *suprematia Petri supra alios Apostolos* exordiendum esse; et Canonibus propositis in Schemate adiiciendos esse alios Canones de superiori potestate R. P. supra Concilia, de obedientia eius decretis cum interno mentis assensu debita etiam in rebus disciplinaribus — exoptant. Neque silentio praetereundum censemus: in Observationibus Patrum, non obstante silentio Schematis, de *infallibilitate* Romani Pontificis ex utraque parte mentionem fieri: dum pars Patrum huic praerogativae haud propitia omnia illa expungi cupit ex decretis et canonibus, quae praerogativam inerrantiae vel adstruunt vel supponunt; pars vero altera animadvertit: Caput de Primatu mancum esse ex eo, quod praerogativae Primatui necessario inhaerentis, inerrantiae nempe, nullam faciat mentionem; siquidem *Primatus in Ecclesia divinitus instituti vis et ratio per se postulet, ut Romanus Pontifex absque erroris formidine catholicam veritatem edocere, eique repugnantes errores damnare valeat;* atque ideo pars haec Patrum Canonibus in Schemate propositis hunc quoque addendum censet: *Si quis dixerit, decreta R. P. in rebus fidei ac morum ab universa Ecclesia tenenda ante aliorum Pastorum consensum sive tacitum sive expressum errori posse esse obnoxia, aut audeat ab his ad futurum Concilium appellare, anathema sit.* [1])

Petitionibus, quas Patres Concilii de definienda inerrantia Romani Pontificis Concilio proposuere, in *Congregatione peculiari pro recipiendis et expendendis Patrum propositionibus deputata* in trutinium assumtis, Congregatio censuit,

---

[1]) Mon. 1713—1800. pag. 293—344.

huiusmodi petitionibus deferendum esse; cumque Sanctissimo Domino visum fuerit, huic consilio Congregationis annuere: die 6 Martii 1870 per Secretarium Concilii communicatum fuit Patribus Concilii *Schema novi Capitis, Schemati de Romano Pontifice addendi, de infallibilitate Romani Pontificis.* In eo praemissis pluribus sive e S. Scriptura sive ex traditione textibus pro eo, *quod in S. Romana Ecclesia ac Sede Apostolica semper conservata fuerit immaculata religio et doctrina*, proponitur decretum: *doceri et tamquam fidei dogma definiri, quod per divinam assistentiam fiat, ut Romanus Pontifex, cum supremi Doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit; et quod haec R. P. inerrantiae seu infallibilitatis praerogativa ad idem obiectum porrigatur, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.* [1])

Prout in Schema de Primatu, ita in novum caput de infallibilitate R. P. Patres Concilii suas proposuere animadversiones, quas exhibet documentum sequens: *Synopsis analytica Observationum, quae a Patribus in caput addendum decreto de Romani Pontificis Primatu factae fuerunt.* Documentum exhibet, reticitis Patrum nominibus, 139 numeros, sub quibus prope 250 Patres sunt comprehendendi, et ex his maxima pars infallibilitati pontificiae adhaeret: imo asseri potest, vix 60 Patres in his observationibus occurrere contrarium sentientes. Utut autem in impressa Synopsi nullius Patris Conciliaris memoretur nomen, quum tamen de nonnullis elaboratis palam constet auctorum nomen, in nostro monumento non omisimus huiusmodi elaboratorum auctores nominare.

I. *Reflexiones* praecipuae *per Patres definitioni infall. haud propitios positae* huc redeunt: 1. Quamquam dubitari non possit, Sedem Apost. fidei catholicae firmamentum inconcussum, decretisque eius de fide ac moribus veram obedientiam praestandam esse: *neminem* tamen *fore, qui affirmet, casum haberi non posse, quo quis ordinationibus S. Sedis licite refragetur; difficultatesque superesse, quominus decretis*

[1]) Mon. 1801. pag. 344.

S. Sedis eadem, quae veritatibus consensu Ecclesiae tamquam a Deo revelatis auctoritas tribuatur, hocve ipsum populo fideli ad credendum proponatur. 2. Ex historia demonstrari non posse, Christianos omni tempore saltem implicita fide tenuisse, quod per Romanos Pontifices ad credendum proposita sint irrefragabilia et ab omni errore immunia; quin potius existere exempla in contrarium, e. g. *Honorii* factum, quod subterfugiis et sophismatibus passim adhibitis declinari nequeat. 3. Ex vetustis patere documentis, *in primaeva Ecclesia instar criterii pro veritate ab Apostolis tradita habitam fuisse Ecclesiarum de doctrina inter se consensionem.* 4. Pro definitione legitime ferenda *postulari Scripturarum, traditionis et omnium historiae eccl. monumentorum huc pertinentium discussionem, et moralem Patrum unanimitatem.* 5. *Definitionem* in hac quaestione *esse inutilem, nocivam,* et cum abalienatione cordium a Beatissimo Patre connexam, novarumque querelarum causam et materiam. 6. *Etiam emissa definitione subterfugia iis non defutura, qui malae sunt voluntatis;* nec mentes satis esse praeparatas ad excipiendam eam. 7. *Doctrinam de infall. R. P. nequaquam esse iis universalitatis, antiquitatis et consensionis characteribus innixam, ut cum securitate tamquam verum ac proprium fidei depositum depraedicari valeat.* 8. Per hanc definitionem *Caput a corpore, Papam ab Ecclesia separari.* 9. Testimonia tam biblica quam Patrum unice Primatum probare: de infallibilitate accipi non posse, multaque superesse dubia contra definitionem ex historia Ecclesiae, e. g. de Vigilio, Honorio etc. 10. *Gravissimis, quas Ecclesia hodie patitur, necessitatibus dissuaderi definitionem.* 11. Solida *Primatus expositione, et mediis, quae ad docendam regendamque Ecclesiam hactenus adhibebantur, finem, ob quem definitio ferri intenditur, plene obtentum fuisse, obtinerique posse,* praesertim quod consensum Epporum facilius sit nunc quam olim obtinere, mediis communicationis mire multiplicatis. 12. Ex definitione *timenda esse pericula a Gubernüs civilibus,* existimaturis per eam Romano Pontifici plenam in omnia, etiam civilia, tribui potestatem. 13. In Schemate supponi *duplicem in Ecclesia infallibilitatem,* ipsius Ecclesiae, et Romani Pon-

tificis: id vero absurdum esse ac inauditum. 14. A schola *Gallica* fortiter propugnari *necessitatem unionis cum Papa* et *indefectibilitatem Sedis Apostolicae*, licet admittat *possibilitatem erroris transitorii, ut in Honorio, Vigilio* etc. Actus porro irregulares et semi-schismaticos coetus Epporum anni 1682 reprobatos quidem fuisse ac retractatos, sed eo non obstante opiniones illas immunes mansisse et liberas, nec pro noxiis declaratas. 15. Esse plures e gravioribus Theologis, qui censent *Papam in casibus nonnullis posse a Concilio iudicari.* 16. Decreta infallibilitate absoluta R. P. et ab Ecclesia separata, *immutari constitutionem Ecclesiae* a Christo impertitam. 17. *Super fundamentum Apostolorum erectam esse Ecclesiam,* et *pro Apostolis pariter ac Petro orasse Dominum.* 18. *Ecclesiae infallibilitatem ex ipsa eius constitutione oriri et Christi promissione firmari, quin tamen miraculosa dici debeat, qualis Pontificia inerrantia esset*: quae tamquam unius hominis *perpetuam miraculorum seriem* in ordine tam morali quam intellectuali exigeret. — Nonnulli ex his Patribus, quorum reflexiones exhibuimus, addunt etiam *singularia provinciarum* suarum *adiuncta*, e. g. Bohemiae et Moraviae, Hungariae, Americae etc. quae metum ingerant, ne ex definitione inerrantiae pontificiae mala in Ecclesiam deriventur. Plures quoque horum Patrum disertis verbis affirmant: *se firmiter tenere infallibilitatem Papae*, sed *definitionem censere inopportunam;* alii confitentur: *se animo fluctuare, an expediat* nunc temporis proposita definitio, hancve *trepidationem Summo Pontifici notam fieri* velle, *eius iudicio se penitus submittendo*; alii *ignorare se* enunciant, *an inerrantia R. P. quam firmiter credunt, ut dogma fidei proponenda sit*; unus promittit: *se, si auctoritate Concilii definita fuerit, eam cum acclamatione excepturum;* alter autem desiderat *exmitti e Concilio parte ab utraque aequali numero Patres, qui sub omni aspectu propositum Schema serio examini subiiciant*, et Concilio referant, ut inde Patres ad plenam argumenti cognitionem deveniant, et omnimoda exurgat animorum consensio.

II. E parte *Patrum definitionem infallibilis magisterii R. P. desiderantium*, propositae fuere *animadversiones* tum

quoad textum schematis tum quoad formulam definitionis et stylum. Praecipuas indicamus: 1. *Absolutam* debere esse *definitionem*, nec esse Patrum assignare, quanam conditione assistat Spiritus S. Romano Pontifici iudicanti, sed firmiter statuendum: *omnem definitionem fidei a Papa factam eo ipso suum sortiri effectum;* quoad formam vero *adhibendam esse consvetam Canonis formulam cum anathemate.* 2. Formulam definitionis in Schemate propositam esse *aequivocam:* cum autem doctrina de infall. R. P. sit *veritas necessaria, praecellens et inconcussa*, atque post tot impugnationes *necessario definienda*, clare et ad formam canonum dicendum esse: *quod Romanus Pontifex in definitionibus fidei per se, nullo etiam praecedente vel consequente Ecclesiae consensu, sit infallibilis.* 3. Cum quaestio infallibilitatis a quaestione de *Primatu* seiungi non possit, triplici capite omnem de Primatu doctrinam commode comprehendi posse: *primo* de collatione Primatus Petro facta; *secundo* de eius perpetuitate et perduratione in Romanis Pontificibus Petri successoribus; *tertio* de ordinaria, immediataque iurisdictione R. P. et infallibilitate, suprematia, independentia. 4. Unam eandemque esse Ecclesiae et Romani Pontificis infallibilitatem, ac proinde opportunum videri, ut „Capite IX Schematis de Ecclesia" coniungatur utraque sub titulo: *de Ecclesiae et R. P. infallibilitate.* 5. Ad eludendum praetextum distingvendi inter *Sedem* et *Sedentem*, dilucide exprimendum esse: *Petri eiusque successorum personae infallibilitatem fuisse collatam, et Sedem seu Cathedram exprimere Pontificis in ea sedentis auctoritatem et magisterium infallibile.* 6. Ad confutandam novitatem, quae in dubium revocare audet doctrinam hanc de infall. R. P. ab omnibus antea admissam, et in praxim deductam, in decreto clare enunciari debere: *Ecclesiae necessariam fuisse auctoritatem infallibilem ipsi praesidentem, talemque beato Petro et successoribus a Christo collatam haberi.* 7. In definitione *triplicem adversariorum subtilitatem* confici debere, qua nomine *Sedis Romanae* vel universalem Ecclesiam, vel peculiarem Clero Romano et populo constantem, vel integram RR. Pontificum seriem intelligi volunt. 8. Ad praecludenda adversariis effugia in definitione addendum esse: *assensum in-*

diciis R. P. praestandum oportere esse absolutum, non suspensivum. 9. Effugium *recentiorum Gallicanorum*, qui instar conditionis ad locutionem Papae *ex cathedra* requirunt *tacitum* saltem *Epporum consensum*, in definitione pariter praecludi debere. 10. Infallibilitatem Ecclesiae non posse instar typi et normae infallibilitatis R. P. statui, cum *Ecclesia per Vicarium Christi infallibilem sit infallibilis:* sed ex ordinata collatione et legitima interpretatione locorum Evangelii ostendendum esse, praerogativam inerrantiae Ecclesiae mediante Petro, et non vice versa, collatam fuisse. 11. Ipsas turbas, quas movent adversarii, et mala, quae minantur, argumentum praebere pro *necessitate definitionis: huius* enim *omissione effici posse, ut non tantum theoretice sed et practice reiiciatur haec veritas* pro magno animarum et Ecclesiae detrimento; meritoque obiiciendum fore Patribus Concilii, ipsos suo officio iudicum, custodum et testium revelationis graviter defuturos, si infallibilitatem R. P. renuant definire. 12. Ad evidentiorem probationem veritatis *inserenda esse argumenta ex vetusta et perpetua traditione, constantique RR. PP. praxi.* 13. Decretum de infall. R. P. *primo omnium definitionum loco* ponendum esse. 14. In decreto iniungi debere, ut *in formula fidei Pii IV* deinceps *veritas infallibilitatis pontificiae profitenda* addatur. 15. Decreto addenda esse verba ex *epistola Cleri Gallicani ad Innocentium X* a. 1652 scripta: *Ideo maiores causas ad Sedem Apost. referre solemnis mos est, quem fides Petri numquam deficiens perpetuo retineri pro iure suo postulat.* 16. Initium Capitis de infallibilitate R. P. ab eo ducendum esse, *quod his temporibus non sine fidelis populi scandalo et ecclesiasticae unitatis praeiudicio multa perverse scripta et dicta fuerint contra Sedem Ap. seu R. P.* 17. Loco *sacro approbante Concilio* dici debere: *huius S. C. Vaticani Patribus liberrime iudicantibus* ac nobiscum sedentibus docemus etc. ut appareat, in maxima R. P. praerogativa, a diabolo totis viribus hodie impetita, propugnanda Eppos praecipuam habuisse partem. 18. Unus Patrum proposuit, adiicienda decreto esse verba sequentia: *Sede autem Apostolica vacante infallibilitas Ecclesiae minime cessat, sed manet in universali Epporum collegio*

Ecclesiae Romanae coniuncto. 19. Alter doctrinam de infallibilitate Epporum et Romani Pontificis ita coniungendam censebat: *Prima et fundamentalis praerogativa divinae iurisdictionis Epporum est gratia infallibilitatis in declarando et definiendo Verbo fidei, quae dependenter a divina potestate ordinis et legitima eis facta missione singulis eorum a Deo datur ad mensuram dignitatis Cathedrae Eppalis; Romano Eppo integra et plena, ceteris autem cum essentiali subiectione ad verbum oris B. Petri. — Triplex porro discerni et credi debet in Hierarchia gratia et dos Magisterii ac Apostolatus infallibilis:* prima *ex aequo solis Apostolis data;* altera *uni soli B. Petro, ut super eum tamquam Vicarium Christi et visibilem Petram divinam fidei verae indeficientis incorruptibilis atque infallibilis aedificaretur Ecclesia Christi;* tertia *omnibus Eppis ratione supremi gradus Hierarchiae: sed sub his duabus conditionibus,* primo: *ut a Romano Pontifice detur eis missio et cathedra;* secundo: *ut Eppi numquam aures suas avertant ab ore et magisterio B. Petri, cuius officium est, confirmare fratres suos.* 20. Sub numero 88 documenti nostri *16 Patres ex Ordine S. Dominici* eam manifestant opinionem, ut exemplo Angelici Doctoris relictis vocabulis *inerrantiae* ac *infallibilitatis*, res tantum ipsa exprimatur, nimirum: *successorem B. Petri Romanum Pontificem in definiendis fidei ac morum doctrinis virtute divinae assistentiae ab omni errore esse immunem.* Pro exmissione vocum *inerrantiae* ac *infallibilitatis* id adducunt: quod prior minus latina, posterior autem sensum latum et indeterminatum fundens minus apta sit ad asserendam hanc doctrinam.[1])

Praeter observationes, de quibus in praecedentibus sermo fuit, substrata fuerunt Synodi Patribus *separata* quoque *nonnullorum Praesulum proiecta* sive schemata tum de Primatu tum de infallibilitate Romani Pontificis. *Tria* eiusmodi *schemata* exhibemus in Monumentis: videlicet Eppi *Moguntini*, Eppi *Calvensis et Theanensis*, item AEppi *Baltimorensis*. Eppus *Moguntinus* (L. B. Ketteler) in suo de Ecclesia sche-

[1]) Mon. 1802—1940. pag. 346—492.

mate circa *Primatum et inerrantiam R. P.* (reticito infallibilitatis nomine) censet: *Petrum Apostolum a Christo Domino omnibus Apostolis praefectum, eique plenam ad pascendam regendamque universam Ecclesiam potestatem concessam; Ecclesiam super Petrae soliditate firmatam fuisse; Petrum in suis successoribus perpetuo vivere; aeternum aedificium aeternum habere fundamentum; Eppos Apostolorum successores, legitimos rerum fidei ac morum iudices, sub Romano Pontifice, visibili Pastorum Principe divina potestate sibi commissam regere Ecclesiam*; *in Romanos Pontifices, Petri successores, totam illam transmitti potestatem, quam Petrus ad pascendum universum dominicum ovile a. Christo acceperat;* (citatur integer textus Conc. Florentini de Rom. P.) *Romanam Ecclesiam a Deo constitutam esse columnam, arcem et propugnaculum fidei, in ea esse veram et plenam christianae religionis soliditatem, in ea immaculatam semper conservatam fuisse doctrinam a suis fundatoribus acceptam*; *Ecclesiam Catholicam super columnis Epporum consistentem, super fundamento Romani Pontificis aedificatam, divinum sibi commissum docendi munus exercere sive cum in Oecumenicis Synodis sub auctoritate R. P. res fidei et morum definit, sive cum per orbem diffusa eandem cum Romana Ecclesia omnium matre ac magistra doctrinam promulgat, sive cum per suum Caput, ad quod omnia membra convenire necesse est, quaenam sit apostolica traditio et ecclesiastica praedicatio, christianos populos edocet.*[1]) — Eppus *Calvensis et Theanensis* (Barthol. d' Avanzo) paucis post traditum Patribus Schema de infallibilitate R. P. diebus separatim vulgavit suas observationes, votumque suum gestiente animo prae laetitia memorabilibus expressit litteris. Liceat earum continentias hoc loco duntaxat per apices indicare. Scribit piissimus et eruditissimus Praesul: fontem dubitationum circa inerrantiam Papae per Cancellarium Sorbonae *Gersonem* in Concilio Constantiensi noviter effossum, sed ferme exsiccatum, discordiarum daemone insufflante crevisse Seculo XVII in magnum fluvium, in quatuor capita di-

[1]) Mon. 1941. pag. 492.

visum, scilicet *Gallicanismum*, *Iansenismum*, *Febronianismum*, *Caesarismum;* diebus nostris in aquas plurimas redundavisse, quae intraverunt usque ad animam Ecclesiae; sed *ortam esse auroram veritatis in distributo schemate de R. P. inerrantia;* cum de infallibilitate R. P. agitur, *agi de summa totius rei christianae*; *ex Primatu R. P. ceu suprema in Ecclesia potestate sequi necessario, ut Pontifex Romanus gubernet et non gubernetur, iudicet et non iudicetur, mittat et non mittatur, doceat et non doceatur; Primatum in ordine ad veritatem nihil esse nisi inerrantiam*; in regno Ecclesiae *Veritatem* esse divinam personam, i. e. Dei Verbum caro factum, a quo *Petrus* in fundamentum Ecclesiae constitutus fuit; *Petri inerrantiam non aliunde derivari, nisi ex ipsa substantiali Veritate, quae voluit, ut infallibile magisterium, Ecclesiae tam essentiale, cunctis diebus semper vivens esset in supremo Capite*; *prius designari a Domino fundamentum Petrum, postea convocari aedificatores Ecclesiae, h. e. Apostolos sub Petro capite, qui eos doceat et confirmet, ita, ut Petrus ad aedificationem corporis Christi ab Apostolis quidem accipiat adiutorium, sed firmitatem in fide docenda, h. e. inerrantiam nonnisi immediate a Christo; dubium super Petri inerrantia esse dubium super ipsa existentia Ecclesiae.*[1]) — AEppus *Baltimorensis* (Spalding) scopo eo, ut *unanimitatem* in suffragiis Patrum procuret, id proiectavit: ut *implicitus* sive *indirectus definiendi modus* eligatur, reiiciendo nimirum errores supremae ac infallibili auctoritati docendi R. P. adversos, signanter *reprobando eorum temeritatem, qui a supremis R. P. iudiciis ad Concilium Oec. appellare audent; damnando perversas eorum cavillationes, qui nonnisi externum obsequium absque interno mentis cordisque assensu iudiciis R. P. praestandum esse dicere audent*; *improbando eorum loquendi et docendi rationem, qui temeraria ac praepostera divisione inter coetum Epporum et Summum Pontificem excogitata, disputant: uter eorum videatur esse maior; quasi fratrum, quos Petrus in successoribus suis confirmare iubetur, coetus*

[1]) Mon. 1942. pag. 495.

posset ab illo desciscere, cuius fides numquam deficiet; aut iis, qui a Petro docendi sunt et confirmandi, ipsum docere et confirmare liceret; demum *reprobando illorum sententiam, qui, ut errores a Romano Pontifice damnatos in vulgus diffundere valeant, dictitare haud verentur, verum sensum librorum a Pontifice rite intellectum non fuisse.* Indirectam hanc definitionem pluribus argumentis illustrando, concludit: eam et simplicitate praestare, et plura in se continere, quam definitionem formalem ac explicitam; insuper inerrantiam Papae cum illa Ecclesiae intime coniungere, ac veluti logicam Primatus sequelam et velut corollarium exhibere [1]).

Appropinquante discussione Schematis de Primatu et infallibilitate Papae, plures Epporum, qui iam antea contra discussionem huius quaestionis vocem suam extulerant, Praesides Concilii die 10 Aprilis 1870 interpellarunt: ut sumtis in considerationem gravitate quaestionis *de relatione Ecclesiae ad Civitatem*, et nexu intimo eiusdem cum argumento de suprema ac infallibili R. P. potestate, *ante omnia quaestio de relatione inter Ecclesiam et Statum in discussionem sumatur*, quae Capite XIII et XIV Schematis de Ecclesia pertractatur. In petitione horum Patrum sequentia enunciantur: *Pontifices Maximos aevi medii, qui de regibus et regnis iudicarunt, falsis relationibus de priorum seculorum Pontificibus, imperatores deponentibus, deceptos, firmiter credidisse et decretis quoque suis edixisse, divinitus collatum sibi esse ius de rebus temporalibus ratione peccati praecipiendi et iudicandi; doctrinamque hanc per Bullam Bonifacii VIII, cuius initium:* Unam Sanctam, *promulgatam et cunctis fidelibus amplectendam propositam fuisse; hodie aliam proponi doctrinam de ratione potestatis ecclesiasticae ad civilem; imparem quidem esse utriusque dignitatem, utramque tamen supremam, nec in officio suo alteri obnoxiam; impossibile esse, societatem civilem iuxta regulam bullae Bonifacianae reformare; ex obtutu difficultatis huius necessum esse, ut ante, quam de infallibilitate R. P. deliberetur, gravissima de relatione Ecclesiae ad Statum quaestio in discussionem sumatur* [2]). —

[1]) Mon. 1943. p. 498. — [2]) Mon. 1944. p. 502.

Patres Concilii, qui petitionem pro pertractanda infallibilitatis R. P. quaestione initio anni 1870 Sacrae Synodo exhibuere, nova dd. 23 Aprilis petitione ipsum Summum Pontificem accesserunt: *ut Schema de infallibili auctoritate R. P. sine ulla mora Concilii deliberationibus proponi faciat:* quum id pax et unitas Ecclesiae, per quotidianas Epporum scissiones et per scripta catholicae traditioni adversa nimis turbata ac laesa, prouti etiam dignitas Oecumenici Concilii exposcant, imo et metus periculi, ne suspenso Concilio, et indecisa relicta quaestione, animae Christianae omni vento doctrinae circumferri sinantur [1]). Iidem Patres ipsa die, qua distributis inter Patres Synodi animadversionibus circa Schema Primatus et infallibilitatis R. P, pertractatio huius quaestionis ad proximam Generalem Congregationem defixa fuit, quippe 29 Aprilis 1870, *epistolam gratiarum actoriam miserunt Summo Pontifici: in qua praemisso eo, quod infallibilitate S. Sedis in signum contradictionis posita, et a permultis sic oppugnata, ut ipse iam Primatus, Petra Ecclesiae fundamentalis, impeteretur, grato recolunt animo eam Pontificis Maximi providentiam, quod malo remedium tulerit, decreta Schematis saepefati in Concilio pertractatione* [2]).

Postquam observationes Patrum in Schema de Primatu et infallibilitate R. P. in sensu Constitutionis Apostolicae de ordine in Synodo servando *Commissioni sive Deputationi* peculiari (a Papa nominatae) traditae, et per hanc debite expensae fuissent: concinnata fuit **Relatio Deputationis Conciliaris super** dictis **Observationibus Patrum:** in qua in certum systema redactis animadversionibus, eae singillatim recensentur, et una opinio seu votum Deputationis depromitur.

I. Quoad *Primatum* factae per Patres reflexiones tum generales tum speciales in documento nostro ad sequentia puncta revocantur: 1. Schema sive Caput de Primatu, ceteris de Ecclesia capitibus praemittendum, in IV sectiones dividendum esse, nempe *de Primatus institutione, perpetuitate, na-*

[1]) Mon. 1945. p. 506. — [2]) Mon. 1946. p. 507.

tura, infallibilitate; singulisque sectionibus aut capitibus Canones conformes subnectendos venire. 2. *Formam* nimis aridam esse ac duram. 3. Doctrinam *de iuribus Epporum* omissam fuisse. 4. Dici non posse : in B. Petro institutum esse utriusque unitatis principium. 5. Loco *visibile fundamentum* dici debere *praecipuum fundamentum*. 6. Non uni *Petro* sed et *reliquis Apostolis* collatas esse praerogativas docendi, ligandi, regendi. 7. Omissam haberi *traditionem*. 8. Addendum esse iurisdictioni *magisterium*. 9. Distingvi debere *ius Petri habendi* generatim *successores*, et habendi speciatim in Sede Romana successores. 10. Allegatum ex *Concilio Florentino* textum partim per *additionem*, partim per *detractionem*, mutatum esse : quum tamen Gregorius XIII, Urbanus VIII, Benedictus XIV in formulis fidei pro Graecis integrum textum Florentinum receperint. 11. Per attributam Romano Pontifici *ordinariam et immediatam* in omnes pastores ac fideles *iurisdictionem*, Epporum potestatem aut excludi aut detrimentum pati, nec esse illam iurisdictionem eppalem sed primatialem. **Ad has reflexiones respondet Deputatio Conciliaris :** a) per novum schema desiderio Patrum satisfactum esse ; b) *formam* exigi debere in similibus dogmaticis capitibus ad normam aliorum Conciliorum, e. g. Lateranensium IV et V, item Florentini ; *modum loquendi* in Schemate esse *pro docentium auctoritate, gravem, simplicem, concisum,* unctione ex dignitate dogmatis repetita plenum ; c) in praesenti schemate non fieri sermonem de Eppis, de quibus in Schemate de Ecclesia abunde disseritur ; *hic unice quaeri, num inter Eppos unus aliquis potestate excellat, seu quaeri de supremo omnium doctore et pastore, Romano Pontifice ;* d) ipsos *Ecclesiae Patres ac Doctores tradere, quod in B. Petro institutum sit utriusque unitatis principium,* quatenus is est *Caput* totius Ecclesiae, quo corpus in unitate continetur ; *universalis omnium doctor et confirmator fratrum* ad conservandam unitatem ; *supremus universi gregis pastor,* ad custodiendam ovilis unitatem ; e) iuxta verba Domini Matth. XVI. ex maiorum interpretatione et Ecclesiae sensu reipsa Petrum esse *visibile fundamentum* Ecclesiae ; f) observationem de praerogativis docendi, ligandi, regendi Petro ac Apostolis ex aequo

collatis *adversari communi sententiae catholicorum Interpretum ac Theologorum,* probe distingventium verba ad Petrum dicta ab iis, quae ceteris Apostolis dicta erant; et *impingere in censuras inflictas sententiis, quibus reliqui Apostoli coaequantur Petro, Eppi item successoribus Petri;* g) *traditionem* sufficienter indicari per incisum „ut ab Ecclesia semper intellecta fuit" (S. Scripturae doctrina); omnemque de Primatu *traditionem esse exegeticam,* seu revocari doctrinam maiorum de Petri Primatu ad verba Scripturae; h) potestatem *magisterii,* cuiusmodi est potestas docendi tum in Eppis tum in Romano Pontifice, ad potestatem iurisdictionis spectare; i) discrimen inter successores Petri generatim et successores in Romana Sede speciatim indicari tum verbis: *Romanae Sedis ab ipso* (Petro) *fundatae,* tum verbis: *quicunque in hac Cathedra succedit;* k) per additionem verborum: *et iudicem supremum,* quae decreto Florentino prorsus consona, et per vigentes huius temporis errores deposta, ad exemplum aliorum Conciliorum facta est, *non mutari seu textum, seu sensum decreti Florentini;* nec per *detractionem* clausulae: *quemadmodum etiam in gestis Oec. Conciliorum et in sacris canonibus continetur* mutari eundem textum, siquidem *clausula haec neque praecedentis definitionis partem sive elementum constituat, neque sit illius restrictiva, sed sit mere externa ex auctoritate priorum Conciliorum petita eiusdem confirmatio*; nec denique *contractionem* subesse inter praesens schema et Pontifices memoratos, integrum textum Florentinum recipientes: quum hi schismaticos cum Ecclesia unituri integram formulam unionis praescribere debuerint, in Schemate autem Pontifex sacro approbante Concilio agat de confirmando speciali ex fidei formulis dogmate, utens verbis in hunc finem sufficientibus et necessariis; l) *iurisdictionem B. Petro Ioan. XXI collatam, esse reipsa eppalem, universalem, ordinariam et immediatam in totum pascendum gregem ei commissum;* nec esse verba illa: *ordinaria* et *immediata* exclusiva et negantia, sed positiva et affirmantia, Epporum potestati nullatenus praeiudicantia; cum semper verum maneat, *Romanum Pontificem ita habere potestatem ordinariam et immediatam in universam Ecclesiam, ut ex statuto divinitus*

ordine in partem sollicitudinis vocet Eppos particulares, qui potestate ordinaria et immediata particulares greges sibi commissos pascant et regant.

II. Quoad *infallibilitatem R. P.* quae quartum Schematis de R. P. caput efficit, relatio Deputationis Conciliaris in *tres* partitur classes Patrum observationes: ad *primam* ponendo Patres, *qui schema aut integrum aut saltem quoad substantiam retinendum censent;* ad *secundam* illos, *qui illud mutari cupiunt;* ad *tertiam* eos, *qui schema omittendum ac reiiciendum svadent.* Ad observationes Patrum primae et secundae classis breviter respondent Deputati Synodales: *immutato in pluribus locis schemate, potissimis Patrum desideriis satisfactum esse.* Patrum tertiae classis momenta pro reiiciendo schemate adducta in *duas* dividit *sectiones* Deputatio: ad *primam* refert observationes, quae ad evertenda ipsa *fundamenta definitionis*, et singula huius definitionis elementa tendunt; ad *alteram* vero eas collocat reflexiones, quae universim *causam definiendae infallibilitatis, spectata tam veritate quam opportunitate ac necessitate eiusdem* respiciunt. Observationes ad *primam* sectionem relatas ad haec reducit puncta Deputatio: 1. Formulam fidei, quae in schemate *Hormisdae* adscribitur, non huic sed *Hadriano* II Papae tribuendam esse, item *Ioanni Patriarchae CPno*, in cuius libello fidei ad Hormisdam directo eadem formula ex Isidori collectione reperitur; libellum porro hunc ab Hadriano Papa ad Graecos missum fuisse, non prius per hos quam in Concilio Lugdunensi subscriptum; *verba* quoque *ex Concilio Lugdunensi et formula Hormisdae adducta esse manca vel truncata.* 2. Documentum e *Concilio Lugdunensi II* adlatum ipsi Concilio non posse tribui, cum oblata a Michaele Palaeologo fidei formula non dicatur a Concilio approbata fuisse. 3. Verba Christi Domini *Matth. XVI* id unum significare, *quod Ecclesia, quae Petrum semper habebit, errare non possit;* verba autem *Luc. XXII* non ad Romanos Pontifices, sed *unice ad Petrum* pro tempore tentationis et lapsus referri. 4. Documenta *Conciliorum* ad *Primatum* tantummodo referri; fidei formulas non de Pontifice, sed de *Romana* sonare *Ecclesia;* in *Lugdunensi Concilio* non dici *seorsim* de Romano Pontifice, illum teneri

fidei veritatem defendere. *Alterius* sectionis observationes in his concentrari refert eadem Deputatio: 5. Ex Schemate ad summum id posse inferri, quod infallibilitas *ex fide consequens* sit, sed non *de fide*, non qua *fidei dogma* statui queat. 6. *Infallibilitatis subiectum* non posse esse solum Papam, cum *infallibilitas personalis* nequeat probari, neque constare possit, quando Romanus Pontifex quidpiam stricte definiat, et per hanc doctrinam idem velut *Caput ab Eppis* ceu corpore *dividatur*. 7. *Obiecti infallibilitatis* vagam esse descriptionem, et *duplicem* statui *infallibilitatem;* ipsam etiam vocem *infallibilitatis* novam esse et variis interpretationibus obnoxiam. 8. Et *facta historica aberrationum Pontificiarum,* et Canonem *Vincentii Lirinensis* „quod semper, ubique et ab omnibus etc.“ obstare doctrinae et definitioni infallibilitatis, siquidem universalis et perpetua fides de hac praerogativa demonstrari non valeat. — **Ad reflexiones has** *fusius et docte non minus quam eleganter* **respondet Deputatio Conciliaris:** a) *Exceptiones criticas* non subsistere: quum instituta collatione inter *formulam Hormisdae* ab Orientalibus subscriptam, et illam *Hadriani* in Concilio VIII Oec. tamquam fidei regulam receptam, manifestum fiat, *hanc ad priorem ita esse expressam, ut prior in alteram fuerit ad amussim translata*; porro auctorem libelli fidei (Joannis CPni) confundi cum eo, qui eidem subscripsit; confundi pariter Concilium Lugdunense II cum Concilio VIII Generali; nec manca esse verba ex Concilio et formula Hormisdae adducta, cum non tota confessio Lugdunensis nec integra Hormisdae formula Schemati inserta habeatur, sed duntaxat verba, quae ad rem faciunt; b) *Exceptiones historicas* pariter fundamento destitui: cum ex actis *C. Lugdunensis II* clare eveniat, *unionem Graecorum vi fidei formulae initam dici debere conciliarem,* et ab universo Concilio laudes Deo habitas fuisse pro restituta cum Graecis unione; c) *Exceptiones hermeneuticas et exegeticas* omni vi carere: siquidem verborum Domini *Matth. XVI* ex obvio sensu et traditione ea sit authentica interpretatio, quod *eorum virtute in Sede Apostolica semper immaculata sit servata catholica religio et sancta celebrata doctrina;* verba autem Christi *Luc. XXII* ad successores quoque Petri pertinere *e*

communi huius loci in Ecclesia Dei acceptione, quae ex literis RR. PP. dogmaticis per Concilia receptis, et vulgatissima Patrum interpretatione colligitur, satis constat; d) neque *Exceptiones dogmaticas* maioris esse ponderis; documenta enim *Conciliorum* in Schemate allegata, spectato obvio sensu, *directe et immediate ad certam in Ecclesia fidei regulam credendique normam* referuntur, ita, ut, si Primatum concernant, prout vere dicunt in suis observationibus Patres, *Primatus hic sit fidei primatus, sedes fidei, doctrinae salutaris cathedra, cum qua infallibilitatis praerogativa divino iure coniungitur;* distinctionem porro, qua *Ecclesiae Romanae* vel *Sedi Romanae* asseruntur praerogativae, quae Romano Pontifici negantur, excludi per formulam Lugdunensem, iuxta quam *Ecclesia Romana in beato Petro, cuius Romanus Pontifex est successor, recepit summum et plenum Primatum*; per verba demum *Lugdunensis* Synodi „Romanum Pontificem teneri prae ceteris fidei veritatem defendere" non significari, quasi ista in fidei defensione praerogativa ab eo exerceatur, qui a ceteris existit separatus, sed *qui citra et supra ceteros in causis fidei agit ac iudicat*; e) in Schemate per voculam *hinc* indicari: quod *praemissis fidei formulis contineatur infallibilitas R. P.* et quidem in formula Hormisdae verbis aequipollentibus, in verbis C. Lugdunensis aeque virtualiter, in C. Florentini decreto similiter, cum promissa Christi haud patiantur, ut fideles in errorem inducantur ab eo, qui verus est Vicarius Christi; hanc autem illationem omnino veram esse probari etiam inde, quod inerrantiam R. P. praeallatis fidei formulis conformiter divina contineri revelatione ab omnibus implicite semper creditum fuerit, fide hac tam per magisterium Ecclesiae ordinarium quam publicam praedicationem et doctrinam semper clarius et expressius semet evolvente; f) *vocem* personalis infallibilitatis *in schemate quidem non adhiberi*, rem tamen ea expressam intelligi, infallibilitatemque eodem iure *personalem* dici posse, quo ipse *primatus* ad excludendam Richeristarum haeresim personalis dicitur, quippe Petro eiusve successori collatus et personae inhaerens; nec alteram de subiecto infallibilitatis exceptionem subsistere, siquidem probata semel infallibilitate R. P. nullum amplius sub-

versari possit dubium de impletis ad finem conditionibus, ut quippe statui queat, Papam reapse *ex cathedra* locutum fuisse; nec dividi Caput ab Eppis: imo, quum Romanus Pontifex veluti Caput docendo ac regendo in totum corpus influit, coniunctionis vincula inter ipsum et gregem magis attrahi et confirmari; g) *obiectum infallibilitatis* non esse vagum, sed sufficienter definitum per id, quod ad ea extendi dicatur, quae constituunt obiectum infallibilitatis Ecclesiae; discrimen porro inter infall. R. P. et infall. Eccl. esse *discrimen subiecti*, idque reipsa existere, quum *infallibilitatis praerogativa tam supremo ac universali Ecclesiae doctori per se, quam totius Ecclesiae magisterio, ex omnibus doctoribus et pastoribus Ecclesiae una cum suo Capite coalescenti conveniat;* vocem denique *infallibilitatis* continuo et antiquissimo usu consecratam rite ac iure adhiberi; h) quoad *facta historica* inerrantiae pontificiae praetensive adversa, animadverti: *cum ex monumentis omni exceptione maioribus eveniat, infallibilitatem R. P. esse veritatem divinitus revelatam, fieri haud posse, ut haec ex quibuscunque historiae factis falsa unquam demonstretur,* imo iuxta regulam *Tertulliani* pro veritate hac titulo possessionis pugnare *praescriptionem, omnesve conclusiones cuiuscunque scientiae, etiam historicas eo certius veluti totidem errores esse habendas, quo manifestius infallibilitas R. P. e genuinis fontibus revelationis infertur, hocque ipsum ad dogmaticam definitionem sufficere, ac Patrum Concilii muneris esse, hanc divini depositi veritatem cum auctoritate declarare ac proponere, difficultates autem aliunde petitas dissolvere non tam Patrum Concilii quam scholae theologorum officium esse;* hos vero ad conciliandas historicas exceptiones cum Summi Pontificis inerrantia reapse tantum iam praestitisse, quantum satis est; postremo de Canone *Vincentii Lirinensis* tenendum esse: *ab eo non doceri, quid exigatur, ut iudices fidei doctrinam aliquam uti fidei dogma definire possint, sed exponi, quomodo a viro catholico vera antiquitatis fides possit cognosci tunc, quando antiquitati universitas deest et consensio; non docuisse proinde Vincentium, nihil credendum esse, quod non ab omnibus et ubique fuerit semper creditum, sed potius id ab eo inquiri, quomodo co-*

gnosci possit credenda veritas, si ea neque ab omnibus neque ubique credita sit vel credatur.[1])

Proiectum *Constitutionis dogmaticae primae de Ecclesia Christi*, de *Romano Pontifice*, animadversionibus Patrum conformatum, et Conciliari examini propositum, in substantia non differt a primo schemate: continet tamen nonnulla, in primo schemate nequaquam occurrentia, et *capite de infallibilitate R. P.* auctum est. Dividitur in *quatuor capita*, quorum primum *de Apostolici Primatus in B. Petro institutione*, alterum *de perpetuitate Primatus Petri in Romanis Pontificibus*, tertium *de vi et ratione Primatus R. P.*, quartum *de R. P. infallibilitate* agit. Capite tertio uberius proponitur *ordinaria ac immediata iurisdictionis potestas in universam Ecclesiam;* item *supremi fidelium iudicis* auctoritas, declaraturque *in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad R. P. iudicium posse recurri, Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio.* Caput quartum enunciat: in suprema R. P. potestate *supremum* quoque *magisterium* comprehendi; *in Sede Apostolica immaculatam semper fuisse servatam religionem,* et sanctam celebratam doctrinam; *quaestiones fidei eius iudicio debere definiri*: *Romanum* denique *Pontificem vi assistentiae divinae errare non posse*, dum supremi doctoris munere fungens etc. (prout in Capitulo Schemati primo suppletorie adiecto.)[2])

Paucis ante diem, qua discussio Conciliaris super hac Constitutione occepit (13 Maii), diebus, quippe 8 Maii 1870 *septem et sexaginta Patres Concilii protestationem direxerunt ad Praesides contra immutatum tractandi de Ecclesia ordinem, praeponendo Primatum et infallibilitatem Papae.* Evolvere nituntur suis in literis, quod istiusmodi agendi modus minime respondeat *naturali rerum ordini,* quo doctrina de Ecclesia Christi tractari et solet et debet, nec *logicis disserendi regulis*; nec cum *Ecclesiae bono* conciliari possit, nec *honori ac bono S. Sedis* congruat. Ad *primum:* magisterium Ec-

[1]) Mon. 1947. pag. 508. — [2]) Mon. 1948. pag. 540.

clesiae infallibile appellant *supremum* in oppositione ac relatione ad magisterium Romani Pontificis; illius infallibilitatem esse certam aiunt, huius dubiam; ad *alterum:* valde timendum esse dicunt, ne decretum de R. P. praerogativis separatim a doctrina de Ecclesia Christi edendum animos novis praeiudiciis repleat, et magis alienet quam alliciat; ad *tertium:* literis inserunt rumores ac suspiciones per publica folia vulgatas, quasi B. Pater Concilium duntaxat pro augenda sua potestate convocaverit, publicum bonum praetexendo! Literae hae protestatoriae *acri stylo* conceptae sunt.[1])

Sub decursu deliberationum Conciliarium de Primatu et inerrantia R. P., die 13 Maii in *Generali Congregatione 50* inchoatarum, *AEppus Cameracensis* in Gallia memorabiles edidit Romae binis vicibus pastorales literas adversus *Gallicanismum,* quas in serie Monumentorum nostrorum collocandas censuimus. In *prima,* quam 15 Maii dimisit, *refutat cumprimis calumnias ac mendacia, quae per publica diaria et scripta adversus Synodum et praesertim quaestionem de infallibilitate Papae spargebantur.* Ostendit: *libertatem in Concilio ad extremum usque terminum provectam esse; sic dictae Minoritati nullum suppetere argumentum querulandi contra Maioritatem;* praeclare disserit de sentimentis sic dictae Maioritatis Patrum circa modernas *liberales ideas,* et *publicam opinionem,* quid nimirum Eppus catholicus de his tenere possit ac debeat. De *infallibilitatis pontificiae* quaestione sequentia inculcat Clero suo: *Papam, cuius irreformabilis doctrina et suprema auctoritas sine restrictione acceptari debet, ab universali Ecclesia numquam posse separari; fidem de eiusdem infallibilitate neutiquam esse novam, sed per seriem omnium seculorum usque ad tempora Apostolorum regredi; opinionem Gallicanorum recentis esse originis, et si elapso seculo ephemeros quosdam fecit progressus, hos nonnisi indebito interventui civilis potestatis, eandem seminariis et Universitatibus tradendam iniungentis, attribuendos esse; unanimitatem suffragiorum numquam fuisse depostam nec locum habuisse, veritatemque semper penes Eppos*

[1]) Mon. 1949. pag. 545.

Papae adhaerentes reperiri; definitionem inerrantiae pont
ficiae non modo opportunam sed necessariam esse: cu
palam constet, Iansenismum, insigni obstinatione et astut
declinatis Apostolicis bullis, haereticam suam luctam exac
gerata applicatione doctrinarum gallicanarum sustentasse
Civili Constitutioni Cleri Gallicani doctrinas gallicanas pr
basi ac principio servivisse; hodie quoque existere in Galli
antiquum Gallicanismum parlamentarem etc.[1]) In *alter*
pastorali epistola dd. 12 Iun. 1870 uberius adhuc perstring
piissimus APraesul *Gallicanismum theologicum*, per famosa
declarationem anni 1682 in systema redactum, et *auctoritate*
doctrinalem Summi Pontificis indirecte auctoritati corpor
Epporum subordinantem. Systema isthoc Gallicanismi prorsu
reiici debere fuse ostendit Cameracensis AEppus ex his cun
primis obtutibus: *quod regimen Ecclesiae privet condition*
per specialem eiusdem naturam deposta, ut quippe iudic
decretaque Capitis Ecclesiae nulli reformationi appellationiqu
sint obnoxia, seu ut sint infallibilia; *quod* porro *contradice*
universali et constanti praxi orbis catholici; item *quod ap*
plicatione eius generatim facta doctrinalem auctoritate
Romani Pontificis penitus destrui oporteret. Demonstrat
iuxta hos obtutus eo, quantam theologicus gallicanismus su
apparente innocua specie consciscat Constitutioni Ecclesiae per-
turbationem, respondet AEppus ad quaestionem: *eccur da*
mnatus non fuerit, sed liberae discussioni scholarum per
missus? Primo observat, *antiquam Ecclesiam Gallicanam*
sine ulla restrictione et in sua plenitudine agnovisse supre
mam doctrinalem auctoritatem R. P.; dein ostendit: post
famosam declarationem anni 1682 toleratum fuisse tantispe
gallicanismum ob circumstantias temporis admodum graves
fuisse nihilominus *damnatum ac reprobatum ab Innocentio*
XI, Alexandro VIII, Pio VI. Refellit in postrema epistola
sectione obiectiones, quas nonnulli contra definitionem dogma-
ticam infallibilitatis ex incommodis inde sequuturis educunt,
et animadvertit: *per definitionem nonnisi theoriam sive do-*
ctrinam toti iam mundo usitatam ad perfectam perpetuam-

[1]) Mon. 1950. pag. 551.

que cum hac universali sententia consensionem collocatum iri; per definitionem et praetensioni exorbitanti quorumdam Epporum, dogmaticas Papae definitiones suo iudicio subiicere volentium, et anarchico iuri per nonnullos arrogato de praescribendis Papae legibus finem imponendum fore etc.[1])

Discussioni Conciliari super schemate Primatus et infallibilitatis generatim spectato in Congregatione Generali 64 die 3 Iunii *finem imponi petierunt 150 Patres Concilii, petitione ad Praesides Concilii directa*, eo adducto motivo, quod Patribus ex omni regione iam proloquentibus, res ex omni parte exhausta censeri possit.[2]) Cuiusmodi petito siquidem mox delatum haberetur, die sequenti *93 Patres* scriptam interposuere *protestationem*, allegantes: ex ipsa Conciliorum natura sequi, quod omnibus commune sit ius, sententiae ac opinionis suae argumenta proponendi, iurisque huius exercitium impediri nequeat.[3]) Huic protestationi successit eodem mense ipsi Summo Pontifici exhibita *petitio: ut ex incidenti nimiorum aestatis calorum Synodus pro aliquo tempore suspendatur*: idque eo magis, quod, cum 120 Eppi adhuc proloqui cupiverint, discussio praecipitari, nisi magno cum rerum ac pacis religiosae dispendio, nequeat.[4])

AEppus Rhedonensis in Gallia, cum initio in Concilio adesset, subin ob infirmitatem discedere coactus, *suam pro praerogativa inerrantiae R. P. sententiam per literas 26 Iunii 1870 scriptas Pontifici Maximo significavit*, dolens summopere, quod supremam hanc infallibilitatis praerogativam simul cum fratribus proclamandi consolatione privetur: oravitque, *ut haec sua confessio ac declaratio inter Acta Concilii servetur ceu testimonium authenticum suae fidei et traditionis Ecclesiae Rhedonensis*. Meruit APraesul responso Pontificis Maximi honorari, in quo notum redditur: eundem AEppum, antequam e Concilio discederet, iam indicasse S. Sedi suam de praerogativis eidem Sedi divinitus impertitis sententiam, et

---

[1]) Mon. 1951. pag. 565. — [2]) Mon. 1952. pag. 578. — [3]) Mon. 1953. pag. 578. — [4]) Mon. 1954. pag. 580.

simul *necessitatem luculentioris* desuper *declarationis per disceptationes invectam.*[1])

Occasione discussionis Capitis tertii de Primatu R. P. fiebant reflexiones circa *plenitudinem* potestatis in universam Ecclesiam, mutatioque in verbis quibusdam proponebatur suscipi: cum autem haec emanserit, *62 Patres* die 9 Iulii signatis literis *exceptionem* et *gravamen* formarunt. Re ad discussionem deducta, primi schematis expositio probata, plenitudoque ac suprematia potestatis R. P. expressa mansit.[2])

In *Generali Congregatione 86*, quae die 16 Iulii 1870 habita est, *Praesides Concilii* solemnem interposuere *protestationem* (a plurimis Patribus subscriptam) *contra multiplices obtrectationes, falsas et calumniosas relationes de S. Synodo* partim in ephemeridibus, partim libellis, sine auctoris nomine ac furtive distributis vulgatas, cumprimis autem *contra binos anonymos libellos gallice conscriptos sub titulo*: „Ce qui se passe au Concile“ et: „La derniere heure du Concile.“[3])

Indicta in diem *18 Iulii 1870 Sessione quarta S. Synodi*, in qua nimirum in nexu depromtorum in Generali Congregatione 85 (diei 13 Iulii) super Schemate Primatus ac infallibilitatis R. P. votorum decretum sive Constitutio dogmatica desuper edenda erat, pridie Sessionis, sive 17 Iulii 1870 *Patres 53 e numero illorum, qui votum suum per* **non placet** *enunciaverant, declarationem exhibuerunt Summo Pontifici:* in qua praemissa brevi historia Congregationis Generalis de votisatione super Schemate habitae, pronunciant: *se voto in Congregatione depromto* (**Non placet**) *porro quoque inhaerere, et a Sessione publica abfuturos, ne ibi negativum votum suum coram Sua Sanctitate confirmare cogantur; ceterum intemeratam fidem et obedientiam profitentur Summo Pontifici.*[4])

In *Sessione IV Concilii Vaticani*, die 18 Iulii 1870 celebrata promulgatum fuit solemniter decretum, seu *Consti-*

[1]) Mon. 1955. 1956. pag. 581. — [2]) Mon. 1957. pag. 582. — [3]) Mon. 1958. pag. 585. — [4]) Mon. 1959. pag. 586.

tutio dogmatica prima de Ecclesia Christi, infallibile magisterium Romani Pontificis definiens. In *Prologo* eiusdem enunciatur: *B. Petrum a Domino ceteris Apostolis praepositum, in ipsoque perpetuum utriusque unitatis* (fidei ac communionis) *principium ac visibile fundamentum institutum fuisse,* super cuius fortitudinem Ecclesia aedificaretur. Enunciatur porro: ex occasione insurgentium in dies adversus fundamentum isthoc divinitus positum portarum inferi necessarium visum esse *doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici Primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem proponere* et errores contrarios proscribere. Ipsa Constitutio *quatuor* numerat capita. *Primum* sonat *de Apostolici Primatus in B. Petro institutione,* et declarat: *iuxta manifestam SS. Scripturarum doctrinam,* (Ioan. 1, 12. — Matth. 16, 16 -19. — Ioan. 21, 15—17.) *ut ab Ecclesia Catholica semper intellecta est, B. Petro Apostolo Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe promissum et collatum a Domino,* seu *Petrum Summi Pastoris et Rectoris iurisdictione in totum ovile Dominicum donatum fuisse;* addito ad calcem capitis *anathemate* in eos, qui id negarent. In capite *altero,* quod *de perpetuitate Primatus B. Petri in Romanis Pontificibus* inscribitur, pronunciatur: *ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino esse, ut B. Petrus in Primatu super universam Ecclesiam perpetuos habeat successores;* et *Romanum Pontificem esse B. Petri in eodem Primatu successorem;* adiecto pariter *anathemate* in id negantes. Caput *tertium* tractat *de vi et ratione Primatus Romani Pontificis*; et innovata definitione *Concilii Oec. Florentini,* decernit: *Romanum Pontificem non tantum inspectionis ac directionis officium, sed plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tam in rebus fidei ac morum quam disciplinae ac regiminis; nec solum potiores partes, sed totam plenitudinem huius supremae potestatis habere; esseque hanc eius potestatem ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes ac singulos pastores et fideles;* addito rursus *anathemate* in

contrarium tenentes ac docentes. In eodem Capite *damnatur ac reprobatur illorum sententia, qui liberam Supremi Capitis cum pastoribus ac gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt seculari potestati obnoxiam.* In capite *quarto* agitur *de Romani Pontificis infallibili magisterio.* Per decursum Capitis insinuatur: totius orbis Antistites, longam Ecclesiarum consvetudinem et antiquae regulae formam sequutos, pericula fidei hic illic emergentia ad Sedem Apost. retulisse, ut ibi resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum; *Romanos* vero *Pontifices* adhibitis, quae Divina suppeditabat Providentia, mediis et auxiliis, *ea tenenda definivisse, quae S. Scripturis et Apostolicis traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant; neque enim Petri successoribus Spiritum S. promissum esse, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent*; doctrinam S. Sedis ab omnibus amplexam fuisse, scientibus, *S. Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permansisse; charisma hoc fidei numquam deficientis Petro eiusque in Cathedra Romana successoribus divinitus collatum esse, ut Ecclesia tota una conservaretur, et suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret;* cumque hac ipsa aetate auctoritas illius obtrectatoribus non paucis exposita sit, *necessarium esse, praerogativam hanc solemniter asserere.* Decernit itaque hoc capite Constitutio: *Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, — per assistentiam divinam ipsi in B. Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua Divinus Redemtor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi definitiones Romani Pontificis ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse;* addito *anathemate* in contradicentes. — Publicata hac Constitutione *Pius IX* P. M. paucis verbis S. Synodum alloquens, manifestavit: *auctoritatem hanc Romani Pontificis* non opprimere sed adiuvare, non destruere sed aedificare, *Epporum iura tueri ac firmare*; monuit quoque: *illos, qui nunc oppositam tenent sententiam, paucis abhinc annis in sensu maioris partis Epporum*

abundasse, sed tunc iudicasse in spiritu aurae lenis; fieri vero haud posse, ut in eodem iudicio iudicando duae oppositae existant conscientiae.[1])

Rem non ingratam lectoribus nos praestituros existimavimus, si ipsam *historiam* momentosae *discussionis et definitionis Synodalis super Primatu et infallibili magisterio Romani Pontificis* Monumentis nostris inseruerimus, prout illam ex Actis et documentis Concilii adornavit Romana Ephemeris, cui titulus: *Acta ex iis decerpta, quae apud S. Sedem geruntur.* Ex hac historia manifestum fit: 1. In Congregatione generali 47 die 29 Aprilis 1870 *Cardinalem AEppum Burdigalensem,* (Franc. Donnet) de Catechismo Parvo proloquentem, votum suum expressisse: *ut quam citissime Synodo proponeretur Schema de infallibilitate Romani Pontificis*; et reipsa in eadem Congregatione, et sequenti (30 Apr.) distributas fuisse Patribus *animadversiones in Schema de Primatu, item de infallibilitate R. P.* per nonnullos Patres adornatas. 2. In Congr. Gen. 50 die 13 Maii *pertractationi Schematis de Constitutione dogmatica prima de Ecclesia Christi* (Prim. et infall. R. P.) *initium datum esse per relationem de Schemate* isto nomine Deputationis pro rebus fidei ab *Eppo Pictaviensi* (Lud. Pie) factam. 3. Discussionem super Schemate in genere institutam fuisse in Congregationibus Gener. 51—64 a die 14 Maii usque diem 3 Iunii, *proloquentibus 64 Patribus*, ulterioremve generalem discussionem die 3 Iunii erga petitionem 150 Patrum stitam fuisse, 49 Patribus, qui veniam loquendi obtinuere, a proloquendo remotis. 4. In Congr. Gen. 65—71 a die 6—14 Iunii de Prooemio et tribus primis capitibus Schematis *47 Patres prolocutos esse.* 5. In Congregationibus subsequis 72—82 a die 15 Iunii — 4 Iulii de Capite IV schematis seu *de infallibilitate R. P. 57 Patres prolocutos fuisse, renunciantibus obtentae veniae loquendi 60 Patribus.* 6. Factis in Congr. Gen. 83 die 5 Iulii super emendationibus in Schemate per *Eppum Tarvisinum* (Zinelli), item 84 die 11 Iulii super Capite IV in genere per *Eppum Brixinensem* (Gasser) relatio-

[1]) Mon. 1960. pag. 588.

nibus, in Congr. 85 die 13 Iulii *votisationem* institutam fuisse *super infallibilitate R. P.* et ex *601* Patribus praesentibus *451 Patres per* **Placet**. *88 Patres per* **Non placet**, *62 Patres per* **Placet iuxta modum** sua vota enunciasse; in Congr. 86 autem (die 16 Iulii) postremorum horum 62 Patrum emendationes discussas acceptatasque fuisse, interposita simul *protestatione Praesidum* contra calumnias ac mendacia in S. Synodum vibrata. 7. In *Sessione IV Concilii* die 18 Iulii lecta Constitutione, e *535* Patribus praesentibus *533 Patres per* **Placet**, *2 Patres autem per* **Non placet** sua vota depromsisse, *112 Patribus a Sessione semet retrahentibus*. Historiae Sessionis istius memorabilis inserimus etiam *Elenchos Patrum* a) *per verbum* **Placet**, b) *per* **Non placet** *votisantium*, c) *a Sessione semet absentantium*.[1])

Paucis elapsis post solemnem definitionem infallibilitatis R. P. diebus, dimissa fuere ad *Canonicos, parochos, professores et presbyteros Ianuenses sive Genuenses*, item ad *Clerum Angliae et Scotiae* Brevia Apostolica instar responsi ad literas, quarum ope viri hi ecclesiastici suam de inerrantia pontificia convictionem ac fidem ante definitionem dogmaticam Summo Pontifici manifestarunt, ut suo loco per nos ostensum est. In *priori* Brevi declarat Pontifex: *diremta* iam *quaestione nihil inter veritatem et errorem medium relinqui, et sublato fuco studii concordiae, effugiisque interclusis ita discriminatam esse aciem, ut unusquisque cuius sit prodere cogatur*. In *altero* Brevi aeque enunciat Pontifex Maximus: *diremta* iam *esse dissidia opinionum, reiecta adversa sophismata, et sancitam praeteritorum seculorum fidem*, sed et *arctiorem* factam esse *coniunctionem cum visibili Capite*.[2])

Ecclesiarum Praesules, Societates Catholicae, et aliae partim corporationes, partim singulares personae intellecta definitione sublimis praerogativae Romani Pontificis, festinabant suum gaudium cum professione intimae devotionis et adhae-

[1]) Mon. 1961. pag. 596. — [2]) Mon. 1962. 1963. pag. 628. s.

sionis Summo Pontifici insinuare. *Societas Vindobonensis*, cui *Archiconfraternitas B. Michaelis Archangeli* nomen, literis ipsa die definitionis (18 Iulii) signatis adiit Patrem Beatissimum: salutando Ipsum tamquam *Antistitem Domus Dei et Custodem vineae Domini, refugium Epporum, portum securum totius communitatis catholicae, fontem apostolicum, summum Patrem omnium Patrum, Caput primum et apostolicum universae Ecclesiae, cuius iudicium ab omnibus exquiri et suscipi debet, et a quo fidei certitudo accipienda est, ducem salutis ab omni errore immunem ideoque securum, firmamentum fidei firmissimum, columnam veritatis inconcussam, regulatorem morum perfectum, doctorem infallibilem;* hancque ipsam fidem fuisse *antiquam Austriae Catholicae fidem* declarando.[1]) — *Societas catholicae iuventutis Italiae* Bononia direxit altera a definitione die ad Patres Concilii literas: gratias agens Deo, quod ei placuerit, *ut solemni ac infallibili iudicio confirmaretur fides tamquam a Deo revelata, quam plebs sancta et regale sacerdotium Ecclesiae ab huius exordio usque in praesens professi sunt, de suprema potestate et infallibili magisterio R. P.*[2]) — *Cardinalis Decanus S. Collegii* (Marius Mattei) ob infirmitatem corporis Concilio interesse haud valens, datis sub 2 Aug. literis Summo Pontifici *profitetur, se ultro libenterque et amplecti, quae in Synodo iam definita sunt, et vocem Papae in supremo magisterio obeundo tamquam Petri ipsius oraculum venerari.*[3]) — *Eppus Bergomensis* ob debilitatem corporis ex Concilio abire coactus, per epistolam 18 Aug. scriptam declarat Pontifici Maximo: *se prout Patribus infallibilitatem R. P. asserentibus semper annuisse, ita definitioni Concilii desuper editae toto corde adhaerere, paratumque esse eandem etiam cum vitae discrimine, si opus fuerit, asserere.*[4]) — *Catholici Germaniae* ad sepulchrum S. Bonifacii *Fuldae* tamquam *pii peregrinantes*, congregati in iisdem literis ad Summum Pontificem datis, quibus sacrilegam Urbis et ditionis Pontificiae occupationem detestantur, vehementem

---

[1]) Mon. 1964. pag. 630. — [2]) Mon. 1965. pag. 631. — [3]) Mon. 1966. pag. 632. — [4]) Mon. 1967. pag. 633.

quoque *dolorem* suum manifestant, *quod viri quidam catholicis annumerati, perversis imbuti principiis non solum decretis S. Concilii Vaticani ipsi obsistere audeant, verum etiam alios incitent et seducant, apud se solos puram priscamque doctrinam conservari iactantes, etc. quasivero catholica fides non semper fuerit fides Romana, quasi novum quid et numquam auditum nuper decretum fuerit, dum tamen quod iam dudum corde fidelium tenebatur, nunc ore omnium explicite profitendum summa Ecclesiae auctoritas iure merito sanxit.*[1]) — *Eppus Briocensis* in Gallia, qui in Concilio negativum depromsit votum, datis ad Pontificem Maximum literis, non dubitavit *plenam* suam *adhaesionem erga decretum Concilii* exprimere: *Brevi Apostolico* recreatus, e quo intelligere licet, *Eppum Briocensem, antequam adhuc definitio ederetur, monuisse clerum et populum suum, ut Ecclesiae docenti plene acquiescat, abiectis cunctis dubitationibus* [2]) Idem fecisse alios etiam Praesules, qui vota sua negative enunciarunt, et ex publicis constat diariis ac foliis, et dubitare non licet. *Absentes* quoque a Concilio Eppos mox post definitionem suas adhaesionis literas ad Summum Pontificem direxisse constat. *Nostra infirmitas* id mox post definitionem praestitit, provocando simul ad opus *de Romano Pontifice* a. 1867 editum, et ad sententiam suam iam a. 1865 (ut suo loco docetur) pro infallibilitate R. P. deprom-tam.

Eppi ex Concilio ad dioeceses reversi non morabantur decreta Vaticana, signanter illud de magisterio infallibili R. P. per *pastorales literas* Clero fidelique populo promulgare, et debitum iis exhibendum obsequium inculcare. Ex numero Pastoralium harum seligimus paucas duntaxat: e quibus et adiuncta disceptationum innotescunt, et validissima argumenta tum pro opportunitate tum pro necessitate definiendae *antiquae et numquam non creditae veritatis* manifesta redduntur, et obiectiones adversus S. Synodum et definitionem Sessionis IV formatae eliduntur.

---

[1]) Mon. 1968. pag. 633. — [2]) Mon. 1969. pag. 636.

Primo loco inserta est Monumentis nostris praestans epistola pastoralis *Eppi Nemausensis* in Gallia, paulo post definitionem edita, omni sane attentione digna. In prologo doctae suae epistolae commemorat Praesul : *Gubernia praerogativae Pontificiae inimica se exhibuisse ; partem preli, stagno inveteratorum praeiudiciorum immersam, vehementi rabie, in qua iniustitia cum vilitate expressionum quasi aemulando contendere videbatur, praerogativam oppugnasse ; imo e sinu etiam sanctuarii venenata tela in iustam causam horrenda vi proiecta fuisse.* Descendendo ad argumentum literae pastoralis, declarat : *se non resumturum thesim de infallibilitate iudiciorum ex Cathedra prolatorum, utpote a seculis rite elucubratam et novissimis temporibus magnifice demonstratam ; se duntaxat ipsum actum definitionis expensurum, ut manifestum fiat, eundem incomparabilem magnificentiam haurire e maiestate omnium praeludiorum, quae ipsum ante apertum Concilium praesagiri siverunt ;* item *e numero et gravitate impedimenterum, quae, priusquam comparuisset, removere debuit ;* tandem *ex ubertate producendorum fructuum, si mundus beneficia eiusdem aestimare noverit.* Liceat ex immensa doctrinarum, assertionum, argumentorum, quibus egregium hoc opus abundat, copia aliquid delibare. Mox principio suae deductionis pronunciat : *nullam Congregationem vel Concilium nomen Oecumenici meliore iure mereri, ac Vaticanum,* ad quod octingenti fere Antistites confluxerint, et in quo, demta Polonia Russica, nullius partis Ecclesiae universalis repraesentatio desideraretur ; *Congregationem Vaticanam virum extitisse catholicitatis Ecclesiae documentum.* Ad initium Concilii ipsius mentem Patrum subiisse cogitationem de *infallibilitate supremi Pastoris ;* velut testes fidei suorum populorum de fide praerogativae istius perhibuisse testimonium *gloriosam phalangem Vicariorum Apostolicorum, magnamque partem Epporum ad sic dictum civilisatum mundum pertinentium ; in Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Belgio, Helvetia, Germania, Statibus Unitis immensam maioritatem sacerdotum et fidelium hanc praerogativam S. Sedis, non obstantibus tetris imaginibus, sub quibus illa sistebatur, tamquam Verbo ipsius*

Iesu Christi innixam considerasse; — non competere quidem seu *sacerdotibus,* sive *fidelibus* ius, *decreta aut iudicia dogmatica* edendi, *posse* tamen *ipsos eadem praesagire ac praeparare,* et Ecclesiam ac S. Sedem semper deferentiam exhibuisse voci popularis fidei, ipsumve Pium IX in obiecto Immaculatae Conceptionis BMV. vota cleri populique medio Epporum exquisivisse; impossibileque esse, legitimitatem et magnum momentum huius manifestationis fidei popularis controvertere. — Motus ac manifestationes circa dogma infallibilitatis iam longe antea praesertim in *Gallia* a Domino praeparatas fuisse, primum per Concilia Provincialia, dein per declarationes Epporum Summo Pontifici factas, per definitionem Immac. Concept. BMV. etc.; — Eppos ipsos, semper erga S. Sedem animatos, veros extitisse auctores harum manifestationum. Alterum *praeludium* definiendae infallibilitatis constituisse *Congregationes Concilii Vaticani,* item deputationes varias in Synodo electas, ad quas illis Germaniae et Galliae Praesulibus, qui infallibilitati adversabantur, accessus interclusus fuerit. Tertium praeludium fuisse *exhibitionem postulati, quo propositio schematis de infallibilitate deposcebatur,* intra paucas dies *quingentis plura nomina subscripta* continentis; paulo post autem *fere 600 Eppos* urgenter desiderasse, ut quaestio haec pertractetur. Transeundo ad *impedimenta* definitioni obmota, tria numerat eiusmodi obstacula: *falsam Politicam, falsam eruditionem,* et *falsum zelum falsae prudentiae innixum.* Ad *primum* recensitis *Bavarici* et *Gallici* Guberniorum factis, animadvertit: Notas horum Regiminum, et ceterorum illis assentientium diplomaticas in obiecto Concilii et infallibilitatis fuisse *actum illegitimae immixtionis et usurpationis;* eique congruum datum fuisse responsum per *Notas Cardinalis a Secr. Status,* et ipsam *definitionem dogmaticam.* Ad *secundum* impedimentum monet: *eruditionem adversariorum in puncto quaestionis de infallib. R. P. palpabiles errores exhibuisse;* praesertim *errorem super doctrinali charactere propositionum anni 1682,* quas tamen mox et Romae et alibi reiectas fuisse constat; item *errorem quoad genuinas traditiones Ecclesiae Gallicanae de infallib. S. Sedis,* quae manifeste docent, Ecclesiam Galliarum de hac praerogativa

numquam dubitasse; porro *errorem in respectu Ecclesiae Romanae*, quasi in hac plures Pontifices erravissent, aut falsis Decretalibus suam auctoritatem munivissent; pariter *errorem circa conditiones in decretis dogmaticis requisitas* puta *unanimitatem* suffragiorum; tandem *errorem casuisticum de praetensa impossibilitate dogmaticae definitionis* super hac praerogativa. Ad *tertium* impedimentum, *falsum zelum*, observat: zelum hunc se manifestasse per studium *seminandi discordias*, *conspirationes adversus metuendum dogma ciendi*, *Eppos ab eo avocandi* etc. tum per suscepta hoc scopo itinera, memorialia variis lingvis conscripta, opuscula anonyma, sed quorum auctores facile dignosci valeant; non obstante tamen omni adversariorum nisu, *paucos admodum fluctuantes permoveri potuisse ad consurgendum adversus S. Sedem;* — magnos quidem theologos, magnosque oratores in Synodo proloquutos fuisse, sed saepius ad ordinem redigi debuisse, et pro veritate errorem propugnavisse; nec comprehendisse, quod definitio infallibilitatis S. Sedi nullam novam potestatem vel inusitatum tribuat privilegium, sed nonnisi authentica solemnique forma exprimat praerogativam, quam Dominus Vicario suo contulit, et omnia secula agnoverunt; neque perspexisse, quod iura S. Sedis sint, quae Epporum dignitatem sustentant, et *quo impatientius ferunt Antistites iugum Romae, eo faciliores sint in sustinenda tyrannide Caesaris vel publicae opinionis;* — zelum adversariorum in *aggressionem* et *accusationem* degeneravisse, dum vel magnos Antistites pro praerogativa dimicantes, vel Vicarios Apostolicos, aliosve in partibus Eppos impetere non dubitarunt; zelum quoque *indiscretionis* in evulgandis contra fidem secreti notitiis Synodum concernentibus sese manifestasse; prout et zelum *procrastinationis*, ut quippe definitio differatur, aut penitus emaneat; zelum istiusmodi *providentia* quadam succolatum fuisse, primum excogitata *theoria inopportunitatis*, quam tamen ipsi adversarii condemnarunt, dum in celebratis Provincialibus Synodis aut aliis occasionibus non dubitarunt infallibile Sedis Apost. agnoscere iudicium; *providentia* porro *veritatem laedente*, quam quippe credebant, sed definire nolebant; *providentia S. Sedis laesiva*, quasi in historia Pontificum quaepiam

invenirentur, cum infallibilitate componi nequeuntia; *providentia Ecclesiae laesiva*, quatenus concussa infallibilitate Papae Ecclesiae quoque inerrantiam concuti oportet; denique *providentia illegitimarum perfidarumque concitationum plena*, in quantum metu et pavore e Guberniis, Protestantibus, schismaticis, rationalistis, liberalibus catholicis deducto Patres a ferenda definitione abducere conati sunt. Ostendit subseque Praesul praestantissimus, *qualiter de his omnibus impedimentis et obstaculis triumphaverit pars maior Patrum:* primo *proportione numeri;* tum splendida *satisfactione ex parte Galliae*, siquidem Divina Providentia rem sic direxerit, ut ubi antehac *Gallicanismus* magnam stragem ediderat, inde fierent prae aliis praeparationes ad definitionem, et ipsa definitio magno Praesulum Galliae numero ederetur; dein *concursu inexpectatorum adiunctorum temporis*, quippe belli gravissimi, sub cuius munimine Providentia et definitionem fieri et hanc sub strepitu armorum pacificam possessionem ingredi permiserit; postremo *adiunctis Pontificatus Pii IX*, quem nec minaces prospectus, nec alia terrifica temporis obstacula deterruerant, quominus *triplex* grande pensum in effectum deduceret, utpote *restitutionem Romanae Liturgiae in Occidente. definitionem dogmatis de immaculato conceptu BMV.*, et *definitionem Pontificiae infallibilitatis.* Expendit demum Praesul pius *fructus ex definito infall. dogmate* producendos: *conquiescentiam* et *pacem*, cessantibus et scholarum controversiis, et Epporum scissionibus; *animorum reconciliationem*, cumprimis in sinu *Eppatus Gallici*, praescissis pro futuro reliquiis *Gallicanismi*, manibus Status Civilis sustentati; *lucem* et *certitudinem*, non suppetente amplius seu Eppis sive Guberniis praetextu ac titulo allegandi, quasi nefors iudicia S. Sedis non forent irreformabilia, et auctoritas Concilii superior foret illa S. Sedis; *glorificationem principii auctoritatis*, ac *sublimem sanctionem Pontificiae auctoritatis.* In ultimo pastoralis literae commate dolorem suum exprimit Praesul, quod infirmitate gravi impeditus fuerit definitioni interesse, sed una solatium explicat, quod de definitione ista iure dici possit, eam per *acclamationem* fuisse editam: quandoquidem postulatum 500 et amplius Patrum initio Concilii substratum, et per de-

cursum Congregationum saepius repetitum, atque suffragiis 500 et amplius Patrum in solemni actu roboratum veram contineat acclamationem [1]). — Eximiae pastoralis literae auctorem Eppum *Apostolico Brevi* honoravit Pontifex Maximus, enunciavitque: ea et absolutam Praesulis devotionem erga S. Sedem compertam fieri, et *veram restitui totius disceptationis historiam;* manifestumque reddi, *quam validis theologicis argumentis et quam solido perpetuae traditionis fundamento niteretur pia Eppi aliorumque Galliae Praesulum sententia; et e converso quam infirmae, obsoletae, profligataeque forent dissidentium obiectiones, quibusque artibus instaurarentur et ingererentur animis; cumque illorum opera innumeri libelli ac periodica scripta vulgata plurimos deceperint sive quoad difficultates quaestionis eiusque opportunitatem, sive quoad methodum ac libertatem in ea expendenda abhibitam,* Summus Pontifex epistolam pastoralem Nemausensem ceu opportunum his erroribus remedium considerat [2]).

Ex *Gallia*, in qua zelosissimi Praesules cum promulgatione decretorum Concilii nullas traxere moras, binas insuper vulgamus pastorales epistolas, anno primum 1872 editas, sed ob peculiaria adiuncta omni attentione dignas: alteram e Dioecesi *Parisiensi*, alteram e Dioecesi *Aurelianensi*. Utriusque Dioecesis Antistites, **Georgium Darboy**, et **Felicem Dupanloup**, opportunitatem definitionis magisterii infallibilis Romani Pontificis oppugnasse constat: et uterque Antistes catholico Praesule digna subiectione et obedientia mox post reditum e Concilio distinctis literis suam intimam erga decreta Vaticana adhaesionem Summo Pontifici nuntiarunt. Quominus tamen prior, Parisiensis quippe AEppus eadem decreta pro munere suo ad Clerum populumque dioecesanum perferret, tristis memoriae turbae Gallicanae et in his secuta mors violenta APraesulis obstitit. Novus Parisiensium Antistes *Guibertus* vulgatis in festo M. Leonis Papae, XI Aprilis 1872 pastoralibus literis, Vaticanas Constitutiones solemniter promulgavit, in iisque simul historiam proposuit eorum, quae in hoc merito ex parte sui Antecessoris suscepta fuere. Encyclica proinde Parisiensis du-

[1]) Mon. 1970. p. 637. — [2]) Mon. 1971. p. 705.

plici constat parte, historica et dogmatica. In priore narrat APraesul: *Antecessori suo Georgio Darboy e S. Synodo Vaticana reduci nil fuisse antiquius, quam ope literarum ad Summum Pontificem directarum adhaesionem suam erga decreta Concilii significare; recepisseque eundem a Summo Pont. responsum solatii plenum, quin tamen illud legere valuisset, interea quippe in captivitate sua violenta morte sublatus.* In posteriore parte evolvit Encyclica APraesulea: *oracula Vaticana velut Spiritus S. oracula recipi debere*, profecta a Concilio Generali eiusdem cum praecedentibus Oecumenicis Synodis auctoritatis; siquidem *augustiorem Conventum vix viderit Ecclesia*, seu frequentia spectetur Pastorum ac Patrum, seu plena libertas in proponendo et decernendo, seu maturitas discussionum Synodalium etc.; *definitionem dogmaticam de infallibili magisterio Romani Pontificis non esse nisi ultimam evolutionem constitutionis Ecclesiae, aliquo tempore quidem per controversias postremorum seculorum obscuratam, ast in Ecclesia Sancta Dei prorsus necessariam;* cuius Sedes ac centrum haud alibi quam in *Cathedra Petri* collocari possit, *potestatis plenitudine a Domino instructa,* et tamquam *nulli errori obnoxia, ab ipsa Ecclesia constanter agnita et honorata* [1]). — Eppi *Aurelianensis* Encyclica pariter ac Parisiensis, partim historica partim dogmatica est. In parte *historica* narrat Eppus: *publicationem decretorum Concilii ab se citius institui haud potuisse propter impedimenta ex obtutu belli gravissimi patriam divexantis; se tamen et Sanctissimo Patri adhaesionem ac subiectionem suam dudum significasse, et Clero dioecesano ante suum pro Synodo abitum praevie declarasse, quod decretis Concilii absque ulla haesitatione accessurus sit.* Addit insuper: *a se equidem impugnatam fuisse opportunitatem definitionis, ipsam tamen doctrinam et corde et scripto professum se semper fuisse.* In parte altera, seu *dogmatica* utramque Constitutionem Concilii, de Fide Catholica, et Romano Pontifice, uberius explicat, atque de utraque asserit: doctrinam illic contentam instar *regulae fidei,* et instar *fundamenti in institutione po-*

[1]) Mon. 1972—1974. p. 706.

puli sumi debere; in altera porro Constitutione relucere *pulchritudinem ac magnitudinem promissionum, per D. N. I. C. Petro, supremo Capiti Ecclesiae, eiusque successoribus factarum.* Hanc sententiam per uberiorem textuum S. Scripturae commentationem evolvit: et in epilogo pastoralis literae in memoriam revocat verba ab se ad Pium IX P. M. Cajetae exulantem directa, quibus non modo Primatus Romani Pontificis, sed et *plena universalem Ecclesiam regendi ac absque erroris periculo docendi potestas et auctoritas* clare exprimitur [1]).

AEppus Gnesnensis ac Posnaniensis per breves circulares literas 28 Aug. 1870 signatas Vaticana decreta promulgavit, edicens: doctrinam binis Constitutionibus Vaticanis, *de fide* contra errores *rationalisticos*, et *de auctoritate ac infallibili magisterio R. P. ceu proxima fidei regula* contra errores *Gallicanos* editis contentam fideles credere ac profiteri, nisi salutis dispendium subire velint, obstringi [2]).

Praesules Germaniae, paucis exceptis, *Fuldae* congregati ultimis mensis Augusti 1870 diebus pastoralem ad Clerum et populum dimiserunt epistolam de Concilii Vaticani Constitutionibus. In ea refellunt exceptiones contra oecumenicitatem huius Synodi et legitimitatem, item contra Constitutionem de infallibili magisterio R. P. *Priori* obtutu praemissa doctrina Ecclesiae de *Conciliorum Generalium* natura, conditionibus et auctoritate, inprimis eam ipsorum dotem evolvunt, iuxta quam definitiones eorumdem *infallibilitatis* privilegio gaudent, et qua tales a fidelibus pleno cum obsequio ac certitudine fidei recipiuntur; et quidem non ideo, quod Eppi in Synodo congregati sive scientia sive experientia se commendent, nec ideo, quod ex toto orbe collecti magno numero adsint, magnas dioeceses regant etc.; sed pure ideo, quod Eppi in Synodo collecti *divina* regantur *assistentia*, proinde in decernendis fidei ac morum veritatibus ab errore sint immunes. Hanc proprietatem Vaticano etiam Concilio infuisse, idemque penes divinam assistentiam Constitutiones suas de fide et de Ecclesia sanxisse, eo addito enunciant: quod Romanus Pontifex et Eppi cum eo

---

[1]) Mon. 1975. p. 719. — [2]) Mon. 1976. p. 726.

uniti, sive hi dioeceses gubernaverint, sive Vicarii Apostolici sive Eppi sine grege distincto fuerint, omnes eodem prorsus iure super obiectis Conciliaribus praevie deliberaverint, omnibusque mature discussis decretum ediderint. *Posteriori* obtutu non negant, in obiecto decreti de Romano Pontifice *differentes fuisse usque definitionem opiniones, has tamen veritate per S. Synodum plena cum libertate et auctoritate sancita nullum inferre posse praeiudicium, nec novam quampiam sed antiquam in deposito fidei contentam doctrinam stabilitam et explicatam fuisse* affirmant; monentque fideles, ut doctrinae a S. Concilio definitae firmiter adhaerendo, ab ea et signanter a Petra Ecclesiae nullis aliter sentientium et Ecclesiasticae auctoritati refragantium pollicitationibus ac artibus divelli se sinant [1]). —

Pastorali litera Praesulum Germaniae ad notitiam Beatissimi Patris perlata, non dubitavit SSmus Dnus longiori *Brevi* ad unumquemque dictorum Praesulum directo et zelum ac sollicitudinem eorumdem pro integritate fidei catholicae demonstratam collaudare, et salutaria monita adiicere, et schismaticas ac haereticas novorum sectariorum, contra decreta Concilii consurgentium, sententias reprobare ac damnare. Momenti plena et omni attentione digna sunt, quae in hoc Brevi continentur. Laudat Summus Pontifex Praesules, quod Fuldae collecti communi edita pastorali epistola docuerint fideles *quanta sit obligatio et necessitas, veritates a Concilio definitas uti revelatas a Deo credendi et profitendi*, et *quanto opere repugnet principiis catholicae religionis assertio, doctrinam in S. C. Vaticano definitam non contineri in Scriptura et Traditione, imo his contrariam esse.* Addit pleniorem futuram fuisse consolationem suam, *si pastorali instructioni omnium Germaniae Epporum nomina subscripta* vidisset. Docet porro: *officium esse Pastorum, greges suos docendi de veritatibus fidei in S. Oec. Concilio definitis* cumprimis in regionibus Germaniae, ubi *filii quidam superbiae, qui se catholicos nominant, non solum occultis fraudibus sed aperta fronte ipsum fidei cath. dogma oppugnant*

[1]) Mon. 1977. p. 727.

et contra auctoritatem Ecclesiae rebelles ad eandem rebellionem ac perditionem alios quoque trahere conantur, mendaciter iactando, se antiquam fidem catholicam retinere, dum ipsum fundamentale principium catholicae fidei ac doctrinae subvertunt. Docet quoque: *ordinem fidei a Redemtore nostro in sua Ecclesia eum esse institutum semperque retentum, ut ipsa dogmatis definitio haberi debeat per se sola sufficiens, certissima, et omnibus fidelibus accomodata demonstratio, doctrinam definitam contineri in deposito revelationis; — definitiones tales pro incommutabili norma tum fidei tum scientiae catholicae haberi; — assistentia Spiritus S. in Concilio Vaticano negata, eo ipso negari omnem supernaturalem infallibilitatem, sicque essentiali proprietati Ecclesiae bellum indici.* Dolorem demum suum manifestat Pontifex Summus, quod per novos hos sectarios *sinus matris Ecclesiae impie laceretur, cibus salutifer ab ea paratus venenis commutetur, et per superbiam scientia, qua alios erudire deberent ad salutem, in suam et aliorum perditionem convertatur;* et una hortatur Praesules, ut in hoc fidei et salutis animarum discrimine unitis viribus arceant pericula labefactandae fidei catholicae, veraque obedientia ac amore erga S. Matrem Ecclesiam et B. Petrum, super quem Ecclesia aedificata est, imbuant omnes et confirment [1]). Paucis ante dimissum isthoc Breve diebus, quippe 20 Oct. 1870, Summus Pontifex per apostolicas literas *Concilii Vaticani celebrationem,* cum per sacrilegam Urbis et ditionis pontificiae occupationem in libero expeditoque supremae auctoritatis suae usu impeditus sit, *ad aliud opportunius tempus suspendit* [2]).

Eppus Varmiensis die 8 Sept. 1870 *Constitutionem dogmaticam I de Ecclesia* promulgando, *12 proposuit puncta ad eius intellectum opportuna:* e quibus et notio et limites praerogativae Romano Pontifici assertae clare possunt explicari. Declarat nimirum Eppus: *per inerrantiam,* ab impeccabilitate alioquin distinctam, et cum inspiratione Spiritus S. Prophetis et Apostolis olim facta minime confundendam, *intelligi divinam providentiam et assistentiam, penes quam*

[1]) Mon. 1978. p. 731. — [2]) Mon. 1979. p. 736.

Pontifex, novam doctrinam patefacere alioquin haud valens, ex deposito fidei tamquam supremus veritatis magister promit ex cathedra doctrinam: nec extendi hanc praerogativam nisi ad res fidei ac morum; nec esse infallibilitatem Papae diversam ab illa, qua pollet Ecclesia, sed esse unam eandemque, seu in Capite cum membris unito et in membris cum Capite coniunctis; exerceri demum illam finaliter per Caput, Romanum Pontificem [1]). Idem Eppus *Instructionem* edidit *pro Confessariis* in obiecto infall. R. P. in eaque inter alia monuit: *eum, qui post publicationem epistolae pastoralis Fuldensis publice in scriptis decretum Vaticanum contemsit, absolvi non posse nisi subscriptione publice revocata, eumque de haeresi formali suspectum videri* [2]). — Ab hac Instructione non divergit quoad substantiam Instructio *AEppi Coloniensis*, eam proinde priori subiungimus [3]).

Eppi Germaniae utut e Fuldensi Congressu communem (ut superius recensuimus) pastoralem ediderint literam, ad Dioeceses suas reversi singuli singulas ad dioecesanos dimittebant epistolas in negotio definitionum Concilii Vaticani, inprimis de *inerrantia R. Pontificis*, excitati etiam motibus, qui contra hanc definitionem in nonnullis Germaniae partibus exorti sunt. Pastorales eiusmodi literae magni sunt momenti: eas tamen omnes, nisi plura implere vellemus volumina, vulgare haud possumus. Seligimus unam pro omnibus, *AEppi Monaco-Frisingensis* (G. Scherr), in cuius dioecesi *turbae anti-conciliares et anti-infallibilisticae* de die in diem increscebant: quae necessitatem imponebant egregio APraesuli, non modo contra *novos sectarios* vocem suam attollendi imo et gladium spiritualem adhibendi, sed etiam Gubernio, motibus anticatholicis nimis faventi, plures pro tuenda re sanctissima Religionis ac Ecclesiae repraesentationes substernendi. Praestitit utrumque laudatus AEppus cumulatissime. Pastoralis eius epistola de infallibili magisterio R. P. die 26 Dec. 1870 edita instar verae *apologiae Primatus* et memoratae praerogativae merito considerari potest, quemadmodum definitionem S. Concilii soli-

---

[1]) Mon. 1980. pag. 738. — [2]) Mon. 1981. p. 740. — [3]) Mon. 1982. p. 742.

dis muniens argumentis, ita adversariorum effugia penitus prosternens. Eam integram inter Monumenta referimus.[1])

Eppus Tergestinus in *Folio Dioecesano* mense Februario 1871 communicavit aliquot puncta ad intelligendam constitutionem de infallibilitate R. P. servientia: 1. *Obiectum* infallibilitatis esse veritates divinitus revelatas; 2. *Formam* sententiae infallibilis exhiberi per *definitionem*, ab „effato doctrinali" probe secernendam; 3. *Subiectum* infall. esse Ecclesiam Christi sive magisterium cum apostolica auctoritate institutum, ideoque *Romano Pontifici munere Magistri Ecclesiae universalis et summo pastorali officio fungenti* praerogativam infall. competere; 4. *conditionem obligationis credendi* doctrinae definitae esse eiusdem promulgationem *ex cathedra supremae auctoritatis apostolicae,* quam Romanus tenet Pontifex, Visibile Caput Ecclesiae unitum cum corpore; 5. *rationem infall.* repeti ex *assistentia Christi promissa magisterio Apostolico;* 6. praerogativa infall. non tolli *liberum hominis arbitrium*, ipsumque Romanum Pontificem, etsi infallibilem, ex humana fragilitate subiacere peccato.[2])

Card. AEppus Viennensis (Rauscher) in *Folio Dioecesano* iam a. 1870 die 8 Aug. Constitutionem de Ecclesia signanter de infallibilitate Papae Clero communicavit; anno autem 1871 die 5 Febr. in pastorali ad Clerum et fideles litera utriusque dogmaticae Constitutionis mentionem fecit, de *infallibilitate R. P.* breviter adnotando: *quaestionem hanc diu indecisam, et partem in utramque disputatam, die 18 Iulii 1870 sic definitam haberi, ut quilibet catholicus obligetur definitionem Papae de fide ac moribus ceu doctrinam fidei recipere.*[3])

Eppus Rottenburgensis (Car. Hefele) 10 Apr. 1871 communicavit Clero suo dogmaticas Vaticanas Constitutiones, et praemissa succincta historia de sua ad quaestionem infallib. R. P. relatione, interea quoque, donec integrum Schema de Ecclesia in Concilio pertractari, authenticaque decreti de inerrantia R. P. interpretatio dari potuerit, *decretum* istud

---

[1]) Mon. 1983. pag. 744. — [2]) Mon. 1984. pag. 780. — [3]) Mon. 1985. pag. 783.

ita explicat: quod per illud dogmati de infallibilitate Ecclesiae nil praeiudicetur, quod in ipsis verbis Constitutionis Vaticanae contineatur norma, penes definitiones pontificias ex cathedra observanda, quod unice de rebus fidei ac morum sermo sit, quod fundamentum huius decreti in assistentia divina consistat, quod a definitione ex cathedra ad Concilium vel ad sententiam Ecclesiae dispersae appellatio haud detur. — Per *Nuntium Apostolicum Bavaricum* certior redditus fuit Eppus, *SSmo Dno transpositam esse Praesulis encyclicam, remque eam gratam accidere, quod dioecesis Rottenburgensis prudentia et moderatione Eppi ab agitationibus et dissidiis immunis manserit.*[1])

Quum *agitationes* adversus Constitutionem de infallibili magisterio R. P. in *Germania* in dies increscerent, *Praesules Germanici* mense Majo *Fuldae* congregati rursus communes *tam ad Clerum quam ad fideles* suarum dioecesium concinnarunt *pastorales literas.* In iis, quae Clero sunt inscriptae, enunciant: *se cum Visibili Ecclesiae Capite intime coniuntos irrefragabili definitioni Concilii Vaticani firmiter insistere, sanctamque et indeclinabilem cuiusvis Catholici esse obligationem, decretis Vaticanis cum perfecto assensu et externa professione obsequendi; contrarium agentes ipsi Deo rebelles esse; eosdem anathemati per Concilium expresso subiacere; detorsiones ac interpretationes sectariorum Constitutioni Vaticanae subtrusas a veritate et genuino sensu abludere, eoque tendere, ut fideles in errorem inducantur.* In pastorali ad fideles epistola potissimum contra sic dictam *liberam scientiam, semet inflantem et cornua adversus revelatam doctrinam superbe erigentem* proloquuntur Praesules, opportunaque suggerunt consilia ac monita fidelibus.[2])

In tuenda adversus agitationes sic dictorum *veterum catholicorum* fide ac doctrina Ecclesiae, et Concilii Vaticani, inerrantiam R. P. sancientis, auctoritate prae ceteris Germaniae Praesulibus semet distinxerat *Monaco-Frisingensis AEppus,* in cuius dioecesi coryphaei agitationis, *Döllinger*, et

[1]) Mon. 1986. 1987. pag. 787. 789. — [2]) Mon. 1988. 1989. pag. 793. 803.

Friedrich mansionem habeant. Zelum APraesulis, utprimum is Romae innotuit, *Summus Pontifex* medio epistolae, eius nomine per *Cardinalem Pitra* exaratae, debitis celebravit laudibus.[1]) Sed et alii Praesules diversarum regionum AEppum Monacensem, datis ad ipsum literis, velut strenuum proeliorum Domini praeliatorem honorabant. Ex horum literis tres exhibemus in nostris Monumentis, videlicet *Eppi Pactensis* in Sicilia, *Eppi Montisregalis* in Pedemontio, et *AEppi Reginensis* in Sicilia. Primus omnimode *probat severitatem ac fortitudinem, qua AEppus Monacensis in* „Döllingerum", *falsa scientia inflatum et schismaticum, animadvertit;* alter aeque gratulatur ob nobilem firmamque agendi rationem intuitu *Döllingeri* adhibitam; tertius AEppum Monacensem salutat tamquam *fidei Vaticanae* eximium *assertorem, et novae haereseos eversorem.*[2]) — *Professores* quoque *Facultatis Theologicae Monacensis*, e cuius gremio erant agitatores *Döllinger*, et *Friedrich,* solennem edidere adversus famosas Döllingerianas declarationes *protestationem:* in eaque *principium Auctoritatis, magisterium Ecclesiae et Romani Pontificis, legitimitatem, libertatem et oecumenicitatem Concilii Vaticani, huiusve definitiones* tuentur.[3]) — Neque *Summus* tacebat *Pontifex*, dum agitationes Döllingerianas plane in Metropolim catholici orbis penetrasse intellexit: sed datis ad suum in Urbe *Cardinalem Vicarium* literis, excitavit eiusdem studia, *ut a iuventute studiosa Romana periculum exitii ipsi parati amoliatur;* siquidem *perditi et coeci duces coecorum Romam quoque advecti, invenerint inter variarum disciplinarum professores non paucos, qui retusis conscientiae stimulis impiae mentis detestabilisque doctrinae specimen dederint in literis ad* Döllingerum *datis, errore, blasphemiis, incredulitate scatentibus;* monendos itaque cupit Pontifex Maximus omnes Romae parochos officii, nullam negligendi occasionem, quominus *iuvenibus* svadeatur, *non licere se illis professoribus auditores praebere, qui nefariis literis subscripserunt.* Meminit etiam sua in epistola Pontifex, *mo-*

[1]) Mon. 1990. pag. 806. — [2]) Mon. 1991—1993. pag. 807. s. — [3]) Mon. 1994. pag. 809.

nitos ab se fuisse populorum moderatores, ut arcerent a Magistrorum subselliis homines, qui non solum despiciunt religionis officia, verum odio eius acti, spirituque vere satanico eam carpunt, traducunt, oppugnant: sed irrita fuisse monita.[1])

Mense Iulio 1871 prodiit in lucem fusior pastoralis epistola per *Eppos Helvetiae* exarata: in qua argumenta sectariorum novorum sive contra characterem legitimi ac generalis Concilii, sive contra ipsum dogma de magisterio infallibili R. P. funditus eliduntur, et solide demonstrantur haec tria: primo, *reipsa supremae ac falli nesciae auctoritatis vocem per Synodum Vaticanam ad nos perlatam esse;* secundo, *per hanc Synodum definitae doctrinae summam in eo consistere, quod Romanus Pontifex ex cathedra docens, per divinam assistentiam in Petro ipsi promissam ea polleat infallibilitate, qua Dominus Ecclesiam suam donare voluit, et quod eiusmodi definitiones R. P. ex sese et non ex consensu Ecclesiae sint irreformabiles;* tertio, *falsa esse ea, quae sectarii definitioni subtrudunt, ut plures in errorem inducantur*: quasi nempe doctrina de infall. R. P. foret *nova*, antiquitati incognita; aut quasi Pontifex *pro sua persona infallibilis* et infallibilitas haec absoluta, nullis esset circumscripta terminis.[2]) — Hanc quoque pastoralem literam (prout illam Germaniae Epporum supra relatam) fusiore *Brevi Apostolico* comitabatur Pius IX P. M. In eo probat factum Epporum, *quod eorum potissimum artes et conatus oppugnandos susceperint, qui adscito sibi* „veterum catholicorum“ *nomine ex ducta ex definitione Concilii Vaticani occasione novis scissionibus inconsutilem Christi vestem discerpere, fideles a Unitate divellere, civilesque Potestates Ecclesiae infensas acrius in ipsam concitare nituntur.* Porro insinuat: *oportuisse divinam inerrantiae praerogativam, quam Dominus Rectoribus Ecclesiae cum Capite suo coniunctis concessit, peculiari modo conferri Supremo Capiti seu Unitatis centro, cum erumpentes quotidie errores viventem semper et paratum Iudicem ac idoneum deposcant Magistrum.* Prosequitur

[1]) Mon. 1995. pag. 814. — [2]) Mon. 1996. pag. 816.

dein Pontifex: *id, quod fieri debuisse ratio svadet, reapse factum fuisse doceri per S. Scripturam, per historiam, per perpetuam Patrum et Conciliorum doctrinam. per constantem omnium Ecclesiarum consvetudinem; nil itaque novi collatum fuisse Summo Pontifici a Vaticano Concilio, sed definitionem huius esse meram explicationem vetustissimi dogmatis, et per id nil immutuari in relationibus Capitis Ecclesiae cum corpore docente, nec in relatione cum politica potestate; atque ideo dolose simul ac absurde svaderi per veteratores, gravissimum inde detrimentum civilis auctoritatis iuribus fuisse illatum.* Laudat in epilogo Praesules Helvetiae, *quod non formidaverint a facie potentium, ac libere eos monuerint, non licere laicis, quorum est discere, sese iis immiscere, quae in Ecclesia docendi munus respiciunt, multoque minus conscientiae fidelium imponere.* Hortatur Praesules, *ut certamini strenue insistant, omnique ope a lege non vetita retundant artes et audaciam impietatis.* [1])

Priusquam modo laudatam apostolicam literam ad Eppos Helvetiae dimitteret Summus Pontifex, in eaque sic dictorum *veterum catholicorum* artes ac dolos perstringeret, adversus sectarios hos publice extulit vocem in *Allocutione ad S. Collegium* die 27 Oct. 1871 habita in causa rerum Italicarum, ac cumprimis viduitatis tot Ecclesiarum, quae suos amiserant Pastores. Deplorat in hac Allocutione *impiam temeritatem et perversitatem, qua quidam in Germania homines, a regula et communione Ecclesiae Catholicae deviantes, tum libellis omni errorum ac mendaciorum genere refertis, tum sacrilegis inter se celebratis conventibus palam impugnant auctoritatem S. Concilii Vaticani, veritatesque ab eo definitas, praesertim supremam plenamque potestatem et infallibilis magisterii praerogativam Romano Pontifici assertam;* perstringit quoque illud horum *perditionis filiorum* factum, quo *secularium potestatum persecutionem contra Ecclesiam Cath. excitaturi, iis fraudulenter persvadere nituntur, Concilii Vaticani decretis vetcrem Ecclesiae doctrinam immutatam,*

[1]) Mon. 1997. pag. 856.

ac ipsi reipublicae et civili societati periculum esse confle tum. Dolet insuper Summus Pontifex, *accidisse, ut huiusmo improbis insinuationibus capti reipublicae Administri, pala suo patrocinio tegere et favore confirmare in sua rebellio novos sectarios haud dubitaverint.* Laudem denique tribu *Eppis Germaniae*, signanter *AEppo Monacensi, quod si gulari animorum coniunctione, zelo pastorali, admirab fortitudine et eximiis scriptis veritatis causam praecla defendant.*[1])

Paulo ante praeviam Allocutionem gratulatus est SSm Dnus noster per *Breve* pluribus *Deputatis Nationalis Co ventus Gallici*, quod perturbatum reipublicae statum compo turi, *ante omnia ad Deum oculos converterint, et Ecclesi iura asserenda cogitaverint, doctrinisque perversis, quibus fides infirmata, et scientia moresque corrupti fuerant, m laque alia in Galliam derivata, reiectis, absolutum defi tionibus Concilii Vaticani obsequium, plenamque Cathedr veritatis devotionem profiteantur, cui divinitus datum e errorem convertere, et cum ipso malorum stirpem ex lere.*[2])

AEppus Bambergensis (quem subin alii etiam E sequebantur) cum indignatione reiecit propositionem *Comit rum Protestanticorum Darmstadii in Hassia* habitoru contra dogma catholicum *inerrantiae Pontificiae*, ut quip dogma hoc, praetensive Statui Civili perniciosum, reiic tur.[3])

Vicarius Capitularis Spirensis, sumta occasione positis per sic dictos *veteres catholicos* apud officium pa chiale *Kaiserslautern* quaestionibus, instar normae sacris rionibus deserviturae constituit: *Omnes, qui ita dictis adres Döllingerianis* (Döllingeradressen) *nomina sua subscribu prout et illos, qui inter membra societatis veterum catho corum numerantur, censuris ac poenis canonicis obnoxi et excommunicatos esse, absolutione ab his S. Sedi rese vata; his porro, donec in sua adversus Ecclesiam oppo*

[1]) Mon. 1998. pag. 858. — [2]) Mon. 1999. pag. 860. [3]) Mon. 2000. pag. 861.

tione permanserint, nec sacramenta administrari, nec sepulturam ecclesiasticam concedi; omnium minime autem eisdem cousum Ecclesiae Catholicae permitti posse.[1])

Eppus Herbipolensis datis ad Clerum ultimo anni 1871 mense literis, solatium expressit suum desuper, *quod motus nefarii et molimina abominanda eorum, qui S. Concilii Vaticani decretis adversantur, in sua dioecesi vix aliquem locum et profectum invenire potuerint, omnesque* (perpaucis exceptis) *in Ecclesiae sanctae fide firmos et devotos stare, omnesque adversariorum conatus hucusque irritos cecidisse asseri possit.*[2])

Quod *Hungariam* attinet, quum anno 1870 nulla prorsus fieret *ex officio*, ut aiunt, promulgatio, vel saltem notificatio decreti Vaticani diei 18 Iul. 1870, uniceque in diariis sive ephemeridibus, et in uno alterove folio dioecesano eius iniiceretur memoria, textusque decreti communicaretur: nos principio anni 1871 *non obstante ea Civilis Gubernii Hungarici ordinatione, ut nulla sive Concilii Vaticani sive Romani Pontificis Constitutio per Eppos publicetur prius, quam Placetum Regium impetretur*, strictissimi coram Deo et Ecclesia officii esse duximus, *dogmaticas Sacri Oecumenici Vaticani Concilii Constitutiones de fide et Ecclesia Christi, signanter Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio* in dioecesi, nostrae indignitati credita, promulgare. Praestitimus id per *epistolam nostram pastoralem die 18 Ianuarii ad Clerum dimissam: in qua et intimam inconcussamque adhaesionem ac obedientiam memoratis constitutionibus debitam professi sumus, talemque a clero populoque dioecesano exegimus; et ad fusiores super hoc obiecto per nos iam a. 1867 vulgatas pastorales literas, editumque vastum de Romano Pontifice opus eundem clerum inviavimus.* Subiungimus una *Breve Apostolicum*, quo Beatissimus Pater nos honorare dignatus est.[3])

---

[1]) Mon. 2001. pag. 863. — [2]) Mon. 2002. pag. 866. — [3]) Mon. 2003. 2004. pag. 868. s.

Eadem die, 18 Ianuarii 1871, qua nos Constitutione Vaticanas Clero nostro intimavimus, *Eppus Albaregalensis* Roma (ubi post suspensum Concilium ob infirmitatem corpori aliquo tempore commorabatur) dimisit ad suum Generalem Vicarium Encyclicam de iisdem Constitutionibus, quas una cum aliis documentis ad Concilium pertinentibus Encyclicae inseru erat. Encyclica haec per Vicarium Eppalem 4 Febr. 187 folio dioecesano typis impresso illata, principio mensis Mart ad Districtus dioecesanos transposita extitit. Adiuncta Encyclicae uberius licet intelligere e literis, quas Praesul ad Vicarium suum, porro ad Primatem Hungariae et ad Nuntiu Apost. Vindobonensem sub eodem dato Roma expediri feci quas proinde Monumentis nostris una cum Encyclica adnecti mus. Ex memoratis epistolis planum fit: *zelosum Praesulem elapsis ab edita duplici dogmatica Constitutione pluribus mensibus, ad partes officii sui pertinere censuisse, ut utrae que Constitutio per Eppum Clero et populo dioecesano publicetur, silentiumque Epporum Hungariae* (demto, ut adnot Eppus, Nitriensi Antistite, tacentium) *abrumpatur*. In Encyclica tam de dogmaticis Constitutionibus, quam de occupatio sacrilega Urbis et residuae ditionis pontificiae verba facit Eppus. Illas debita cum veneratione excipi a Clero et fidelibu deposcit, verbisque Summi Pontificis ad Praesules Germania scribentis errores cavillationesque novorum sectariorum per stringit; contra sacrilegum autem ausum occupationis Urbi ditionisque pontificiae solemniter protestatur, et preces publica pro Summo Pontifice fundendas praescribit.[1]) — Qualisnam contra Eppum Albaregalensem ex parte Civilis Gubernii, cu is Encyclicam suam communicavit, suscitata fuerit tempesta in illa operis nostri parte referimus, quae Monumenta Vaticani Concilii relate ad *Statum Civilem* complectitur.

Eppus Szathmáriensis iam a. 1870 e Concilio redu indicavit Clero suo: *decreta fidei in Concilio perlata ex s obligare*, publicari tamen nondum posse; anno autem 187 die 24 Aprilis *Constitutiones dogmaticas Vaticanas publi cavit*, cunctisque Presbyteris *pro faciendo congruo illarum*

[1]) Mon. 2005—2008. pag. 870—889.

in publica ac privata populi institutione et in scholis usu, communicavit [1]).

Eppus Iaurinensis mense Maio anni 1871 decreta Vaticana cum debita reverentia ac obedientia ab omnibus recipienda inculcavit literis Circularibus [2]).

Eppus Cassoviensis eodem mense anni 1871 Constitutiones dogmaticas Vaticani Concilii cum Clero communicavit [3]).

Eppus Quinque-Ecclesiensis mensis Iunii 29 die a. 1871 publicavit decreta S. Concilii, eaque tum ab se intima cum adhaesione et obedientia excipi significavit, tum a Clero populoque dioecesano pari cum obsequio excipienda deposcebat [4]).

Eppus Vaciensis mense Iulio a. 1871 eadem, qua Eppus Cassoviensis, modalitate, iisdemque verbis Constitutiones Syn. Vat. ad Clerum suum transmisit [5]).

Primas Hungariae et AEppus Strigoniensis (Ioan. Simor) Circularibus literis die 8 Sept. 1871 ad Clerum dimissis *traditionem Ecclesiae Hungaricae* de infallibili magisterio Rom. Pontificis egregie illustravit. In hoc documento, signanter prologo eiusdem exposito decreti Vaticani super *infallibili magisterio R. P.* sensu, monet venerandus APraesul: *hanc doctrinam in pravum sensum detorqueri, ac velut novam, antea inauditum traduci ac impugnari etiam in sua dioecesi, et ab hominibus, qui ab exteris oris huc commigrant, et ceu sidera errantia ac fluctus feri maris despumant suas confusiones in Hungaria.* Porro monet: *e testimoniis in documento suo productis luce meridiana clarius patere, doctrinam de infallibili magisterio R. P. in Hungaria omni tempore fuisse propositam, traditam, creditam, propugnatam ab AEppis et Eppis, a Canonicis et Parochis, a Professoribus et aliis Presbyteris, a Clero seculari et regulari, ab ipsis illustribus laicis; fuisse illam traditam et defensam palam et publice in Universitate, in Lyceis et Seminariis,*

---

[1]) Mon. 2009. pag. 889. — [2]) Mon. 2010. pag. 890. — [3]) Mon. 2011. pag. 890. — [4]) Mon. 2012. pag. 891. — [5]) Mon. 2013. p. 892.

atque ex ambone in Ecclesiis; fuisse traditam in libris ad instituendum Clerum et in libris ad docendum populum exaratis ac vulgatis. Monet insuper: *quaestionem de opportunitate vel inopportunitate decisionis in Concilio Vaticano editae ante decisionem moveri et discuti potuisse, et fuisse in Concilio, Eppis Hungariae collaborantibus, amplissime discussam: hodie omnem eatenus disceptationem superfluam et inutilem esse, quia causa decisa, finita est.* In recensione traditionis hungaricae praemittit celebre decretum *Conventus Cleri Hungariae* contra famosas *propositiones Gallicanas* a. 1682 editum sub Primate *Georgio Szelepchény:* in quo clare et aperte fides et convictio Hungarorum de infallibilitate R. P. exprimitur; tum texit seriem testimoniorum inde *a Sec. XIII usque ad seculi nostri annum 1869*; iis recensitis concludendo: *testimoniorum plurima expresse docere infallibile magisterium Summi Pontificis, alia aequipollentibus verbis eandem exprimere doctrinam, dum dicunt, Ecclesiae ipsius infallibilitatem niti inconcussa Petri fide, solidari in stabilitate Sedis Apostolicae, in Petri voce exstare, qui in successore adhuc loquitur; vel dum Petri Sedem vocant rectae fidei fundamentum, aut in ea dicunt esse integram religionis soliditatem.* In epilogo diiudicandum relinquit Clero, an per adducta testimonia demonstratum sit, doctrinam hanc in Hungaria non esse novam et inauditam, sed antiquissimam, bene cognitam, nullo non tempore traditam et propugnatam. Refellit quoque obiectionem, *quasi eadem doctrina noxia Statui Publico foret.* Subnectitur adhuc Circularibus Primatis literis Appendix: de sententia *Cornelii Iansenii* super hac quaestione, inerrantiae R. P. favente: quam nos vol. 6 huius nostri operis uberius proposuimus [1]).

AEppus Colocensis in Consultatione sive Conferentia cum Clero Dioecesano diebus 25 et 26 Oct. 1871 habita proposuit: *decretis Concilii Vaticani, signanter dogmatice enunciatae Rom. Pontificis infallibilitati, queis universus iam Ecclesiae Eppatus suum addidit assensum, absque discrimine fidei ac salutis reluctari integrum haud esse;*

[1]) Mon. 2014. p. 892.

seque, tametsi durante Concilio cum aliis Hungariae Eppis oppositionem formaverit, suam dictis decretis adhaesionem S. Sedi Romanae iam declarasse. Ad hanc APraesulis declarationem universi dioecesani Cleri nomine responsum fuit: *omnes plene adstipulari AEppo, sacrique Concilii Vaticani decreta pie revereri, iis contentam doctrinam credere, profiteri, ac docturos esse*[1]).

Superius laudatus Hungariae Primas novis Circularibus literis dd. 18 Dec. 1871 *universalem catholicam traditionem* de infallibili magisterio R. P. illustravit. In hoc documento recenset *testimonia SS. Patrum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum*, tum Latinorum inde ab Irenaeo usque Alphonsum de Ligorio, quam Graecorum ab Ignatio usque Maronitarum Synodum anni 1736 in Monte Libano habitam; porro testimonia ex actis ac definitionibus *Conciliorum* desumta inde a Nicaeno I usque Florentinum; item *Imperatorum ac Regum* testimonia: additis ubique doctis commentationibus et observationibus; signanter de *Conciliis* observat: *exinde, quod decreta pontificia haereses damnantia in Conciliis Generalibus relecta et discussa fuerint, nihil contra irrefragabilem eorumdem decretorum auctoritatem obmoveri posse*, cum similis discussio fuerit unice examen instructionis ad consensum per obedientiam cum ratione praestandum. Concilii Florentini definitioni mox subiicit solemnem *Epporum Romae 1867 editam declarationem,* in qua inerrantia R. P. clare enunciatur. Ad obiectionem ex *Conciliis* porro positam, quod horum celebratio manifestum faciat, Ecclesiam de infallibili auctoritate R. P. nequaquam fuisse convictam, respondet: quaeri ab adversariis posse, cur Synodos cogere opus fuerit, siquidem ex sententia ipsorum adversariorum definitiones Pontificiae accedente Epporum suffragio irreformabiles sunt, colligere autem suffragia facilius sit quam Eppos in Synodum cogere? item *non obstante Apostolorum personali infallibilitate coactum fuisse Ierosolymis Concilium*; *Romani Pontificis definitiones ab Ecclesia et Synodis semper cum veneratione acceptas fuisse.* Iis, qui Conciliorum auctoritatem irrefragabilem contra

[1]) Mon. 2015. p. 986.

Romani Pontificis infallibile magisterium allegant, operaque *Petri de Marca* vel *Richerii* citant, reponit: *utrumque non in audacia, sed in poenitentia sequendum esse; cum constet ambos palinodiam cecinisse, et infallibilitatem S. Sedis Apost. agnovisse.* Testimoniis traditionis universalis recensitis; haec duo concludit ex iis doctissimus APraesul: *infallibilitatem R. P. solemnibus fidei formulis declaratam, et ordinario Ecclesiae magisterio et publica praedicatione expressa traditam fuisse.* De testimoniis: *Imperatorum ac Regum* monet: *agnitum ab his infallibile Romanae Sedis in fide et morum rebus magisterium minime impedivisse, quominus sago togaque inclarescerent, maiestatis suae iura latissime exercerent, et subditorum suorum prosperitati uberrime prospicerent.* Disserit deinde de *contraria sententia*, quam Sec. XV in *Gallia* propugnari coepisse existimat, mox egregie refutatam per viros eruditissimos. Argumentum ex *Concilio Constantiensi* depromtum docte refellit, cetera inter memorando, *quod constitutionem Martini V Papae contra appellantes a supremo Iudice, Apostolica videlicet Sede, seu Romano Pontifice Vicario I. C. in terris, editam, ipsum Concilium actis Sessionis 45 intulerit, et idem Concilium ac postulata nationis Germanicae declaraverit: Papam semel electum a nemine ligari posse.* Ostendit e pluribus testimoniis, *doctrinam de infall. R. P. etiam post Concilium Constantiense in pristino suo vigore permansisse, et contrariam paucorum Gallorum opinionem reiectam fuisse.* Famosos *articulos Gallicanos anni 1682*, iam in primo documento perstrictos, hic uberius refellit, ostendendo, eosdem doctrinae pristinae Gallorum e diametro opponi, et deinceps quoque, a novissime in Synodis Provincialibus Galliae ipsius impugnatos, atque pristinam doctrinam Galliae assertam fuisse. Distinctionem inter *Sedem et Sedentem,* sive *inter Cathedram Petri et Pont.* pluribus reiicit testimoniis. Ad obiectionem, quasi inerrantia Romani Pontificis cum effatis Christi de collata toti Ecclesiae infallibilitatis praerogativa componi haud posset, respondet: *e Ecclesiam docentem et Summum Pontificem esse infallibilem Pontificem qua successorem Petri, potestate in universam Ecclesiam vi verborum Domini ad solum Petrum directorum*

instructum; Ecclesiam vero nonnisi cum Primate, unitatis centro et fratrum confirmatore coniunctam. Ad facta historica per adversarios allegata, quibus probari posse putant, hunc vel illum Papam in errorem esse prolapsum, observat: *hic sermonem esse unice de definitionibus ex cathedra, nulli tamen adversariorum adusque successisse, quidpiam erroris in Pontificiis sententiis ac decisionibus detegere; achillem* autem *adversariorum, Honorii causam, frustra reproduci, cum invictis argumentis ab haeresi purgatus sit Honorius,* cumprimis a *Ios. Pennachi* erudito Professore Romano. Postremo animadvertit: *clamores contra definitam a Concilio Vaticano doctrinam excitatos nihil veritati illius obesse,* sicut nec olim similes clamores ab haereticis ac potentibus excitati quidquam obfuerant catholicae veritati. In *epilogo* monet Clerum, ut a definita doctrina tenenda ac praedicanda nullis convitiis, nullis adversariorum machinationibus, nulla vi se dimoveri patiantur: siquidem *vera Ecc esia praeter vel adversus Caput concipi aut consistere nequeat, Christus supra unum Petrum aedificaverit Ecclesiam suam, ipsa itaque sine Petro careat fundamentali Petra, supremo Pastore et Capite, cum quo communionem omnibus fidelibus praecipit Christus* [1]).

In Dioecesi *Magno-Varadinensi Gr. Rit.* promulgationem decretorum Vaticanae Synodi in Synodo Provinciali mense Majo 1872 habita ad Synodum proximam Dioecesanam relegatam; in A. Dioecesi *Agriensi* autem unice in ephemeride dioecesana (Egyházmegyei Közlöny) dicta decreta vulgata fuisse nobis relatum est. A. 1872 tam in *Neosoliensi* quam *Rosnaviensi* dioecesi novi Praesules mox post auspicatum dioecesanum regimen, decreta Vaticana pro congrua notitia et observamine publicarunt: *Neosoliensis* quidem per Circulares 29 Iunii 1872; *Rosnaviensis* autem partim in primo solemni ad Clerum alloquio, partim in Pastorali epistola ultimis anni 1872 diebus edita. In *priore* hortatur Clerum, ut caveat a magistris mendacii et iniquitatis, qui se catholicos esse profitentur, sed a petra, cui ceu immotae Dominus Ecclesiam suam superstruxe-

[1]) Mon. 2016. p. 988.

rat, salva catholicitate se avelli posse opinantur; in *posteriore* penes transmisionem Constitutionum S. Concilii Vaticani ad sacerdotes dioecesanos, momentum gravissimum earumdem proponit, obsequium irrestrictum exigit, effugia adversariorum sive quoad oecumenicitatem S. Synodi, sive quoad divinam inerrantiae R. P. praerogativam a Concilio assertam dissipat, monetque decreta Vaticana ut normam credendorum ac docendorum recipienda esse [1]). — In dioecesi *Diakovariensi*, ad partes Hungariae adnexas pertinente, Constitutiones dogmaticae Vaticanae in folio dioecesano, cui nomen: *Glasnik biskupije Djakovačke-Sriemske* die 15 Ianuarii 1873. (p. 5. 11.) promulgatae fuere.

Primas Hungariae semel adhuc idque tertio vocem levavit pro dogmaticis Conc. Vaticani decretis, in Circularibus ad Clerum 15 Aug. 1872 dimissis. Tertium isthoc Primatis documentum sub titulo *observationum in ambas Constitutiones dogmaticas S. Concilii Vaticani* amplum continet commentarium in Constitutionem utramque dogmaticam de fide catholica, et primam de Ecclesia Christi. Ex observationibus in *priorem* Constitutionem factis notari merentur illae, quae *inscriptionem* concernunt sic sonantem: *Pius Eppus — sacro approbante Concilio.* Demonstrat APraesul et Primas: *inscriptione hac*, iam in prioribus Conciliis sub personali praesidio Papae celebratis usitata, *nil novi introductum esse, nec Eppis ius divinum, quo pollent, iudicandi de rebus ad fidem et mores pertinentibus ademtum*; porro, quae in prologo Constitutionis habentur, et sive rationes sive expositiones decretorum comprehendunt, non esse fidei catholicae iudicia, nec infallibilitatis obiecta; monet insuper: ad quaestionem, *qui fieri potuerit, ut in scholis etiam catholicis et theologicis errores contra fidem doceri potuerint?* haud difficile esse responsum; *scholas* idmodi *antea Ecclesiae filias fuisse, intimum cum matre nexum foventes*; *tardius easdem haud amplius ab Ecclesia dependere coepisse, sed a civili potestate*, vixque umbram influxus Ecclesiae relictam. Observationes in *alteram* Constitutionem positae concernunt prooemium et

[1]) Mon. 2017. 2018. p. 1119. ss.

quatuor capita de Primatu et infallibili magisterio R. P. suntque reapse omni attentione dignae. Quae in iis docte non minus quam vere explicantur, huc circiter redeunt: Constitutioni de Ecclesia *initium* iure dari a *Romano Pontifice*, tamquam *fundamento ac basi Ecclesiae* a Christo Domino aedificatae; *Primatum* in Ecclesia non esse quasi quodpiam ornamentum Ecclesiae superadditum, sed *esse fundamentalem petram, sine qua Ecclesia cessaret esse vera Ecclesia Christi*; sensum genuinum *duorum classicorum pro Primatu locorum S. Scripturae* per Concilium authentice expositorum, iuxta Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum interpretationem non posse alium esse, quam *quod Petro Apostolo plenitudo potestatis ad regendam Ecclesiam primum promissa dein collata f erit per Christum Dom., ita, ut omnia ipsi soli subiiciat illumque constituat Ecclesiae suae gubernatorem, et Pastorem;* ex innumeris autem S. Scripturae locis invictissime probari, *Petrum suae praelationis optime conscium, hanc a reliquis Apostolis agnitam et a Petro exercitam fuisse*, ita, ut reipsa dici valeat, *quidquid ad rem nascentis Ecclesiae spectans agendum erat, id omne nomine Petri, a Petro ipso, et per Petrum expeditum fuisse; Primatus perpetuitatem e natura ac fine Primatus resultare, eumque in Petri successoribus, Romanae Sedis Eppis, existere*, siquidem nihil in tota Ecclesiae historia illustrius, certius, antiquius ac testatius sit, quam *Petrum Romae fuisse, illic Eppatum tenuisse et obiisse; Petrum semper vivere in suis successoribus Romanis Pontificibus; totamque antiquitatem rationem, cur Romanus Pontifex Petri in Primatu successor sit, inde semper repetiisse, quod ipse eidem in Eppatu Romano succedat; Romanos Pontifices sicut iure divino Petri successores, ita et singulos non secus ac Petrum ecclesiastici aedificii petram, fundamentum et crepidinem esse;* ea item, quae in tertio capite *de suprema R. P. auctoritate, ordinaria et immediata iurisdictione in universam Ecclesiam* declarantur, totidem esse *necessaria Primatus divinitus instituti consectaria; in Primatu comprehendi magisterium infallibile;* hanc praerogativam in Petro successoribus Romanis Pontificibus collatam fuisse, ex traditione luculentissime evinci; *Ecclesiam docentem*

nonnisi in unione, consensione et subordinatione ad visibile Caput Ecclesiae esse infallibilem; Petrum solum et in eo successorem designari verbis Domini Primatem, hocve ipso infallibilem, quatenus docet Ecclesiam, et quidem non sub conditione concurrentis iudicii vel consensus aliorum Pastorum, sed per se spectatum, a quo ceteri confirmandi sunt. Evolutis his et plurimis aliis ad rectam intelligentiam decretorum Vaticanorum facientibus propositionibus, refutatisque in epilogo adversariorum exceptionibus, tam sapienter quam recte affirmat celsissimus Auctor: *Eppos*, qui initio sic dictae oppositioni nomen dedere, videndo, quod Eppi per orbem dispersi infallibilitatem R. P. docuant, doctrina proin haec reapse criterio unanimis Ecclesiae dispersae consensus fulciatur, cui ipsi antehac ceu conditioni alligabant inerrantiam Pontificiam, — *nisi sibi contradicere, Ecclesiae Catholicae terga vertere, in haeresim et schisma Iansenistarum prolabi, voluissent, infallibilitatem e Cathedra loquentis Ecclesiae Capitis agnoscere debuisse, et agnovisse etiam per suam ad Summum Pontificem directam declarationem, vilipendentes venalium calamorum scomata, quae nunc, dum veritati se submiserunt, tam copiose congesta experiebantur, quam larga et effusa laudum praeconia ab iis ipsis calamis de se prius conscripta legerunt, quando nimirum veritatem catholicam oppugnare videbantur* [1]).

[1]) Mon. 2019. p. 1128.

ACTA NONNULLA PRAEPARATORIA AD S. SYN. GEN. VATICANAM.

1487 *).

Card. Praefectus S. Congr. Concilii nomine Summi Pontificis manifestat **Eppo Nitriensi** (humilitati nostrae) intentionem SS. Patris de celebrando **Concilio Oecumenico**, ac simul provocat ad designanda obiecta, quorum pertractatio in Concilio expediens videretur. 1865.

Perillustris ac Rme Dne uti Frater. Quot quantisque malis ob teterrimam errorum et perversarum doctrinarum colluviem ad exitium et vastitatem undique erumpentem Catholica Religio et ipsa humana societas nostris hisce temporibus affecta et afflicta sit, tute vides, Amplissime Praesul. Nam eum in locum adductae res iam sunt, ut nihil sit tam sanctum, tam honestum, tam iustum, quod non perditi homines veritati resistentes, corrupti mente, reprobi circa fidem per summum scelus oppugnare corrumpere ac subvertere conentur. Quamobrem *SSmus Dnus Noster,* quum pro pastorali tuendi dominici gregis cura, qua dies noctesque assidue sollicitatur et

*) Monumenta Vaticani Concilii serie continua adnectimus Documentis de Romano Pontifice hactenus per nos evulgatis; quum itaque ultimum Voluminis VI documentum numero 1486 signatum sit, hunc excipit immediate numerus 1487.

angitur, numquam vel a sui Pontificatus exordio in debacchan
tem impietatem destiterit apostolicam attollere vocem, ac prob
intelligens, quantum discriminis ex crescenti latiusque in die
manante hac peste populo christiano imminere atque accider
possit, volensque tot susceptis curis atque laboribus veluti im
ponere cumulum, *in animo sibi esset Oecumenicum in ha*
alma Urbe habere Concilium; quo omnium sane aptissim
remedio illustres praedecessores sui in maximis rei catholica
periculis ad fidei integritatem, honestatem morum, et Eccle
siarum incolumitatem servandam ac promovendam bene felici
terque usi sunt. Confidens itaque Sanctitas Sua fore, ut, quo
nunc est in votis, Deo favente ad exitum opportuno tempor
deduci contingat, id tecum, Amplissime Domine, hisce literi
(uti cum nonnullis aliis selectis Eppis) sub arctissima secre
lege per me communicari iussit, ut tu interim *accurata bre*
vique ratione praecipuas res significare atque exponere ve
lis, quas ratione habita tum errorum in istis regionibu
grassantium, tum gravium glisccntium abusuum, aliarumqu
populorum necessitatum in Concilio pertractari et agi expe
diens iudicaveris. Non dubitat autem eadem Sanctitas Su
quin pro ea, qua praestas doctrina, integritate et prudenti
suae hoc in gravissimo negotio voluntati diligenter, et quoa
primum per te licuerit, sis responsurus. Haec erant per m
significanda tibi, Amplissime Domine, cui singularis observan
tiae meae sensus testatos facio, cunctaque felicia ac prosper
adprecor a Domino. Romae ex S. Congregatione Concilii, di
20 Apr. 1865. P. Card. Caterini, Praef. — Petrus AEppu
Sardiensis, Prosecret.

1488.

Eppus Nitriensis designat obiecta in Concilio Oec. pertractanda. 1865.

Emmo Card. Caterini, S. Congr. Conc. Praefecto. Nullum a sacratis Ecclesiae primordiis tam firmum securumque conservandae fidei catholicae medium, nullum magis opportunum ad reformandos Cleri populique mores visum est unquam Patribus vehiculum, quam in Synodis eorum studia, quos Spiritus S. posuit Eppos regere Ecclesiam Dei. Et ideo saluberrimum SS. D. N., Ecclesiam Dei inter continuas aerumnarum adversitates gloriose gubernantis, ac de fidelium supremae Apostolicae curae suae creditorum salute incessanter solliciti Patris, *consilium de celebrando Oecumenico Concilio, in quo assistente Spiritu S. sub praesidio visibilis Capitis coadunata Dei Ecclesia de nefandis errorum et perversarum doctrinarum portentis, quae his temporibus Sacram et Civilem Rempublicam ipsaque humanae societatis vincula in fundamentis succutere minantur, qualiter profligandis consultatura, firmo coelestis doctrinae salutariumque praeceptorum praesidio et impendentibus periculis occurreret, et stabilem securamque dominico gregi credendorum agendorumque normam praefigeret, profunda sane cum veneratione suspicio;* sed nec minori venerationis sensu complector singularem Eminentiae Vestrae fiduciam, quae exilitatis quoque meae in praeliminaribus sacri huius moliminis praeparandis mentem et sensum, gratiosis dd. 20 Apr. editis, sed mihi nonnisi 4 Iunii redditis literis exquirere dignata est. Quarum in sequelam promtumque obsequium *excussis, quoad brevitas temporis admiserat, historiae ecclesiasticae inde a celebrato novissimo Concilio Tridentino fontibus, Provincialium Synodorum recentiori aevo celebratarum actis, Rescriptorum Pontificiorum*

et Apostolicarum Allocutionum monumentis, ac celeberrimo p. m. Benedicti XIV P. opere de Synodo Dioecesana, obiecta illa, quae materiam discussionum meo saltem sensu constituere possent, colligere adnisus sum; quali cum effectu, reverenter advoluta series Eminentiae Vestrae indicabit. *In serie propositionum*, signanter nr. 9. sub d), et nr. 13 sub a) *occurrunt etiam positiones per Ecclesiam dogmatice haud definitae, quae tamen in eo iam constitui videntur stadio, ut dogmaticae earum definitioni vix ullum obversari posse censeatur impedimentum:* per quam et unanimis pene doctorum Ecclesiae fides supremo Ecclesiae oraculo explicite pronunciaretur, et, utut raris, hinc inde tamen adhuc vigentibus scholarum disputationibus caritatem saepe laedentibus, sed et noxium in discentium animos influxum exerentibus agger poneretur. *Sunt etiam nonnulla, quae per Ecclesiam decisa sunt,* sub nr. 8, 15 d), 17 a), 18 c) d) e) f) l) m): *uberior tamen eorum circumscriptio et in effectum deductio iam ob ipsam uniformitatem, Ecclesiam Dei mirifice decorantem, et declinandas, quae e difformitate praxis in ipsos fideles derivari solent, ingratas impressiones, optabilis et pene necessaria esse videtur.* — Nitriae, die 27 Iun. 1865.

Connotatio obiectorum, quorum definitio et pertractatio in Generali Concilio optabilis censetur. **Sectio I. Doctrina.** 1. *De Deo.* Errores oppositi: a) *Atheismus;* b) *Pantheismus;* c) *Rationalismus;* d) *Indifferentismus;* e) *Mythismus;* f) *Communismus;* g) *Socialismus;* h) *Materialismus;* i) *Libertas;* k) *Aequalitas.* — 2. *De animae immortalitate.* — 3. *De proemiis et poenis vitae futurae.* Errores: a) doctrina quae comminiscitur creaturas semper in via, numquam in termino esse et futuras fore, ita, ut e coelo per abusum libertatis in infernum ruere, et ex adverso persoluto divinae iustitiae debito ex inferis ad coelos transmigrare possint; b) qui blasphemant sortem beatorum nec felicissimam, nec sanctissimam imo conditione praesente sub utroque respectu inferiorem esse c) qui mentiuntur infernum quidem sine fine duraturum, neminem tamen ibi sine fine permansurum esse. — 4. *De Revelatione supernaturali:* a) Revelatio *rationi* adversari non potest; b) Revelatio velut opus divinum et immutabile, omnium

temporum adiunctis accomodatum, omnibusque numeris absolutum nec accessioni nec imminutioni nec transformationi obnoxium est. — 5. *Ecclesia Romana Catholica est sola salvifica.* — 6. *De sanctificatione dierum Domini et festorum.* — 7. *Cultus Dei domesticus* velut efficax promovendae pietatis medium apud familias fovendus. — 8. *Liturgiae Romanae* ad universas Ecclesias inductio, per Concilia Provincialia Galliae tantopere optata, efficaciter promovenda. — 9. *De Ecclesiae Hierarchia:* a) *Romanus Pontifex* est verus *Christi Vicarius*, tenetque in universo orbe *Primatum* non tantum honoris sed etiam iurisdictionis, *suprema docendi, pascendi, et regendi potestate* instructus; vi cuius dirigit, iubet, leges fert, iudicat, poenas decernit. Legibus eius fideles sine discrimine obedire tenentur. b) Papa respectu fidelium in toto orbe dispersorum „Princeps extraneus" dici nequit, sed *communis omnium Pater.* c) Cum Romano Pontifici *omnia iura* ad conservandam in Ecclesia *unitatem* necessaria competant, idcirco pollet etiam auctoritate relationes ex universa Ecclesia exigendi; ad hoc autem inomisse necessaria est *libera fidelium cum Capite suo communicatio.* d) Romanus Pontifex in rebus fidei ac morum est *infallibilis.* e) Romano Pontifici competit ius *Concordata* cum Principibus ineundi. f) Romanus Pontifex habet ius *Eppos nominandi et confirmandi,* Concilia Oecumenica convocandi, iis praesidendi, ea confirmandi; ab eorum legibus dispensandi; dioeceses instituendi, supprimendi etc. *immediata ubique iurisdictione* pollens. g) *Propositiones Cleri Gallicani a. 1682* editae absurdae, detestabiles et iuribus Capitis Ecclesiae adversae sunt. h) Pari ratione divisio *iurium* Pontificiorum in *essentialia et accidentalia* a *Iustino Febronio* inventa, utpote genuinum conceptum Primatus evertens, rectae fidei est opposita. i) *Temporalis ditio Rom. Pontificis* ad regendam Ecclesiam Dei et Apostolicam auctoritatem cum libertate exercendam est absolute necessaria, velut essentiale medium ad finem. — 10. *Sacrarum Congregationum Romanarum* decreta cum approbatione Papae lata vim habent legis obligantis; secus tamquam certa moraliterque tuta agendi norma consideranda. — 11. *De Episcopis.* a) Epporum a Spiritu S. positorum ad regendam Ecclesiam *dignitas et prae-*

eminentia non solum in characteris sacerdotalis plenitud
sed etiam in iurisdictione et gubernandi auctoritate consis
b) Epporum *potestas immediate a Deo procedit, et nullo
nus emanationem a potestate civili constituit;* eorum p
amotio aut *iurisdictionis suspensio nulli praeter Roma
Pontificem*, cui suprema potestas et controversiarum de
iure divino inhaeret, competere potest. c) Ad Eppos iur
vino pertinet *collatio beneficiorum ecclesiasticorum*, cur
illos spectet de canonica habilitate et qualificatione appl
dorum iudicare. — 12. *De Ecclesia.* a) *Constitutio Eccl
est divina et immutabilis;* potestas illius neque a po
neque a Principibus est mutuata, adeoque prorsus *indepen
residetque in Romano Pontifice et Episcopis exclusive.* b)
Ecclesia sit visibilis, vera, perfecta et completa societas,
priam a Deo sibi collatam habens auctoritatem leges cond
iisque sibi subditos regendi, exterius etiam iudicium pr
ciandi, et contumaces poenis salubribus plectendi, idcirco
*ab omni cuiuscunque heterogeneae potestatis influxu lib
esse oportet.* c) Ecclesia velut vera, perfecta et visibilis soc
ex hominibus constans, ut propriae temporali existentiae
sulere valeat, *sine bonis existere non potest;* et ide
Christi voluntate, non autem Principum concessione ab i
fuit dominii capax, omnesque dominii actus semper exer
quod expressis etiam verbis sanxit declarando: *res Eccl
esse Dei, nec posse sine sacrilegio invadi, rapi, aut ad
profanos converti.* d) Ius *Regaliae* per nonnullos Prin
exerceri solitum pure e concessione Ecclesiae derivari
ipsa bonorum Ecclesiae natura evincit. e) Quamvis Eccle
in Statu, *commisceri* tamen *nequit cum Statu*, cum
habeat regiminis formam a Christo Domino acceptam,
politiam, et independentem auctoritatem, inde ab exordi
luctantibus etiam profanis iurisdictionibus exercitam. f) E
sia itaque habet *potestatem* non *magisterii* solum, ut res
et morum doceat, ac defendat, SS. Literas absque ullo e
periculo interpretetur; verum etiam *regiminis*, ut quos s
gremio suo excepit filios, in doctrina tradita contineat et
firmet, legesque ferat de iis omnibus, quae ad animarum
lutem, sacri ministerii exercitium, ac Dei cultum attinen

testas Ecclesiae docendi iubendique Praesulibus ac pas-ibus ita propria est, ut ad Civilis Reipublicae Magistra-nullo pacto possit pertinere: est insuper libera et nulli renae dominationi obnoxia. h) *Secularis potestas nonnisi summum nefas et perturbata divina Ecclesiae consti-one regiminisque natura in eius doctrinam et regimen uere, illudque moderari vel impedire potest;* unde sic um *Placetum* vel *Exequatur Regium*, prout omnes *circa ra ordinationes* et *principum secularium edicta*, quae entiori tempore praeeunte *Iosepho II Imperatore* in ple-que tam catholicis quam acatholicis regnis *reclamante clesia* editae sunt, *in eversionem divinae constitutionis clesiae tendunt, et manifestam usurpationem involvunt.* Ecclesiae competit *ius fori externi in omnes fideles*, cum ritus S. Eppos non solum docere posuerit ac Sacramentis rire, sed etiam *regere Ecclesiam Dei;* nec sine impietate eri potest, hanc fori externi iurisdictionem aut usurpatam sse aut a Principum indultu repetendam, cum hanc Apostoli la Principum gratia imo invitis illis exercuisse legantur in riptura. k) *Iurisdictioni Ecclesiae non solum in rebus ri, sed etiam in disciplinaribus subsunt omnes fideles uscunque gradus et dignitatis*, cum disciplina ecclesiastica substantialis pars regiminis Ecclesiae. l) Ecclesia habet , rebelles legibusque ecclesiasticis contumaciter et inobedien-refractarios fideles ad salutaris obedientiae debitum etiam *censuras ecclesiasticas* compellendi, ubi necessitatis exigit io. — 13. *De Matrimonio.* a) Sacramenti Matrimonii *Mi-ster* sunt ipsi contrahentes. b) Cum matrimonium sit verum ae Legis Sacramentum, evidens est omnem circa illud po-atem, adeoque etiam *ius impedimenta statuendi, Eccle-e*, et quidem *dirimentia soli Ecclesiae* iure divino com-ere, Civili Reipublicae sola de effectibus civilibus matrimonii ernendi potestate relicta. c) *Matrimonium* sic dictum *civile* ut concubinatus considerandum, ideoque fideles desuper cendi, ut illud in facie Ecclesiae contrahant. d) *Matri-nia mixta* Ecclesia semper est detestata, ideo nonnisi sub tis cautelis admittenda. — **Sectio II. De mediis promo-idae religiositatis.** 14. *De piis Sodalitatibus.* a) Piae So-

dalitates et Confraternitates ad spiritum religiosum fovendum, opera caritatis exercenda, et mutuam membrorum aedificationem tendentes fundandae, dilatandae. b) Societates propagandae fidei qua medium dilatandi his in terris Regni Dei fovendae et beneficentiae fidelium commendandae. c) Sacrae populares missiones asservandae. — 15. *De vita et honestate Clericorum.* a) De studio *meditationis* et *orationis;* earum utilitas et necessitas; speciatim b) stricta obligatio omnium in maioribus ordinibus existentium *Horas Canonicas* persolvendi. c) *Coelibatus* et castitas Clericorum ; poenae in incontinentes. d) *Vestitus ecclesiastici* exterioris uniformitas. e) Clericis prohibita: α) lusus foliorum et alearum, venatio, saltus, choearum et tabernarum frequentatio; β) tractatio negotiorum politicorum. — 16. *Officia Clericorum.* a) Verbi divini praedicatio; b) parvulorum catechisatio; c) cura *Scholae;* d) *de scholis mixtis*, videlicet catholicorum cum noncatholicis; e) Exercitia sacra; f) testamenta Clericorum; g) Studia Clericorum. — 17. *De Seminariis.* a) *Seminaria puerorum* his temporibus necessaria, ubi tantum fieri potest, inducantur. b) Moderatores in Seminariis applicentur viri a vitae integritate et scientia conspicui, qui exemplo aedificent. c) *Scientiarum Magistri* non existiment muneri suo ab se satisfactum iri, si praescriptas materias praelegerint, verum qua *coeducatores* ad spiritum discipulorum formandum verbo et exemplo cooperentur. d) In tradendis philosophicis et theologicis disciplinis *lingva latina* adhibeatur, utpote maternum Ecclesiae idioma, efficax conservandae unionis et mutuae communicationis vehiculum, nunc praesertim, dum vertigo nationalitatum mentes plurimorum occupat. — 18. *De mediis quibusdam avertendae a populo corruptionis.* a) *Communicationem cum Acatholicis,* quae in vita sociali declinari nequit, admodum cautam esse oportet; ideoque b) dogma de *sola salvifica* fidelibus saepe et clare proponendum, iidemque ab omni activa et passiva in sacris communicatione dehortandi. c) *Nec funus acatholicorum ritu catholico cohonestare, nec pro iis defunctis exequias celebrare licet.* d) Communio *Coemeteriorum* et *campanarum* ritu catholico benedictarum cum acatholicis principiis Religionis Cath. adversatur. e) Res periculi plenissima est pro fidelibus, si *in*

domibus acatholicorum, inprimis perfidorum *Iudaeorum servitio*, plane in qualitate nutricum applicentur. f) Abusus, vi cuius in baptismate *patrini acatholici* adhibentur, tamquam legi ecclesiasticae adversus, de medio tollendus. g) Fideles monendi, ne ulla legant aut legi patiantur *scripta* vel *ephemerides* sanae fidei morumque doctrinae infesta. h) A *ludis scenicis*, qui in opprobrium Religionis degenerarunt, fideles pro posse avocandi. i) Iidem contra pravam *blasphemandi* consvetudinem praemuniendi. k) Periculosissimae pro fidelibus sunt *clandestinae societates*, per Summos Pontifices qua summum sacrae ac civilis reipublicae exterminium anathemate percussae. l) *Ieiunii* et abstinentiae lex fidelibus inculcanda, et in eius observatione per universam Ecclesiam uniformitas inducenda. m) *Sepultura ecclesiastica* cunctis praecepta Ecclesiae, signanter etiam de S. Confessione annue semel adminus peragenda, observare renuentibus, uniformi Ecclesiae observantia, revocatis in vigorem antiquis canonibus, deneganda. — 19. *De Regularibus*. Sunt instituta Ecclesiae utilissima, si praescripta per pios fundatores statuta ad amussim observent. Cum tamen recentioribus temporibus magna in parte disciplina laxari videatur, et satius sit existere pauciores religiosas societates sed numero pietate ac caritate uberiores, quam multas sed exiguas atque debiles, idcirco antiquae eorum institutiones ad exigentiam temporis vigori restituendae, et religiosorum votorum prout et clausurae observantia uniformi rigore manutenenda. — 20. *De Tolerantia. Tolerantismus seu cultuum omnium par protectio, nulliusque per Civile Gubernium religionis professio Religioni Catholicae, quae cum alia quacunque foedus inire nequit*, sicut Christus cum Belial, lux cum tenebris, veritas cum errore, vera pietas cum impietate consociari non potest, *est adversa et summe iniuriosa*.

1489.

Pius IX P. M. in Allocutione ad universos orbis Eppos Romae 1867 congregatos die 26 Iunii habita aperit consilium suum, convocandi **Generale Concilium.**

— — Nobis, ven. fratres, nihil optabilius est, quam ut eum fructum, quem maxime salutarem ac faustum Ecclesiae universae fore ducimus, ex hac — vestra cum Apostolica Sede coniunctione capiamus. *Iamdiu* enim *animo agitavimus, quod pluribus etiam vener. fratrum nostrorum pro rerum adiunctis innotuit, ac illud etiam, ubiprimum optata nobis opportunitas aderit, efficere aliquando posse confidimus, nempe ut sacrum oecumenicum et generale omnium Epporum catholici orbis habeamus Concilium*, quo collatis consiliis coniunctisque studiis necessaria ac salutaria remedia tot praesertim malis, quibus Ecclesia premitur, Deo adiuvante adhibeantur. Ex hoc profecto, uti maximam spem habemus, eveniet, ut catholicae veritatis lux, errorum tenebris, quibus mortalium mentes obvolvuntur, amotis, salutare suum lumen diffundat, quo illi veram salutis et iustitiae semitam adspirante Dei gratia agnoscant et instent. Ex hoc item eveniet, ut Ecclesia veluti invicta castrorum acies ordinata hostiles inimicorum conatus retundat, impetus frangat, ac de ipsis triumphans Iesu Christi regnum in terris longe lateque propaget ac proferat. —

1490.

Eppi eadem occasione Summum Pontificem salutantes, consilium eiusdem de convocando Generali Concilio cum gaudio excipiunt.

— Summo gaudio repletus est animus noster, dum e sacrato ore tuo intelleximus, tot inter praesentis temporis discrimina eo te esse consilio, ut *maximum*, prout aiebat inclytus tuus praedecessor Paulus III, *in maximis rei christianae periculis remedium,* Concilium Oecumenicum, convoces. Annuat Deus huic tuo proposito, cuius ipse tibi mentem inspiravit; habeantque tandem aevi nostri homines, qui infirmi in fide, semper discentes et numquam ad veritatis agnitionem pervenientes, omni vento doctrinae circumferuntur, in sacrosancta hac Synodo novam praesentissimamque occasionem accedendi ad S. Ecclesiam, columnam ac firmamentum veritatis; cognoscendi salutiferam fidem, perniciosos reiiciendi errores; ac fiat, Deo propitio, et conciliatrice Deipara Immaculata, haec Synodus grande opus unitatis, sanctificationis et pacis, unde novus in Ecclesiam splendor redundet, novus regni Dei triumphus consequatur. Et hoc ipso tuae providentiae opere denuo exhibeantur mundo *immensa beneficia, per Pontificatum Romanum humanae societati asserta.* Pateat cunctis, *Ecclesiam eo, quod super solidissima Petra fundetur, tantum valere, ut errores depellat, mores corrigat, barbariem compescat, civilisque humanitatis mater dicatur et sit.* Pateat mundo, quod *divinae auctoritatis et debitae eidem obedientiae manifestissimo specimine in divina Pontificatus institutione dato ea omnia stabilita et sacrata sint, quae societatum fundamenta ac diuturnitatem solident.* Quod ubi perspexerint Principes et populi, non permittent, ut *augustissimum tuum ius, omnis auctoritatis, omnium iurium certissima sanctio*, impune con-

culcetur; imo ipsi curabunt, ut tua tibi constet et potestati libertas et libertatis potestas; adsint subsidia ad sublime tuum illisque ipsis summe proficuum ministerium efficaciter exercendum; nec patientur, ut vox tua a gregibus Ecclesiae sanctae addictis prohibeatur, ne pabulo aeternarum veritatum privati misere contabescant, laxatisve apud eos obedientiae et reverentiae erga *divinum in te residens magisterium* vinculis, illi quoque auctoritas, qua reges regnant et legum conditores iusta decernunt, in certissimum Status Civilis detrimentum labefactetur. Haec est spes nostra, quam corde fovemus. Hoc continuum precum nostrarum est semperque erit argumentum.

1491.

Summi Pontificis responsum ad praemissam Epporum salutationem et declarationem.

Dum arctioribus mutuae caritatis nexibus per hunc conventum obstringere studuistis omnes orbis Ecclesias, hoc etiam praestitistis, ut *uberiore evangelico spiritu repleti ad Beatissimi Petri Principis Apostolorum et Pauli Doctoris gentium cineres, fortiores inde discederetis ad perrumpendas hostium phalanges,* ad tuenda religionis iura, ad unitatis studium creditis plebibus efficacius ingerendum. Quod sane votum apertius etiam se prodit in eo *communi Concilii Oecumenici desiderio*, quod omnes non modo perutile sed et necessarium arbitramini. Superbia enim humana, veterem ausum instauratura, iamdiu per commentitium progressum civitatem et turrim exstruere nititur, cuius culmen pertingat ad coelum, unde demum Deus ipse detrahi possit. At is descendisse videtur inspecturus opus, et aedificantium lingvas ita confusurus, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui: id enim animo obiiciunt Ecclesiae vexationes, miseranda civilis consortii conditio perturbatio rerum omnium, in qua versamur. Cui sane gravissimae calamitati sola certe obiici potest divina Ecclesiae virtus, quae tunc maxime se prodit, cum Eppi a Summo Ponti-

fice convocati eo praeside conveniunt in nomine Domini, de Ecclesiae rebus acturi. Et gaudemus omnino, praevertisse vos hac in re propositum iamdiu a nobis conceptum, commendandi sacrum hunc coetum eius patrocinio, cuius pedi a rerum exordio serpentis caput subiectum fuit, quaeque deinde universas haereses sola interemit. Satisfacturi propterea communi desiderio iam nunc nunciamus, futurum quandocunque Concilium sub auspiciis Deiparae Virginis ab omni labe immunis esse constituendum, et eo aperiendum die, quo insignis huius privilegii ipsi collati memoria recolitur. Faxit Deus, faxit Immaculata Virgo, ut amplissimos e saluberrimo isto Consilio fructus percipere valeamus. — *(Praemissa tria documenta, e quibus extractus hos exhibemus, continentur integra Tomo VI operis nostri de R. P.)*

1492—1493.

Card. AEppus Pragensis ad Card. Secr. Status de delectu Theologorum pro Commissionibus praeparatoriis ad futurum Oec. Concilium. 1868.

Epistola Card. Pragensis. Quod sollicitudo Summorum Pontificum efficere semper adlaboravit, ut gravibus et communibus Ecclesiae necessitatibus coniuncta Epporum cura succurreret, ad hoc etiam nostris diebus SSmi D. N. Papae Pii IX consilium tendit, quibus Ecclesia per universum orbem propagata et extensa in dissitissimis terris populos pascit in magnis difficultatibus posita et variis circumventa angustiis. Si ex immenso isto dioecesium numero, ambitu, distantia, ex quotidiana eppalium negotiorum frequentia, quae in eorum sedibus praesentiam exposcit, non modica Concilii Oec. celebrandi difficultas exurgit, augetur potissimum etiam inde, quod Ecclesiae adversarii per odium et invidiam iam aggressiones moliri non omittant, et ubi sugillent, cavillentur et noceant, studiosissime

dispiciant. *Quanti* itaque *momenti sit, ea omnia, quae ad Concilium salubriter celebrandum pertinent, sollicite considerare, non indiget verbis: tua enim Rma Eminentia de ea re habet persvasissimum, cui specialis Congregationis a SSmo Dno nostro ad hoc opus constitutae commissum est regimen et praesidium;* tanta iam tuae Eminentiae pro hac re gravissima est sollicitudo, ut omnino gratum tibi, sicut muneri meo pastorali satisfacere mihi videar, si opinionem meam pro optimo eius exitu et vere solliciti animi sensu ingenue aperiam. *Quum viros considero, qui ex Austriae Imperio et Germania ad istam praeparationis Congregationem accersiti fuerunt, animum meum incedit timor, ne eorum vires ad satisfaciendum gravissimae obligationi inveniantur insufficientiores.* Certe fidei integritate, morum probitate ita eminent, ut communis omnium laus eos prosequatur, doctrinae meritis multis sunt commendatissimi. *Neminem* tamen *latet, plerosque in scholis suis maxime fuisse occupatos*, atque ita tum implicatos respectivis studiis, tum peculiari rerum considerationi innexos, ut dubium facile oriatur, quin sufficiant quamvis per summam et sincerrimam diligentiam, quaestiones obvenientes omni qua opus est amplitudine tractare. Porro *ea gravissimarum rerum doctrinae et disciplinae natura est, ut nisi a pluribus diversae institutionis viris considerentur, vix possint ea proponi, quae praesertim Germaniae et Austriae peculiaribus salubriter respondeant necessitatibus.* Quod enim ad res *dogmaticas* attinet, *viros, qui e Germania vocati fuerunt, eiusdem scholae theologicae asseclas esse omnibus compertum est;* quis vero non optabit vel etiam necessarium esse censebit, ut tum ad quaestiones penitius tractandas, tum ad occurrendum malevolorum aut infirmorum obiectionibus *consulantur etiam viri, qui intemeratae fidei, catholicorum doctrinis adhaerentes, uberiori tamen et magis universalis eruditionis laude pollent*, quique *profundiori studio*, quo sanctae Ecclesiae fidem, historiam, vitam, errorum quoque commenta perlustrarunt, *sunt celeberrimi?* Quum in Universitatibus *Monacensi, Bonnensi, Tubingensi, Friburgensi, Wratislaviensi* viri plures inter *primores Germaniae Theologos* catholicos apud omnes laudantur, *mirum multis v*

detur, ex iis nullum, ex una vero Universitate Wirceburgensi duos, et utrumque Collegii Germanici alumnos fuisse evocatos. Rei utilitati non minus consuleretur, quam remota partium suspicione fiducia de praeparatione Concilii augeretur, si de ceteris quoque et nulla catholica schola excepta ad consilia accerserentur, qui suas sententias proferrent et vel ipsi in meliora alia consentirent. Alienum a me erit, viros proponere: sed instar ceterorum clarissimum historicum *Hefele* in Universitate Tubingensi, professorem porro eius collegam doctorem *Kuhn*, qui theologiam dogmaticam plurimis scriptis illustravit, vel ipsum *Döllinger* in Monacensi nominare minime abnuo, de cuius recta fide, excellenti doctrina, quamvis fors Romae minus commode audiat, in Germania persvasissimum habetur. Facilius enim diversae opiniones, si audiantur, conciliantur inter catholicos. Quod vero res *disciplinares* attinet, *ad eruditionem theologicam experientia vitae et regiminis ecclesiastici usus accedat, certe necesse est.* Minus in hac re confidere illis solemus, qui in collegiis potius quam in administratione negotiorum versati sunt, et quid rerum adiuncta postulent ferantve, proprio Marte non didicerunt. Praesertim Imperii Austriaci difficillima nunc conditio, ubi diversae nationes, politicis et religiosis quaestionibus implicatae, porro relationes ad Gubernium prudentissima manu indigent, desiderium movet, ut auxilium illud, quod his quoque a Concilio sperari potest, peritissimis consultoribus praeparetur. Haec quae animum de re gravissima movent sensa fateri tibi, Emme Dne, pastoralis officii cogebar sollicitudine, ut candidis aperirem verbis, quid ad felicem Concilii exitum, siquidem in tanta omnium rerum commotione congregari poterit, censeam necessarium vel opportunum. Ad te iam, Emme Dne, dicta remitto, ut pro eximia, qua excellis, sapientia et rerum quae aguntur scientia ea examinare, et, si quid in iis salutare vel adhibendum inveneris, dispicere et ad beneplacitum tuum uti digneris. — Pragae die 25 Maii 1868. F. Card. Schwarzenberg.

Responsum Card. a Secr. Status. Accepi literas Eminentiae tuae ad me datas occasione Oec. Synodi, quam SSmus Dnus noster Pius Papa IX sibi proposuit celebrandam. Quae Eminentiam tuam ad scribendum impulit cura, propriam Sacri

Antistitis ad universalis Ecclesiae bonum intenti sollicitudinem apprime refert. Interea quae scite sapienterque in epistola animadvertebas de multiplicis ac salebrosae materiae in Synodo tractandae praeordinatione, non sine peculiari studio ac solertia adnotasti: magnopere interesse, ut ad praeliminare hoc opus tanti momenti, permulta ac gravissima doctrinae disciplinaeque capita complectens, diversarum institutionum viri, scientia et eruditione inprimis pollentes ex pluribus hac illac Universitatibus assumantur, quibuscum initis investigationibus collatisque consiliis melius innotescat regionum conditio et congrua consulendi ratio, simulque discordes, quae inter ipsos quantumvis catholicos invaluerunt, opiniones concilientur. *Id sane perspexerat pridem Apostolica Sedes;* et ad *Germaniam* quod pertinet, de qua potissimum res est in Eminentiae tuae epistola, *SS. Domini nostri menti nequaquam effugit opportunitas, quempiam alium ex Theologis accersendi, praeter illos, quos ex Universitate Wirceburgensi vocatos memorabas; idque reapse in altero ex propositis a te viris, in Doctore nempe* Döllinger *contigisset, nisi Summo Pontifici affirmatum esset, ipsum invitationi ad praestandam hic coniunctim cum aliis operam suam minime assensurum.*. Hinc vides, Emin. Domine, quemadmodum super literarum tuarum argumento Ap. Sedes expositas ibidem considerationes pro ratione opportunitatis anteiverit. — Romae 15 Iul. 1868. I. Card. Antonelli. — (**Friedrich** *Documenta ad illustrandum Conc. Vat.* Nördlingen. 1871. I 277.)

1494—1500.

Acta ad indictionem Concilii Oecumenici spectantia. 1868.

1494. *Allocutio Consistorialis 22 Iun. 1868.* Notum vobis est, ven. fratres, nos iamdiu exoptare Oecumenicum omnium catholici orbis Sacrorum Antistitum celebrare Concilium, ut vestris et illorum consiliis laboribusque adiuti, ea statuere possimus, quae in hac potissimum tanta temporum asperitate ad maiorem Ecclesiae utilitatem quovis modo pertinent. Nunc autem vobis nuntiamus, *opportunum nos existimare*, eiusmodi *Generale Concilium futuro anno 1869 in Vaticana Basilica habere, illudque die 8 mensis Decembris, Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro incipere.* Quocirca Apostolicas nostras de tanti momenti negotio literas a pluribus e vestris Collegis iam recognitas die 29 huius mensis ex more vulgare censemus. Itaque placetne vobis, ut eiusmodi Generale Concilium a nobis commemorato anno indicatur, et praedictae Apostolicae nostrae literae enunciato die publicentur? (*Postquam omnes responderunt:* Placet, *Summus Pontifex prosequutus est:*) Summa certe iucunditate afficimur, ven. fratres, cum videamus vestras sententias unanimi consensione nostris respondere votis. Interea vero non desistamus levare oculos nostros ad Dominum Deum Nostrum, et incessanter invocare Sanctum Divinum Spiritum, qui verus est sapientiae fons, ut mentes nostras claritatis suae lumine illustret, utque videre possimus, quid in hoc Concilio agere, quidve sancire debeamus.

1495. *Bulla indictionis dd. 29 Iun. 1868.* Aeterni Patris Unigenitus Filius propter nimiam, qua nos dilexit, caritatem, ut universum humanum genus a peccati iugo ac daemonis captivitate, et errorum tenebris quibus primi parentis culpa iamdiu misere premebatur, in plenitudine temporum vindicaret, de coelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens,

mortalibus ex Immaculata Sanctissimaque Virgine Maria indutus exuviis doctrinam ac vivendi disciplinam e coelo delatam manifestavit, eandemque tot admirandis operibus testatam fecit; ac semetipsum tradidit pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem svavitatis. Antequam vero devicta morte triumphans in coelum consessurus ad dexteram Patris conscenderet, misit *Apostolos* in mundum universum, ut praedicarent evangelium omni creaturae, eisque *potestatem dedit regendi Ecclesiam* suo sangvine acquisitam, et constitutam, quae est columna et firmamentum veritatis, ac coelestibus ditata thesauris tutum salutis iter ac verae doctrinae lucem omnibus populis ostendit, et instar navis in altum seculi huius ita natat, ut pereunte mundo omnes, quos suscipit, servet illaesos. (S. Max. Serm. 89.) Ut autem eiusdem Ecclesiae regimen recte semper atque ex ordine procederet, et omnis christianus populus in una semper fide, doctrina, caritate, et communione persisteret, tum semetipsum perpetuo affuturum usque ad consummationem seculi promisit, tum etiam *ex omnibus unum selegit Petrum, quem Apostolorum Principem suumque hic in terris Vicarium, Ecclesiaeque Caput, fundamentum ac centrum constituit*, ut cum ordinis et honoris gradu, tum praecipuae plenissimaeque auctoritatis, potestatis, ac iurisdictionis amplitudine pasceret agnos et oves, confirmaret fratres, universamque regeret Ecclesiam, et esset coeli ianitor ac ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in coelis iudiciorum suorum definitione. (S. Leo. Serm. 2.) Et quoniam Eccl. unitas et integritas, eiusque regimen ab eodem Christo institutum perpetuo stabile permanere debet, idcirco *in Romanis Pontificibus Petri successoribus, qui in hac eadem Romana Petri Cathedra sunt collocati, ipsissima suprema Petri in omnem Ecclesiam potestas, iurisdictio, primatus plenissime perseverat ac viget.* Itaque Romani Pontifices, omnem dominicum gregem pascendi potestate et cura ab ipso Christo Domino in persona Beati Petri divinitus sibi commissa utentes, numquam intermiserunt omnes perferre labores, omnia suscipere consilia, ut a solis ortu usque ad occasum omnes populi, gentes, nationes evangelicam doctrinam agnoscerent, et in veritatis ac iustitiae viis ambulantes vitam assequerentur aeternam. Omnes autem norunt, quibus indefessis curis iidem Romani Pontifices fidei depositum, cleri disciplinam, eiusque

sanctam doctamque institutionem, ac matrimonii sanctitatem dignitatemque tutari, et christianam utriusque sexus iuventutis educationem quotidie magis promovere, et populorum religionem, pietatem, morumque honestatem fovere, ac iustitiam defendere, et ipsius civilis societatis tranquillitati, ordini, prosperitati, rationibus consulere studuerint. *Neque omiserunt* ipsi *Pontifices,* ubi opportunum existimarunt, in gravissimis praesertim temporum perturbationibus ac sanctissimae nostrae religionis civilisque societatis calamitatibus *generalia convocare Concilia, ut cum totius catholici orbis Eppis, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, collatis consiliis coniunctisque viribus* ea omnia provide sapienterque constituerent, quae ad fidei potissimum dogmata definienda, ad grassantes errores profligandos, ad catholicam propugnandam, illustrandam et evolvendam doctrinam, ad ecclesiasticam tuendam ac reparandam disciplinam, ad corruptos populorum mores corrigendos possent conducere. Iam vero omnibus compertum exploratumque est, qua horribili tempestate nunc iactetur Ecclesia, et quibus quantisque malis civilis ipsa affligatur societas. Etenim *ab acerrimis Dei hominumque hostibus Catholica Ecclesia, eiusque salutaris doctrina, et veneranda potestas, ac suprema huius Apostolicae Sedis auctoritas oppugnata, proculcata, et sacra omnia despecta, et ecclesiastica bona direpta, ac Sacrorum Antistites et spectatissimi viri divino ministerio addicti, hominesque catholicis sensibus praestantes modis omnibus divexati, et Religiosae Familiae extinctae, et impii omnis generis libri, ac pestiferae ephemerides, et multiformes perniciosissimae sectae undique diffusae, et miserae iuventutis institutio ubique fere a Clero amota, et, quod peius est, non paucis in locis iniquitatis et erroris magistris commissa.* Hinc cum summo nostro et bonorum omnium moerore et numquam satis deplorando animarum damno ubique adeo propagata est impietas, morumque corruptio, et effrenata licentia, ac pravarum cuiusque generis opinionum, omniumque vitiorum et scelerum contagio, divinarum humanarumque legum violatio, ut non solum sanctissima nostra religio, verum etiam humana societas miserandum in modum perturbetur ac divexetur. In tanta igitur calamitatum, quibus cor nostrum obruitur, mole

supremum pastorale ministerium nobis divinitus commissum exigit, ut omnes nostras magis magisque exeramus vires ad Ecclesiae reparandas ruinas, ad universi dominici gregis salutem curandam, ad exitiales eorum impetus conatusque reprimendos, qui ipsam Ecclesiam, si fieri unquam posset, et civilem societatem funditus evertere connituntur. *Nos quidem Deo auxiliante vel ab ipso supremi nostri Pontificatus exordio numquam pro gravissimi nostri officii debito destitimus pluribus nostris Consistorialibus Allocutionibus et Apostolicis literis nostram attollere vocem, ac Dei eiusque sanctae Ecclesiae causam nobis a Christo Domino concreditam omni studio constanter defendere, atque huius Apost. Sedis et iustitiae veritatisque iura propugnare, et inimicorum hominum insidias detegere, errores falsasque doctrinas damnare, et impietatis sectas proscribere, ac universi dominici gregis saluti advigilare et consulere. Verum illustribus praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes opportunum propterea esse existimavimus, in generale Concilium, quod iamdiu nostris erat in votis, cogere omnes ven. fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites*, qui in sollicitudinis nostrae partem vocati sunt. Qui quidem ven. fratres singulari in Catholicam Ecclesiam amore incensi, eximiaque erga nos et Apostolicam hanc Sedem pietate et observantia spectati, ac de animarum salute anxii, et sapientia, doctrina, eruditione praestantes, et una nobiscum tristissimam rei cum sacrae tum publicae conditionem maxime dolentes nihil antiquius habent, quam sua nobiscum communicare et conferre consilia, ac salutaria tot calamitatibus adhibere remedia. *In Oecumenico* enim *hoc Concilio ea omnia accuratissimo examine sunt perpendenda ac statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus maiorem Dei gloriam, et fidei integritatem, divinique cultus decorem, sempiternamque hominum salutem et utriusque Cleri disciplinam, eiusque salutarem solidamque culturam, atque ecclesiasticarum legum observantiam, morumque emendationem, et christianam iuventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam imprimis respiciunt.* Atque etiam intentissimo studio curandum est, *ut Deo bene iuvante omnia ab Ecclesia et civili societate amoveantur mala*, ut

miseri errantes ad rectum veritatis, iustitiae, salutisque tramitem reducantur, ut vitiis erroribusque eliminatis augusta nostra Religio eiusque salutifera doctrina ubique torrarum reviviscat, et quotidie magis propagetur et dominetur; atque ita pietas, honestas, probitas, iustitia, caritas omnesque christianae virtutes cum maxima humanae societatis utilitate vigeant et efflorescant. Nemo enim inficiari unquam poterit, *Catholicae Ecclesiae eiusque doctrinae vim non solum aeternam hominum salutem spectare, verum etiam prodesse temporali populorum bono, eorumque verae prosperitati, ordini, ac tranquillitati, et humanarum quoque scientiarum progressui ac soliditati*, veluti sacrae ac profanae historiae annales splendidissimis factis clare aperteque ostendunt, et constanter evidenterque demonstrant. Et quoniam Christus Dominus illis verbis nos mirifice recreat, reficit et consolatur: „ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum", idcirco dubitare non possumus, quin ipse in hoc Concilio nobis in abundantia divinae suae gratiae praesto esse velit, quo ea omnia statuere possimus, quae ad maiorem Ecclesiae suae sanctae utilitatem quovis modo pertinent. Ferventissimis igitur ad Deum luminum Patrem in humilitate cordis nostri dies noctesque fusis precibus, hoc Concilium omnino cogendum esse censuimus. Quamobrem *Dei ipsius Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus S. ac beatorum eius Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti et innixi, de ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium consilio et assensu sacrum oecumenicum et generale Concilium in hac alma Urbe nostra Roma futuro anno 1869 in Basilica Vaticana habendum, ac die 8 mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacra incipiendum, prosequendum, ac Domino adiuvante ad ipsius gloriam, ad universi christiani populi salutem absolvendum et perficiendum hisce literis indicimus, annuntiamus, convocamus et statuimus.* Ac proinde volumus, iubemus, omnes ex omnibus locis tam ven. fratres Patriarchas, AEppos, Eppos, quam dil. filios Abbates, omnesque alios, quibus iure aut privilegio in Conciliis Generalibus residendi, et sententias in eis dicendi facta est potestas, ad hoc oecumenicum Concilium a

nobis indictum venire debere; requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi iurisiurandi, quod nobis et huic S. Sedi praestiterunt, ac sanctae obedientiae virtute, et sub poenis iure aut consvetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, quod tamen per legitimos procuratores Synodo probare debebunt, sacro huic Concilio omnino adesse et interesse teneantur. In eam autem spem erigimur, fore, ut Deus, in cuius manu sunt hominum corda, nostris votis propitius annuens ineffabili sua misericordia et gratia efficiat, ut omnes supremi omnium populorum Principes et Moderatores, praesertim catholici, quotidie magis noscentes maxima bona in humanam societatem ex Catholica Ecclesia redundare, ipsamque firmissimum esse imperiorum regnorumque fundamentum, non solum minime impediant, quominus ven. fratres Sacrorum Antistites aliique omnes supra commemorati ad hoc Concilium veniant, verum etiam ipsis libenter faveant opemque ferant, et studiosissime, uti decet Catholicos Principes, iis cooperentur, quae in maiorem Dei gloriam, eiusdemque Concilii bonum cedere queant. (*Sequuntur consvetae Bullarum clausulae.*) Datum Romae a. 1868 tertio Kalendas Iulias.

1496. *Literae Apost. ad Eppos Eccl. ritus Orientalis communionem cum Apost. Sede non habentes, dd. 8. Sept. 1868.* Arcano Divinae Providentiae consilio, licet sine ullis meritis nostris, *in hac sublimi Cathedra haeredes Beatissimi Apostolorum Principis constituti, qui iuxta praerogativam sibi a Deo concessam firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit,* (S. Greg. Nyss.) impositi nobis oneris sollicitudine urgente, ad eos omnes in qualibet terrarum orbis regione degentes, qui christiano nomine censentur, curas nostras extendere, omnesque ad paternae caritatis amplexus excitare vehementissime cupimus et conamur. Nec vero absque gravi animae nostrae periculo partem ullam christiani populi negligere possumus, qui pretiosissimo Salvatoris nostri sangvine redemtus et sacris baptismi aquis in dominicum gregem adlectus omnem sibi vigilantiam nostram iure deposcit. Itaque cum in omnium procuraudam salutem, qui

Christum Iesum agnoscunt et adorant, studia omnia cogitationesque nostras indesinenter conferre debeamus, *oculos nostros ac paternum animum ad istas convertimus Ecclesias, quae olim unitatis vinculo cum hac Apost. Sede conglutinatae tanta sanctitatis coelestisque doctrinae laude florebant, uberesque divinae gloriae et animarum salutis fructus edebant, nunc vero per nefarias illius artes a machinationes, qui primum schisma excitavit in coelo, a communione S. Romanae Ecclesiae, quae toto orbe diffusa est, seiunctae ac divisae cum summo nostro moerore existunt. Hac sane de causa iam ab ipso supremi nostri Pontificatus exordio vobis pacis caritatisque verba toto cordis affectu loquuti sumus.* Etsi vero haec nostra verba optatissimum minime obtinuerint exitum, tamen numquam nos deseruit spes, fore, ut humiles aeque ac ferventes nostras preces propitius exaudire dignetur clementissimus ac benignissimus salutis pacisque Auctor, qui operatus est in medio terrae salutem, quique oriens ex alto pacem sibi acceptam et ab omnibus acceptandam evidenter ostendens, eam in ortu suo Angelorum ministerio bonae voluntatis hominibus nunciavit, et inter homines conversatus verbo docuit, praedicavit exemplo. (Greg. X ad Mich. Palaeol. 1272.) Iamvero cum nuper de ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium consilio *Oecumenicam Synodum* futuro anno Romae celebrandam ac die octavo mensis Decembris Immac. Deiparae V. Mariae Conceptioni sacro incipiendam indixerimus et convocaverimus, *vocem nostram ad vos rursus dirigimus, et maiore qua possumus animi nostri contentione vos obsecramus, monemus et obtestamur, ut ad eandem generalem Synodum convenire velitis, quemadmodum maiores vestri convenerunt ad Concilium Lugdunense II a rec. mem. B. Gregorio X praed. nostro habitum, et ad Florentinum Concilium a fel. record. Eugenio IV item decess. nostro celebratum, ut dilectionis antiquae legibus renovatis, et Patrum pace, coelesti illo ac salutari Christi dono, quod tempore exaruit, ad vigorem iterum revocata,* (S. Basil. ad Damas.) *post longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingratamque caliginem serenum omnibus unionis optatae iubar illucescat.* (Syn. Flor. in Bulla Eug. IV.) Atque hic sit iucundissimus benedi-

ctionis fructus, quo Christus Iesus nostrum omnium Dominus et Redemtor immaculatam ac dilectissimam sponsam suam Catholicam Ecclesiam consoletur, eiusque temperet et abstergat lacrymas in hac asperitate temporum, ut omni divisione penitus sublata, voces antea discrepantes perfecta spiritus unanimitate collaudent Deum, qui non vult schismata esse in nobis, sed ut idem omnes dicamus et sentiamus, Apostoli voce praecepit; immortalesque misericordiarum Patri semper agantur gratiae ab omnibus Sanctis suis, ac praesertim a gloriosissimis illis Ecclesiarum Orientalium antiquis Patribus et Doctoribus, cum de coelo prospiciant instauratam ac redintegratam cum hac Apost. Sede, catholicae veritatis et unitatis centro, coniunctionem, quam ipsi in terris viventes omnibus studiis atque indefessis laboribus fovere et magis in dies promovere tum doctrina tum exemplo curarunt, diffusa in eorum cordibus per Spiritum S. caritate illius, qui medium maceriae parietem solvit, ac per sanguinem suum omnia conciliavit et pacavit, qui signum discipulorum suorum in unitate esse voluit, et cuius oratio ad Patrem porrecta est: rogo ut omnes unum sint, sicut et nos unum sumus. Datum Romae die 8 Sept. 1868.

1497. *Literae Apost. ad omnes Protestantes aliosque Acatholicos dd. 13. Sept. 1868.* Iam vos omnes noveritis, nos licet immerentes ad hanc Petri Cathedram evectos, et idcirco supremo universae catholicae Ecclesiae regimini et curae ab ipso Christo Domino nobis divinitus commissae praepositos opportunum existimasse, omnes ven. fratres totius orbis Eppos apud nos vocare, et in *Oecumenicum Concilium* futuro anno concelebrandum cogere, ut cum eisdem ven. fratribus in sollicitudinis nostrae partem vocatis ea omnia consilia suscipere possimus, quae magis opportuna ac necessaria sint, tum ad dissipandas tot pestiferorum errorum tenebras, qui cum summo animarum damno ubique in dies dominantur et debacchantur, tum ad quotidie magis constituendum et amplificandum in christianis populis vigilantiae nostrae concreditis verae fidei iustitiae veraeque Dei pacis regnum. Ac vehementer confisi arctissimo et amantissimo coniunctionis foedere, quo nobis et huic Apost. Sedi iidem ven. fratres mirifice obstricti sunt, qui numquam intermiserunt omni supremi nostri Pontificatus tem-

pore splendidissima erga nos et eandem Sedem fidei, amoris et observantiae testimonia praebere, ea profecto spe nitimur, fore, ut veluti praeteritis seculis alia generalia Concilia ita etiam praesenti seculo Concilium hoc Oecumenicum a nobis indictum uberes laetissimosque divina adspirante gratia fructus emittat pro maiore Dei gloria, ac sempiterna hominum salute. Itaque in hanc spem erecti, ac D. N. I. C. qui pro universi humani generis salute tradidit animam suam, caritate excitati et compulsi, *haud possumus quin futuri Concilii occasione eos omnes apostolicis ac paternis nostris verbis alloquamur, qui etiamsi eundem Christum Iesum veluti Redemtorem agnoscant, et in christiano nomine glorientur, tamen veram Christi fidem haud profitentur, neque catholicae Ecclesiae communionem sequuntur. Atque id agimus, ut omni studio et caritate eos vel maxime moneamus, exhortemur, et obsecremus, ut serio considerare et animadvertere velint, num ipsi viam ab eodem Christo Domino praescriptam sectentur, quae ad aeternam perducit salutem.* Et quidem nemo inficiari ac dubitare potest, ipsum *Christum Iesum*, ut humanis omnibus generationibus redemtionis suae fructus applicaret, *suam hic in terris supra Petrum unicam aedificasse Ecclesiam*, i. e. unam, sanctam, catholicam, apostolicam, eique necessariam omnem contulisse potestatem, ut integrum inviolatumque custodiretur fidei depositum, ac eadem fides omnibus populis, gentibus, nationibus traderetur, ut per baptisma omnes in mysticum suum corpus cooptarentur homines, et in ipsis semper servaretur, ac perficeretur illa nova vita gratiae, sine qua nemo potest unquam aeternam mereri et assequi vitam, utque eadem Ecclesia, quae mysticum suum constituit corpus, in sua propria natura semper stabilis et immota usque ad consummationem seculi permaneret, vigeret, et omnibus filiis suis omnia salutis praesidia suppeditaret. Nunc vero *qui accurate consideret ac meditetur conditionem, in qua versantur variae et inter se discrepantes religiosae societates, seiunctae a catholica Ecclesia, quae a Christo Domino eiusque Apostolis sine intermissione per legitimos sacros suos Pastores semper exercuit, et in praesentia etiam exercet divinam potestatem sibi ab ipso Domino traditam, vel facile sibi per-*

svadere debebit, neque aliquam peculiarem, neque omnes simul coniunctas ex eisdem societatibus ullo modo constituere, et esse illam unam et catholicam Ecclesiam, quam Christus Dominus aedificavit, constituit, et esse voluit, neque membrum aut partem eiusdem Ecclesiae ullo modo dici posse, quandoquidem sunt a catholica unitate visibiliter divisae. Cum enim eiusmodi societates careant viva illa et a Deo constituta auctoritate, quae homines res fidei morumque disciplinam praesertim docet, eosque dirigit ac moderatur in iis omnibus, quae ad aeternam salutem pertinent, tum societates ipsae in suis doctrinis continenter variarunt, et haec *mobilitas ac instabilitas apud easdem societates numquam cessat.* Quisque vel facile intelligit, et clare aperteque noscit, id vel maxime adversari Ecclesiae a Christo Domino institutae, in qua veritas semper stabilis, nullique unquam immutationi obnoxia persistere debet, veluti depositum eidem Ecclesiae traditum integerrime custodiendum, pro cuius custodia Spiritus S. praesentia auxiliumque ipsi Ecclesiae fuit perpetuo promissum. Nemo autem ignorat, *ex* hisce *doctrinarum, et opinionum dissidiis socialia quoque oriri schismata, atque ex his originem habere innumerabiles communiones, et sectas, quae cum summo christianae civilisque reipublicae damno magis in dies propagantur.* Enimvero quicunque religionem veluti humanae societatis fundamentum cognoscit, non poterit non agnoscere et fateri, quantam in civilem societatem vim eiusmodi principiorum ac religiosarum societatum inter se pugnantium divisio ac discrepantia exercuerit, et quam vehementer negatio auctoritatis a Deo constitutae ad humani intellectus persvasiones regendas, atque ad hominum tum in privata, tum in sociali vita actiones dirigendas excitaverit, promoverit, et aluerit hos infelicissimos rerum ac temporum motus, et perturbationes, quibus omnes fere populi miserandum in modum agitantur et affliguntur. Quamobrem *ii omnes, qui Ecclesiae Catholicae unitatem et veritatem non tenent, occasionem amplectantur huius Concilii, quo Ecclesia Catholica, cui eorum Maiores adscripti erant, novum intimae unitatis, et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibet argumentum, ac indigentiis eorum cordis respondentes ab eo statu se eripere*

studeant, in quo de sua propria salute securi esse non possunt. Nec desinant ferventissimas miserationum Domino offerre preces, ut divisionis murum disiiciat, errorum caliginem depellat, eosque ad sinum S. Matris Ecclesiae reducat, in qua eorum Maiores salutaria vitae pascua habuere, et in qua solum integra Christi Iesu .doctrina servatur, traditur, et coelestis gratiae dispensantur mysteria. Nos quidem cum ex supremi apostolici nostri ministerii officio, nobis ab ipso Christo Domino commisso, omnes boni pastoris partes studiosissime explere, et omnes universi terrarum orbis homines paterna caritate prosequi et amplecti debeamus, tum *has nostras ad omnes christianos a nobis seiunctos literas damus, quibus eos etiam atque etiam hortamur et obsecramus, ut ad unicum Christi ovile redire festinent;* quandoquidem eorum in Christo Iesu salutem ex animo summopere optamus, ac timemus ne eidem nostro Iudici ratio a nobis aliquando sit reddenda, nisi, quantum in nobis est, ipsis ostendamus et muniamus viam ad eandem aeternam assequendam salutem. In omni certe oratione et obsecratione cum gratiarum actione numquam desistimus dies noctesque pro ipsis coelestium luminum et gratiarum abundantiam ab aeterno animarum Pastore humiliter enixeque exposcere. Et quoniam vicariam eius hic in terris licet immerito gerimus operam, idcirco errantium filiorum ad catholicae Ecclesiae sinum reversionem expansis manibus ardentissime expectamus, ut eos in coelestis Patris domum amantissime excipere, et inexhaustis eius thesauris ditare possimus. Etenim ex hoc optatissimo ad veritatis et communionis cum Catholica Ecclesia reditu non solum singulorum, sed totius etiam christianae societatis salus maxime pendet, et universus mundus vera pace perfrui non potest, nisi fiat unum ovile et unus pastor. Datum Romae die 13 Sept. 1868.

1498. *Literae Apostolicae de precibus pro Concilio Oec. fundendis et Indulgentiis eo finc concessis.* 1869. Nemo certe ignorat, *Oecumenicum Concilium* a nobis fuisse indictum in Basilica nostra Vaticana die 8 futuri mensis Decembris, Immaculatae Sanctissimaeque Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro, inchoandum. Itaque hoc potissimum tempore *numquam desistimus in humilitate cordis nostri*

ferventissimis precibus orare et obsecrare clementissimum luminum et misericordiarum Patrem, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, *ut mittat de coelis sedium suarum assistricem sapientiam, quae nobiscum sit, et nobiscum laboret, et sciamus quid acceptum sit apud eum.* Et quo facilius Deus nostris annuat votis, et inclinet aures suas ad preces nostras, *omnium Christifidelium religionem ac pietatem excitare decrevimus, ut coniunctis nobiscum precibus Omnipotentis dexterae auxilium et coeleste lumen imploremus, quo in hoc Concilio ea omnia statuere valeamus, quae ad communem totius populi christiani salutem, utilitatemque, ac maiorem Catholicae Ecclesiae gloriam et felicitatem, ac pacem maxime pertinent.* Et quoniam compertum est, gratiores Deo esse hominum preces, si mundo corde, hoc est, animis ab omni scelere integris ad ipsum accedant, iccirco hac occasione *coelestes Indulgentiarum thesauros* dispensationi nostrae commissos *Apostolica liberalitate reserare constituimus,* ut inde ad veram poenitentiam incensi et per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati ad thronum Dei fidentius accedant, eiusque misericordiam consequantur, et gratiam in auxilio opportuno. Hoc nos consilio *Indulgentiam adinstar Iubilaei Catholico orbi denunciamus.* Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa ligandi ac solvendi potestate, quam nobis Dominus licet indignis contulit, *universis ac singulis utriusque sexus Christifidelibus in alma Urbe nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui a die primo futuri mensis Iunii usque ad diem, quo Oecumenica Synodus a nobis indicta fuerit absoluta, S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris Basilicas, vel earum aliquam bis visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro omnium misere errantium conversione, pro sanctissimae fidei propagatione, et pro Ecclesiae Catholicae pace, tranquillitate, ac triumpho devote oraverint, et praeter consveta quatuor anni tempora tribus diebus, etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria, et sabbato ieiunaverint, et intra commemoratum temporis spatium peccata sua confessi*

SS. Eucharistiae Sacramentum reverenter susceperint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique devotio suggeret, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubicunque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de illorum mandato, et ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad illorum notitiam hae nostrae literae pervenerint, designandas, vel earum aliquam praefiniti temporis spatio bis visitaverint, aliaque recensita opera devote peregerint, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam, sicut in anno Iubilaei visitantibus certas Ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consvevit, tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus atque indulgemus, quae indulgentia animabus etiam, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari poterit. *(Sequuntur solitae clausulae.)* — Quapropter in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscunque Ordinariis locorum ubicunque existentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel ipsis deficientibus illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium literarum transumta aut exempla etiam impressa acceperint, illa, ubi primum pro temporum ac locorum ratione satius in Domino censuerint, per suas Ecclesias ac Dioeceses, provincias etc. publicent vel publicari faciant, populisque etiam Verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis Ecclesiam seu Ecclesias visitandas pro praesenti Iubilaeo designent. — *Praecipimus* autem, *a commemorato die primo Iunii usque ad diem, quo Oecumenica Synodus finem habuerit, ab omnibus universi catholici orbis utriusque Cleri Sacerdotibus quotidie addi in Missa orationem de Spiritu S. deque eodem S. Spiritu divinum praeter consvetam Missam Conventualem Sacrificium fieri in omnibus huius Urbis Patriarchalibus aliisque Basilicis et Collegialibus Ecclesiis, necnon in cunctis totius orbis Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis ab earum Canonicis, atque etiam in singulis cuiusque Religiosae Familiae Ecclesiis Regularium, qui Conventualem Missam celebrare tenentur, feria quaque*

quinta, qua festum duplex primae et secundae classis non agatur, quin tamen haec de Spiritu S. Missa ullam habeat applicationis obligationem. — Datum Romae die 11 Aprilis 1869.

1499. *Breve ad AEppum Westmonasteriensem de eo, quod in Concilio, ad quod Protestantes vocati sunt, locus dari haud possit novae disceptationi de iis, quae per Ecclesiam infallibiliter iam definita habentur.* Per ephemerides accepimus, Doctorem *Cumming* Scotum quaesivisse a te, num in futuro Concilio dissidentibus facienda sit potestas ea proferendi argumenta, quae suae opinioni suffragari arbitrentur; te autem respondente, id a nobis esse decernendum, ipsum hac de re ad nos scripsisse *). Verum si postulantem non latet catholicorum fides *de magisterio a Divino Servatore nostro commisso Ecclesiae suae, et de huius infallibilitate propterea in definiendis quaestionibus de dogmate et moribus:* dubitare nequibit, *quin Ecclesia ipsa pati non debeat, revocari rursum in disceptationem errores, quos sedulo expendit, iudicavit, et damnavit.* Nec aliud ei svadere possunt literae nostrae. Dum enim diximus: „Nemo inficiari ac dubitare potest, ipsum Christum Iesum, ut humanis omnibus generationibus redemtionis suae fructus applicaret, suam hic in terris supra Petrum unicam aedificasse Ecclesiam, i. e. unam sanctam catholicam apostolicam, eique necessariam omnem contulisse potestatem, ut integrum inviolatumque custodiretur

*) Epistola, quam *Cumming* Summo Pontifici scripserat, quaeve in ephemeridibus Anglicis mox vulgata fuerat, sic sonat: „Sancte Pater! Protestantes et alios ab Ecclesia Romana divisos et segregatos ad Concilium Oecumenicum invitare tibi placuit. *Gratias perfervidas agimus, et toto corde in Concilio a te indicto adesse desideramus.* Ut certior fiam, quae et quanta *libertas loquendi* nobis concedatur, pluribus epistolis ad R. D. *Manning* hoc anno literas misi. Ille Rmmus et doctissimus urbanitate plurima de hac re hisce verbis mihi rescripsit: „Responsum de modo agendi tibi dare nequeo. Hoc reddere potest sola suprema auctoritas.“ Te igitur, S. Pater, enixe et precario rogo, ut, si tibi placet, certior fiam, *utrum nobis detur in Concilio loquendi libertas, et causas reddendi, quibus inducti Protestantes ab Ecclesia Romana sunt separati et divisi.* — Sanctitatis Tuae me servum profiteor Iohannes Cumming D. D. Ecclesiae Scoticae Presbyterianus.“ (**Acta** *ex iis decerpta quae apud S. Sedem aguntur.* Romae. 1870. V. 143.)

fidei depositum, ac eadem fides omnibus populis, gentibus, nationibus traderetur," hoc ipso diximus, *extra disputationis aleam constitutum esse Primatum, non honoris tantum sed et iurisdictionis Petro eiusque successoribus ab Ecclesiae institutore collatum. Atqui in hoc nimirum cardine tota quaestio versatur inter catholicos et dissentientes quoscunque, et ex hoc dissensu veluti e fonte omnes acatholicorum errores dimanant.* Cum enim eiusmodi societates careant viva illa et a Deo constituta auctoritate, quae homines res fidei morumque disciplinam praesertim docet, eosque dirigit ac moderatur in iis omnibus quae ad aeternam salutem pertinent: tum societates ipsae in suis doctrinis continenter variarunt, et haec mobilitas atque instabilitas apud easdem societates numquam cessat. Sive ergo qui te interrogavit, sententiam consideret, quam de infallibilitate iudicii sui in definitione rerum spectantium fidem et mores tenet Ecclesia, sive quae nos de non revocando in dubium Petri Primatu et magisterio scripsimus: intelliget illico, *nulli damnatorum errorum patrocinio locum esse posse in Concilio, nec nos acatholicos invitare potuisse ad disceptandum, sed duntaxat ut occasionem amplectantur huius Concilii, quo Ecclesia Catholica, cui eorum maiores adscripti erant, novum intimae unitatis et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibet argumentum, ac indigentiis eorum cordis respondentes ab eo statu se eripere studeant, in quo de sua propria salute securi esse non possunt.* Si ipsi divina gratia afflante proprium discrimen percipiant, si toto corde Deum quaerant, facile abiicient praeconceptam quamvis adversam opinionem, et omni statim disceptandi cupidine deposita redibunt ad Patrem, a quo iam diu infeliciter discesserunt. Nos autem laeti occurremus ipsis, eosque paterna caritate complexi, gaudebimus, Ecclesiam universam gratulari nobis, quod filii nostri, qui mortui erant, revixerint, et qui perierant, sint inventi. Id certe a Deo poscimus enixe; et tu, ven. frater, preces tuas iunge nostris. Interim vero divini favoris auspicem et praecipuae nostrae benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae, die 4. Sept. 1869.

1500. *Alterum Breve in eodem merito ad eundem.* Cum in literis ad te, ven. frater, datis die 4 Sept. praeteriti

dixerimus *revocanda non esse in dubium, quae ab Oecumenico Concilio iam expensa fuerunt et iudicata*, nullique propterea damnatorum errorum patrocinio locum esse posse in novo Concilio, *nosque idcirco nequivisse acatholicos invitare, ad disceptandum: discimus aliquot e dissentientibus sic ea verba intellexisse, ut omnem sibi praeclusam existimarent viam ad exponendas difficultates, quibus detinentur, ne ad catholicas partes accedant, interceptumque sibi ferme censeant ad nos aditum.* Adeo vero nos, qui licet immerentes illius vices gerimus in terris, qui venit salvum facere quod perierat, absumus ab iis quoquo modo repellendis, ut imo occurramus ipsis, nihilque votis intensioribus expetamus, quam ut revertenti cuilibet paterno affectu brachia protendere possimus. *Nec unquam certe silentium illis indicere voluimus, qui prava institutione decepti putantesque se recte sentire, dissensum suum a nobis validis inniti argumentis arbitrentur, quae propterea a sapientibus prudentibusque serio expendi desiderent.* Licet enim id fieri nequeat in Concilio, *viri* tamen *divinarum rerum periti a nobis designandi ipsis non deerunt, quibus mentem suam aperire possint, omniaque rationum momenta sententiae suae fidenter exponere, ut ex ipso disceptationis, solo veritatis assequendae studio institutae, conflictu uberiori luce perfundi valeant, qua ad illam perducantur.* Utinam id plurimi sibi proponant, bonaque fide exequantur: cum id contingere nequeat sine magno ipsorum ceterorumque proventu. Ipsorum quidem, quia Deus requirentibus se toto corde faciem suam ostendet, iisdemque praestabit quod cupiunt; aliorum vero, tum quia praestantium virorum exemplum efficacia sua carere non poterit, tum etiam quia isti quo maiore diligentia et labore veritatis beneficium sibi compararunt, eo impensiore studio beneficium idem ad ceteros porrigere nitentur. Dum autem faustissimum hunc successum a divina clementia poscimus enixe, excipe ven. frater apost. bened. etc. Datum Romae die 30 Oct. 1869. — (**Civilta Cattolica.** Roma. 1869. VII. 8. p. 219. 608.)

1501.

Pii IX P. M. Constitutio, qua **Censurae latae sententiae limitantur**. 1869.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione svadeat, eadem Ap. Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo nostro iampridem revolveremus, *ecclesiasticas censuras,* quae per modum *latae sententiae ipsoque facto incurrendae* ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, *magnum ad numerum sensim excrevisse*; quasdam etiam temporibus moribusque mutatis a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae: nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, *plenam earumdem recensionem fieri, nobisque proponi iussimus, ut diligenti adhibita consideratione statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret.* Ea igitur recensione peracta, ac ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis fidei Generalibus Inquisitoribus per universam christianam rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione nostra, deque Apostolicae nostrae potestatis plenitudine *hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis sive suspensionis sive interdicti, quae per*

modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

I. **Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.** Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus: 1. Omnes a christiana fide *apostatas*, et omnes ac singulos *haereticos*, quocunque nomine censeantur, et cuiuscunque sectae existant, eisque *credentes*, eorumque *receptores*, *fautores*, ac generaliter quoslibet illorum *defensores*. 2. Omnes et singulos scienter *legentes* sine auctoritate Sedis Ap. *libros* eorumdem *apostatarum et haereticorum* haeresim propugnantes, necnon *libros* cuiusvis auctoris per Apost. literas nominatim *prohibitos*, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes. 3. *Schismaticos*, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt. 4. Omnes et singulos cuiuscunque status gradus seu conditionis fuerint, *ab ordinationibus seu mandatis Rom. Pontificum* pro tempore existentium *ad universale futurum Concilium appellantes*, necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit. 5. Omnes *interficientes*, *mutilantes*, *percutientes*, *capientes*, *carcerantes*, *detinentes*, *vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales*, *Patriarchas*, *AEppos*, *Eppos*, *Sedisque Ap. Legatos vel Nuntios*, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicientes, necnon ea mandantes, vel ratahabentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, vel favorem. 6. *Impedientes* directe vel indirecte *exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ab hoc recurrentes ad forum seculare* eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes. 7. *Cogentes* sive directe sive indirecte *iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas* praeter canonicas dispositio-

nes; item *edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.* 8. *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede Ap. vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis* quibuscunque *profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes,* aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes. 9. Omnes *falsarios literarum Apost.* etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom. Pontificis signatarum; necnon *falso publicantes literas Apost.* etiam in forma Brevis, et etiam *falso signantes supplicationes* huiusmodi sub nomine R. P. seu Vice-Cancellarii aut gerentis vices praedictorum. 10. *Absolventes complicem in peccato turpi* etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non approbatus ad confessiones sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem. 11. *Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiastieas* ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum *pertinentes.* 12. *Invadentes, destruentes, detinentes* per se vel per alios *Civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia;* vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis, necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes. A quibus omnibus excomm. hucusque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris sive excomm. Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscunque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscunque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate etiam quovis praetextu excomm. vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

II. **Excōmmunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.** Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus: 1. *Docentes vel defendentes* sive publice sive privatim *propositiones ab Ap. Sede damnatas sub excomm. poena latae sententiae;* item *docentes* vel *defendentes tamquam licitum praxim inquirendi a poenitente nomen complicis,* prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Iul. 1745; *Ubiprimum* 2 Iun. 1746; *Ad eradicandum* 28 Sept. 1746. 2. *Violentas manus svadente diabolo iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus monachos*, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Eppus aut alius absolvat. 3. *Duellum* perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices vel qualemcunque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel, quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. 4. Nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcunque praestantes, earumve occultos corypheos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint. 5. Immunitatem *asyli ecclesiastici* violare iubentes, aut ausu temerario violantes. 6. *Violantes clausuram Monialium*, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam. 7. *Mulieres violantes Regularium virorum clausuram,* et Superiores aliosve eas admittentes. 8. *Reos simoniae realis* in beneficiis quibuscunque, eorumque complices. 9. *Reos simoniae confidentialis* in beneficiis quibuslibet, cuiuscunque sint dignitatis. 10. *Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.* 11. Omnes, qui *quaestum facientes ex indulgentiis* aliisque gratiis spiritualibus excomm. censura plectuntur Const. S. Pii V *Quam plenum* 2. Ian. 1569. 12. *Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis*, et ex iis lucrum captan-

tes, faciendo eas celebrari in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent. 13. Omnes, qui excomm. mulctantur in Const. S. Pii V *Admonet nos* IV Kal. Apr. 1567, Innocentii IX *Quae ab hac Sede* prid. Non. Nov. 1591, Clementis VIII *Ad Rom. Pont. curam* 26 Iun. 1592, et Alexandri VII *Inter ceteras* IX Kal. Nov. 1660, *alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E.* respicientibus. 14. *Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacr. Extr. Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare* absque Parochi licentia. 15. *Extrahentes* absque legitima venia *reliquias ex sacris cocmeteriis sive Catacumbis Urbis Romae* eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes. 16. *Communicantes cum excommunicato* nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem. 17. *Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis*, et ipsos in officiis recipientes.

III. **Excommunicationes latae sententiae Eppis sive Ordinariis reservatae.** His subiacere declaramus: 1. *Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes:* necnon omnes cum aliqua e praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes. 2. *Procurantes abortum* effectu sequuto. 3. *Literis apost. falsis scienter utentes*, vel crimini ea in re cooperantes.

IV. **Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.** 1. *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.* 2. *Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores*, denunciantes, testes, aliosque ministros S. officii, eiusve sacri tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes. 3. *Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica* absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de reb. eccl. non alien. 4. *Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia* in quibuslibet casibus expressis a praed. nostris Gregorio XV Const.

Universi 20 Aug. 1622, et Benedicto XIV Const. *Sacramentum Poenitentiae* 1 Iun. 1741. Praeter hos hactenus recensitos *eos quoque, quos SS. Conc. Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit*, nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in decreto Sess. IV de edit. et usu SS. Libr. constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.

V. **Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.** 1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis *Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem reciperent Eppos aliosve Praelatos* de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, *antequam ipsi exhibuerint literas apost. de sua promotione.* 2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem *ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii* cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. 3. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt *ordinantes alienum subditum* etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut iam collati, sed minime sufficientis, *absque eius Eppi literis dimissorialibus,* vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci literis testimonialibus. 4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, *qui excepto casu legitimi privilegii ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in quae solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.* 5. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt *Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.* 6. Suspensionem ab ordine suscepto ipso iure incurrunt, *qui eundem Ordinem recipere praesumserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio:* eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium

non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus. 7. *Clerici seculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii,* vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario, posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; necnon Clerici pertinentes ad aliquem e sex Eppatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Eppi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

VI. **Interdicta latae sententiae reservata.** 1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt *Universitates, Collegia et Capitula,* quocunque nomine nuncupentur, *ab ordinationibus seu mandatis eiusdem R. P. pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.* 2. *Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato Iudice, vel a iure interdictis,* aut nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contemserunt, competenter satisfecerint. Denique quoscunque alios SS. Conc. Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excomm. sive susp. sive interdicti nostris aut praed. nostr. constitutionibus aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Rom. Pont. electione, sive pro interno regimine quorumcunque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcunque Collegiorum, Congregationum, coetuum, locorumque piorum cuiuscunque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus. Ceterum decernimus, in no-

vis quibuscunque concessionibus ac privilegiis, quae ab Ap. Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates sive a praed. nostris sive a nobis cuilibet coetui — concessae fuerint, ea omnia easque omnes nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus etc. *(Sequuntur consvetae clausulae.)* Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Trid. Synodo Eppis concessam Sess. XXIV. c. 6. de ref. in quibuscunque censuris Ap. Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Ap. Sedi speciali modo reservatas declaravimus. — Datum Romae a. 1869 quarto Idus Octobris.

1502.

Constitutio **de Ordine in celebratione Concilii** servando. 1869.

Pius Papa IX. Multiplices inter, quibus divexamur, angustias ad divinae clementiae, quae consolatur nos in omni tribulatione nostra, (2 Cor. 1, 4.) gratias persolvendas maxime excitamur, qua propitiante illud celeriter nobis continget, ut *sacrosanctum generale et oecumenicum Concilium Vaticanum* iam a nobis ea adspirante indictum feliciter auspicemur. *Gaudium* autem *in Domino iure praecipimus, quod salutares eiusdem Concilii conventus solemni die Immaculatae Dei Matris Mariae semper Virginis Conceptioni sacro, atque adeo sub potentibus maternisque auspiciis eius aggressuri sumus, eosque in Vaticana nostra Basilica inituri ante Beatissimi Petri cineres, qui in accepta fortitudine Petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit, et in quo omnium Pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat.* (Leo PP. serm. 2. in ann. ass. suae.) Iamvero memores hoc oecum. Concilium a nobis

convocatum fuisse, ut exstirpandis erroribus, quos praesertim huius seculi conflavit impietas, removendis malis, quibus Ecclesia affligitur, emendandis moribus et utriusque Cleri disciplinae instaurandae coniuncta nobiscum sacrorum Ecclesiae Antistitum adhibeatur opera, ac probe noscentes, quo studio intentaque sollicitudine curare debeamus, *ut ea omnia, quae ad rectam rationem tam salutaris negotii gerendi tractandi ac perficiendi pertinent, ex sancta maiorum disciplina institutisque statuantur*, idcirco *apostolica nostra auctoritate ea, quae sequuntur, decernimus, atque ab omnibus in hoc Vaticano Concilio servanda esse praecipimus.*

I. **De modo vivendi in Concilio.** Reputantes animo, quod omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, (Iac. 1, 17.) quodque nihil coelestis Patris benignitati pronius est, quam ut det spiritum bonum petentibus se, (Luc. 11, 13.) iam nos, dum *apostolicis nostris literis die 11 Apr. hoc anno datis Ecclesiae thesauros SS. huius Concilii occasione Christifidelibus reseravimus,* non solum *eosdem Christifideles vehementer hortati sumus, ut emundantes conscientiam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi,* (Hebr. 9, 14.) *orationibus, ieiuniis aliisque pietatis actibus insistere velint:* sed etiam *divini Spiritus lumen et opem in SS. Missae sacrificio celebrando quotidie in universo orbe catholico implorari mandavimus,* ad prosperum a Domino huic Concilio exitum, et salutares ex eo Ecclesiae sanctae fructus impetrandos. *Quas* quidem *adhortationes et praescriptiones modo renovantes et confirmantes, id praeterea iubemus, ut in huius almae Urbis nostrae Ecclesiis ss. Synodo perdurante singulis diebus Dominicis hora, quae pro fideli populo magis congrua videatur, Litaniae aliaeque orationes ad hunc finem constitutae recitentur.* At longe his maius aliquid et excellentius ab *Eppis aliisque, qui in Sacerdotali ordine censentur, hoc Concilium concelebrantibus* praestandum est, quos uti ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei oportet in omnibus seipsos praebere exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum di-

cere de nobis. (Tit. 2, 7.) Quare *veterum Conciliorum ac Tridentini nominatim vestigiis inhaerentes hortamur illos omnes in Domino, ut orationi, sacrae lectioni, coelestium rerum meditationibus pro sua cuiusque pietate studiose intendant; ut pure casteque sancto Missae sacrificio quam fieri possit frequenter operentur; animum mentemque ab humanarum rerum curis immunem servent; modestiam in moribus, in victu temperantiam, et in omni actione religionem retineant.* Absint animorum dissidia, absit prava aemulatio et contentio, sed omnibus imperet, quae inter ceteras virtutes eminet caritas, ut illa dominante et incolumi de hoc sacro Epporum Ecclesiae conventu dici possit: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. (Ps. 132, 1.) *Evigilent* demum *Patres in domesticorum suorum cura, et christianae ab eis sanctaeque vitae disciplina exigenda*, memores quam gravibus verbis Paulus Apostolus praecipiat Eppis, ut sint suae domui bene praepositi. (1 Tim. 3, 4.)

II. **De iure et modo proponendi.** *Licet ius et munus proponendi negotia, quae in Sancta Oec. Synodo tractari debebunt, de iisque Patrum sententias rogandi nonnisi ad nos et ad hanc Apost. Sedem pertineat, nihilominus non modo optamus, sed etiam hortamur, ut si qui inter Concilii Patres aliquid proponendum habuerint, quod ad publicam utilitatem conferre posse existiment, id libere exequi velint.* Cum vero probe perspiciamus hanc ipsam rem, nisi congruo tempore et modo perficiatur, non parum necessario conciliarium actionum ordini officere posse, idcirco statuimus eiusmodi propositiones ita fieri debere, ut earum quaelibet 1. scripto mandetur ac peculiari *Congregationi nonnullorum tum ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium tum Synodi Patrum a nobis deputandae* privatim exhibeatur; 2. publicum rei christianae bonum vere respiciat, non singularem duntaxat unius vel alterius Dioecesis utilitatem; 3. rationes contineat, ob quas utilis et opportuna censetur; 4. nihil praeseferat, quod a constanti Ecclesiae sensu eiusque inviolabilibus traditionibus alienum sit. Peculiaris praedicta Congregatio propositiones sibi exhibitas diligenter expendet, suumque circa earum admissionem vel exclusionem consilium nostro iudicio submittet, ut nos

deinde matura consideratione de iis statuamus, utrum ad Synodalem deliberationem deferri debeant.

III. **De Secreto servando in Concilio.** Prudentiae hic ratio nos admonet, ut secreti fidem, quae in superioribus Conciliis non semel adiunctorum gravitate exigente indicenda fuit, in universa huius Concilii actione servandam iubeamus. Si enim unquam alias, *hoc maxime tempore haec cautio necessaria visa est, quo in omnem occasionem excubat invidiae conflandae contra Catholicam Ecclesiam eiusque doctrinam pluribus nocendi opibus pollens impietas.* Quapropter *praecipimus omnibus et singulis Patribus, Officialibus Concilii, Theologis, Sacrorum Canonum peritis, ceterisque qui operam suam Patribus vel Officialibus praedictis quovis modo in rebus huius Concilii praebent, ut decreta et alia quaecunque, quae iis examinanda proponentur, necnon discussiones et singulorum sententias non evulgent, nec alicui extra gremium Concilii pandant;* praecipimus pariter, ut *Officiales Concilii*, qui Eppali dignitate praediti non sunt, aliique omnes, qui ratione cuiusvis demandati a nobis ministerii conciliaribus disceptationibus inservire debent, *iuramentum emittere teneantur de munere fideliter obeundo, et de secreti fide servanda* circa ea omnia, quae supra praescripta sunt, necnon super iis rebus, quae specialiter ipsis committentur.

IV. **De ordine sedendi et de non inferendo alicui praeiudicio.** Cum ad tranquillitatem concordiamque animorum tuendam non parum momenti habeat, si in quibuslibet conciliaribus actibus unusquisque suae dignitatis ordinem fideliter ac modeste custodiat: hinc ad offensionum occasiones, quoad eius fieri possit, praecidendas infrascriptum ordinem inter diversas dignitates servari praescribimus. *Primum locum obtinebunt ven. fr. nostri S. R. E. Cardinales* Eppi, Presbyteri, Diaconi; *secundum Patriarchae; tertium ex speciali nostra indulgentia Primates* iuxta ordinem suae promotionis ad Primatialem gradum. Id autem pro hac vice tantum indulgemus, atque ita, ut ex hac nostra concessione nullum ius vel ipsis Primatibus datum, vel aliis imminutum censeri debeat. *Quartum locum tenebunt AEppi* iuxta suae ad AEppatum promotionis ordinem; *quintum Eppi* pariter iuxta ordinem

promotionis suae; *sextum Abbates nullius dioecesis; septimum Abbates Generales, aliique Generales Moderatores Ordinum Religiosorum*, in quibus solemnia vota nuncupantur, etiamsi Vicarii Generalis titulo appellentur, dum tamen reipsa cum omnibus supremi moderatoris iuribus et privilegiis universo suo ordini legitime praesunt. Ceterum ex superiorum Conciliorum disciplina institutoque decernimus, quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententias etiam sub verbo „Placet" proferre, Congregationibus interesse, et alios quoscunque actus facere, Concilio durante, nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur.

V. **De Iudicibus excusationum et querelarum.** Quo graviorum rerum pertractatio, quae in hac SS. Synodo agi gerive debent, minus quam fieri possit, impediatur, aut retardetur ob cognitionem causarum, quae singulos respiciunt: *statuimus, ut ipsa Synodus per schedulas secretas quinque ex Concilii Patribus eligat in Iudices excusationum*, quorum erit procurationes et excusationes Praelatorum absentium, necnon eorum postulata, qui Concilio nondum dimisso iustam discedendi causam se habere putaverint, excipere, atque ad normam conciliaris disciplinae et ss. canonum expendere: quod cum fecerint, non quidquam de hisce rebus decernent, sed de omnibus ad Congregationem Generalem ordine referent. Praeterea *statuimus, ut eadem Synodus pariter per schedulas secretas alios quinque ex Patribus eligat, in Iudices querelarum et controversiarum.* Hi porro controversias omnes circa ordinem sedendi vel ius praecedendi, aliasque, si quae forte inter congregatos oriantur, iudicio summario atque oeconomice, ut aiunt, ita componere studebunt, ut nulli praeiudicium inferatur, et quatenus componere nequeant, eas Congregationis Generalis auctoritati subiicient.

VI. **De Officialibus Concilii.** Quod vero et illud magni refert, ut necessarii ac idonei ministri et officiales iuxta conciliarem consvetudinem et disciplinam omnibus in hac Synodo actibus rite et legitime perficiendis designentur, nos huiusmodi ministeriorum rationem habentes, infrascriptos viros ad ea deligimus et nominamus, scilicet 1. *Generales Concilii custodes* dil. filios „Ioannem Columna, et Dominicum Orsini" Romanos

Principes Pontificio nostro Solio assistentes. 2. *Concilii Secretarium* ven. fratrem „Iosephum Eppum S. Hippolyti“, eique adiicimus cum officio et titulo *Subsecretarii* dil. filium „Ludovicum Iacobini“ e nostris et huius Ap. Sedis Protonotariis, necnon *adiutores* dil. filios, Canonicos „Camillum Santori et Angelum Iacobini.“ 3. *Concilii Notarios* dil. filios „Lucam Pacifici, Aloysium Colombo, Ioannem Simeoni, Aloysium Pericoli, et Dominicum Bartolini“ nostros et huius Ap. Sedis Protonotarios, eisque adiungimus dil. filios „Salvatorem Pallottini et Franciscum Santi“ Advocatos, qui Notariis eisdem adiutricem operam navent. 4. *Scrutatores suffragiorum* dil. filios „Aloysium Serafini et Franciscum Nardi“ causarum Palatii nostri Apostolici Auditores etc. (alii 6.) Hi autem octo Scrutatores in quatuor distincta paria distributi ita ad excipienda suffragia procedent, ut bina paria unum conciliaris Aulae latus, totidemque alterum obeant, ac praeterea singula paria singulos ex Notariis secum habere debebunt, dum in munere fungendo versantur. 5. *Promotores Concilii* dil. fil. „Ioannem B. de Dominicis-Tosti et Philippum Ralli“ S. Consistorii Advocatos. 6. *Magistros Ceremoniarum Concilii* dil. fil. „Aloysium Ferrari“ Antistitem nostrum domesticum Praefectum etc. (alii 14.) 7. *Assignatores locorum.* (10.)

VII. **De Congregationibus Generalibus Patrum.** Ad ea modo curam convertentes, quae Congregationum generalium ordinem respiciunt, *statuimus ac decernimus*, *ut* iisdem *Patrum Congregationibus*, *quae publicis Sessionibus praemittuntur*, *quinque ex ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus nostro nomine et auctoritate praesint*, et ad hoc munus eligimus et nominamus ven. fr. nostrum „Carolum S. R. E. Card. Eppum Sabinensem de Reisach“, dil. fil. nostros S. R. E. Presbyteros Cardinales „Antonium de Luca, Iosephum Andream Bizzarri, Aloysium Bilio“, et dil fil. nostrum „Hannibalem S. R. E. Cardinalem Diaconum Capalti.“ Hi autem *Praesides* praeter alia, quae ad aptam horum Conventuum moderationem spectant, curabunt, ut in rebus pertractandis initium fiat a disceptatione eorum, quae ad fidem pertinent; deinde integrum ipsis erit consultationes in fidei vel disciplinae capita conferre, prout opportunum iudicaverint. *Cum* vero *nos iam inde a*

tempore, quo apostolicas literas ad hoc Concilium indicendum dedimus, viros Theologos et Ecclesiastici Iuris Consultos ex variis catholici orbis regionibus in hanc almam Urbem nostram evocandos curaverimus, ut una cum aliis huius Urbis et earundem disciplinarum peritis viris rebus apparandis darent operam, quae ad huius Generalis Synodi scopum pertinent, atque ita expeditior via in rerum tractatione Patribus patere posset: hinc volumus et mandamus, ut Schemata decretorum et canonum ab iisdem viris expressa et redacta, quae nos, nulla nostra approbatione munita, integra integre Patrum cognitioni reservavimus, iisdem Patribus in Congregationem Generalem collectis ad examen et iudicium subiiciantur. Itaque curantibus memoratis Praesidibus aliquot ante dies, quam Congregatio Generalis habeatur, decretorum et canonum Schemata, de quibus in Congregatione indicta agendum erit, typis impressa singulis Patribus distribuentur, quo interim illa diligenti consideratione in omnem partem expendant, et quid sibi sententiae esse debeat, accurate pervideant. Si quis Patrum de Schemate proposito sermonem in Congregatione ipsa habere voluerit, ad debitum inter oratores ordinem pro cuiusque dignitatis gradu servandum opus erit, ut saltem pridie diei Congregationis ipsius Praesidibus suum disserendi propositum significandum curat. Auditis autem istorum Patrum sermonibus, si alii etiam post eos in Conventu ipso disserere voluerint, hoc iisdem fas erit, obtenta prius a Praesidibus dicendi venia, et eo ordine, quem dicentium dignitas postulaverit. Iamvero si in ea, quae habetur, Congregatione schema vel nullas, vel nonnisi leves difficultates in ipso congressu facile expediendas obtulerit, tunc nihil morae erit, quominus disceptationibus compositis decreti vel canonis conciliaris, de quo agitur, formula rogatis Patrum suffragiis statuatur. Sin autem circa Schema praedictum huiusmodi oriantur difficultates, ut sententiis in contraria conversis via non suppetat, qua in ipso conventu componi possint, tum ea ratio ineunda erit, quam heic infra statuimus, ut stabili et opportuno modo huic rei provideatur. *Volumus* itaque, *ut ab ipso Concilii exordio quatuor speciales ac distinctae Patrum Congregationes seu Deputationes instituantur, quarum prima*

de rebus ad fidem pertinentibus, altera de rebus disciplinae ecclesiasticae, tertia de rebus Ordinum Regularium, quarta demum de rebus ritus Orientalis Concilio perdurante cognoscere et tractare debebit. Quaevis ex praedictis Congregationibus seu Deputationibus numero Patrum quatuor et viginti constabit, qui a Concilii Patribus per schedulas secretas eligentur. Unicuique ex iisdem Congregationibus seu Deputationibus praeerit unus ex ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus a nobis designandus, qui ex Conciliaribus Theologis vel Iuris Canonici peritis unum aut plures in commodum suae Congregationis seu Deputationis adsciscet, atque ex iis unum constituet, qui Secretarii munere eidem Congregationi seu Deputationi operam navet. Igitur si illud contigerit, quod supra innuimus, ut nimirum in generali Congregatione quaestio de proposito schemate exorta dirimi non potuerit, tum Cardinales eiusdem Generalis Congregationis Praesides curabunt, ut schema, de quo agitur, una cum obiectis difficultatibus examini subiiciatur illius ex specialibus Deputationibus, ad quam iuxta assignata cuique rerum tractandarum genera pertinere intelligitur. Quae in hac peculiari Deputatione deliberata fuerint, eorum relatio typis edita Patribus dirigenda erit iuxta methodum a nobis superius praescriptam, ut deinde in proxima Congregatione Generali, si nihil amplius obstiterit, rogatis Patrum suffragiis decreti vel canonis conciliaris formula condatur. Suffragia autem a Patribus oretenus edentur, ita tamen, ut ipsis integrum sit etiam de scripto illa pronunciare.

VIII. **De Sessionibus Publicis.** Publicarum nunc Sessionum celebratio exigit, ut rebus et actionibus in ea rite dirigendis congrua ratione consulamus. Itaque in unaquaque publica Sessione considentibus suo loro et ordine Patribus, servatisque ad amussim ceremoniis, quae in rituali instructione iisdem Patribus de mandato nostro tradenda continentur, de suggestu decretorum et canonum formulae in superioribus Congregationibus generalibus conditae voce sublata et clara iussu nostro recitabuntur, eo ordine, ut primum Canones de dogmatibus fidei, deinde decreta de disciplina pronuncientur, et ea adhibita solemni tituli praefatione, qua Praedecessores nostri in eiusmodi Conciliari actione uti consveverunt, nempe *Pius Ep-*

pus servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam. Tunc vero rogabuntur Patres, an placeant Canones et decreta perlecta; ac statim procedent Scrutatores suffragiorum iuxta methodum superius constitutam, ad suffragia singillatim et ordine excipienda, eaque accurate describent. Hac autem in re declaramus suffragia pronunciari debere in haec verba: *placet* aut *non placet;* ac simul edicimus, *minime fas esse a Sessione absentibus quavis de causa suffragium suum scripto consignatum ad Concilium mittere.* Iamvero suffragiis collectis Concilii Secretarius una cum supradictis Scrutatoribus penes Pontificalem nostram Cathedram iis accurate dirimendis ac numerandis operam dabunt, ac de ipsis ad nos referent: *nos* deinde *supremam nostram sententiam edicemus*, eamque enunciari et promulgari mandabimus, hac adhibita solemni formula: *Decreta modo lecta placuerunt omnibus Patribus, nemine dissentiente;* vel (si qui forte dissenserint) *tot numero exceptis; nosque, sacro approbante Concilio, illa ita decernimus statuimus atque sancimus, ut lecta sunt.* Hisce autem omnibus expletis erit Promotorum Concilii rogare Protonotarios praesentes, ut de omnibus et singulis in Sessione peractis unum vel plura instrumentum vel instrumenta conficiantur. Denique die proximae Sessionis de mandato nostro indicta Sessionis conventus dimittetur.

IX. **De non discedendo a Concilio.** Universis porro Concilii Patribus, aliisque, qui eidem interesse debent, praecipimus sub poenis per ss. Canones indictis, ut ne quis eorum, antequam sacrosanctum hoc generale et oecumenicum Concilium Vaticanum rite absolutum et a nobis dimissum sit, discedat, nisi discessionis causa iuxta normam superius definitam cognita et probata fuerit, ac impetrata a nobis abeundi facultas.

X. **Indultum Apostolicum de nonresidentia pro iis, qui Concilio intersunt.** Cum ii omnes, qui Conciliaribus actionibus interesse tenentur, ea in re universali Ecclesiae deserviant, praedecessorum nostrorum etiam exemplum sequuti, (Paul. III Brevi 1 Ian. 1546, Pius IV Brevi 25 Nov. 1561.) apostolica benignitate indulgemus, ut tum Praesules aliique

suffragii ius in hoc Concilio habentes, tum ceteri omnes eidem Concilio operam quovis titulo impendentes, suorum beneficiorum fructus, reditus, proventus, ac distributiones quotidianas percipere possint, iis tantum distributionibus exceptis, quae *inter praesentes* fieri dicuntur; idque concedimus Synodo perdurante, et donec quisque eidem adsit aut inserviat.

Haec volumus atque mandamus, decernentes has nostras literas et in eis contenta quaecunque in proximo SS. Generali et oecumenico Concilio Vaticano ab omnibus et singulis, ad quos spectat, respective et inviolabiliter observari debere. — Datum Romae die 27 Nov. 1869. — N. Card. Paracciani-Clarelli.

1503.

Pii IX Constitutio de electione Romani Pontificis, si contingat Sedem apostolicam vacare durante Concilio Oecumenico. 1869.

Pius Eppus etc. Cum Romanis Pontificibus in B. Petro Apostolorum Principe *pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plena potestas* tradita fuerit: pax et unitas ipsius Ecclesiae in grave discrimen facile adducerentur, *si Apostolica Sede vacante in electione novi Pontificis quidquam fieri contingeret, quod eam incertam ac dubiam reddere posset.* Ad tam funestum periculum avertendum plures a Romanis Pontificibus decessoribus nostris, ac praesertim a fel. rec. Alexandro III in Gen. Concilio Lateranensi III, (Cap. *Licet* de Elect.) a B. Gregorio X in Gen. Conc. Lugdunensi II, (Cap. *Ubi* de Elect. n. b.) a Clemente V (Clem. II de Elect.), a Gregorio XV (Const. *Decet Rom. Pont.*), ab Urbano VIII (Const. *Ad Rom. Pontificis* V Kal. Febr. 1635), et a Clemente XII (Const. *Apostolatus* IV Non. Oct. 1732) editae sunt Constitutiones, quibus dum multa alia praescribuntur, ut negotium tanti momenti rite recteque expe-

diatur, generatim et absque ulla exceptione declaratur ac decernitur: *electionem Summi Pontificis ad S. R. E. Cardinalium Collegium unice vel exclusive spectare.* Haec nos animo recolentes, cum Oecumenicum et Generale Concilium Vaticanum per Apost. Literas, quae incipiunt *Aeterni Patris* III Kal. Iulias a. 1868 a nobis indictum, in eo iam sit, ut solemniter initietur, *Apostolici nostri muneris esse ducimus, quamcunque occasionem discordiarum et dissensionum circa electionem Summi Pontificis praevenire ac praecidere, si divinae voluntati placuerit, nos eodem Concilio perdurante ex hac mortali vita migrare.* Quapropter exemplo permoti fel. rec. Iulii II dec. nostri, de quo compertum ex historia est, (Raynald. Ann. Eccl. ad a. 1513. n. 7.) tempore Gen. Concilii Lateran. V lethali morbo correptum Cardinales coram se convocasse, ac de legitima Successoris sui electione sollicitum illis adstantibus edixisse, hanc non a praedicto Concilio, sed ab eorum tantum Collegio esse perficiendam, prout reapse memorati Iulii sequuta morte factum fuisse constat; atque exemplo insuper excitati aliorum decessorum nostrorum, item fel. rec. Pauli III, et Pii IV, quorum primus apost. literis datis III Kal. Dec. a. 1544, alter vero similibus literis datis X Kal. Oct. 1561 casum mortis suae praevidentes, cum Tridentina Synodus celebraretur, decreverunt, eiusmodi casu occurrente electionem novi Pontificis nonnisi a S. R. E. Cardinalibus esse faciendam, exclusa prorsus quacunque memoratae Synodi participatione; atque insuper de his habita cum nonnullis ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione et diligenti examine, ex certa scientia nostra, motu proprio ac de Apost. potestatis plenitudine *declaramus, decernimus, atque statuimus, quod, si placuerit Deo, mortali nostrae peregrinationi praedicto Gen. Concilio Vaticano perdurante finem imponere, electio novi Summi Pontificis, in quibuscunque statu et terminis Concilium ipsum subsistat, nonnisi per S. R. E. Cardinales fieri debeat, minime vero per ipsum Concilium, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuscunque aliis personis, cuiusvis, licet ipsius Concilii auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos.* Quinimo ut in eiusmodi electione memorati Car-

dinales omni prorsus impedimento submoto et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius et expeditius procedere queant, de eadem scientia et apostolicae potestatis plenitudine illud praeterea *decernimus atque statuimus, ut, si praedicto Vaticano Concilio perdurante nos decedere contigerit, idem Concilium, in quibuscunque statu et terminis existat, illico et immediate suspensum ac dilatum intelligatur, quemadmodum per nostras has literas illud nunc pro tunc suspendere atque in tempus infra notandum differre intendimus, adeo ut nulla prorsus interiecta mora cessare statim debeat a quibuscunque conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob qualemcunque causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex a Sacro Cardinalium Collegio canonice electus suprema sua auctoritate Concilii ipsius reassumtionem et prosequutionem duxerit intimandam.* Opportunum autem censentes, ut, quae occasione praedicti Concilii Vaticani hactenus ordinavimus, tum quoad Summi Pontificis electionem, tum quoad eiusdem Concilii suspensionem, certam stabilemque normam in simili rerum eventu perpetuo servandam suppeditent, pari scientia et potestate *decernimus atque statuimus, ut futuris quibuscunque temporibus, quandocunque contigerit, Romanum Pontificem decedere, perdurante alicuius Concilii Oecumenici celebratione, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive iuxta modum superius definitum fieri debeat, atque ipsum Concilium pariter iuxta regulam superius sancitam statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis suspensum intelligatur et tamdiu dilatum, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit.* (Sequuntur consvetae conclusiones.) — Datum Romae anno Inc. D. 1869 pridie Nonas Dec.

1504.

Eppi Germaniae e Congressu suo Fuldensi pastorales dimittunt ad suos dioecesanos literas de Concilio Gen. ad diem 8 Dec. 1869 indicto: in iisque refellunt rumores vanos falsaque praeiudicia contra Concilium sparsa. 1869.

Die in Fulda versammelten deutschen Bischöfe ihren geliebten Diöcesanen Gnade und Friede von Gott unserm Heilande. Im Geiste Iesu Christi und seiner heil. Kirche, welcher vor Allem ein Geist der Einheit und Gemeinschaft ist, sind wir deutschen Bischöfe auch in diesem Jahre in *Fulda*, am Grabe des heil. Bonifacius, in brüderlicher Berathung vereinigt gewesen. Der Zweck dieser Versammlungen ist nicht etwa der, bindende Beschlüsse in kirchlichen Angelegenheiten zu fassen, was nach den Gesetzen der Kirche nur auf eigentlichen und in gehöriger Form abgehaltenen Kirchenversammlungen möglich ist, sondern geht lediglich dahin, durch gegenseitige Besprechung uns zur besseren Erfüllung unseres heil. Amtes tüchtiger zu machen und jene Einigkeit und Liebe unter uns zu pflegen, welche die Mutter und Ernährerin alles Guten ist. In diesem Jahre war selbstverständlich ein *Hauptgegenstand unserer Berathungen die Vorbereitung auf das allgemeine Concil,* zu dem unser heil. Vater Pius IX alle Bischöfe der Erde berufen hat. Im Hinblick hierauf haben wir es für gut und heilsam erachtet, bevor wir uns trennten, gemeinschaftlich ein kurzes Wort an unsere geliebten Diöcesanen, Geistliche wie Laien, zu richten. Als die Berufung eines Allg. Concils zur Gewissheit geworden war, erfüllte auf der einen Seite fromme Erwartung und frohe Hoffnung die Gemüther der Gläubigen, und Tausende richten mit kindlichem Vertrauen ihre Blicke nach Rom. Nicht als ob das Concil

ein Zaubermittel wäre, um alle Übel und Gefahren von uns hinwegzunehmen und mit einem Male das Angesicht der Erde zu verändern, sondern weil *nach der von Christus in seiner göttlichen Weisheit gegebenen Einrichtung die Vereinigung der Nachfolger der Apostel um den Nachfolger des heil. Petrus in einer Allg. KVersammlung das vorzüglichste Mittel ist, um die beseligende Wahrheit des Christenthums in ein helleres Licht zu setzen und sein heiliges Gesetz wirksamer in's Leben einzuführen.* Was der heil. Papst Gregor der Grosse so schön sagt: dass im Laufe der Zeiten die Pforten der göttlichen Wahrheit und Weisheit für die Christenheit immer weiter geöffnet werden, das wird am grossartigsten durch die allg. Concilien erfüllt. Davon aber, dass die Lehre Christi recht erkannt und sein Gesetz allgemeiner befolgt werde, hängt allerdings wie das ewige so auch das wahre zeitliche Wohl der Menschheit ab. Darum haben von jeher die treuen Kinder der Kirche die Allg. Concilien mit Trost und heiliger Hoffnung begrüsst. Diese Gesinnung auch angesichts des bevorstehenden Concils in uns selbst zu pflegen und bei Anderen zu verbreiten ist eine heilige Pflicht. Dagegen können wir uns nicht verbergen, dass auf der anderen Seite selbst von warmen und treuen Gliedern der Kirche Besorgnisse gehegt werden, welche geeignet sind, das Vertrauen abzuschwächen. Hiezu kommt, dass von den Gegnern der Kirche Beschuldigungen ausgesprochen werden, welche keinen anderen Zweck haben, als weithin Argwohn und Abneigung gegen das Concil zu erregen und selbst das Misstrauen der Regierungen wachzurufen. So werden Befürchtungen laut, *als ob das Concil neue Glaubenslehren, welche in der Offenbarung Gottes und der Überlieferung der Kirche nicht enthalten sind, verkündigen und Grundsätze aufstellen könne und werde, welche den Interessen des Christenthums und der Kirche nachtheilig, mit den berechtigten Ansprüchen des Staats, der Civilisation und der Wissenschaft, sowie mit der rechtmässigen Freiheit und dem zeitlichen Wohle der Völker nicht verträglich seien.* Man geht noch weiter, *man beschuldigt den heil. Vater, dass er unter dem Einflusse einer Partei das Concil lediglich als Mittel benützen wolle, um die Macht*

des Apost. Stuhles über Gebühr zu erhöhen, die alte und echte Verfassung der Kirche zu ändern, eine mit der christlichen Freiheit unverträgliche geistliche Herrschaft aufzurichten. Man scheut sich nicht, *das Oberhaupt der Kirche und den Episcopat mit Parteinamen zu belegen*, welche wir bisher nur im Munde der erklärten Gegner der Kirche zu finden gewohnt waren Demgemäss spricht man dann ungescheut den Verdacht aus, *es werde den Bischöfen die volle Freiheit der Berathung nicht gegeben sein*, und es werde auch den Bischöfen selbst an der nothwendigen Erkenntniss und Freimüthigkeit, um ihre Pflicht auf dem Concil zu erfüllen, fehlen, und man stellt in Folge davon sogar die Giltigkeit des Concils und seiner Beschlüsse selbst in Frage.

Woraus diese und ähnliche Reden auch entsprungen sein mögen, aus lebendigem Glauben, aus treuer Liebe zur Kirche, aus einem unerschütterlichen Vertrauen auf jenen Beistand, den Gott seiner Kirche niemals entzieht, sind sie nicht. So haben niemals unsere Väter im Glauben, niemals die Heiligen Gottes gedacht; das widerstreitet, geliebte Diöcesanen, ohne Zweifel auch euerem innersten Glaubensbewusstsein. Aber wir wollen euch auch ausdrücklich ermahnen, durch solche Reden euch nicht irre führen und in euerem Glauben und Vertrauen erschüttern zu lassen. *Nie und nimmer wird und kann ein allg. Concil eine neue Lehre aussprechen, welche in der heil. Schrift oder der apostolischen Überlieferung nicht enthalten ist;* wie denn überhaupt die Kirche, wenn sie in Glaubenssachen einen Ausspruch thut, nicht neue Lehren verkündigt, sondern die alte und ursprüngliche Wahrheit in klareres Licht stellt und gegen neue Irrthümer schützt. *Nie und nimmer wird und kann ein allg. Concil Lehren verkündigen, welche mit den Grundsätzen der Gerechtigkeit, mit dem Rechte des Staates und seiner Obrigkeiten, mit der Gesittung und mit den wahren Interessen der Wissenschaft oder mit der rechtmässigen Freiheit und dem Wohle der Völker im Widerspruche stehen.* Überhaupt wird das Concil keine neuen und keine anderen Grundsätze aufstellen als diejenigen, welche euch allen durch den Glauben und das Gewissen in's Herz geschrieben sind, welche die christlichen Völker durch

alle Jahrhunderte heilig gehalten haben und auf welchen jetzt und immer das Wohl der Staaten, die Autorität der Obrigkeiten, die Freiheit der Völker beruht, und welche die Voraussetzung aller wahren Wissenschaft und Gesittung bilden. Und warum können wir dieses mit solcher Bestimmtheit und Zuversicht aussprechen? Weil wir durch den Glauben gewiss sind, dass Jesus Christus bei seiner Kirche bleibt alle Tage bis an's Ende der Welt, dass der heil. Geist sie nie verlässt und sie an Alles erinnert und in alle Wahrheit einführt, so dass sie ist und bleibt die Säule und Grundfeste der Wahrheit, welche auch die Pforten der Hölle nicht zu überwältigen vermögen; weil wir endlich glauben und wissen, dass wenn die Nachfolger Petri und der Apostel, der Papst und die Bischöfe, auf einem allg. Concil rechtmässig versammelt in Sachen des Glaubens und des Sittengesetzes Entscheidungen geben, sie durch Gottes Fürsicht und Beistand gegen jeden Irrthum sicher gestellt sind. Wie Christus gestern und heute und in Ewigkeit derselbe ist, und sein Wort niemals vergeht, wenn auch Himmel und Erde vergehen; so bleibt auch seine Kirche allezeit dieselbe und die Wahrheit Christi bleibt allezeit und unwandelbar in ihr. Auch nur fürchten, ein allg. Concil könne in seinen Lehrbestimmungen gegen die überlieferte Wahrheit fehlen, könne die von Gott gegründete Verfassung der Kirche irgendwie in ihrem Wesen umändern, heisst die Kraft der der heil. Kirche gegebenen göttlichen Verheissungen und die Wirkung des göttlichen Gnadenbeistandes verkennen. Auch braucht Niemand zu besorgen, das allg. Concil werde in Unbedachtsamkeit und Übereilung Beschlüsse fassen, welche ohne Noth mit den bestehenden Verhältnissen und den Bedürfnissen der Gegenwart sich in Widerspruch setzen, oder es werde nach Weise schwärmerischer Menschen Anschauungen, Sitten und Einrichtungen vergangener Zeiten in die Gegenwart verpflanzen wollen. Und wie kann man auch nur vernünftiger Weise so etwas von einer Versammlung der Bischöfe der ganzen kath. Welt befürchten, welche mit den reichsten Lebenserfahrungen ausgestattet, mit den Zuständen der verschiedenartigsten Länder vertraut, mit der Verantwortlichkeit des heiligsten Berufes belastet, hauptsächlich zu dem Zwecke

vom Oberhaupte der Kirche versammelt werden, um mit ihm zu berathen, wie am besten die ewigen Wahrheiten der Religion in der Gegenwart zu verwirklichen und die Wohlthat des Christenthums den gegenwärtigen und zukünftigen Geschlechtern zu erhalten und zu übermitteln sei.

Unbegründet ist auch und überaus ungerecht der Verdacht, es werde da auf dem Concil die Freiheit der Berathung beeinträchtigt sein. Wie wenig kennen diejenigen, welche so denken, die Gesinnungen des Papstes, die Gesinnungen der Bischöfe und die Handlungsweise der Kirche! *Wir wissen es auf das Bestimmteste, dass es der erklärte Wille des heil. Vaters ist, weder der Freiheit, noch der Zeit der Berathungen eine Schranke zu setzen,* und das liegt auch in der Natur der Sache. Denn in einem Concile der Kirche ringen nicht verschiedene Parteien mit allen Mitteln der Überredung um den Sieg, suchen nicht einzelne Mitglieder durch blosse Gewinnung einer Majorität das Übergewicht über Gegner zu erlangen. Alle sind bei aller Verschiedenheit sonstiger Meinungen von vornherein einig in den Principien des Glaubens und streben nur nach Einem Ziele, dem Heile der Seelen und dem Wohle der Christenheit; und Erörterungen finden da nicht statt, um den Gegner zu überwinden oder ein Sonderinteresse zu fördern, sondern um die Wahrheit von allen Seiten zu beleuchten und nicht eher zu entscheiden, als bis jede Schwierigkeit erledigt, jede Dunkelheit aufgehellt ist; besonders wo es sich um die ewigen Wahrheiten des Glaubens handelt, wird das Concil auch nicht das Mindeste beschliessen, ohne zuvor die Mittel der Wissenschaft und der reiflichsten Überlegung erschöpft zu haben. Und was sollen wir zu jener so unwürdigen Verdächtigung sagen, dass es den Bischöfen aus Menschenfurcht an der pflichtmässigen Freimüthigkeit auf dem Concil gebrechen werde? Eingedenk des Gebotes unseres Herrn, gegen die nicht zu schelten, die uns lästern, wollen wir nur schlicht und einfach sagen: *die Bischöfe der kath. Kirche werden auf dem allg. Concile, in diesem wichtigsten Geschäfte ihres Amtes und Wirkens, der heiligsten aller Pflichten, der Pflicht, der Wahrheit Zeugniss zu geben, nie und nimmer vergessen;* sie werden eingedenk des apostolischen

Wortes: dass wer den Menschen gefallen will, nicht Christi Diener ist, eingedenk der Rechenschaft, die sie bald vor dem göttlichen Richterstuhl ablegen müssen, keine andere Richtschnur kennen, als ihren Glauben und ihr Gewissen. Wir haben es nicht unser unwürdig erachtet, den katholischen Episcopat und das allg. Concil gegen diese traurigen Verdächtigungen zu vertheidigen; hat ja auch der Weltapostel um seines apostolischen Amtes willen und aus Liebe zur Kirche und den Seelen es nicht verschmäht, sich gegen die unbegründetsten Anklagen zu vertheidigen. Wenn man aber gar unter gänzlicher Verleugnung aller Ehrfurcht und Liebe, welche wir der Kirche und ihrem Oberhaupte schuldig sind, die Absicht des *heil. Vaters*, den *heiligen Apost. Stuhl* selbst anschwärzt und lästert: wenn man ihn, *den Christus zum Hirten Aller und zum Felsen gesetzt hat, auf dem die ganze Kirche ruht*, als *Partei* und als Werkzeug einer Partei darstellt; wenn man ihm herrschsüchtige und ehrgeizige Absichten ganz nach Weise jener Welt zuschreibt, die auch einstens Christus, den Stifter der Kirche, als einen Empörer und Aufwiegler des Volkes vor Pontius Pilatus anklagte; so fehlen uns die Worte, um unsern ganzen Schmerz über solche Reden und gegen den Geist uns auszusprechen, aus dem sie entspringen. *Nichts ist dem Wesen der kath. Kirche so fremd und so entgegengesetzt, als Parteiwesen.* Gegen Nichts hat der göttliche Heiland und haben seine Apostel sich bestimmter ausgesprochen, als gegen jegliche Parteiung und Spaltung; und gerade um alles Derartige auszuschliessen und die Einheit des Geistes im Bande des Friedens zu bewahren, *hat Christus unter allen Aposteln Einen zum Mittelpuncte der Einheit und zum Oberhirten Aller gesetzt, Alle seiner väterlichen Autorität untergeordnet, Alle, Bischöfe, Priester und Gläubige der ganzen Welt durch ein unauflösliches Band des auf Glauben und Liebe gegründeten Gehorsams mit ihm verbunden.* Wohl umschliesst die *Kirche* eine unermessliche Mannigfaltigkeit nationaler und menschlicher Eigenthümlichkeiten. Sie begreift die verschiedenartigsten Genossenschaften, Corporationen und Gestaltungen des religiösen Lebens in sich; sie duldet, ja sie schützt die Verschiedenheiten theoretischer und praktischer Meinungen;

aber *nie und nimmer duldet und billigt sie Parteien oder ist sie gar selbst Partei;* ja für *jedes katholische Herz*, so lange sein Glaube und seine Liebe durch Leidenschaften nicht getrübt worden, ist es unmöglich, dass es in religiöser und kirchlicher Beziehung einem Parteigeiste anheimfalle; denn *sein Glaube bewegt es, das eigene Urtheil und noch mehr die besonderen Interessen und Leidenschaften in Demuth, Liebe und unbegrenztem Vertrauen dem höchsten und unfehlbaren Lehramte unterzuordnen*, das Christus uns zu hören befohlen hat, und von dem sein Wort ewig gilt: Wer euch höret, höret mich.

Auf dem bevorstehenden allg. Concile wird dieses höchste, unfehlbare Lehramt der Kirche, oder vielmehr es wird Christus und sein heiliger Geist durch es zu Allen reden, und Alle, die guten Willens, Alle, die aus Gott sind, werden seine Stimme hören; die Stimme der Wahrheit, der Gerechtigkeit, des Friedens Christi. Wie Petrus und die Apostel auf dem ersten Concile zu Jerusalem nur Einer Meinung waren, und nur Eine Sprache führten, so wird es auch heute der Fall sein, und es wird der ganzen Welt offenbar werden, dass wie in der ersten Christengemeinde, so auch heute noch in der kath. Kirche Alle Eines Herzens und Einer Seele sind. Aus dieser Quelle der Einheit fliesst in der Kirche alles Grosse, Gute und Heilsame; alle Güter des Christenthums sind an sie geknüpft, nur in dieser Einheit wird uns das Leben Christi zu Theil. Darum hat auch Christus in seinem hohenpriesterlichen Gebete vorzüglich um das Gut dieser Einheit für die Seinigen zu seinem himmlischen Vater gebetet, weil in dem Gute der Einheit alle anderen Güter des Heiles, der Glaube, die Liebe, die Stärke, der Frieden und aller Segen enthalten sind. Und umgekehrt sind aus Spaltung und Trennung die grössten Übel, von denen je die Christenheit und die Welt heimgesucht wurde, entsprungen, und hängt umgekehrt alle Heilung von der Versöhnung und der Herstellung der Einheit ab. Wenn in unseren Zeiten, wie wir mit Dank gegen Gott bekennen müssen, so manche Schäden früherer schlimmerer Tage geheilt werden, wenn das kirchliche und religiöse Leben aller Ungunst der Zeiten ungeachtet erstarkt ist und vieles Gute zum Heile der

Seelen und zum Troste der Armen und Leidenden geschah, wenn unter Geistlichen und Laien der Glaubensmuth und die Liebe zur Kirche sich gehoben hat, wenn auf der ganzen Welt das Reich Gottes mit neuer Frische wächst und Frucht bringt, wenn selbst alle Angriffe auf die Kirche und alle Leiden, womit sie heimgesucht wird, ihr nur zum Besten gereichten: so zweifeln wir nicht daran, dass Solches hauptsächlich jener innigen Eintracht und Einheit der Gesinnung zu danken ist, welche durch Gottes Gnade, einige traurige und unbedeutende Störungen abgerechnet, in der ganzen kath. Welt herrscht. *Es ist nicht ein eitles Rühmen, sondern eine gnadenvolle und offenbare Wahrheit, dass alle Bischöfe des katholischen Erdkreises unter einander und mit dem apost. Stuhle in der vollkommensten Einheit verbunden sind, und dass in gleicher Weise Clerus und Volk mit ihren Bischöfen übereinstimmen;* und so besteht auch unter den verschiedenen Ständen der Kirche durchweg herzliche Eintracht, so fühlen sich auch die Katholiken aller Nationen eins und einig in dem Glauben und in der Liebe zur Kirche; die Noth und die Stürme der Zeiten haben diese Eintracht nur erhöht, und namentlich *hat das liebende Zusammenwirken aller Nationen zum Schutze des hart bedrängten heil. Vaters dieses Band der Einheit enger und enger geknüpft.* Im Geiste dieser Einheit, als Gesandte Christi, in Christi Namen und aus Christi Herzen ermahnen, bitten und beschwören wir Alle, vor Allem unsere Mitarbeiter im Priesterthume und im heiligen Lehramte, dass sie je nach ihrer Stellung durch Wort, Schrift und Beispiel jene vollkommene Eintracht des Geistes unter gänzlicher Beseitigung aller etwaigen, hier oder dort vorausgegangenen Streitigkeiten pflegen und befördern, und sich alles dessen enthalten, was Zwietracht nähren und die menschlichen Leidenschaften anfachen könnte. — Fulda, den 6. Sept. 1869. — (Subscripti: AEppi: *Coloniensis* et *Monacensis;* Eppi: *Vratislaviensis, Herbipolensis, Fuldensis, Moguntinus, Hildesimensis, Paderbornensis, Augustanus, Trevirensis, Osnabrugensis, Varmiensis, Culmensis, Spirensis, Rottenburgensis;* et Vicarii Apostolici: *Saxoniae*, et *Luxemburgi;* item Vicarius Capit. *Friburgensis.*)

1505.

Primas Hungariae ad Clerum suum dioecesanum de Concilio Oec. Vaticano ad diem 8 Dec. 1869 indicto; et **de suprema Romani Pontificis, in fide deficere nequeuntis, auctoritate**; tum de sua ad Concilium profectione. 1869.

Ex encyclicis nostris dd. 21 Iul. a. p. intellexistis, ven. fr. et filii in Chr. dilectissimi, universi Catholici orbis Eppos Romam ad habendum in Basilica Vaticana S. Petri Generale Concilium ad diem 8 Dec. l. a. quae honoribus sine labe conceptae Deiparae Virginis sacra est, convocatos fuisse *a Successore illius Apostoli, quem, quia ipse speciali divinae gratiae inspiratione Christum naturalem Dei filium agnovit et confessus est, Simonis nomine in Petri nomen mutato, Dei Filius ceu petram et fundamentum suae Ecclesiae instituit, a portis inferi numquam expugnandae; et cui claves regni coelorum cum omnis potestatis plenitudine soli commisit; a Successore illius Apostoli, quem omnibus congregatis Christus solum compellavit, tamquam omnium contra diabolicas tentationes fulchrum; pro quo, ne unquam a fide deficeret, solo Deum Patrem rogavit, soli curam imponens fratres suos in fide confirmandi; a Successore illius Apostoli, qui propter fidei suae firmitatem et caritatis praecellentiam meruit, ut totum Christi ovile pascendum sibi soli committeretur, cuius vocem non oves tantum omnes et singulae, sed et ipsi Pastores ovium reverenter audire, eique obedientiam praestare tenentur: a Successore illius Apostoli, quem omnes Sacri Scriptores ab Apostolis aliis, utpote primum ac principem, sollicite distinguunt, et constanter primo loco memorant, et in quo antiqui Patres et Concilia non minus generalia*

quam particularia unanimi consensu totius Ecclesiae fundamentum, regni coelestis clavigerum, Apostolorum Caput, universalem Christifidelium Pastorem, controversiarum Supremum Iudicem, unitatis in fide centrum, quo perfidia non possit habere accessum, agnoscunt ac venerantur; a Successore denique illius Apostoli, qui ex Collegio Apostolorum unice electus est, ut Sedis suae singulari privilegio per continuam successionis seriem, ad finem usque mundi propagatam, in Ecclesia suis in successoribus semper vivat, semper regnet, et indefectibilitatis gratia divinitus obtenta universos fratres in fide semper confirmet. Mysterium cum hodie operetur iniquitatis, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consentiunt iniquitati: (2 Thess. 2.) Apostolorum Principis Successor, qui hodie Ecclesiae navim inter tantas in illam undique irruentes tempestatum procellas intrepida manu gubernat, in periculo bonorum humanitatis omnium, Ecclesiam, quae est columna et firmamentum veritatis, tacere non posse existimavit, ut tutum salutis iter ac verae doctrinae lucem omnibus ostenderet populis, omnesque, quorum curam suscepit, servaret illaesos. (S. Maximus serm. 89.) In Concilium proinde Generale omnes Sacrorum cogit Antistites, ut communicatis collatisque consiliis salutaria tot tantisque ecclesiasticam non minus quam civilem societatem non tam prementibus quam potius opprimentibus calamitatibus adhibeantur remedia, nihilque e parte Ecclesiae seu omittatur seu negligatur, ut miseri errantes in rectum veritatis, virtutis ac simul salutis tramitem revocentur, et vitiis ac erroribus detectis profligatisque salutifera religio laetiora in dies capiat incrementa.

In *Ecclesia Romana* considebunt Synodi Patres, in illa inquam Ecclesia, *ad quam*, teste S. Irenaeo E. et M., *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam,* h. e. eos, qui sunt undique fideles; in illa, *quae*, prout inquit S. Hieronymus, *semper immaculata mansit, et, Domino providente et B. Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit, sine ulla haereticorum insultatione firma et immobilis omni tempore persistet.* Ad pedes consistent *Cathedrae* illius, *in qua*, teste S. Optato Mil., *velut in propria Sede Petrus vivit et praesidet, praestatque quaerentibus fidei*

veritatem; et de qua S. Hieronymus sic loquitur: „Mihi *Cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam.* Neque vero tanta vastitas elementi liquentis et interiacens longitudo terrarum me a pretiosae margaritae potuit inquisitione prohibere. Ubicunque fuerit corpus, illuc congregantur aquilae. Profligato a sobole mala patrimonio, *apud vos solos incorrupta Patrum servatur haereditas;* ibi cespite terra foecundo *dominici seminis puritatem* centeno fructu refert; vos estis lux mundi, vos sal terrae, vos aurea vasa et argentea. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. Fatiscat invidia Romani culminis, recedat ambitio: cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, i. e. *Cathedrae Petri* communione consocior. *Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio.* Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Non novi Vitalem; Meletium respuo; ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.“ *De hac Cathedra fide divina certum tenemus, illam, sanctam nimirum Apostolicam Sedem, quive illam tenet, Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse.*

Concilium, quod B. Patri cogere placuit, abs dubio maxime memorandis nostrorum dierum eventibus est apponendum, aut seculi nostri nefors etiam illustrissimus eventus praedicari poterit inter illos saltem, qui aedificant; reliquos enim passim destruendo ac demoliendo magnos esse comperimus. Scitis, quia legistis, Summum Pontificem iam a. 1867 congregatis Romae Eppis catholici orbis declaravisse, sibi in votis esse generale omnium Epporum Concilium cogere, quo collatis consiliis coniunctisque studiis necessaria ac salutaria remedia tot praesertim malis, quibus Ecclesia premitur, Deo adiuvante adhibeantur. Ex Concilio eventurum speravit B. Pater, ut catho-

licae veritatis lux errorum tenebris, quibus mortalium mentes obvolvuntur, amotis salutare suum lumen diffundat; porro ut Ecclesia velut invicta castrorum acies ordinata hostiles inimicorum conatus retundat, impetus frangat, ac de ipsis triumphans Iesu Christi regnum in terris longe lateque propaget ac proferat. Congregati Romae Eppi hanc declarationem summo cum gaudio exceperunt, precatique sunt, ut huic B. Patris proposito Deus, qui illius mentem Pontifici inspiravit, annuere velit. Opinione citius exaudivit dives in misericordia Deus preces Antistitum. Iam enim anno sequente SSmus D. N. edidit Bullam indictionis et convocationis Concilii Oecumenici die 8 Dec. h. a. inchoandi, quam vobiscum communicare non morabamur. In illa claris verbis recensetur, quo fine Concilium convocetur, et quae ibidem pertractabuntur obiecta. — Ast vix Patris ac Pastoris providi fratres ac filios circa se congregare volentis labia sua relinquunt verba, *perditi quique, quorum insania mentem occupat, quive indomitos in corde suo gestant furores*, et quorum nomen legio est, quia multi sunt, *adinstar spiritus illius immundi in terra condam Gerasenorum e monumentis egredientis, quem neque catenis iam quisquam ligare poterat ac domare, videntes praesens, quod eis ex auctoritate Concilii imminet, periculum, voce clamant horribili: quid nobis et tibi, Vicarie Iesu Christi?* quem propter indictum Concilium probris, sannis ac omni genere iniuriarum afficere ac persequi religioni non ducunt. Nec immerito tanto circum clamore fremunt; de omni enim sua conclamatum fore nequitia sibi persvadent, si oves vocem Pastorum secutae pascua nefariorum venenata fugerint, si grex Domini suis adunatus Pastoribus impia clamorosorum molimina crimine damnaverit. Concilium enim Universale est Conventus universae Ecclesiae Epporum, qui qua successores Apostolorum sub praesidio Summi Pontificis, successoris S. Petri, de negotiis Ecclesiae auctoritate divinitus sibi collata consilia conferentes, quid fidelibus credendum, quidve agendum incumbat, decernunt. Concilium est modus ceteris solemnior, quo Ecclesia munere divinitus sibi demandato docendi in his terris defungitur. Per Cathedram hanc augustissimam thesaurorum maximus, quem divina misericordia infinita largitate in genus

humanum revelans profudit, custoditur, conservatur. Depositum illud intelligimus divinum, de quo Apostolus ad Timotheum scribens ait: O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. (1 Tim. 6, 20.) Et alibi: Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus. (2 Tim. 2, 2.) Hocce veritatum revelatarum divinum depositum Magisterium Petro-Apostolicum intrepide tueri debet adversus spiritum illum, quem ipse Divus Magister his delineavit coloribus: In veritate non stetit, quia non est in eo veritas, quia mendax est et pater eius. (Ioan. 8, 44.) „Christi enim Ecclesia, ut ait Vincentius Lirinensis, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos nihil in iis unquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat, si qua iam expressa et enucleata, consolidet et firmet; si qua iam confirmata et definita, custodiat."

Perbene etiam cuncti noverunt, *per Concilium Generale fidem Ecclesiae magis patescere, et errantes ac nutantes facilius ad frugem atque ad Ecclesiae unitatem reduci.* Quandoquidem *in decretis Concilii Oecumenici una cum Capite Ecclesiae membrorum consensus solemniter manifestetur*, per eademque errores circa fidem grassantes tanto auctoritatis visibilis atque externae pondere damnentur, cui nemo fidelium se opponere et contradicere audeat. Aut eccur velut simii legitimi Ecclesiae Concilii vestigia imitantes, principiis attamen suis non parum adversantes ipsi quoque incredulitatis patroni auctoritatem suam auctoritati Concilii Romae congregandi opposituri, conciliabulum malignantium agere adnituntur? metuentes certo, ne fors ii, qui Primatis Ecclesiae solius auctoritate moveri se non debere autumant, per consensum universi Magisterii Apostolici ad deponendos errores, amplectendamque veritatem adducantur. Existimant illi genus humanum hodie iam eximie maturum omni auctoritate carere posse; utquid igitur resistentes sicut patres eorum Spiritui S. conventum agunt?

ut quid statuta sua ex incircumcisis cordibus manantia infallibilibus concilii generalis decretis opponere attentant? non alio indubie scopo, quam ut incautis fucum faciant, quo hi oculos a columna veritatis avertentes, in sua, magistrorum nempe verba iurent. Qui tantum de maturitate generis humani, ab omni abhinc eximendi auctoritate, ac de eius fabulantur autonomia, quare putida quaquaversus sive in libris sive in pagellis volantibus spargentes mendacia, sua mortales auctoritate ad sectanda impia sua vestigia compellunt, et ea svadere multitudini adlaborant, quibus ne ipsi quidem fidem adhibent? Prorsus etenim innegabile est, potiorem incredulorum partem non ideo fidem negare, quasi de eius sibi vanitate persvasissent, sed quoniam hos aut illos, qui eruditi esse videntur, pariter incredulos cernunt, ita, ut non absque fundamento adstruatur, incredulitatem speciem quampiam involvere credulitatis. Vindices utique sic agendo cupiunt haberi iurium rationis humanae nativorum, dum eandem ab auctoritate Ecclesiae docentis, virtute divina ab omni errore praemunitae, eximentes, vadem veritatis haud praebentis privatae sententiae suae subiugare laborant. Ast non advertunt, nec advertere volunt, limites, qui per magisterium Ecclesiae spiritui humano figuntur, non ultra doctrinam Iesu Christi protendi; quod vero omnis, qui in divinitatem credit Iesu Christi, rationem suam doctrinae Iesu Christi subordinare debeat, necessarium quisque perspicit esse fidei consectarium. Vel potestne ratio manifestius suum exercere ius, quam dum infallibili Ecclesiae iudicio in Generali Concilio manifestato assensum praebet? an nefors ratio hominis aliquam dignitatis suae patitur iacturam, dum tuto ac secure ei acquiescit, qui nec falli nec fallere potest? quid rationi magis consentaneum, an fragili ac per ventum dubiorum agitatae arundini inniti, an immobili superstrui columnae veritatis? Volupe certe est, dum navis tempestate iactatur, scire, navim non posse perire. Voluptatis huius gustu tactus fuisse videtur etiam poeta, haecce facundo carmine canens: „Nihil dulcius est, bene quam munita tenere — Edita doctrina sapientum templa serena, — Despicere unde queas alios, passimque videre — Errare, atque viam palantes quaerere vitae.“ Tantum Dei donum aspernantes incredulos suo iam

tempore ingratitudinis arguit S. Augustinus dicens: „Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animae via est, nisi cum eos rationi praecolit fides, quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore praedita auctoritate velle resistere?“

Sed quaeretis forsan, *an Concilii Generalis*, quale a tribus et quod excedit seculis coactam haud fuit, *hodie aliqua subversetur necessitas?* Ad hanc quaestionem responsuri, silentio premimus hic loci *ius Summi Pontificis, pro quo non modo Concilia generalia congregat, sed eorum quoque congregandorum necessitatem diiudicat.* Si quis vero Conciliorum evolutis seculis celebratorum necessitatem largiatur, necessitatem novi labente anno celebrandi ceu iustus rerum arbiter inficiari non poterit. Teste historia Concilia generalia contra eos olim congregata fuerunt, qui praedicationem Ecclesiae undique constantem et aequaliter perseverantem, quae semper a Spiritu Dei quasi in vase bono eximium quoddam depositum iuvenescebat, adulterare et depravare nitebantur. Hi saltem revelationem utriusque Foederis ceu divinam venerabantur; ast illi, quos hodie Ecclesia adversarios nacta est, non id nefario consilio in animum induxere, ut coelestem Verbi divini sapientiam contaminent, sed ut eandem, si fieri posset, e cordibus hominum radicitus evellant. Solem veritatis divinae adinstar titanum extingvere, novas rursus orbi terrarum tenebras offundere, temporaque illa revocare in ardentissimis suis habent votis, e quibus universum genus humanum prospere eluctatum fuisse cordati quique semper gaudebant. — Necessitatem celebrandi Concilii Generalis clariori in luce collocaturi, attentionem vestram cumprimis ad *errores aevo nostro impune sane grassantes*, necnon ad media, quibus patroni eorum versipelles illos propagare laborant, provocasse sufficiet. Principalis aevi nostri error, quocum religioni Christi colluctandum est, est *negatio systematica omnis revelationis supernaturalis, omnis proin etiam ordinis salutis supernaturalis, non minus etiam negatio omnium mediorum conservandae et propagandae revelationi supernaturali inservientium, negatio proin quoque ipsius verbi divini scripti, necnon etiam magisterii a Deo constituti et suffulti.* Systema hoc nihil ceu verum ac

reale recognoscit, nisi naturam et ordinem naturae solum, ad cuius cognitionem quivis hominum duce sola ratione pertingere queat. Error hic *absolutam* praedicat *rationis humanae sufficientiam*, praeter rationem omnem alium agnoscendae veritatis inficiatur fontem, ac proin necessario ad deificationem naturae et rationis disponit. Deum in revelatione loquentem ideo scioli nostrorum dierum negare videntur, ut ipsi quo impudentius garrire queant. Perniciosa haec doctrina simillima sermoni serpentis in paradiso ad fragilem Evam directo Christianismum a sedibus imis evertit. Sine revelationis supernaturalis auxilio ipsae rationis veritates fundamentales, quibus non modo hominis dignitas, sed societatis quoque humanae stabilitas, ius, libertas, moralitas et omnis legitima fulcitur auctoritas, spississimis involvuntur tenebris, locumque earum monstra occupant errorum. Et corruptio harum veritatum nostris diebus supremum reapse attigit apicem. Profligato enim, qui adusque viguerat, *Pantheismo* hodie iam *Materialismus* dirum in mentes multorum, qui docti videri volunt, exercet dominium; materialismus, qui *atheismi* forma abiectissima et gradus infimus reputatur aberrationis illius, in quam spiritus hominis per falsam ac ad barbariem revehentem culturam nostris diebus delapsus est. Cum insipiente S. Scripturae innumeri hodie reboant: non est Deus! anima non existit, solae nonnisi existunt substantiae materiales et vires tum physicae quum chemicae naturae insitae. Hominem aiunt sibimet ipsi illudere, dum *cogitare* et *velle* suam spiritualem operationem esse opinatur; cogitationem et voluntatem aliquid esse corporalis, productum operantis cerebri, quod pari cum hominis intestinis operetur necessitate. Hae sunt in nucleo pestiferae materialismi doctrinae fundamentales. Practica huius doctrinae consectaria non minus perniciosa ac abominabilia accipite. Si Deus non existit, omnis *religio* mera dementia est; religio enim cultum Dei designat. In casu hoc religio non modo superflua sed et nociva est, hominibus proin in perfectione continua progredientibus eo cumprimis enitendum foret, ut religio magis magisque evanescat, et e moribus et conscientia populorum eradatur. Hinc est, quod Materialistae hodie clamitent: optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, *ut humana*

societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret; et hinc explicandum *odium* illud *implacabile*, quo Materialismi fautores *in doctrinam Christi et Ecclesiam Catholicam*, validissimum quippe religionis praesidium, feruntur, quodve lubenti prorsus animo cordibus cunctorum mortalium instillare eoque omnium animos saturare optarent. Quod mirum sane est: homines enim omnium temporum, etsi obtutu religionis in innumeras pene partes abierint, in necessitate tamen religionis adstruenda consonam tenuisse sententiam animadvertimus. Tam alte veritas haec mentibus mortalium insederat, ut ne increduli quidem nostrorum dierum, quorum adinstar stellae coruscae illuminati hodie coece vestigia premunt, hanc veritatem pernegare praesumerent. Ipse etiam, qui prima confoederatorum Americae Statuum fundamenta posuit, Washington, ait: „Religio et mores sunt fulcra boni communis necessaria. Non diligit patriam, quisquis felicitatis humanae haec potentissima fulcra convellit. Omnis sapiens politicus religionem pari modo veneratur et diligit, sicut homo pius. Influxus eius in felicitatem domesticam et politicam est immensus. Ratio et experientia testantur, moralitatem in populo sine religione non posse consistere.“ Actum agunt, qui societatem civilem a religione separare adnituntur, quae eius fundamentum, lux et vita est. Quidquid a Deo avellitur, perit, ad interitum properat. Testem huius veritatis ipsa historia orbis agit. Omnia quippe regna ad incitas redacta fuisse conspicimus, quae iugum religionis divinum excussere. *Vana haec impiorum conamina ceu continuatio conspirationis eius sunt tenenda, ceu rebellionis adversus Deum forma nova, quae per omnia currit secula;* sunt repetitio eorum verborum, quae ipse divus Magister indocilis rebellis ori imposuit: nolumus hunc regnare super nos. Si verum porro est, de quo increduli sibi et aliis persvadere cupiunt, *hominem non pollere anima immortali, spiritu immateriali*, concedendum quoque erit, omnes ideas sublimiores, spirituales pariter nonnisi dementiam esse. Negata animae immortalitate finis vitae humanae alter plane esse nequit, nisi ipsa felicitas terrestris per copiosissimum usum rerum terrenarum acquirenda, et quum usus hic iam eas possessas supponat, partus et quaes-

tus bonorum terrenorum. Non advertunt qui sic docent, quod hominem omni sua exuant dignitate. Homo enim, qui quoad corpus brutis animantibus assimilatur, nonnisi spiritu gaudens immortali similitudinem Dei adipiscitur. Dignitatem certe hominis haud provexisse censeri possunt, qui in hirsuto simio initia, aut sordido coeno incunabula generis humani se reperisse somniant. Plus adhuc dicam: si nihil praeter substantias materiales existit, si omnis vita hominis legibus nonnisi physicis coeca cum necessitate operantibus accomodatur, nullus amplius libertati voluntatis, nullus imputationi morali, nullus essentiali inter bonum et malum morale discrimini superest locus. Ad pestiferorum suorum principiorum necessaria haud advertentes consectaria, *de libertate conscientiae et cultuum fabulantur*, hanc aiunt esse proprium cuiuscunque hominis ius, quod lege proclamari et asseri debeat in omni recte constituta societate; et ius civibus inesse ad *omnimodam libertatem*, nulla sive ecclesiastica sive civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscunque sive voce, sive typis publice manifestare et declarare valeant. Delirantes utique haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis* praedicent. Negata libertate et lege morali nullum quoque datur ius, voce hac in nativo suo sensu intellecta, nulla quoque sive a potestate sive a meris factis independens immutabilis iustitia. *Locum iuris facta consummata, locum iustitiae potestas occupat.* Sic ergo materialismus non modo omnis religionis est lethalis hostis, sed doctrina eius morum et iuris, quae potius omnis iuris et moralitatis negatio est, inimica quoque est ordini sociali, quum societas penes similes doctrinas a cunctis adoptatas ne uno quidem momento consistere posset. Negata libertate et lege morali non solum in ordine civili, sed in relationibus quoque hominum ad invicem particularibus *ius* necessario regnat *fortioris;* caritas proximi omni destituitur sensu, misericordia egeno exhibita ratione et fundamento caret. Pars mortalium cogente natura ad diram destinatur egestatem, pars altera vero ad fruendum bonis, et cursui naturae conformiter accidit, quod pars una eaque minor hominum altera ceu medio utatur, eo fine, ut bonis terrenis fruiturae sibi inserviat, quam subin, postquam gaudia ad extremam usque guttam

exhaurienti operam ministravisset, sine miseratione ad incitas redigi patitur.

Ex his perspicuum est, *Ecclesiam* nostris diebus non, quemadmodum lapsu praeteritorum seculorum, doctrinas solum revelationis adversus impias haereses vindicandas habere, sed sublimis ea quoque ipsi obtigit provincia: ut rationem ipsam ac cardinales rationis veritates, moralitatem ac ius naturale, ceu prima omnis societatis humanae fundamenta contra spiritum nequitiae, qui a Deo descivit, tueatur. Ecclesiae Dei numquam maior ac magis conspicua obtigit provincia, quam recte nostris diebus! *Ecclesia hodie non solum ea est petra, cui Christi diva insistit religio, sed petra est quoque universi ordinis naturalis, quem contra easdem adversarias potestates propugnat, quae ipsam Christi religionem evertere adnituntur.* Sicque complementum sortitur, quod iam ante duo abhinc secula magnus Germanorum Philosophus *Leibnitius* praemonuerat dicens: ventura esse tempora, quibus Ecclesia non tam fidem, quam rationem contra incredulorum assultus vindicandam habebit, postremumque in mundo errorem fore atheismum. Haec, proh dolor, tempora vivimus! *Spiritus* enim *mendacii*, qui id a nobis postulat, ut genu nostrum non Deo vivo ac vero, sed inerti flectamus naturae, id improbo suo volvit animo, ut *literas, scholam, familiam, matrimonium, statum ac societatem vinculis primum Christianismi, serius omnis religionis eximat*, et sub sua mittat iussa, omni tyrannide duriora, ut sic ope scientiae, scholae, civilis status, quinimo et ipsius familiae idololatria naturae in religionem evehatur orbis. Hinc explica universalia, quae nostris diebus sonant, classica: *scientiam a fide, scholam ab Ecclesia, Ecclesiam a Statu et matrimonio esse separandam.* Separare igitur volunt id, quod Deus coniunxit, quod a sato mundo iunctum semper fuerat, et iunctum semper manere debet, nisi homines patri mendacii et perditioni victimas cadere necesse sit. Genii aevi nostri scopus hic est, ut populi placido ast securo gressu beneficiis Christianismi priventur. Per intentam separationem ipsum nervum vitae succidere Christi religioni cupiunt, quo sic eo certius illam eradicent. Nulla enim quum eis affulgeat spes, fidem uno quasi ictu in cordibus hominum

enecandi, vel Christianismum more tyrannorum saevitie infamium antiquae Romae proscribendi, successive saltem magis magisque eum e vita hominum eliminare, et intra quatuor Ecclesiae muros, aut in cuiusvis subiectivam individualitatem eum recludere cuperent, penes nefaria isthaec molimina id credulis persvadere nitentes: separationem hanc ab eis intentam ad progressum, scientias, libertatem provehendam inomisse esse necessariam, esto huius strictim oppositum sincera nitatur veritate. Eliminatae scientiae christianae suam, quae Deum insipienter ignorat, urgent substitui scientiam, quae futilibus superstructa praeiudiciis et omni solido fundamento destituta, revelationem contra omnium populorum unanimem persvasionem e mero arbitrio negat, et omne id, quod supernaturale appellatur, dementiam referre declarat; scientiam illam, quam verbum Apostoli iam acri perstrinxerat stylo, dicens: hi autem quaecunque quidem ignorant, i. e. supernaturalia, divina, blasphemant, quaecunque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. (Iud. 1, 10.) Scientia haec eo nonnisi fine scholam ab Ecclesia separari et vincula Status ad Ecclesiam solvi optaret, ut in utrumque illimitatum exercere queat dominium, et suo eos spiritu permeare, ut in scholarum omni genere generationem adolescentem principiis suis lethiferis imbuat, sicque eum sibi in vitam publicam, socialem et privatam vindicat influxum, qualem pari lance religio christiana numquam exercuit, Ecclesia sibi numquam arrogavit. Genius aevi nostri nullos plane novit limites, quos sibi perrumpere cautum ducat, *nihili* vero *plane pendit ius et libertatem conscientiae christianae et christianae Ecclesiae.* Instar supremi enim principii doctrinarum suarum politico-socialium eam stabilire nititur sententiam: *Statum non modo custodem, sed unicum et illimitatum omnis iuris existere fontem,* eum in modum, ut id nonnisi ius reapse censendum sit, quod Status Civilis mandat, i. e. quod illi cupiunt ac decernunt, qui de facto gubernacula Status moderantur, aut qui in hos multum valent. Hinc funestissimum *Communismi* et *Socialismi* profitens errorem asserit: *societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure duntaxat civili mutuari,* proindeque e lege civili tantum dima-

nare ac pendere iura omnia parentum in filios, cumprimis vero ius institutionis educationisque curandae. Qui sic sentientes poplite flexo Statum adorant Omnipotentem, Ecclesiae et S. Sedis circa ea, quae ad exteriorem pertinent ordinem, iura omnia negant, et Ecclesiae ac S. Sedis auctoritatem supremam a Christo Domino illi concessam civilis auctoritatis arbitrio subiici dictitant; namque minime eos pudet affirmare: *Ecclesiae leges non obligare, nisi cum a civili potestate promulgantur; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et ecclesiam spectantia egere sanctione et approbatione vel minimum assensu potestatis civilis; ecclesiasticum porro potestatem aiunt non iure divino esse distinctam et independentem a potestate civili;* hocque concedi non posse, quin iura potestatis civilis essentialia ab Ecclesia invadantur ac usurpentur. Denique sanam doctrinam haud sustinentes contendunt: iis Sedis Apost. iudiciis ac decretis, quorum obiectum bonum Ecclesiae generale, eiusdemque iura ac disciplinam respicere declaratur, dummodo fidei morumque dogmata haud attingant, posse absque peccato et ulla catholicae professionis iactura assensum et obsequium denegari. Quod quidem quantopere adversetur Summi Pontificis potestati a Christo divinitus collatae gregem universum pascendi, nemo certe est, qui non clare aperteque videat et intelligat. Sunt malesanorum alii, qui iugum omne auctoritatis tam divinae quam humanae excussuri ut indomitam plebem ac potentiae materialis praegrandem molem ad suas pertrahant partes, populo vendunt circum tuguria fumos, populo, de quo iam Vates gentilium tumidus canit: „populo, qui stultus honores saepe dat indignis, et famae servit ineptus.“ (Horat.) Atque in locum iustitiae legitimique iuris materialem substituunt vim, neglectisque certissimis rationis suae principiis iisque posthabitis conclamare audent: voluntatem populi, *publica* quam dicunt *opinione* vel alia ratione manifestatam esse legem supremam, ab omni divino humanoque iure solutam; hinc ministros potestatis publicae non amplius Deo, sed soli populo esse debere responsabiles, et in ordine politico facta consummata eo ipso, quod consummata sint, vim iuris habere. Hic conatus, facta consummata vel arbitrarias sic dictarum maioritatum decisiones in locum legis

aeternae a Deo derivatae substituendi, hacque ratione omnem iuris et iustitiae conceptum destruendi, in Politica tam magna quam minori in apricum prodit, idque desideratur, ut qui voluntatem Dei vilipendunt, coram voluntate nonnullorum hominum, quam passim voluntatem populi nominare amant, in genua prosternantur. Vires alias non agnoscunt, nisi quae in materia sunt positae, et omnem morum disciplinam honestatemque collocant in cumulandis et augendis quoquo modo divitiis et in pravis quibusque voluptatibus explendis. Atque his nefariis abominandisque principiis superstructi reprobum carnis spiritui rebellis sensum tuentur, fovent, extollunt, illique naturales dotes et iura tribuunt, quae per catholicam doctrinam conculcari dicunt, despicientes monitum Apostoli: si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. (Rom. 8, 13.)

En, viri fratres, abominationem desolationis! en vincula omnia perrupta! nihil intactum tenebriones reliquere. Deo, rationi, religioni, christianismo, individuo, familiae, societati, statui, ecclesiae furentes adversantur! Misericordiae Domini, quod nondum simus consumti. Status enim Civilis aeque ac Ecclesia in supremum adducta discrimen oculis nostris patet. Sed quae supplices numina in rerum hac perturbatione universali poscamus? quorsum oculos nostros in fide non haesitantes convertamus? unde promissum ex alto auxilium speremus? Ab Ecclesia, quae supra petram aedificata, ab ipso Domino constituta est custos veritatis et iustitiae, quae super montem aedificata, non sub modio est posita, sed super candelabrum, ut luceat omnibus. *Ecclesia memoratas iniquitatis et mendacii theorias auribus percipiens tacere non potest.* Errores hosce confecturi non una vice Summi Pontifices suam attollebant vocem; quo in studio cumprimis *Gregorius XVI* et gloriosissime regnans *Pius IX* prae ceteris eminuere. *Fortem et constantem in hoc merito animum SSmi Patris Pii IX*, qui magnas persentiscit pectore curas, *solatur homagium, quod ei candida Epporum universi orbis exhibuit concordia. In Concilium Generale convolantes solemnem verborum pontificiorum adornabunt commentarium.* „Prima salus est, scripsit iam Ioannes CPnus Patriarcha ad Papam S. Hormisdam,

rectae fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest D. N. I. C. sententia praetermitti dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.“ Haec, quae dicta sunt, rerum probantur eventibus, quia *in Sede Apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio.* Quapropter sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, et praedicamus omnia, quae ab ipsa decreta sunt, et propterea spero in una communione vobiscum, quam *Apost. Sedes* praedicat, me futurum, *in qua est integra religionis et perfecta soliditas.*

In Concilio nemo libertate sentiendi loquendique privabitur. *Sciet Epporum quilibet suam nonnisi unius esse opinionem. Quodsi vero Pastor omnium universalis semel fuerit locutus, et definitivam dederit sententiam, notum iam Eppis erit, debere se a Petro confirmari, non posse a fundamento suo Ecclesiam avelli, non posse Caput inter et membra unitatem discindi.* In Concilio opinionum luctam, in quali repraesentativi regiminis essentiam reponunt, frustra quaesieris. Non scindetur illud in partes dextram vel sinistram, non in centrum, vel extremam dexterae aut sinistrae. Non ibi reperies collectam turbam, ex condicto uni applaudentem, alteri convitiantem; nemo ibi inter clamorum certamina obruetur; non obtinebit, quod Tullius notavit ad Atticum: „pauci tamen boni inerant, qui moesti inter sui dissimiles et moerentes sedebant, et contagione turpitudinis vehementer permovebantur.“ Quidquid studium, ingenium, aetas, officia peracta, rerumque usus contulit prudentiae et auctoritatis, haec inquam praesidia non deerunt in Concilio, cui praesidebit ipse Summus Pontifex quem in Eugenio III sic alloquitur S. Bernardus: „Sunt quidem et alii coeli ianitores, et gregum Pastores. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem, quaevis? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi

et Petri auctoridate ferantur leges gene-

Ipsa Ecclesia proinde viva est lex, et permanens magisterium, S. Augustino fatente: „Ego Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.“ Haec auctoritas decidit in omnibus generalibus Synodis, eadem decreta sanciet in Vaticano oecum. concilio, quod SSmus D. N. convocavit. *Petrus per os Pii IX loquetur ibi,* et loquentur ii, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei, seu loquetur summa in Ecclesia et infallibilis auctoritas, qualem in Conciliis Generalibus SS. Patres semper agnoverunt. Sic S. Athanasius Concilii Nicaeni definitionem *Verbum Dei* non dubitat appellare: „Verbum Dei per oecumenicam Synodum Nicaenam manet in aeternum“; et S. Ambrosius: „Sequar tractatum Nicaeni Concilii, a quo me nec mors, nec gladius separare poterit.“ S. Leo M. negat inter Catholicos esse numerandos, qui definitiones Concilii Nicaeni, et Chalcedonensis regulas non sequuntur. Nemo denique nescit illam S. Gregorii M. professionem: „Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor; quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.“ Ceterum de Concilio, cuius celebratio imminet, verba etiam ad fidelem curae nostrae pastorali creditum populum lingva vernacula direximus in literis nostris pastoralibus, quas, quamprimum percipietis, ex ambone publicare ac explicare non moremini, ad vos quoque tenores praedictarum literarum pertinere existimantes. Nos obligationis nostrae probe conscii ac memores, Deo iuvante in Generali Vaticano Concilio aderimus, scopoque hoc haud post multos dies iter in aeternam Urbem ingrediemur. — Ut vero in Synodo omnia et nobis et universo gregi fidelium feliciter cedant, adeatis una nobiscum cum fiducia ad thronum gratiae, et precemini Deum Patrem misericordiarum et totius consolationis, ut det *Concilii Patribus* Spiritum fortitudinis, Spiritum sapientiae et intellectus, Spiritum consilii et caritatis, ut doceat illos omnem veritatem, quo ea, quae ad Dei gloriam, Ecclesiae Catholicae incrementum, atque animarum salutem procurandam arduis his temporibus necessaria ac opportuna sunt, videant, statuant, sanciant, *nullis difficultatibus deterriti, nullis tentationibus devicti.*

Sed et Deiparam Virginem, Matrem pulchrae dilectionis, agnitionis et sanctae spei, cuius Immaculatae Conceptionis festo Patres Synodi primo congregabuntur, una nobiscum invocate, ut ad universum illum coetum misericordes suos oculos convertat, votis faveat, coeptis assistat, ut ipsa praeeunte, ipsa iuvante in viis iustitiae ac veritatis ambulent Synodi Patres in medio semitarum iudicii. — Strigonii die 10 Nov. 1869. — **(Circul. Dioec.** 1869. p. 121.)

1506.

Encyclicae literae eiusdem Primatis et Archi-Episcopi ad fideles in eodem merito. (ex Hung.)

Suaviter affecti recordamur magnifici illius spectaculi, cui exhibendo sola cath. Ecclesia in sua fidei unitate par est, dum videlicet ante duos annos, recurrente *octava et decima secularis martyrii S. Petri Apostoli memoria*, Eppi ex omnibus mundi partibus, et hos inter Nos hungarici quoque, Romae ad tumulum S. Petri Ap. primi visibilis Capitis Ecclesiae congregati fuissemus; non tantum eo scopo, ut hac solemni occasione Principi Apostolorum debitum religionis cultum, nostrumque homagium testemur, non tantum ideo, ut palam et publice profiteamur, *Nos, catholici orbis Eppos, vobiscum, fidelibus nostris, Sedi Romanae S. Petri, tamquam fundamento et centro ecclesiasticae unitatis adhaerentes*, hodie quoque immutabili, incorrupta ac inconcussa ratione eandem tenere fidem, quam S. Petrus et Apostoli professi sunt et docuerunt; sed etiam, ut pone gloriosum isthoc sepulchrum, et pone sanctas exuvias, religioso catholicorum cultu cumulatas, orantes, memores simus ferocissimarum illarum tempestatum, quae decursu 19 seculorum contra Ecclesiam, et inprimis romanam S. Petri Sedem desaevierunt, quin eam subruere, evertere potuissent; — videntesque impletas, Dei promissiones, vi quarum adversus Ecclesiam et S. Sedem romanam portae inferi nunquam praevalent, quin imo eam tum exurgere, dum opprimitur,

fulgere, dum vexatur, triumphare, dum persecutiones patitur, — gratias agamus Deo, pro nunquam denegato adiutorio, nostraque fide excitati et inflammati, spondeamus Deo, spondeamus Iesu Christo, supremo animarum nostrarum Pastori: *Nos nullis minis, aut vexationibus territos, animoque cadentes, vobiscum, fidelibus nostris, in hac sola vera et sancta catholica fide vivere, iuxta eiusdem praecepta agere, et in inconcussa erga S. Sedem Romanam adhaesione, officio nostro conformiter, usque ad mortem perseverare paratos esse.*

Increduli perculsi, iniqui erubescentes, Christiani fideles exultantes conspexerunt post mille octingentos annos ad tumulum Vicarii Iesu Christi, primique Romani Pontificis congregatos 500 Episcopos, prope 12,000 Presbyteros, centum mille et ultra devotos peregrinantes, qui cum 258° Successore S. Petri, Pio IX in genua provoluti, grates concinebant Domino pro obtentis gratiis, implorando porro quoque numquam non necessariam eiusdem opem, atque B. Mariae Virg. SS. AA. Petri et Pauli intercessionem et suffragium petendo. Splendidius, animosque magis erigens documentum inconcussi vigoris cath. Ecclesiae, et S. Sedis Romanae mundus videre nunquam potuit, hoc cath. orbis Epporum ad sepulchrum S. Petri circa Pium IX confluxu; nam post gloriosam millionum et millionum Martyrum mortem, post tantarum terrenarum potestatum interitum, tantorumque regnorum occasum *aeterna Urbs stat; stat, fulgetque S. Petri sedes, aeternae suae durationis pignus in infallibilibus Dei promissis et in reportatis per tot seculorum fluctus victoriis possidendo et exhibendo.*

Hac occasione Pius IX, in solemni sua allocutione die 26 Iunii 1867 ad nos habita, adaperuit nobis animi sui consilium, se, ad medendum innumeris malis, quae Ecclesiam Dei, non secus ac civilem societatem tam flebili modo premunt, et arrodunt, *generale Concilium* ecclesiasticum Romam, ad sepulchrum S. Petri convocare velle, cuius aperiendi dies serius designanda, christianoque mundo annuncianda foret. Gaudium et solatium replevit pectora congregatorum Epporum, audito hoc consilio; gaudium et solatium manifestarunt ii etiam Eppi, qui hac festivitate Romam comparere non potuerunt; Nosque praesentes calendis Iulii homagiali in scripto, ac vivae

vocis ministerio adaperuimus S. Patri: Nos in convocando oecumenico Concilio ferventissimorum nostrorum votorum implementum, sanctissimae causae nostrae tutelam, atque Ecclesiae et civilis societatis renovandam pacem expectare et sperare. S. Pater Pius IX hanc declarationem nostram ea cum sponsione excepit, se consultationes et decisiones oecumenici Concilii praesidio immaculate Conceptae Dei Genitricis committere volendo, illud quodam festo Mariae V. aperturum. Itaque elapso anno, seu 29 Iunii 1868, divis AA. Petro et Paulo sacra, Sua Sanctitas generale Concilium indixit, cui auspicando festum Immaculatae Conceptionis B. Virg. praefixit.

Sci adimplentur divina consilia, sic stabilitur et propagatur regnum Dei his in terris; attigimus quippe illud momentum, quo virtute nuncupati occasione episcopalis consecrationis nostrae iuramenti nobis Romam eundum est, ut in synodalibus consultationibus et decretis cum ceteris orbis christiani Praesulibus partem capiamus. Divellimur itaque, dilecti in Christo fideles! pro tempore a vobis. Ast spiritu incessanter vobiscum erimus; nam de indigentiis universae Ecclesiae consultando, spiritualia mala vestra ibi quoque praecipuum obiectum episcopalis nostrae sollicitudinis constituent; operam daturi, ut statum totius christiani mundi perfectius cognoscentes, in decretis synodalibus vobis quoque pacem et salutem adferamus; pacem, quam mundus dare non potest; pacem, quam nonnisi vere catholicum cor assequendo est. Priusquam tamen itineri nos committamus, praesulea nostra vocatio non permittit nobis, quin hac solemni occasione, ante eventum, quem mundus a 300 annis non vidit, ad vos paterna quaepiam verba faciamus, exponentes vobis *sensum, significationem et momentum* generalis Concilii Ecclesiae; ut—dum nos Episcopi Romae de vestra salute consilia inituri sumus, vos ferventibus precibus Nos succolando, decursum Concilii christiano-catholicis fidelibus digna attentione prosequaminor.

Magnis catholicae vitae eventibus obviam pergimus. Nos quidem infirma media divinae Providentiae, et indigni ministri Filii Dei sumus; sed protegit, ducit et confirmat Nos oratio Iesu Christi, qui „sublevatis oculis in coelum dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. —

Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut et nos. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. Sanctifica eos in veritate. Et pro eis ego sanctifico me ipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia Tu me misisti." (Ioann. c. 17.)

Concilii generalis Ecclesiae sensum, significationem et momentum Vobis breviter exposituri, attentos Vos reddimus: *catholicam Ecclesiam non esse doctorum, non mundi rectorum, sed Dei opus*, ubi homo non praecipit, homo non disponit, sed unice Deus, et cui Deus ad id potestatem dedit. Non est ergo, nec unquam fieri potest in Ecclesia sermo de eo: quid velint homines, aut quid placeat hominibus? sed unice quid mandaverit Deus? quae sit voluntas Dei? quidve placeat Deo? Iesus Christus quoque omni occasione asseveravit, se non a seipso venisse, sed a Patre missum esse; (Ioa. 7. 28.) se in omnibus nonnisi voluntatem Patris facere; et de tota doctrina sua palam dixit: „doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me. (Ioa. 6. 16) Appellare potuisset Iesus ad voluntatem populi quoque, siquidem maxime popularis homo in regno fuerit; adeo: ut populus eum in triumpho Ierosolymas duxerit, regem eligere voluerit, et principes Sacerdotum hebraeorum, scribae et Pharisaei turbati consilia foverint, dicentes: „Videtis quia nihil proficimus; ecce mundus totus post eum abiit." (Ioa. 12. 19) Et tamen Iesus Christus dixit: „Sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio." (Ioa. 14. 31) „Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me Patris." (Ioa. 14. 24) Itaque nec in generali Concilio sermo esse poterit de alia re, nisi de eo: quid praecipiat Deus? Nam nec vos cupitis scire a Nobis: quid placeat Nobis? quid velimus Nos? sed semper nonnisi illud: quid praecipiat hoc, vel in alio casu

Deus? et dum annunciatis per nos praeceptis obsequimini, probe nostis: vos in eo non Nobis, non homini, sed Deo obtemperare.

Ecclesia est opus Dei; ergo non schola, non institutum literarium, in quo docere possit, qui vult, et docere, quod vult; in quo sub strepitu discussionis variarum opinionum, mentes quaquaversus abripi possint; etenim opinio unius doctoris, eodem modo humana opinio est, prout illa alterius. Cum Ecclesia sit opus Dei, semper ea dumtaxat obversatur quaestio: quidnam docuerit Iesus Christus? quid praedicaverint Apostoli? quid crediderit et docuerit semper Ecclesia? In Ecclesia id tantum credendum est, quod Deus revelavit; id tantum annunciandum, quod Christus docuit, aut praecepit, sicque vivendum: prouti dulcissimus Salvator noster Iesus Christus voluit. Unde *Ecclesia spirituale regnum est in his terris; regnum Iesu Christi,* quemadmodum ipse dixit „regnum meum," — (Ioa. 18. 36) cuius immutabilis, invisibilis Princeps est Iesus Christus, visibiles vero gubernatores illi sunt, quos hoc scopo necessaria potestate munivit: ut potestate et nomine eius dirigant mentes, voluntates, conscientias, verbo, totam vitam nostram. Nemo in Ecclesia docere potest, nisi quem Deus miserit; nemo gubernare, nisi cui Deus potestatem dederit. „Fundamentum aliud — sic scribit S. Paulus — nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus." (1 Cor. 3. 11) Iesus autem est lapis. Nam ipso Christo dicente: „Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in *caput anguli.* A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum;" (Matth. 21. 42, 44) id est: „Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur." (Marc. 16. 16) Neque generale Concilium potest alterius nomine loqui, aut alia potestate disponere: nisi nomine Dei et potestate a Deo accepta.

Multi crediderunt doctrinae Iesu Christi; ast propterea non omnibus commisit praedicationem huius doctrinae; sed dumtaxat illis duodecim, quos e fidelibus elegit et Apostolos nominavit, dicens: „Vos amici mei estis." (Ioa. 15. 14.) „sicut misit me Pater, et ego mitto vos;" (Ioa. 20. 21) et ut notum

sit mundo: in Ecclesia neminem missionem, potestatem, legationem ab alio accipere posse, nisi a Deo, a Iesu Christo, addidit: „Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.“ (Ioa. 15. 16.) Propterea omnes in una fide super Apostolos, quasi super totidem fundamenta superaedificati sumus (Ephes 2, 20) in Ecclesia, quam Iesus Christus acquisivit sanguine suo. (Act. 20. 28.) Ergo illi tantum in generali Concilio Ecclesiae legitime sedere, et decernere possunt, qui immediati et legitimi successores sunt Apostolorum, videlicet Eppi, in quos, — clare perhibentibus sacris Scripturis, SS Patribus et oecumenicis Conciliis, — a Christo instituta potestas, et missio apostolica non interrupta serie et hereditate transivit, ita, eoque scopo: ut tam character apostolicitatis verae Ecclesiae cognoscatur, quam fideles scire possint: se in Ecclesia in rebus salutis animarum suarum ab illis gubernari, qui ad id a Deo missi et potestate donati sunt. Ex huiusmodi Gubernatoribus consistet generale Concilium, quod cum S. Paulo dicere poterit: „et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Deus in aedificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos. Non enim .. superextendimus nos;“ (II ad Cor. 10. 8, 13, 14) quemadmodum id S. Thomas Aquin. breviter, sed apposite expressit: „quod Ecclesia disponit, id a Iesu Christo disponitur.“ (3. P. p. 83 art. 3).

Divinum opus, divinum salutis institutum est Ecclesia; divina potestas loquitur, praecipit, iudicat, gubernat in Ecclesia, et quia divina, ideo *infallibilis*, et ab omni alia potestate prorsus *independens* est. Deus omnes homines vult salvos fieri; (I Timoth 2, 4) ergo non tantum illos, qui temporibus Apostolorum vixerunt: sed etiam nos, et omnes, qui post nos usque finem mundi nascentur et vivent. Propterea Ecclesia semper necessaria est, non tantum ideo, ut viventes successive ducat; sed etiam, ut illos in via salutis *infallibiliter* ducat, seu, ut *infallibiliter verum* sit, quod docet, infallibiliter sanctum, salutare et utile, quod praecipit. In terrenis negotiis

nostris maiori, minorive gradu certitudinis, aut verisimilitudinis contenti sumus; verumtamen in spiritualibus rebus, ubi de aeterna salute nostra agitur, infallibilem, plenamque certitudinem quaerimus, ne ulli dubio locus remaneat. In his igitur infallibilitatem deposcit conscientia nostra; infallibilitatem poscit natura et dignitas divinae potestatis, in Ecclesia gubernantis. Hanc vero Iesus Christus Ecclesiae suae re ipsa dedit. „Ecce ego vobiscum sum, — inquit — usque ad consumationem seculi.“ (Matth. 28. 20) „Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, — qui apud vos manebit, et in vobis erit. — Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis.“ (Ioa. 14. 16, 17, 26.) Continua haec infallibilitas Ecclesiae unum e praecipuis fidei dogmatibus constituit. Huius infallibilitatis conscia declarabit, iudicabit, decernetque generalis Ecclesiae Synodus, quemadmodum Apostoli in Synodo Ierosolymitana, dicentes: „Visum est S. Spiritui S. et nobis.“ (Act. 15. 28.) Ecclesia in infallibili veritate, quam possidet et annunciat, deficere non potest; ideo aeterna est, quia spiritus mendacii et erroris ad eam accessum non habet; immaculata et incorrupta est in veritate.

Doceant quidcunque eruditi, verum esse potest; sed semper nonnisi humana opinio erit; congregentur sapientes regni, multa utilia decernere poterunt; sed decreta illorum infallibilia non sunt; sola vox Ecclesiae est infallibiliter vera, solum Ecclesiae iudicium est infallibiliter iustum, sola Ecclesiae praecepta sunt infallibiliter sancta et salutaria. „Non est opus apud alios quaerere veritatem — scribit S. Irenaeus — nam facili negotio apud Ecclesiam inveniri potest, cum Apostoli omnem veritatem ad Ecclesiam, velut ad quoddam promptuarium affluentissime congregaverint, ita, ut volentes, ab eadem potum vitae accipere possint.“ (Libr 3. adv. Haeres. c. 4. N. 1.) Quiscunque cuperet sapientior esse Ecclesia, protervus est; nam contra verbum Dei non est prudentia, non est sapientia. „Nihil Ecclesia potentius, o homo! — ait S. Ioannes Chrys. — bellum solve, ne robur dissolvas tuum. Ne inferas coelo bellum. — Si Ecclesiam oppugnes, vincere nequis, omnibu

quippe fortior est Deus.“ (Hom. ante exil. 4. ed. Maur. T. 3. p. 415.) „Facilius est solem de coelo detrahere, quam Ecclesiam de terra delere; nam Ecclesia coelo pretiosior est; posteaquam non Ecclesia est propter coelum, sed coelum propter ecclesiam.“ (Hom. 4. Vidi Dominum.) Quis haec dixit, quis promisit? Ille, qui dixit: „Coelum et terra transibit, verba autem mea non transibunt; et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“

Quodsi divina et infallibilis sit Ecclesiae docendi et gubernandi potestas, facile intelligemus: eandem necessario independentem quoque esse. *Ecclesia sui recognitionem et auctorisationem a nulla unquam terrena potestate petiit;* quemadmodum nec Christus, neque Apostoli implorarunt indultum romani Imperatoris, aut Procuratoris Iudaeae. Deus praecepit, et Apostoli docuerunt ac propagarunt regnum Dei. *Ecclesia sancta est, et in sua sphaera omni terrestri potestati praeest et praecipit. Qui ad sphaeram iurisdictionis eius se ingerit, hunc repellit: qui eandem impedit, hunc corripit.* Christiani Imperatores Romani olim omnimode studuerunt Ecclesiae dominari, et de quibusdam in ea disponere; ast repulit illos S. Ambrosius verbis, ad Valentinianum Imperatorem directis: „Noli putare Caesar, quasi ius quoddam haberes in iis, quae divina sunt: Caesaris sunt palatia, Sacerdotis templa.“ Ecclesia respondit verbis Hosii Cordubensis Eppi, ad Constantem Imperatorem dicentis: „Desine, quaeso, nec te misceas ecclesiasticis, neque nobis hoc in genere praecipe; sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae concredidit.“ (Ap. Athan. in Hist. Arian. n. 44.) Haec est catholicae conscientiae dignitas, independentia et libertas, quod in rebus religionis a nulla terrena potestate dependeat; sed dumtaxat a divina potestate Ecclesiae. Iesus Christus separavit spiritualem potestatem a materiali, ecclesiasticam a civili dicendo: „reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et Deo, quae sunt Dei.“ (Marc. 12. 17.) *Ecclesia independentiam deposcit, et nulli his in terris potestati subiecta esse potest.* Persecutio contra eandem suscitari potest; sed hic violentus ausus est, et titulum iuris nunquam adipiscitur; et quamvis Ecclesia fideles suos efficacissime hortetur ad obedien-

dum civili potestati; — nihilominus tamen instar sanctae obligationis et iuris semper reputat: a Deo acceptam independentiam et libertatem suam imperterrite defendere, et causa huius quascunque tribulationes pati. „Hoc catholicum principium de discernenda duplici potestate, — scribebat a. 1843 insignis quidam vir Galliae, — est fundamentum civilisationis et culturae, cum sit humanae dignitatis pignus ac munimentum.“ (Iournal des Débats 1843. 22 jul.)

Tam magnifica vocatione instructi, comparebunt ad Synodum Episcopi cath. Ecclesiae, ad universum notum mundum protensae. Ibidem ergo sedebunt omnium Imperatorum, omnium Regum subditi, omnium statuum cives, conservantes ibi quoque fidelitatem subditorum, et civilium suarum obligationum sensum; verumtamen in Synodo nonnisi salutis negotia regni et fidelium prae oculis habebunt; et in suis consultationibus nonnisi divinae voci obtemperabunt. In Synodo coadunabitur scientia, experientia, prudentia, et defaecatum senectutis iudicium loquetur et iudicabit, quasi coram divino tribunali loqueretur; ut adeo generalia Concilia Ecclesiae nunquam non merito pro supremis dignissimisque tribunalibus humanitatis haberentur.

Dil. Fideles! *Iesus Christus* elegit Apostolos, eorumque successores ad gubernandam Ecclesiam; ast *peculiari modo elegit et misit S. Petrum, eiusque successores in episcopali Sede Romana. Magnam potestatem contulit Iesus Christus collegio Apostolorum; sed eandem iam prius soli Petro contulit.* Iesus dixit Apostolis: „docete omnes gentes“; — (Matth. 28. 19.) sed Petro distinctim, atque soli dixit: „pasce agnos meos, pasce oves meas.“ (Ioa. 21. 16, 17.) Apostolis dixit: „quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo“; — (Matth. 18. 18.) Sed Petro speciatim dixit: „Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis.“ (Ib. 16. 19.) Ergo qua potestate praediti fuerunt iunctim Apostoli: eadem donatus fuit distinctim S. Petrus. *Quin imo Cristus plus contulit Petro, quam Apostolis.* Non dixit quippe Iesus Apostolis, sed exclusive Petro: „Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.“ (Matth. 16. 18.) Non Apostolis, sed soli Petro dixit: „Simon, Simon! ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut

triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.“ (Luc. 22, 31, 32) Propterea *S. Petrus est fundamentum Ecclesiae, super quod aedificata est tota Ecclesia;* propterea *S. Petrus, eiusque successor in Sede Romana est Vicarius Iesu Christi his in terris, visibile Caput et Gubernator Ecclesiae, centrum ecclesiasticae unitatis et administrator universalis regiminis Ecclesiae.* Talem mox agnoverunt Apostoli S. Petrum; talem ab exordio se exhibuit S. Petrus; talis omni tempore agnitus fuit quivis successor S. Petri in Sede Romana: huiusmodi universalem legislativam, iudiciariam et gubernativam potestatem Pontifices in tota Ecclesia de seculo in seculum usque hodiernam diem exercuerunt; ita, ut dicente S. Petro Chrysol. „S. Petrus in successoribus suis hodie quoque vivat et cunctis iustitiam administret;“ et — acclamantibus Patribus Concilii Chalcedonensis — „S. Petrus per os Leonis Papae locutus sit.“ — „Ubi Petrus, ibi Ecclesia.“ aiebat S. Ambrosius (In Ps. 4. 30), et dicente S. Cypriano Episcopo „Unitas sacerdotalis a cathedra Petri sumit exordium.“ (Ep. 55.) Unde cum Concilio Florentino dogmatis instar profitemur: „Sanctam apostolicam sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem esse Successorem S. Petri, et vere Christi Vicarium, totius Ecclesiae Caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et in S. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam fuisse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in ss. canonibus continetur.“ (Sess. 25. a. 1436.)

Pius IX, S. Petri Ap. 258-us in Sede Romana successor Nos convocavit ad concilium; cum *nonnisi Romanus Pontifex convocare possit generale Concilium;* et illud dumtaxat Concilium est vere generale Concilium, quod Romanus Pontifex convocat; nam qui est *Episcopus Episcoporum* (Tertull. de pudic. c. 1.) is praecipere potest: ut omnes Episcopi Ecclesiae congregentur; — Pius IX praeerit Concilio, quia *nonnisi Papa potest praesidere in Synodo, nonnisi ille potest consultationes et decreta eiusdem dirigere;* Nos ibidem sedebimus, tamquam iudices loquemur et decernemus; sed *tum tantum sunt*

valida decreta Concilii, dum a Pontifice confirmantur. Sine Papa non est generale Concilium; contra Papam, non est decretum Concilii. Generale Concilium nonnisi per Pontificem est validum, et vim obligantem a Pontifice consequitur. „Super illum unum — scribit S. Cyprianus — aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas.. Ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem, ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.. Primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia, et cathedra una monstretur. Qui cathedram Petri, super quem fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse confidit"? (Cypr. de unit.) Nos Eppi in propriis dioecesibus tantum fruimur potestate legislativa; potestate tamen extra terminos Dioecesis nostrae, et pro tota Ecclesia leges ferendi destituimur. — *Solus Pontifex est legislator in universa Ecclesia;* propterea *in generalibus Conciliis Pontifex nos elevat ad dignitatem universalium legislatorum, et participes Nos reddit pontificiae suae potestatis legislatoriae.* „Memento — inquit Tertullianus — claves eius Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse." (Scorp.) *Nos tamquam iudices iudicabimus; sed Papa per Nos latae sententiae quoque iudex est, et, si iudicium nostrum suo annutu probaverit, iudicium universalis ecclesiae erit; et nonnisi tunc constituct vere legem, verum dogma fidei, vere divinam, infallibilem, aeternam et immutabilem veritatem,* cui parere omnes fideles obligantur. Semper et ubique verum manebit: *„ubi Petrus, ibi Ecclesia."* Id Iesus Christus sic voluit, ac disposuit; et quod Filius Dei disponit, id sanctum, verum, salutare et necessarium est. *Quod S. Petrus, et S. Petri Successores Romani Pontifices in universa Ecclesia super omnes fideles, omnes Sacerdotes et Episcopos potestate gubernandi, leges ferendi, iudicandi et exequendi polleant, id neutiquam Episcopi in quopiam concilio statuerunt; neque consuetudine ad vitam Ecclesiae irrepsit; sed ipse Iesus Christus disposuit et mandavit;* nam — dicente S. Hieronymo — „propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio." (Lib. 1 adv. Iovin.) „Sancta Romana Ecclesia — scribit Gelasius Papa sec. V. (494.) — nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris

nostri primatum obtinuit.“ Haec privilegia, dicente Nicolao I Papa — Sanctae Ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata, sed iam solummodo celebrata et venerata sunt; quam declarationem Concilium Lateranense IV etiam adoptavit. (An. 1215 decr. 5.) *In Petro, eiusque successoribus est una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia.* Hinc proficiscitur magna erga sedem romanam S. Petri veneratio; hinc adhaesio ac debitum obsequium; nam iubente Iesu Christo, *ubi est Papa, ibi est Ecclesia Iesu Christi.*

Ceterum, dil. fideles! concilium generale nonnisi *extraordinarius* legislationis et gubernationis modus est in Ecclesia. *Ordinarius gubernandi modus in eo consistit, quod Papa Roma universam regat Ecclesiam, singuli Eppi vero, in obedientia erga Summum Pontificem, suas Dioeceses gubernent.* Extraordinarius in Ecclesia eventus semper est difficilium, gravium et periculosorum temporum signum, et extraordinariarum necessitatum documentum est, dum Papa omnes orbis Episcopos ad se convocat, ut cum illis de ferendis calamitatibus Ecclesiae remediis consilia ineat, et decidat. Unde in novemdecim seculorum vita Ecclesiae, octodecim dumtaxat occurrunt Concilia, quae abs dubio pro oecumenicis agnoscuntur; et quemadmodum extraordinaria mala Ecclesiae precanda non sunt, sic non habemus, nec habere possumus causam: cur oecumenica exoptemus Concilia. Nonnisi tunc indixerunt summi Pontifices huiusmodi concilia, dum suggerente Spiritu S. — qui illos in gubernanda Ecclesia nunquam deserit, — inomisse necessarium, aut summopere utile iudicarunt, ad hoc extraordinarium medium confugere. Quapropter, etiamsi ignoraremus causas, quae S. Patrem ad convocandos in Concilium orbis Eppos induxerunt; posteaquam convocati sumus, indubie certum foret: hanc synodum hodie omnino necessariam esse.

Causae utilitatis et necessitatis huius Synodi e moderno Ecclesiae, statuum et societatis situ haud difficulter deduci et intelligi possunt. Nam dum mundus in diversos fines tantos celebrat conventus, num cuidam mirum videri poterit: Antistites quoque Ecclesiae, in sanctissimum finem, pro gloria Dei

et fidelium salute convenire? Dum in mundo omnia coalescunt elementa, societatesque formantur, ut singulares vires in magnam, activam vim accrescant; num mirabitur quis, capita cath. mundi, vestigia et exempla Apostolorum premendo, diebus nostris coadunari: ut magnam vim catholici elementi condigne, et alias iam obtento successu, evolvant? Filii mundi ad conventus quidem festinant, ut veritatem, bonum et salutare exquirant; quin unquam certi essent. se eadem inventuros. Ast Ecclesia iam possidet veritatem, possidet bonum; ideo extraordinario modo in Synodo congregata, existentem iam veritatem, existentem iam unitatem, existens iam bonum in extraordinario splendore et vigore exhibet. Nulla ergo adest causa: cur Synodus cuidam offendiculo sit. Sed utilitas quoque huius concilii facile dignoscitur. Ecclesia est regnum spirituale; attamen in mundo constituitur; cives regnorum sunt eiusdem fideles; ergo suapte prae oculis habere debet: num statuum et civilis-socialis ordo Ecclesiae, et vitae christianae favens, aut infensus sit? Moderna statuum, et societatis adiuncta Ecclesiae, et religioso-morali seu christianae vitae admodum infensa sunt; unde scopo conforme videtur: ut Ecclesia rerum situm serio expendat, et suggerente Spiritu S. ea disponat, quibus praesentia, et futura pericula e medio tolli, vel saltem innocua reddi queant. Si penitius consideraverimus modernum religiosum et politicum statum Europae, necessitatem Concilii quoque mox perspiciemus. Etenim ab ultima oecumenica Synodo per tercentos annos pericula, quibus Ecclesia et societas circumdatur, decretorium gradum attigerunt. Tunc Ecclesia in rebus fidei tales habuit adversarios, qui unam, alteramve dumtaxat fidei veritatem negarunt, et nonnisi singulares partes vitae christianae eliminare voluerunt; ast hodie id, quod ante 300 annos, tamquam ad christianam fidem essentialiter pertinens, obiectum venerationis fuit, undique impudenter negatur; eoque pertigit erroris, peccatique potestas: ut increduli iam totam christianam fidem, totam christianam Ecclesiam abnegent, eamque mundo expellere, imo penitus delere cuperent; ne ulla religio, ulla sit fides, ulla confessio, ullus Deus, sed sola incredulitas vigeat, seu irreligiositas sit mundi religio. Ita sane, multi totum, quidquid christianum, quidquid divinum, quidquid

supernaturale est, pernegant; et hic incredulitatis nisus viam sibi aperuit ad corda multorum etiam catholicorum, adeo, ut inter hos quoque diffundatur contagium et naturalis sequela incredulitatis: morum perversitas. Haec tristia adiuncta et pericula crudeliter sauciant cor SS. Patris; quapropter a Spiritu S. illustratus agnovit: his malis nonnisi per extraordinariam virium cath. Ecclesiae evolutionem, — qualis est generalis Synodus — remedium parari posse. Sic egit Ecclesia alias quoque; et non tantum malis medebatur, sed etiam profectui ecclesiasticae vitae laetissimam maximeque salutarem viam aperuit. Oportet igitur hodie quoque maxime solemni modo annunciare et profiteri cath. fidei veritates, quae hereditatem humani generis constituunt, et sine quibus nec ordo, nec pax, nec securitas iurium, nec tranquillitas est, aut esse potest in societate. Magna mala nonnisi heroico curantur remedio: et hoc est *concilium generale*. Sanctissima humani generis causa deposcit concilium.

Idem dicendum est, si adiuncta statuum, et socialis vitae contemplemur. Hactenus inter Ecclesiam et status mutua viguit consensio: *hodie status nuncium mittere pergit ecclesiae et christianae fidei*. Cives status — ut singulares personae — fideles, catholici sunt: ast status, regimen, legislatio, iurisprudentia, administratio nec catholica, nec christiana erit; nam in sphaera status, — quemadmodum in pluribus regnis iam cernimus — nec Ecclesiae, nec religiosae conscientiae catholicorum civium habetur ratio. Donec harmonia inter Ecclesiam et statum viguit, Ecclesia in multis statui se accomodabat; multa permisit fieri a statu in sphaera ecclesiastica; sed dum status unionem et consensionem abrumpit, et nec amplius exoptat, tunc Ecclesia quoque providere debet: quid ipsi in hoc novo situ agendum sit? Novus situs, novas deposcit dispositiones; et hoc constituit necessitatem et unam causarum concilii. Ecclesiae serio deliberandum et decernendum est: quid in hoc novo situ, in quo tum ipsa, tum religiosa vita cum statu et sociali ordine ad collisionem ponitur, agere debeat? Quid eandem agere oporteat, dum christiana cultura, progressus et conscientiae libertas per novas statuum tendentias non tantum periclitantur, sed facile penitus excluduntur? Ecclesia

salvare debet animas, et cum illis animarum thesauros. *Ecclesia semper dolet, nec unquam probare potest separationem Status ab Ecclesia, a religioso-morali ordine;* dolet, ob pericula, non tantum saluti fidelium, sed et ipsi societati impendentia; nam fieri haud potest, ut firma sit nationum vita, si in fide, religiosa convictione, conscientia radices non fixerit; quomodo enim firma esse poterit nationum vita, si ad oppositam religiosae conscientiae, et religioso ordini directionem rapiatur? Hoc idem esset, ac nationum pacem, imo vitam aleae committere. Magna ingenia conspiciunt periculum, angore replentur et remedium gemendo exoptant. Spiritualia damna cumulantur, sancta principia oblivioni traduntur, mentes erroribus irretiuntur, auctoritas contemnitur, idea libertatis, culturae, progressus adulterata, corrupta est; unicum superest salutis medium: veritas Dei, lex Dei. S. Pater praesentibus socialibus, moralibus et religiosis malis ingemiscens, exasperatis vulneribus extraordinarium applicare vult remedium; ideo ad Vaticanum, ad sepulchrum S. Petri convocavit generale concilium: ut divinas veritates denuo annunciet, ubi oblivioni traditae, — in memoriam revocet, ubi obscuratae fuerunt, easque nova luce collustret; et revecto morali religiosae et ecclesiasticae societatis ordine, per id labenti societati quoque salvantem manum porrigat. Adimplebunturne ardentissima Patris christianitatis vota? mysterium Dei est. Egit saltem, quae potuit; et si egit, Ecclesia de successu non respondebit; nam quemadmodum hactenus cuncta mala sine illa exorta sunt, sic eadem illi nec postea imputari poterunt. Adimplebunturne Epporum vota? nescimus; verum consilia Dei abs dubio effectum sortientur; et si, quantum in nobis est, faciamus, benedictio Dei deesse haud solet. Cum fiducia possumus expectare, dil. fideles! aperiendum Concilium, cum scriptum sit: „Spiritus S. ducet vos ad omnem veritatem."

Ceterum obiectum discussionum et decisionum Concilii ipse S. Pater praefixit in literis indictionis. „In oecumenico hoc Concilio, scribit, ea omnia accuratissimo examine sunt perpendenda ac statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus maiorem Dei gloriam et fidei integritatem, divinique cultus decorem, sempiternamque hominum salutem, et utrius-

que cleri disciplinam, eiusque salutarem et solidam culturam, atque ecclesiasticarum legum observantiam, morumque emendationem, et christianam iuventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam inprimis respiciunt.“ Itaque in Ecclesiae et societatis bono desudabit Concilium, prout Spiritus S. suggesserit; — mentis, cordis et passionum luctas temperabit, noxias ambiguitates dissipabit, errori fallaces larvas detrahet, dubiis et contorsionibus sensus viam praecludet, auctoritati robur, verae libertati munimen et securitatem conciliabit, humano intellectui semitam indicabit et viam sternet, vero progressui directionem dabit, verbo: Synodus conciliabit, medebitur, coadunabit, liberabit. Bellum errori et peccato inferre, iustitiae et virtuti succurrere: hic est scopus decretorum Concilii. Concilium nihil praecipitanter aget, neque in pertractationibus se abripi sinet; verum inspirationes S. Spiritus, et aeternae sapientiae consilia audiendo procedet. Libera discussio, tranquilla, seriaque deliberatio omnibus decretis praemittetur; neque aliud in decretis Concilii erit, quam veritas, sapientia, iustitia. Hac de re unumquemque certum reddere potest Patrum Concilii sacrum munus, scientia, obligationis persuasio, experientia, provectae aetati conforme moderamen, praesertim vero et prae omnibus Ecclesiae promissum activum Spiritus S. auxilium, quo suffragante, Synodus a veritate recedere non potest. *In hoc Concilio fideles dulci cum solatio, mundus vero stupendo videbit: catholicam Ecclesiam existere, vivere, divina auctoritate loqui, decernere, iudicare.* Per id sublevabitur et consolidabitur societas, ac statuum quoque diminuta auctoritas; quia non est potestas, nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo sunt ordinatae. (Ad Rom. 13—1) Synodus abs dubio eo convertet suos conatus, ut antiquam ac salutarem ecclesiasticam disciplinam catholicae vitae confirmet, novisque sanctionibus suffulciat, prouti aevi indigentiae exposcunt. Renovabit faciem terrae, quemadmodum tunc, dum Apostoli post Concilium Ierosolymitanum per orbem dispersi fuerunt. Deus erit, Deus est cum Concilio; potestate Dei, nomine Dei loquitur, decidit, agit Concilium; Iesus Christus invisibili modo sedebit inter Patres Concilii: „Ecce, dixit, ego, vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consumationem seculi.“ Et iterum: „Ubi sunt

duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.“ Ecclesia educavit christianum hominem, christianam familiam, christianum statum, christianam nationem, christianam societatem, christianum mundum. Spiritus Ecclesiae inimicus haec omnia subvertere vellet; verum Ecclesia in Synodo congregatur, ut defendat, quod nomine Dei per decursum seculorum boni, pulchri, gloriosi produxit; speramusque hos sacros conatus Ecclesiae a Deo successu coronandos fore. Ex his, dil. fideles! aliquantum perspicere possumus quam benedictos fructus speremus a Concilio, ad quod properamus.

Inprimis *unitas cath. Ecclesiae*, in tota sua magnificentia apparebit mundo: unitas in cogitando, unitas in iudicando, unitas in volendo, identitas in omnibus. Chorus Epporum per totum mundum diffusus vix unquam in cogitando tantopere consensit, velut hodie. Ternis iam vicibus congregati sunt Eppi ex omnibus mundi partibus circa Pium PP. IX et cum solatio experti sunt, omnes idem sentire, non tantum in rebus fidei, sed in iis quoque, quae ad fidem pertinent, cum fide connectuntur; omnes eadem lingva locuti sunt „populus unius labii.“ Hoc unitatis sensu ad Concilium proficiscentes, in hac unitate confirmati revertentur ad populos suos, et catholica unitas, catholica conscientia ubique expergiscetur et consolidabitur. Unitas est vis, unitas est potentia, et in hac unitate Ecclesia in medio scissionum, in mundo ubique apparentium, tamquam petra immota persistit. Et cum in Ecclesia semper nonnisi de eo sermo fieri possit: quid docuerit, quid praeceperit Iesus Christus, et consequenter, quid crediderit semper Ecclesia; hinc in Concilio neutiquam quaeretur: quaenam novae veritates sint detegendae, sed qualis fuerit semper fides Ecclesiae? Haec Synodus clarissime demonstrabit: Ecclesiam eandem esse, quae fuit primis seculis; eandem, quae semper fuit; eandem in Asia, America, Australia, quae est in Europa et Romae. Salutaris porro fructus Concilii erit: *securitas, claritas et infallibilis certitudo multorum obiectorum, principiorum et opinionum, de quibus catholicorum mentes haud ubique aequaliter sentiunt.* Plures graves, maximique momenti quaestiones existunt hodie, circa quas multa nobilia ingenia catholica ambigua haerent, et periculosis illusionibus

involvuntur. De his ergo quaestionibus loquetur Concilium, in illo Ecclesia, et per illud Spiritus S. — et erit dies, ubi crepusculum tantum erat; erit lux, ubi noctis tenebrae erant; erit certitudo, ubi quaedam dubia haud defuere. Nam dicente S. Vincentio Lerinensi: „quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, (Ecclesia) nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? Hoc, inquam, semper, neque quicquam praeterea, haereticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius a maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per Scripturae chirographum consignaret. O Timothee, depositum (veritatem) custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.“ (Cap. 23. Commonit.) Non existit maior thesaurus veritate; maximus thesaurus est, clara, certa et indubitata veritatis possessio; atque hic erit fructus S. Concilii. Dil. fideles! commune est praesagium, communis praesensio: nos novo mundi ordini obviam ire. Mundus quidem semper mutatur, elevatur, labitur, faciem mutat, quemadmodum aequoris undae. Regna formantur et disparent, — nova regna exurgunt et novi limites figuntur. At *Ecclesia inter omnes variationes immota stat, quia aeternam possidet veritatem*; veritas autem semper eadem est: hodie, cras et in sempiternum. Cum novo mundi ordine ecclesiam quoque ad novum situm collocari oportet; sed ita, ut aeternas leges sine mutatione retineat. Non trepidamus de sorte Ecclesiae, sed de salute innumerorum singularium hominum, de existentia nationum. Ecclesiae vulnera nunquam non sanata fuerunt; verum nationes vulneribus succumbere sueverunt; — Ecclesia rursus se erigit; at lapsae nationes e tumulo resurgere haud solent. Itaque non tam Ecclesiae, quam nationibus impendet periculum; Ecclesiam in novo rerum ordine nova expectat gloria. Adiuncta non sunt tristiora illis, quibus S. Gregorius I Papa illachrymatus est; et tamen christiani ordinis gloria recte ex moestis illis adiunctis exurrexit, quae S. Papa deploravit. *Christiani mundi*

ordo in christiano matrimonio, christiana schola, christiano regimine et Ecclesiae auctoritate sua fundamenta habet. Quodsi mundus ab ecclesia, a christiano ordine discesserit; mundus ad Ecclesiam redire, neutiquam vero Ecclesia mundo se conformare debet; — Ecclesia laedi potest, ipsa tamen neminem laedit; Ecclesiae ergo reconciliandae sunt nationes. Difficilia vivimus tempora. Dimidium seculi 19-i praeteriit, et hoc seculum revolutionum erat; adveniet, speremus in Deo, etiam aevum reconciliationis, tranquillitatis et gloriae Ecclesiae. Confidite igitur, erigite animos vestros dil. fideles! *Ecclesiam Deus regit; non ideo permisit Deus fluctibus saevire, ut navem Petri submergant; sed ut eandem in altum extollant.* Mundus, tamquam in difficili partu, angustiis premitur: *Ecclesia imperturbata viam aeternitatis suae prosequitur; et Pius IX in medio periculorum,* — quasi omnia pacatissima essent, — *S. Synodum indixit,* eodem modo, quo Ieremias diebus emigrationis agellum Anathoth emebat. Sit hoc exemplo, quomodo confidamus Deo. Profiteamur nos Catholicos esse, membra illius Ecclesiae, quae sola in terris immortalis est. Promissiones Dei cath. fidem dumtaxat attinent. Concilium festo immac. Conceptionis B. V. Mariae aperietur, die, quae gloriae Pii IX connectitur.

Concilium itaque, in sensu praemissorum, suprema humanitatis negotia tractabit; Deus adfuit sua gratia, ut S. Pater, quemadmodum exoptavit, Concilium indicere possit. Ceterum vobis quoque, dil. fideles! collaborandum est, ut haec s. Synodus optatos benedictos fructus ferat; imo dicendo sumus, ubertatem et durationem fructuum Concilii in magna parte a vestra ferventi cooperatione dependere. In quo autem consistit haec vestra cooperatio? *Suscitare debetis in vobis fidem, et fiduciam erga divinam illam auctoritatem, quae decretis Concilii a legitimo Papa convocati et directi competit.* Spiritus S. invigilat Patrum decretis, eaque infallibilia reddit. Non passiones, non partium studium, non nationum aemulationes decernent in Concilio: sed Spiritus S. Sit ergo reverentia, obedientia, filialisque adhaesio decretis Concilii. Iam S. Gregorius dixerat, se decreta Conciliorum sicut sancti Evangelii quatuor libros suscipere et venerari; — S. Augustinus

vero: „ego Evangelico non crederem, nisi Ecclesiae me convinceret auctoritas“ ; — et Ecclesia inter Sanctos colit eos, qui propter decreta Conciliorum persecutiones passi sunt, aut sanguinem fuderunt. *Semper ab Ecclesia defecisse tenebatur, qui in rebus fidei decretis oecumenicorum Conciliorum, aut saltem uni decreto restitit.* Dum infallibilis veritas loquitur, obedientia mentis et voluntatis minimum est, quod catholicus erga decreta Concilii exhibere potest. Eadem obedientia suscipiendae sunt etiam disciplinares leges Ecclesiae. Divinae potestatis et auctoritatis mandato obedientiam praestare facillimum est; praesertim si praevie certi simus: legem in bonum societatis tendere. Hic non obedire idem est, ac animae suae detrimentum facere. Ecclesia non tantum proponit: quid credendum, sed etiam quomodo vivendum sit. Ipsa vitae devotae eodem modo, quo fidei, gubernatrix est. „Qui ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus“ ait Christus Dominus. (Matth. 18. 17.) Qui Ecclesiae leges spernit, tardius fidem quoque abiiciet; eadem quippe auctoritas loquitur de fide, quae disciplinares leges statuit. *Submissio itaque mentis et voluntatis est praecipuum cooperationis fidelium medium,* ut fructus S. Concilii in vita radices figant; sed numquid fideles plus praestare nequeunt? Divina Providentia disposuit, ut spiritualia et temporalia bona, quibus indigemus, precibus a Deo impetremus. Oratio consequitur quod a Deo petimus; at una in se ipsa opus bonum ac meritum constituit. Multa bona, — quia multis egemus, — a S. Concilio praestolamur, praestolarique debemus; Deus per S. Concilium vult nobis haec bona largiri; ferventes et assiduae preces fidelium efficient, ut multa bona abundantius in nos effundantur, et affluentiorem nobis adferant benedictionem. „Bona est oratio cum ieiunio“ ; (Tob. 12. 8) „Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.“ (Luc. 11. 41) Oratio, ieiunium, eleemosyna se mutuo augent, vivificant, Deoque commendant. S. Synodus meliorum temporum aurora fieri potest, si Patres synodales precibus nostris iuverimus. Fideles! membra societatis perpetuae adorationis Sanctissimi, qui altaria Dei exornatis, precemini Deum: ut per decreta Concilii vigor disciplinae ecclesiasticae vitae renovetur, utve ad altaria, vestris oblatis decorata semper mundi cordis

et mundi spiritus Sacerdotes accedant. Multum provehit devotionem decus Ecclesiae et splendor cultus divini; plurimum tamen aedificat pastor animarum secundum cor Dei. Fideles! membra sodalitatis SS. Cordis Iesu et Mariae, ac S. Rosarii, orate, eleemosynas quoque pauperibus largiendo, ut synodales Patres apta media sint consolidandae religiosae ac moralis vitae. Fideles! membra apostolatus orationis, ieiunando et benefaciendo orate, ut per decreta Concilii vera fides christiana apud infideles propagetur, errantes ad certam viam reducantur, dubitantes in fide firmentur, peccatores Deo reconcilientur, pii in bono perseverent, scandala in Ecclesia cessent. Orate dil. fideles omnes, clamantes ad Dominum: Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Oratio, confessio, communio, ieiunium, eleemosyna essentiale medium cooperationis fidelium ad sanctum finem constituunt. Sacerdotes bonum semen seminant. oratio et zelus fidelium eidem coelestem benedictionem adfert. Medius iam annus labitur, ex quo in Ecclesia milliones cordium Deum precantur, et sub Concilio quoque orabunt, pro benedicto, successus pleno et imperturbato eiusdem decursu. Insuper Pius PP. IX die 1-a Iunii a. c. ex incidenti huius S. Concilii, pro excitanda pietate cath. fidelibus plenarias indulgentias concessit. Quomodo debeatis vos praeparare, ut hanc gratiam digne et secure impetrare possitis, de eo, pastorali nostrae instructioni conformiter, pastores animarum e s. suggestu vos edocebunt.

Charissimi fideles! Paterno cordi nostro, quod nonnisi vestram salutem anhelat, denegare non potuimus hoc solatium, quin, priusquam difficilibus his temporibus, causa Ecclesiae et iubente nostro officio ad generale Concilium Romanum proficiscamur, pastoralem vocem nostram ad vos dirigamus, et e medio vestri ad tempus discessuri, vobis, tamquam charissimae familiae nostrae intima cordis teneritudine valedicamus. Elongati a vobis, pone sepulchrum S. Petri, ad gloriosum latus S. Patris nostri, zelum nostrum inter magna negotia Ecclesiae et sortem fidelis gregis Nobis commissi conscientiose partiendo, vos, charamque patriam nostram quotidianis precibus nostris includemus. Atque ea dulci spe animati discedimus: vos quoque vicissim pro Nobis oraturos fore; et dum Deum pro

tuenda Ecclesia sua, pro salute terrestris sui Vicarii, pro felici successu Concilii pie implorabitis, una religiosa fidelitate christianas obligationes fidelium ac civium domi impleturos, iura Ecclesiae et libertatis conscientiae, a Deo accepta, quae abalienari nequeunt, defensuros, et dilectione proximi foturos fraternam pacem, quae scopo consolidandae prosperitatis patriae et nationis hodie magis, ac unquam necessaria est. Has inter dulces, certasque spes, accipite adhuc semel ex imo corde profectam praesuleam nostram optimam Benedictionem, in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen. — Datum Strigonii die 8-a Novembris 1869.

ACTA CONCILII VATICANI USQUE SESSIONEM III.

1507—1508.

Duplex **Allocutio Pii IX P. M.** ad Eppos pro Oecumenico Vaticano Concilio congregatos, 2 et 8 Dec. 1869 habita.

1507. *Allocutio prior in Congregatione praesynodali 2 Dec. 1869.* Sacri Oec. Vaticani Concilii conventus post paucos hinc dies auspicaturi, nihil opportunius nobisque iucundius existimavimus, ven. fratres. quam ut Vos universos hodierno die iuxta nostra desideria hic congregatos alloqui, ac praecipuam caritatem, quam intimo corde alimus, vobis aperire possemus. Cum enim de re maxima agatur, qualis est illa, in qua de remediis comparandis agitur tot malis, quae christianam et civilem societatem hoc tempore perturbant, putavimus Apostolica nostra sollicitudine dignum esse, et tantae rei magnitudini consentaneum, ut, antequam Conciliarium rerum actio initium habeat, in omnis gratiae auspicium vobis coelestis benedictionis opem a Deo clementissimo precaremur; ac necessarium censuimus, *vobis eas tradere normas Apostolicis nostris literis consignatas atque editas, quas ad omnia in Conciliaribus actionibus rite et ordine agenda constituendas esse iudicavimus.* Hoc autem illud est, ven. fratres, quod, Deo et Immaculata Deipara votis nostris annuente, hodierno die in amplissimo hoc vestro conventu peragimus; nec satis verbis explicare possumus ingentem eam consolationem, quam vestra haec exoptata et debita Apostolicae vocis obsequio frequentia nobis ingerit, cum

vos tandem ex omnibus catholici orbis partibus in hanc almam Urbem indicti a nobis Concilii causa convenisse, et *summa animorum consensione nobiscum coniunctos* aspiciamus, quos eximia erga nos et Apost. Sedem devotio, mirificus ad navandam Christi Regno operam ardor, et in pluribus etiam tribulationum pro Christo perpessio iure efficit cordi nostro carissimos. *Haec autem,* Ven. Fratres, haec *vestra nobiscum coniunctio eo gratior nobis accidit, quod in ea haerentes Apostolorum vestigiis insistimus, qui suae unanimis et constantis cum divino Magistro coniunctionis luculenta nobis exempla reliquerunt.* Nostis enim ex S. Literis, cum Christus Dominus Palaestinae regiones peragrans iter faceret per civitates et castella, praedicans et evangelisans regnum Dei, eius lateri Apostolos pari omnes studio adhaesisse, et duodecim cum illo, uti S. Lucas loquitur, fideliter, quacunque iter haberet, esse versatos. Atque haec Apostolorum coniunctio splendidius etiam enituit eo tempore, cum coelestis Magister docens in Capharnaum de divinae Eucharistiae mysterio coram Hebraeis fusiori sermone pertractavit: tunc enim cum gens illa carnalis et obtusioris sensus sibi de tantae caritatis opere persvadere non posset, atque ita Magistri pertaesam se ostendisset, ut multi discipulorum, Ioanne restante, abirent retro, et non cum illo ambularent, Apostolorum tamen amor in Magistri veneratione et obsequio immotus perstitit, et Iesu Apostolos percunctante, num et ipsi vellent abire, graviter id ferens Petrus in eas voces erupit: Domine, ad quem ibimus? et rationem adiecit, quare Dominum constanti fide sequi velle statueret: Verba vitae aeternae habes. (Ioan. 6.) Haec nos animo recolentes, quid dulcius aut iucundius hac nostra coniunctione reputare, quid porro etiam firmius ac stabilius tueri debeamus? Non deerunt certe nobis, una licet in Christi nomine coniunctis, non deerunt contradictiones ac dimicationes subeundae, nec inimicus homo segnis erit, nil magis cupiens quam superseminare zizania; at nos memores Apostolicae firmitudinis et constantiae, quae Domini praeconio laudari meruit, „vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis“ (Luc. 22.), memores Redemtoris nostri diserte denunciantis, „qui mecum non est, contra me est,“ officii pariter nostri memores esse debebimus, omnique

studio curare, ut inconcussa fide ac firmitate Christum sequamur, illique omni tempore concordibus animis adhaereamus. In ea enim conditione constituti sumus, ut in acie adversus multiplices eosdemque acerrimos hostes diuturna iam contentione versemur. *Utamur oportet spiritualibus militiae nostrae armis, totamque certaminis vim tum divina innixi auctoritate, tum caritatis, patientiae, precationis et constantiae clypeo sustineamus.* Nihil autem metuendum, ne vires nobis in hac dimicatione deficiant, si in Auctorem et Consummatorem fidei nostrae oculos animosque coniicere voluerimus. Si enim Apostoli oculis et cogitatione in Christo Iesu defixi satis ex hac animi viriumque sumserunt, ut adversa quaeque strenue perferrent, nos pariter ipsum adspicientes in salutari pignore redemtionis nostrae ex hoc aspectu, unde divina manat virtus, nos eam vim roburque inveniemus, quo calumnias, iniurias, inimicorum artes superemus, ac salutem nobis totque etiam miseris a via veritatis errantibus ex Christi Cruce haurire laetabimur. Neque vero Redemtorem nostrum respicere contenti, eam quoque mentis docilitatem induamus necesse est, ut eidem libenter toto cordis affectu audientes simus. Hoc est enim, quod ipse Pater coelestis Maiestatis suae auctoritate praecepit, cum revelante Christo Domino gloriam suam in monte praecelso coram electis testibus, hic est, inquit, Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Iesum igitur prono mentis obsequio audiamus utique in omni re, at in ea praecipue, quam ipse ita cordi habuit, ut praenoscens difficultates, quibus ipsa obnoxia futura esset in mundo, de illa ipsa Patrem suum obsecrare in novissima Coena effusis iteratisque votis non omiserit: Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. (Ioan. 17.) Una itaque anima cum uno corde in Christo Iesu sit cunctis. Non aliud sane nobis maiori consolationi futurum est, quam si obsequentem Christi monitis aurem cordis iugiter praebuerimus, quo pacto et nos esse cum Christo agnoscemus, et perspicuum aeternae salutis pignus inesse reperiemus in nobis: qui enim ex Deo est, verba Dei audit. Has Pontificiae nostrae cohortationis voces ex intimo corde depromtas Omnipotens et Misericors Deus, Deipara Immaculata deprecante, potenti sua ope

confirmet, efficiatque propitius, ut uberibus fructibus augeantur. Convertat deinde faciem suam ad Vos, ven. fratres, ac tum corpora tum animos vestros benedictionis suae gratia prosequatur: corpora nempe, ut labores omnes, qui a vestro sacro ministerio abesse non possunt, strenue alacriterque ferre valeatis; animos vero, ut coelestibus auxiliis abunde repleti, sacerdotalis vitae exemplis et virtutum omnium splendore in christiani gregis salutem praeluceatis. Huius autem benedictionis gratia vobis continenter adsit, atque omnibus vitae vestrae diebus clementer adspiret, ut dies pleni inveniantur in vobis, pleni sanctitatis et iustitiae, pleni sanctorum operum fructibus, in quibus verae nobis divitiae et gloria continentur. Atque ita nobis continget feliciter, ut expleto mortalis peregrinationis cursu in novissimo illo vitae die dicere cum Propheta Rege non vereamur: Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, atque aditum nobis patere plane confidamus in montem sanctum Sion, coelestem Hierusalem.

1508. *Allocutio posterior in prima Concilii Sessione 8 Dec. 1869.* Quod votis omnibus ac precibus a Deo petebamus, ut Oec. Concilium a nobis indictum concelebrare possemus, id insigni ac singulari Dei ipsius beneficio datum nobis esse summopere laetamur. Itaque exultat cor nostrum in Domino et incredibili consolatione perfunditur, quod auspicatissimo hoc die, Immaculatae Deigenitricis Virginis Mariae Conceptioni sacro, Vos, qui in partem sollicitudinis nostrae vocati estis, iterum maiori quam alias frequentia *in hac Catholicae Religionis arce* praesentes intuemur, aspectuque vestro perfruimur iucundissimo. Vos autem nunc, ven. fratres, in nomine Christi congregati adestis, ut nobiscum testimonium perhibeatis Verbo Dei, et testimonium Iesu Christi, viamque Dei in veritate omnes homines nobiscum doceatis, et de oppositionibus falsi nominis scientiae nobiscum Spiritu S. duce iudicetis. Si enim unquam alias, hoc maxime tempore, quo vere luxit et defluxit terra infecta ab habitatoribus suis, divinae gloriae zelus et dominici gregis salus a nobis postulat, ut circumdemus Sion et complectamur eam, narremus in turribus eius, et ponamus corda nostra in virtute eius. Videtis enim, ven. fratres, *quanto impetu antiquus humani generis hostis Domum Dei, quam*

decet sanctitudo, aggressus sit et usque aggrediatur. Eo auctore funesta illa impiorum coniuratio late grassatur, quae coniunctione fortis, opibus potens, munita institutis, et velamen habens malitiae libertatem, acerrimum adversus Sanctam Christi Ecclesiam bellum, omni scelere imbutum, urgere non desinit. Huius belli genus, vim, arma, progressus, consilia non ignoratis. Versatur vobis continenter ante oculos *sanarum doctrinarum, quibus humanae res in suis quaeque ordinibus innituntur, perturbatio et confusio, luctuosa iuris cuiusque perversio, multiplices mentiendi audacter et corrumpendi artes,* quibus iustitiae, honestatis et auctoritatis salutaria vincula solvuntur, pessimae quaeque cupiditates inflammantur, christiana fides ab animis funditus convellitur, ita, ut certum hoc tempore Ecclesiae Dei metuendum esset exitium, si ullis hominum machinationibus et conatibus exscindi posset. At nihil Ecclesia potentius, inquiebat S. Ioannes Chrysostomus, Ecclesia est ipso coelo fortior. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quae verba? *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

Quamquam vero civitas Domini virtutum, Civitas Dei nostri inexpugnabili fundamento nitatur, tamen agnoscentes ac intimo corde dolentes tantam malorum congeriem animarumque ruinam, ad quam avertendam vel vitam ponere parati essemus, nos, qui aeterni Pastoris Vicaria in terris procuratione fungentes zelo domus Dei prae ceteris incendamur necesse est, eam viam et rationem ineundam nobis esse duximus, quae ad tot Ecclesiae detrimenta sarcienda utilior et opportunior videretur. Ac illud Isaiae saepe animo revolventes, *ini consilium, coge Concilium,* et reputantes huiusmodi remedium in gravissimis rei christianae temporibus a praedecessoribus nostris salutariter esse usurpatum, post diuturnas preces, post collata cum ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus consilia, post expetita etiam plurium Sacrorum Antistitum suffragia, vos, ven. fratres, qui estis sal terrae, custodes dominici gregis, et Pastores, apud hanc Petri Cathedram censuimus evocandos; atque hodie divina benignitate favente, quae tantae rei impedimenta sustulit, S. Congregationis initia solemni maiorum ritu celebra-

mus. Tot autem sunt tamque uberes caritatis sensus, quibus hoc tempore afficimur, ven. fratres, ut eos in sinu continere non valeamus. Videmur enim in vestro conspectu universam catholicae gentis familiam, carissimos nobis filios praesentes intueri: cogitamus tot amoris pignora, tot ferventis animi opera, quibus vestro impulsu, ductu et exemplo suam pietatem et observantiam nobis et huic Apost. Sedi mirifice probarunt, ac porro probant; atque hac cogitatione nobis temperare non possumus, quin in vestro amplissimo coetu nostram erga eos omnes gratissimam voluntatem solemni et publica significatione profitentes, Deum enixe adprecemur, ut probatio eorum fidei multo pretiosior auro inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi. Miseram deinde etiam tot hominum conditionem cogitamus, qui a via veritatis et iustitiae, ideoque verae felicitatis decepti aberrant, eorumque saluti opem afferre desiderio desideramus, memores Divini Redemtoris et Magistri nostri Iesu, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat. Intendimus praeterea oculos in hoc Principis Apostolorum trophaeum, apud quod consistimus, in hanc almam Urbem, quae Dei munere tradita non fuit in direptionem gentium, in Romanum hunc populum nobis dilectissimum, cuius constanti amore, fide, obsequio circumdamur, atque ad Dei benignitatem extollendam vocamur, qui divini sui praesidii spem in nobis hoc tempore magis magisque fulcire et confirmare voluerit. At praecipue Vos cogitatione complectimur, ven. fratres, in quorum sollicitudine, zelo et concordia magnum momentum ad Dei gloriam operandam positum nunc esse intelligimus; agnoscimus flagrans studium, quod ad vestrum munus implendum attulistis, ac praesertim praeclaram et arctissimam illam vestrum omnium cum nobis et hac Ap. Sede coniunctionem, qua ut semper alias in maximis nostris acerbitatibus, ita potissimum hoc tempore nihil nobis iucundius, nihil Ecclesiae utilius esse potest; ac vehementer gaudemus in Domino, vos ita esse animo comparatos, ut ad certam solidamque spem uberrimorum fructuum et maxime optabilium ex Synodali hac vestra coitione concipiendam impellamur. *Ut nullum fortasse aliud infestius et callidius bellum in Christi regnum exarsit, ic nullum fuit tempus, in quo magis Sacerdotum Domini*

cum Supremo gregis eius Pastore unio, a quâ in Ecclesiam mira vis manat, postularetur; quae quidem unio singulari divinae providentiae munere et spectata virtute vestra ita iugiter reipsa constitit, ut spectaculum facta sit, et futuram magis confidamus in dies mundo et angelis et hominibus.

Agite igitur, ven. fratres, confortamini in Domino, ac in nomine ipsius Trinitatis Augustae sanctificati in veritate, induti arma lucis, *docete nobiscum viam, veritatem et vitam, ad quam tot agitata aerumnis gens humana iam non adspirare non potest; date nobiscum operam, ut pax regnis, lex barbaris, monasteriis quies, Ecclesiis ordo, clericis disciplina, Deo populus acceptabilis restitui possit.* Stat Deus in loco sancto suo, nostris interest consiliis et actibus, suos ipse ministros et adiutores in tam eximio misericordiae suae opere nos adlegit, atque huic ministerio ita nos inservire oportet, ut illi unice hoc tempore mentes, corda, vires consecremus. Sed nostrae infirmitatis conscii, nostris diffisi viribus, ad te levamus cum fiducia oculos, precesque convertimus, o Divine Spiritus! tu fons verae lucis et sapientiae divinae, tuae gratiae lumen praefer mentibus nostris, ut ea, quae recta, quae salutaria, quae optima sunt, videamus; corda rege, fove, dirige, ut huius Concilii actiones rite inchoentur, prospere promoveantur, salubriter perficiantur. Tu vero Mater pulchrae dilectionis, agnitionis, et sanctae spei, Ecclesiae Regina et propugnatrix, tu nos, consultationes, labores nostros in tuam maternam fidem tutelamque recipias, ac tuis age apud Deum precibus, ut in uno semper spiritu maneamus et corde. Vos quoque nostris adeste votis Angeli et Archangeli, tuque Apostolorum princeps Beatissime Petre, tuque Coapostole eius Paule, Doctor gentium et praedicator veritatis in universo mundo; vosque omnes Sancti coelites, et praecipue, quorum cineres hic veneramur, potenti vos deprecatione efficite, ut omnes ministerium nostrum fideliter implentes, suscipiamus misericordiam Dei in medio templi eius, cui honor et gloria in secula seculorum.

1509.

Index Schematum, quae a Theologis et eccl. Iuris Consultis pro Conciliari deliberatione praeparata fuerunt. 1869.

I. **CIRCA FIDEM. Schema 1:** *De doctrina catholica* contra multiplices errores ex *Rationalismo* derivatos. *Pars prima:* Professio doctrinae catholicae a) contra *Materialismum* et *Pantheismum;* b) contra *Rationalismum absolutum. Pars secunda:* Declaratio doctrinae catholicae contra principia *Semirationalismi:* A. *De revelatione supernaturali:* 1. de fontibus revelationis in Scriptura et Traditione; 2. de necessitate revelationis; 3. de obiecto Superrationali revelationis sive de mysteriis. — B. *De fide divina:* 1. de distinctione fidei divinae a scientia rationali; 2. de motivis credibilitatis pro fide christiana; 3. de supernaturali virtute fidei, et de libertate voluntatis in fidei assensu; 4. de necessitate et supernaturali firmitate fidei. — C. *De relatione inter fidem et scientiam:* 1. de ordine scientiarum ad fidem et ad auctoritatem Ecclesiae custodientis depositum; 2. de incommutabili veritate doctrinae Ecclesiae prae quavis scientiarum transformatione. — *Pars tertia:* Declaratio doctrinae catholicae contra errores circa specialia dogmata: A. Doctrina *de Deo:* 1. de unitate divinae essentiae in tribus personis realiter inter se distinctis; 2. de divina operatione *ad extra* communi tribus personis, et de Dei libertate in creando. — B. Doctrina *de Verbo incarnato:* 1. de una divina persona Christi in duabus naturis; 2. de redemtione et satisfactione a Verbo incarnato pro nobis praestita secundum humanam suam naturam. — C. Doctrina *de homine secundum naturam spectato:* 1. de communi origine totius generis humani ab Adam; 2. de natura hominis composita ex corpore et anima rationali ut forma corporis humani. — D.

Doctrina *de hominis elevatione supernaturali:* 1. de supernaturali statu sanctitatis et iustitiae originalis; 2. de hominis lapsu et de peccato originali; de aeternitate poenae destinatae cuivis peccato lethali in hac vita non expiato; 3. de gratia, quae nobis per Christum Redemtorem donatur; de habituali gratia permanente et animae inhaerente; de necessitate gratiae ad quemvis actum salutarem.

Schema 2. *De Ecclesia Christi.* Pars *prima:* De Ecclesia *in se* spectata. A. *De natura Ecclesiae:* 1. ea est corpus Christi mysticum; 2. in ea extat concreta religio christiana unice vera, quae ab Ecclesia seiuncta consistere nequit. — B. *De proprietatibus* Ecclesiae, ut est *societas:* 1. Ecclesia est societas vera, perfecta, spiritualis, et supernaturalis; 2. est societas visibilis; 3. Ecclesia visibilis est una, in se penitus cohaerens; 4. Ecclesia est societas necessaria ad aeternam hominum salutem necessitate tum praecepti tum medii; 5. extra Ecclesiam nemo salvatur; hinc sicut rationi ita fidei christianae repugnat doctrina de religionum indifferentia. — C. *De dotibus* Ecclesiae, ut ea *perennis* est: 1. de Ecclesiae indefectibilitate; 2. de Ecclesiae infallibilitate; 3. de Ecclesiae potestate; est in Ecclesia vera potestas non solum ordinis sed etiam iurisdictionis, legifera, iudiciaria, coercitiva, eaque independens. — *Pars secunda:* De *visibili Ecclesiae Capite.* A. De *Primatu Romani Pontificis:* 1. de institutione Primatus in Petro; 2. de Primatus perpetuitate in B. Petri successoribus Romanis Pontificibus; 3. de huius Primatus divinitus instituti natura. — B. De *temporali S Sedis dominio.* — Pars *tertia.* De Ecclesia spectata *in suis ad societatem civilem relationibus:* 1. de utriusque societatis concordia; 2. de civilis potestatis iuribus et officiis secundum doctrinam Ecclesiae Catholicae; 3. de specialibus Ecclesiae iuribus circa christianam institutionem et educationem iuventutis, circa publicam professionem consiliorum evangelicorum, circa ecclesiastica bona temporalia.

Schema 3. *De Matrimonio Christiano.* 1. De matrimonii christiani dignitate et natura; 2. de Ecclesiae circa matr. christianum potestate; 3. de matrimonii bonis in comparatione cum coniugiis, quae *mixta* dicuntur.

II. **CIRCA DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM.** 1. De Episcopis, Synodis Provincialibus et Dioecesanis, et de Vicariis Generalibus. 2. De Sede Eppali vacante. 3. De Capitulis Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum, ubi de Canonicorum officiis et qualitatibus. 4. De Parochis, ubi de modo conferendi parochiales ecclesias, de parochorum officiis, eorumque remotione. 5. De vita et honestate Clericorum. 6. De Seminariis ecclesiasticis, ubi de methodo studiorum et graduum collatione. 7. De Collationibus Ecclesiasticis. 8. De praedicatione Verbi Dei. 9. De parvo Catechismo. 10. De oneribus Missarum aliisque piis dispositionibus. 11. De usu Ritualis Romani. 12. De administratione Sacramentorum. 13. De Patrinis. 14. De titulis ordinationum. 15. De impedimentis matrimonii, ac speciatim de impedimentis cognationis legalis, publicae honestatis, et affinitatis. 16. De matrimonio quod vocant civili. 17. De matrimoniis mixtis. 18. De domicilio et quasidomicilio ad effectum matrimonii. 19. De coemeteriis et sepulturis. 20. De iudiciis et praxi servanda. 21. De modo procedendi ex informata conscientia. 22. De emendandis populi moribus ac speciatim de indifferentismo, blasphemia, ebrietate, impudicitia, theatris, choreis, luxu, pravorum librorum ac imaginum diffusione, necnon de educatione filiorumfamilias, de operariis aliisque famulatum praestantibus. 23. De sanctificatione festorum. 24. De abstinentia et ieiunio. 25. De duello. 26. De suicidio. 27. De magnetismo et spiritismo. 28. De occultis societatibus.

III. **CIRCA ORDINES REGULARES.** 1. De Regularibus in genere. 2. De voto obedientiae. 3. De vita communi. 4. De clausura. 5. De parvis conventibus. 6. De Novitiatu et de Novitiorum ac neoprofessorum institutione. 7. De affiliationibus. 8. De studiis Regularium. 9. De gradibus et titulis. 10. De ordinatione Regularium. 11. De electione Regularium. 12. De visitatione Regularium. 13. De expulsione Regularium incorrigibilium. 14. De iurisdictione Epporum in Regulares praesertim delinquentes. 15. De Monialibus. 16. De Institutis votorum simplicium. 17. De spiritualibus exercitiis et sacris recessibus. 18. De Privilegiis.

IV. **CIRCA RES RITUS ORIENTALIS ET APOSTOLICAS MISSIONES.** Nonnulla ex iis, quae Ecclesias ritus Orien-

talis respiciunt, in Schematibus de disciplina ecclesiastica et de Regularibus suis quaeque locis inserta sunt; insuper sunt duo Schemata: 1. de Ritibus; 2. de Missionibus Apostolicis.

1510.

Repraesentatio **Epporum Galliae** ad Summum Pontificem circa Constitutionem „Multiplices inter“ **de servando Ordine in Concilio.** 1869.

B. P. Sacrosancta Vaticana Synodus, vestra auctoritate apostolica indicta, et iam nunc ipsa Vestra Sanctitate praeside sub influxu Spiritus S. ad opus suum accincta, totius orbis oculos ad se convertit. Exultant pii, mundus autem inquieta suspensus expectatione variis tum spei tum diffidentiae tum irrisionis seu malignae incredulitatis agitatur affectibus. Cum autem non solum ad piorum aedificationem, sed etiam ad illuminationem et reconciliationem eorum, qui variis modis a Deo et a fide catholica plus minusve defecerunt, respiciendum sit, optime persensit Sanctitas Vestra, *oraculis a S. Synodo edendis debere quam maximam conciliari auctoritatem et venerationem.* Idcirco *normam* tradidit Sanctitas Vestra, qua ceu acies ordinata ad depulsandos errores et amovenda scandala tute S. Synodus et efficaciter procedere valeat. Cumque summa vis et ineluctabile fidei nostrae robur in communi et perfecto animorum consensu reponatur, decrevit inprimis Sanctitas Vestra, *schemata quaestionum iam elaborata, nulla tamen Vestra approbatione, Epporum examini et iudicio integra integre subiicienda esse.* Ita universo mundo patebit *plena et perfecta Patrum libertas in discutiendis et definiendis sacris dogmatibus, statuendisque circa mores et disciplinam regulis*, uti in primo sacro conventus exordio audivimus a Vestra Sanctitate tam luculenter assertum his solemnibus verbis: „Vos autem nunc, ven. fratres, in nomine Christi congregati adestis, ut nobiscum testimonium perhibeatis Verbo Dei et testimonium

Christi viamque Dei in veritate omnes homines nobiscum doceatis, et de oppositionibus falsi nominis scientiae nobiscum Spiritu S. duce iudicetis.“ Certe in isto temporum tractu, quo innumerorum hominum mentes, eorum etiam, qui publicarum rerum praesident regimini, aut qui scientia seculari pollent, quique multum valent, ut abducant populos post se, ita sunt affecti, ut nisi sole clarius splendescat et *maturitas examinis*, et *perfectissima discussionis libertas*, verendum sit, ne veritas coelestis despectui a multis habeatur et magis ac magis ingravescat, quod sustinet Ecclesia, bellum. Necesse ergo penitus videtur, ut *Patrum libertas* omnium oculos vivide perstringat. Quamobrem declarat Sanctitas Vestra, *unicuique licitum fore, ut quae christianae reipublicae interesse visa fuerint, iuxta maiorum perpetuum morem Synodo proponantur*. Verum cum omnia secundum ordinem fieri debeant, illae propositiones primum *speciali Congregationi seu Deputationi* deferendae erunt, quae si non opportunas et convenientes eas existimet, *repellet, salvo semper Sanctitatis Vestrae iudicio, cuius certe mens est, ut et huius repulsae rationes proponentibus exhibeantur, et ipsis in illo coetu audiri liceat, ut mentem suam melius aperire valeant*. Illud enim ad svave Concilii regimen et animorum quietem valde conducet. Quod etiam melius consequi dabitur, *si aliquot Patres a Concilio electi huic Deputationi adiungantur*. Filiali erga optimum Patrem et Pontificem impulsi fiducia nostros omnes sensus circa opus grande iam inchoatum non dubitamus simpliciter exponere. Proinde Sanctitas Vestra, ne tempus in longum protraheretur, iam *in antecessum elaboranda curavit, quae deinceps Concilii iudicio subiicientur*. Insuper *quatuor* instituit *Deputationes*, quarum unaquaeque numero *quatuor et viginti Patrum* constabit, qui ab ipso eligantur Concilio, quibusque demandetur munus perpendendi difficultates in Congregationibus Generalibus exortas. *Optandum est et valde necessarium, ut aliquis adhibeatur modus, quo doctiores viri et ad rem aptiores in tanta Patrum e diversis nationibus multitudine per se liquido possint internosci et scienter, non autem fortuito et quasi coeco casu eligi videantur; et ut identidem pro rerum gravitate et pro peculiari quaestionum specie et ipsarum Deputationum iteratae fiant partitiones, ad quas*

Patribus omnibus liber sit aditus, et ita nemo ab opere Conciliari sit alienus. Illae autem deputationes utiliorem fortasse praestarent operam, *si nulla quaestio ad examen Congregationum Generalium perferretur, nisi ante ab ipsis Deputatis visa et attentissime perpensa.* Sic enim S. Concilium per earum praeviam discussionem facilius ordiretur rerum omnium pertractationem, idque videtur esse e maiestate tanti Concilii, cui ipse praesidet Summus Pontifex, *ut totius operis exordium ab ipso sacro conventu promanare* videatur, sicut totum ab ipso perficiendum est et consummandum. *Secreti legem* Patribus praescripsit Sanctitas Vestra, ne laici, ii praesertim, qui in diariis se ipsos rerum ecclesiasticarum arbitros et iudices constituunt, falsa veris miscendo noxios rumores spargant. Sed certe non ea mens est Vestrae Sanctitatis, ut illa secreti lex nulla accomodetur attemperatione conditioni temporum, in quibus duae sunt res, quae movere possunt, nempe *pravae hominum suspiciones adversus Ecclesiam*, eo peiores, quo secretiora videbuntur nostra consilia, et aliunde *consvetudo nunc iam ubique vigens, gravisssima negotia publice pertractandi.* Nec praetereundum, quacunque praemuniantur cautione Patrum deliberationes, fieri non posse, ut omnino lateant Ecclesiae hostes, nec eorum pateant malignis interpretationibus et iniquis aggressionibus. Quis autem neget expedire, ut non desit Ecclesiae Pastoribus defensionis valde necessaria facultas? His omnibus ex aequa et rationabili mensura, ut opportunum apparebit, positis magnificum adunatae sub suo visibili et supremo Capite Ecclesiae spectaculum cum perfecta libertate, plena fiducia, et praestanti maiestate docentis summam in animis omnium admirationem ciet, et aperta evidentique *Pastorum unanimitate, a qua pendent omnes praecipue circa dogmata definitiones*, homines ubique gentium, seu nutantes in fide, seu ab ea alieni, commoti ac devicti in illo totius orbis catholici consensu divinam hanc virtutem sentient, cui datum est, omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei destruere et in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi. Romae mense Decembri (10?) 1869. (*Subscripti 14 Praesules Galliae et Eppus Diacoviensis.* (G. Strossmayer.)

1511.

Repraesentatio aliquot **Praesulum Germaniae et Austriae** circa Constitutionem de Ordine in Concilio servando, ex obtutu **iuris proponendi negotia in Concilio tractanda.** 1870.

SS. Pater! Ardentissimum omnium totius orbis Epporum, atque adeo et nostrum, qui scripturam hanc signavimus, votum est: ut Sancta Oecumenica Synodus sub felicibus Sanctitatis Vestrae auspiciis iam inchoata prospere continuetur, et ad optatum finem ita perducatur, ut et populi omnes nova in ea malorum, quibus tantopere premuntur, remedia, et Sancta Dei Ecclesia novos divinae suae missionis efficacius exercendae fontes modosque reperiant. Quo autem id certius securiusve obtineatur, liceat nobis sollicitudinem nostram intuitu certi obiecti in sinum Sanctitatis Vestrae ea devotione effundere, qua universi orbis Eppatus una nobiscum hodie inprimis in Sanctam Sedem Apostolicam fertur. Gravissimi momenti illud est, quod Sanctitas Vestra puncto II de norma et ordine interiori decrevit: *de iure* videlicet *et munere proponendi negotia, quae in sancta oecumenica Synodo tractari debebunt.* Non desunt, qui haec ita interpretantur, quasi iis non agnosceretur *ius Patrum libere* ea *proponendi* in Concilio, quae quis ad publicam utilitatem conferre posse existimaverit, verum nonnisi exceptionis et gratiae instar concedatur. SS. Pater! firmissima omnium nostrum animis insidet persvasio, a Capitis vigore et firmitate utplurimum dependere totius Ecclesiae corporis virtutem, et divina Primatus iura ante omnia sarta tectaque esse oportere, ut omnia recto ac debito ordine in S. Synodo procedant. Ast si haec sunt verissima, non minus quoque verum est, reliquis etiam mystici corporis Christi membris suam constare debere virtutem, et Epporum collegio ea, quae eidem vi

muneris et characteris sui perpetuo immanent, iura, quo virtutem suam Caput retinere activitatemque suam imperturbate exercere valeat. Divino sane consilio duo haec intime iuncta atque inseparabiliter unita sunt. Prout igitur Sanctitas Vestra optimo iure et sapienti consilio ea cuncta determinare dignata est, quae ad recti ordinis rationem et obiectorum in S. Synodo pertractandorum seriem spectant: ita quoque *Concilii Patres, si quid ex communi Ecclesiae utilitate proferre aut proponere conscientia urgente velint, id pro iuris munerisque sui ratione fecisse merito censentur*, dummodo idem fiat cum debita Ecclesiae Capiti subiectione ac veneratione. Quod quidem eo maiori cum fiducia proloquimur, quum ipsa Sanctitas Vestra nos hortari dignata sit, ut si quid proponendum haberemus, quod ad publicam utilitatem conferre posse existimaverimus, id libere exequi velimus, cumque hac ratione celebratissimi SS. Tridentini Concilii Sess. 24 c. 21. vestigiis inhaereamus. Arbitramur itaque nulli dubio obnoxium esse posse, *iuri nostro Puncto II ordinis interioris minime praeiudicari.* In qua nostra persvasione multum confirmaremur, si Sanctitas Vestra concedere dignaretur, *ut ad Deputationem examinandis Epporum propositionibus destinatam plura adhuc membra ex medio Patrum adsciscantur Concilii ipsius suffragiis eligenda*, utque iis, qui propositiones facere velint, aditus ad ipsam Deputationem pateat, quo sic ipsi partem in rei tractatione habere possint. Haec sunt, SS. Pater, quae filiali cum devotione sapienti S. V. iudicio ac decisioni committimus, sperantes ea utpote optima intentione prolata aequi bonique consultum iri. Romae 2 Ianuarii 1870. — *Card. Schwarzenberg.* — *Fürstenberg* AEp. *Olomucensis.* — *Gregorius Scherr* AEp. *Monacensis.* — *Michael de Deinlein*, AEp. *Bambergensis.* — *Ludovicus Haynald*, AEp. *Colocensis.* — *Henricus Förster*, Ep. *Vratislaviensis.* — *Pancratius Dinkel*, Ep. *Augustanus.* — *Valentinus Wiery*, Ep. *Gurcensis.* — *Gregorius Simonovics*, AEp. *Leopolitanus R. A.* — *Bartholomaeus Legat*, Ep. *Tergestinus.* — *Ioannes Jirsik*, Ep. *Budvicensis.* — *Georgius Dobrila*, Ep. *Parentinus.* — *Iacobus Stepischnegg*, Ep. *Lavantinus.* — *Alexander Bonnaz*, Ep. *Csanadiensis.* — *Mathias Eberhard*, Ep. *Trevirensis.* — *Eduardus*

Iacobus, Ep. *Hildesheimensis*. — *Michael Fogarasy*, Ep. *Transilvaniensis*. — *Iosephus Strossmayer*, Ep. *Bosnensis-Sirmiensis*. — *Stephanus Lipovniczky*, Ep. *MVaradinensis L. R.* — *Sigismundus Kovács*, Ep. *QEcclesiensis*. — *Ludovicus Forwerk*, Ep. *Leontopolitanus*. — *Ioannes Beckmann*, Ep. *Osnabrugensis*. — *Georgius Smiciklas*, Ep. *Crysiensis*. — *Hier. Zeidler*, Abbas *Strahoviensis*. — *Guilelmus Ketteler*, Ep. *Moguntinus*. — *Petrus Kenrick*, AEp. *S. Ludovici in Statibus Unitis*.

— — — —

1512.

Alia repraesentatio eorumdem Epporum **de modo agendi in Concilio.** 1870.

— — In Synodo, ad quam 700 et amplius Eppi ac Praelati ex quinque mundi partibus confluxerunt, *Congregationes Generales rebus penitius discutiendis non sufficiunt, nisi eas praecesserint consultationes in minus numerosis coetibus institutae:* quibus diligenter factis viginti vel triginta sententiam suam in Congregatione Generali dicentes ad negotium dilucidandum magis plerumque conferrent, quam sexaginta, qui absque praevia cum aliis deliberatione rem aggrederentur. Insuper inter Praesules viri sunt eruditione et experientia praestantes, qui licet *lingrae latinae* optime periti, eam tamen loquendi usum non habent. Accedit, quod *locus* Congregationibus Generalibus assignatus praeclarissimus quidem est, utpote non longe a sepulchro S. Petri constitutus, verum deliberationi habendae non favet. In prima Congregatione Generali inter Oratores, quorum aliqui fortissima pollebant voce, ne unus quidem erat, quem omnes exaudire possent Patres, et etiam postquam Aula in arctius redacta est, magna congregatorum pars cunctis, quae dicta sunt, percipiendis impar est. Viri fidedignissimi affirmabant, fore, ut Stenographorum relationes Patribus subsequo die typis impressae distribuerentur, ita, ut scriptis excepta supplerent, quae auribus percipi

non potuerint; haec tamen spes non fefellit. Igitur Sanctitas tua benigne permittat, *ut Patres ad orationes, quas in Congregatione Generali habuerint, imprimendas typographorum ope libere utantur,* ita tamen, ut solis Concilii membris communicentur, et eidem, cui Schemata, secreti praecepto subsint. Eppi in Concilio Oec. congregati eorum, quae in Sessionibus enunciant, praeter ipsum Concilium, cuius Caput tu es, nullum certe in terris iudicem habent vel censorem. Beatissime Pater, pro ea, qua excellis, sapientia facile vides, re ita constituta, ut Concilii Patres verbis prolata magna ex parte non percipiant, nec eis haec legenda exhibeantur, consultationem sicut decet haberi non posse. Ceterum etiamsi inveniretur locus, quo omnes Antistites, iis, qui mediocris sunt vocis, non exceptis, absque difficultate percipi possent, perutile foret, ut Patres prae oculis gerant, quae anteactis Sessionibus edicta sint. De rebus summi momenti agitur, et non raro unicum, quod additur, demitur seu mutatur, verbum ad sensum adulterandum sufficit. Desiderandum praeterea est, ut Patribus liceat collegis suum de rebus gravioribus sensum scriptis exponere: his enim multa afferri possent, quibus viva voce explicandis in Congregatione generali neque tempus sufficit neque dicentium habitus. — Quae fidem spectant, intime inter se cohaerent, sed et multiplex est eorum cum rebus disciplinaribus connexio. Igitur nisi Patribus omnia, quae ad fidem et disciplinam spectant, Schemata exhibeantur, de eo, quod eis communicatum est, sententiam dicentes, nesciunt, an ab ipsis proposita quadrent, cum Schema quoddam eis incognitum ita compositum esse possit, ut ad alium plane locum referri debeant. Quanta sit privatarum Antistitum deliberationum utilitas, imo necessitas, ex allatis patet. Habentur iamiam, et sicut res iubet, consilia potissimum conferunt Patres, qui eadem lingva vernacula utuntur, vel quod magis adhuc attendendum est, gregem Domini pascunt in regionibus, ubi licet incolae non unius lingvae sint, iidem tamen vel similes vigent mores et institutiones civiles, ita, ut parilis in plerisque sit Ecclesiae ac potestatis et societatis civilis ratio, atque consimilis perinde pugna Ecclesiae Antistitibus difficillimis his temporibus decreta. Horum itaque ad normam *Patres in sex circiter dividantur coetus, quibus*

facultas detur, suam de schematibus tam propositis quam proponendis sententiam Deputationi, ad quam res spectat, per delegatos, qui duo saltem sint, explanare, et argumenta, quibus eam firmari credunt, singillatim afferre. His ita dispositis Deputationes minime impedientur, ne munere a Sanctitate tua eis demandato fungantur, sed in eo explendo iuvabuntur, a Concilio decernenda accuratissimo examini subiicientur, et calumniarum praetextus malevolis praeripietur; unde annuas, precamur, B. Pater: *Ut ea, quae de fide et disciplina agunt, schemata Patribus, quamprimum fieri possit, exhibeantur; ut deliberationibus eo, qui expositus est, modo habitis, Patribus liceat sententiam de schematibus, quam sequendam duxerint, in Deputationum consessu per delegatos explicare atque defendere; ut Patribus liberum sit curare, ut typis mandentur tam orationes in Congregationibus generalibus ab eis habitae, quam scripta, quibus res pertractandae uberius exponantur;* his tamen cunctis et singulis eidem, cui schemata subsunt, secreti praecepto subiectis. — Romae, 2 Ianuar. 1870. (Subscripti praeter illos, qui in priore occurrunt repraesentatione: Card. AEppus *Viennensis; Primas Hungariae;* AEppi: *Salisburgensis, Goritiensis, Leopoliensis L. R., Coloniensis*; Eppi: *Vaciensis, Agathopolitanus i. p., Labacensis, Iaurinensis, Cassoviensis, Szathmariensis, Varmiensis, Ragusinus, Tarnoviensis, Litomericensis, Lublinensis;* item *Archi-Abbas Montis Pannoniae.)*

1513.

Decretum Praesidum Concilii circa Constitutionem **de ordine in Concilio** servando. 1870.

Apostolicis literis die 27 Nov. anno proxime superiori editis, quarum initium „Multiplices inter," Summus Pontifex ordinem generalem constituit in Vaticani Concilii celebratione servandum, in iisque praeter alia certas quasdam regulas tradidit, quibus rationi disceptationum a Patribus habendarum consuleretur. Iamvero *SSmus Dnus* propositum sibi finem facilius assequi cupiens, necnon *rationem habens expostulationum, quae a plerisque Concilii Patribus haud semel exhibitae sunt*, ex eo, quod disceptationum Conciliarium series in longum plus aequo protrahatur: ex apostolica sua sollicitudine *quasdam peculiares pro Congregationum Generalium discussionibus tradere normas constituit, quae praestitutum generalem ordinem evolvendo, atque integram servando eam discussionum libertatem, quae Catholicae Ecclesiae Eppos deceat, pleniori expeditiorique ratione ad rerum tractandarum examen, disceptationem, et deliberationem conferrent.* Quamobrem Cardinalibus Congregationum Generalium Praesidibus in consilium adhibitis, et quaesita etiam sententia Patrum peculiaris Congregationis recipiendis expendendisque Epporum propositionibus, idem SSmus D. N. sequentes ordinationes edendas servandasque mandavit: 1. Distributo Schemate Concilii Patribus, Cardinales Praesides Congregationum Generalium congruum tempus praefigent, intra quod Patres, qui aliqua in Schemate animadvertenda censuerint, ea scripto tradere debeant. 2. Animadversiones hoc ordine exarandae erunt: ut primum illae scripto adnotentur, quae schema generatim respiciunt sive integrum sive divisum, prout a Praesidibus indicatum fuerit; deinde illae, quae ad singulas Schematis partes referuntur,

Schematis ipsius ordine servato. 3. Qui ex Patribus animadversiones vel in verba vel in paragraphos propositi Schematis afferendas putaverint, novam verborum vel paragraphorum formulam subiicient in locum prioris in Schemate substituendam. 4. Animadversiones a Patribus Concilii hac ratione exaratae et propria subscriptione munitae Secretario Concilii tradentur, eiusque opera ad respectivas Epporum Deputationes transmittentur. 5. Postquam huiusmodi animadversiones expensae fuerint in conventu eius Deputationis, ad quam pertinent, singulis Patribus distribuetur Schema reformatum, una cum summaria relatione, in qua de propositis animadversionibus mentio fiet. 6. Schemate una simul cum supradicta relatione Patribus Concilii communicato, Cardinales Praesides diem statuent Congregationis Generalis, in qua discussio inchoabitur. 7. Discussio fiet primum generatim de Schemate integro vel diviso, prout Cardinalibus Praesidibus visum fuerit, eaque absoluta de unaquaque singillatim Schematis parte disceptabitur, proposita semper in hac singularum partium discussione ab Oratoribus formula expensi Schematis periodo vel paragrapho substituenda, ac Praesidibus post habitum sermonem scripto exhibenda. 8. Qui de reformato Schemate loqui voluerint, dum suum disserendi propositum Praesidibus significandum curabunt, innuere pariter debebunt, utrum de toto Schemate in genere, vel de eius partibus in specie acturi sint, et, quatenus in specie, de qua Schematis parte sibi agendum esse statuerint. 9. Liberum erit cuique ex respectivae Deputationis Eppis, impetrata a Praesidibus venia, Oratorum difficultatibus et animadversionibus respondere: ita tamen, ut facultas ipsis sit vel statim post Oratoris sermonem eloqui, vel pluribus simul Oratoribus eadem super re disceptantibus reponere, idque vel eodem vel alio die perficere. 10. Oratorum sermones intra fines propositi argumenti cohibeantur. Si quem vero Patrum extra metas vagari contingat, Praesidum erit ad propositam quaestionem ipsum revocare. 11. Si discussionum series, re proposita iam satis excussa, plus aequo protrahatur, Cardinales Praesides postulatione scripto exhibita a decem minimum Patribus Congregationem Generalem percontari poterunt, an velit disceptationem diutius continuari; et exquisitis per actum assurgendi vel se-

dendi suffragiis, finem discussioni imponent, si id maiori Patrum praesentium numero visum fuerit. 12. Absoluta super una Schematis parte discussione, antequam transitus fiat ad aliam, Cardinales Praesides suffragia Congregationis Generalis exquirent, primum quidem super propositis in ea ipsa discussione emendationibus, deinde super integro examinatae partis textu. 13. Suffragia tum super emendationibus, tum super singularum partium textu ita a Patribus Concilii ferentur, ut Praesides distinctis vicibus ad surgendum invitent primum eos, qui emendationi vel textui assentiuntur, deinde eos, qui contradicunt: recensitis autem suffragiis id decernetur, quod maiori Patrum numero placuerit. 14. Cum de omnibus Schematis partibus hac ratione suffragia lata fuerint, de examinato Schemate Patrum sententias Cardinales Praesides rogabunt. Haec autem suffragia oretenus edentur per verba *placet* aut *non placet*, ita tamen, ut qui conditionem aliquam adiiciendam existiment, suffragium suum scripto tradere debeant. Datum Romae die 20 Febr. 1870. (*Subscriptiones 5 Praesidum et Secretarii Concilii.)*

1514.

Animadversiones nonnullorum Patrum contra praevium Decretum, Praesidibus Concilii propositae. 1870.

Liceat nobis ante conspectum vestrum, Emin. Patres sistere animadversiones, quae menti permultorum ex SS. Concilii Vat. Patribus occurrerunt circa regulas recentius, die scilicet 20 Febr. 1870 editas ad dirigendos huius Concilii actus. Et primum quidem in actione conciliari semper prae oculis habendum fore nobis videtur, quod in Decreti prooemio expresse positum est: eam scilicet Summi Pontificis mentem fuisse, ut datae regulae sic prudenter et moderate applicarentur, quatenus *integra servaretur discussionum libertas*, quae Catholicae Ecclesiae Eppos decet, imo quae necessaria omnino

est. Animadversio vero generalis, quae statim animos percellit, dum praefatae perleguntur regulae, haec est, quod illae videlicet regulae huiusmodi sint, ut in pluribus Patrum libertas inde minui, imo etiam tolli posse videatur. Hoc porro quantum praeseferat periculi, nemo est qui non viderit; et si forte ob pacis bonum in rebus minoris momenti, ut in articulis 6, 10, et quibusdam aliis, hoc permitti possit, spe habita fore, ut datis sibi facultatibus omnes ex aequo et bono usuri sint; in iis tamen, quae maioris momenti sunt, praecipue ubi agetur de *decretis circa fidem* condendis, quae super omnia et merito quidem plurimum movent conscientiam, nullus certe ex nobis est, qui in re tam gravi tantum discrimen incurrere vellet. Deveniamus nunc ad animadversiones peculiares.

I. Numero 1 *congrui temporis praefixio a Praesidentium iudicio omnino pendet.* Esto quod in rebus levioris momenti et facilis solutionis parum habeat incommodi; sed moveri possunt tales quaestiones dogmaticae, quae tanti momenti sint tantaeque simul difficultatis, et in quibus enodandis tam varia tamque ardua circa Scripturas S., SS. Patres, historiam eccl., Concilia, Constitutionesque Pontificias studia necessaria sint, ut nimis periculosum foret arctiori mensura tempus Patrum deliberationibus praefigere. Huiusmodi igitur casus prae oculis habentes, enixe petimus, *ut voto Patrum longiorem moram desiderantium* ita *deferatur,* quo nullum rationabile dubium remanere queat, quaestiones dirimendas vere et sufficienter explorari potuisse.

II. Num. 3 sic se habet: „Qui ex Patribus *animadversiones* afferendas putaverint, *novam verborum vel paragraphorum formulam subiicient in locum prioris in schemate substituendam.*" Hoc utile quandoque, sed *non necessarium:* optime siquidem concipitur, aliquos Patres utilissimas animadversiones proponere posse, quibus tamen non suppetant media et opportunitas unum vel plures §§ integros reficiendi et exarandi. Et hoc eo minus necessarium est, cum deputationes speciales eo praecise fine institutae fuerint, ut reficiendorum schematum labori intenderent, utpote omnibus hunc in finem auxiliis abundanter, uti supponi potest, provisae.

III. Num. 5 legitur: „singulis Patribus distribuetur

schema reformatum una cum *summaria relatione*, in qua de propositis animadversionibus mentio fiet:" Liceat dicere, summariam hanc relationem et simplicem animadversionum mentionem nequaquam videri sufficientem in rebus praesertim maximi momenti, quales inprimis sunt definitiones dogmaticae. Animadversionum enim pondus ex *motivis* allatis praecipue pendet, quae si non dentur, nullo modo videmus, quanam ratione res illustrari possint. Ubi igitur motiva talia a Patribus voto suo adiecta fuerint, haec quoque recenseantur. Et hoc quidem eo magis necessarium est, cum inducatur *nova methodus et veteribus Conciliis prorsus incognita*, tractandi nempe res per scripta; cumque denegata Patribus facultate animadversiones suas typis mandandi alia via non supersit, qua collatis vere consiliis res in Synodo peragantur. Nec omittendum, quod cuiusvis Deputationis specialis vel eius theologorum et secretariorum arbitrio relinquetur ex scriptis sibi consignatis vel afferendi vel silentio praetereundi, quidquid ipsis libuerit. Tria ergo sunt, quae ea de re postulanda nobis videntur, et ab aequitate Praesidum concedenda fidenter speramus: 1. *Ut animadversiones omnes sedulo referantur.* Alioquin iam Deputatio esset totum Concilium et in pluribus solus iudex. 2. *Ut relationi et mentioni animadversionum semper adiungantur motiva*, quibus fulcitae fuerint. 3. *Ut animadversionum auctoribus facultas concedatur specialem deputationem adeundi ad explicandas, et quatenus opus fuerit, defendendas animadversiones* ab ipsis propositas.

IV. Num. 8 dicitur: „oratores, qui loqui voluerint de partibus schematis in specie, prius significare debere Praesidibus, de qua Schematis parte sibi agendum esse statuerint." Hoc postremum haud accipiendum putamus eo sensu, quod idem orator nonnisi de una aliqua parte schematis tractare possit: *liberum esse debet cuilibet ex oratoribus, non tantum de toto schemate in genere, sed et de pluribus in specie disserere;* alioquin libertas discussionis minime integra servaretur.

V. Circa num. 9 omnino petimus, (quod ibi expressum non est, sed ex mera, ut putamus, oblivione) *ut, postquam respectivae deputationis Eppi Oratori alicui responderint,*

replicandi facultas eidem oratori sive eadem sive altera die una saltem vice concedatur; secus enim libertas discussionis violaretur, et saepe nec momentorum pondus, nec etiam ipsius animadversionis sensus sufficienter a Patribus perspiceretur.

VI. Circa articulum 11 plures et gravissimas animadversiones proponendas habemus. Animadversio generalis primum haec occurrit: quod nempe ex articulo sic exarato manifestissime sequitur, *Praesidum et maioritatis arbitrio prorsus permitti, discussionem vel unius vocis praevalente pondere cohibere et claudere, quin minoritati ullum remedium contra hunc auctoritatis et numeri usum relinquatur;* quod quanti periculi sit, cum de dogmatibus definiendis et de divino Epporum iure, qui iuxta S. Thomam obtinent summam potestatem in Ecclesia, agitur, perspectum certe omnibus est. Eo magis quod istud tam grave iudicium per actum assurgendi et sedendi, actum nempe tam praecipitem, tam parum deliberatum, adeo saepe incertum, imo et contagioni obnoxium definitive et irrevocabiliter feretur, ita, ut postea nulla amplius audita nec permissa reclamatione nihil aliud agendum remaneat, nisi suffragia colligere, quibus decreta condentur et definitive sancientur. Id minus haberet periculi in parlamentariis coetibus, ubi de condendis tantum agitur legibus, quae hoc anno sancitae, anno altero ab eodem coetu vel ab alio abhinc retractari poterunt. *In definiendis* autem *dogmatibus*, quae definita semel nec revocari nec novo subiici examini a quavis auctoritate possunt, *methodus illa expeditior periculosissima videtur atque omnino inadmissibilis.* Quapropter haec saltem postulanda nobis videntur: 1. *Discussio numquam censeatur plus aequo protracta, quamdiu ex Patribus aliquis nondum auditus circa quaestionem propositam iure suo ut testis et iudex fidei uti voluerit,* et una saltem vice loqui; secus enim praecipitaretur causae iudicium, priusquam omnes testes suum explicare testimonium permissi fuerint. 2. Multum hac in re dependebit a discretione Praesidum, qui possunt quidem, nequaquam tamen tenentur coetum Conciliarem percontari, an velit finem discussioni imponere: dicitur enim, „Praesides percontari poterunt.“ 3. Ita oratorum ordo distribuatur et vices alternentur, ut, si variae adsint opiniones, unus *pro* et unus

contra successive audiantur. 4. Quoties finis discussionis postulabitur, saltem uni vel alteri ex Patribus liceat contra huiusmodi propositum orationem habere et motiva adversantia proponere. Id et aequitati consonum, et praxi omnium coetuum deliberantium conforme est. 5. In rebus maioris momenti, maxime ad fidem spectantibus non possit finis discussionis pronunciari, si 50 saltem ex Patribus huic contradixerint. Haec omnia nisi concedantur et serventur, nemo est qui non praevideat, quam facile futurum sit, ut oratores unius partis plures et diu cathedram occupent, paucissimi deinde ex altera parte vix patienter audiantur, moxque discussionis finis plus aequo, ut dicunt, productae a decem Patribus postuletur, et cum evidente libertatis dispendio obtineatur.

VII. Quod dicitur nr. 12, hoc ita intelligendum videtur, ut, si propositae emendationes Patribus acceptae fuerint, non statim requirantur suffragia super integro partis examinandae textu, sed res ad aliam diem remittatur, ut deputatio tempus habeat et emendanda sedulo corrigendi, et emendata cum tota contextus serie apte componendi, et nova subinde ac emendata redactio possit Patribus proponi, priusquam eorum suffragia exposcantur.

VIII. Ad nr. 13. plures summi momenti animadversiones proponendae sunt: 1. *Quoad modum ferendi suffragia per actum surgendi vel sedendi;* istiusmodi pericula iam superius diximus, ubi agebatur de exquirendis suffragiis circa finem discussioni imponendum. Multo autem maiora sunt huiusmodi pericula, si de ipsis decretis quaestio sit, maxime in rebus fidei. Non credimus in praecedentibus Conciliis suffragia unquam eo expedito modo data fuisse, quo nullus certe alius gravitati et maturitati deliberationis, imo et ipsi libertati minus favet. Et in ipsis coetibus politicis hisce providetur incommodis per postulationem scrutinii aut nominalis appellationis a pluribus membris oblatam et scripto exaratam. Quod in Conciliis maxime refert, non est ut cito res expediatur, sed ut caute et tutissime peragatur. Longe satius est paucas quaestiones expendere et prudenter solvere, quam multo numerosiores proponere, et decurtatis discussionibus, suffragiisque praecipitanter collectis, res tam graves definiri. 2. Secunda anim-

adversio versatur *circa ordinem suffragia exquirendi*, ita nempe dispositum, ut prius exposcantur eorum vota, qui decreto proposito assentiunt, posterius eorum, qui dissentiunt. *Cum in quaestionibus fidei tutius sit sistere et definitionem differre, quam temere progredi, ideo conditio dissentientium favorabilior esse debet, et ipsis prioritas in dandis suffragiis concedenda esset.* 3. Ut numquam talis modus adhibeatur, ubi de dogmate fidei definiendo, aut de canone sub anathematis poena condendo agendum erit: et haec non definiantur aut condantur nisi per verbum *placet* aut *non placet*. 4. Quoad *numerum suffragiorum* requisitum ut decreta condantur: mos in Conciliis Oec. usitatus omnino servetur, nempe *ut fidei dogmata non maioritate numerica, sed unanimitate morali definiantur;* quod adeo acceptum Pio IV fuit in Concilio Tridentino, ut cum de gravissima re dogmatica ageretur, nihil definiri voluerit, nisi quod unanimi Patrum consensu decerneretur. Et revera apprime mos ille concordat celeberrimo illi Vincentii Lirinensis effato: quod semper, quod ubique, quod ab omnibus. Et cum dogmata catholica constent Ecclesiarum consensu, ut ait Bellarminus, consequens est, definitiones dogmatum in Conciliis fieri per consensum moraliter unanimem Patrum, qui Ecclesias repraesentant. *Haec conditio pro Concilio Vaticano eo magis urgenda esse videtur, quum ad ferenda suffragia tot Patres admissi sunt, de quibus non constat evidenter, utrum iure tantum ecclesiastico, an etiam iure divino ipsis votum decisivum competat.*

IX. Quod ex praepositis efficitur et consequens est iis quae diximus, super articulo 14 omnino expostulamus, ut saltem ubi agetur de dogmatibus fidei definiendis, aut de canonibus sub poena anathematis condendis, *suffragia Patrum non super toto Schemate et quasi in globo, sed seorsim super unaquaque definitione, super unoquoque canone,* per verbum *placet* aut *non placet* sigillatim rogentur et edantur. Et etiam, prout in literis apostolicis provisum fuit § 7, *ut Patribus integrum sit suffragia sua scripto pronunciare.* Id autem, quod spectat ad numerum suffragiorum requisitum, ut quaestiones dogmaticae solvantur, in quo quidem rei summa est totiusque Concilii cardo vertitur, ita grave est, ut, nisi admit-

eretur quod reverenter et enixe postulamus, *conscientia nostra intolerabili pondere premeretur:* timeremus, ne Concilii oecumenici character in dubium vocari possit; ne ansa hostibus praeberetur, S. Sedem et Concilium impetendi, sicque demum apud populum christianum huius Concilii auctoritas labefactaretur, quasi veritate et libertate carueri: quod his turbatissimis temporibus tanta esset calamitas, ut peior excogitari nulla possit. — Romae die 1 Mart 1870. (Subscripti 100 et amplius Praelati.)

EX SESSIONE III. C. VAT.

1515.

Constitutio dogmatica de Fide Catholica. 1870.

Pius Episcopus servus servorum Dei sacro approbante Concilio ad perpetuam rei memoriam. Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Iesus Christus, ad Patrem coelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris eius providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e *Conciliis oecumenicis* ac nominatim e *Tridentino,* iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea *arctior membrorum cum visibili Capite communio,* universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaque

christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando. Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod eiusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta. Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt. Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa *rationalismi seu naturalismi* doctrina, quae religioni christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in *pantheismi, materialismi, atheismi* barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur. Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, *naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes*, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur. Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim

Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum [1]).

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare numquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

Caput I. De Deo rerum omnium creatore. Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui quum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus. Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis

[1]) Is. LIX. 21.

impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam [1]). Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter [2]). Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius [3]). ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

Caput II. De revelatione. Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur [4]): attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio [5]). Huic *divinae revelationi* tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum [6]). Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto *traditionibus*, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt [7]). Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata

[1]) Conc. Later. IV. c. 1. *Firmiter.* — [2]) Sap. VIII. 1. — [3]) Cf. Hebr. IV. 13. — [4]) Rom. I. 20. — [5]) Hebr. I. 1—2. — [6]) 1. Cor. II. 9. — [7]) Conc. Trid. sess. IV. Decr. de Can. Script.

latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. Quoniam vero, quae sancta *Tridentina* Synodus *de interpretatione divinae Scripturae* ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, *ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia,* cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

Caput III. De fide. Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et *ratio creata increatae Veritati penitus subiecta* sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium *fide* praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium [1]). Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, *facta* scilicet *divina*, atque imprimis *miracula* et *prophetias*, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et pro-

[1]) Hebr. XI. 1.

phetias ediderunt: et de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis [1]). Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco [2]). Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati [3]). Quare *fides* ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, *donum Dei* est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando. Porro *fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.* Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes [4]), et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios

[1]) Marc. XVI. 20. — [2]) 2. Petr. I. 19. — [3]) Syn. Araus. II. can. 7. — [4]) Is. XI. 12.

suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

Caput IV. De fide et ratione. Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero *naturali ratione*, in altero *fide divina* cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est [1]), pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit: — nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei [2]). Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis [3]). Ac *ratio* quidem, *fide illustrata*, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fru-

[1]) Ioan. I. 17. — [2]) 1. Cor. II. 7—9. — [3]) Matth. XI. 25.

ctuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e *mysteriorum* ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; *nunquam* tamen *idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum*, quae proprium ipsius obiectum constituunt. *Divina* enim *mysteria* suapte natura *intellectum creatum* sic *excedunt*, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem [1]). Verum *etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest*: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis speciei inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus [2]). Porro *Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam* [3]). Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem praese ferant, habere tenentur omnino. *Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque suam mutuam ferunt*, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter *tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae o*

[1]) 2. Cor. V. 7. — [2]) Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis*.
[3]) Coloss. II. 8.

sistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent. *Neque* enim *fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda.* Hinc *sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum.* Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia [1]).

Canones. I. *De Deo rerum omnium Creatore.* 1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum univer-

[1]) Vinc. Lir. Common. n. 28.

sitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas; aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum; aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II. *De revelatione.* 1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III. *De fide.* 1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura con-

tentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. *Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.*

IV. *De fide et ratione.* 1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque *supremi pastoralis Nostri officii* debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant. Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; *omnes officii*

monemus, servandi etiam *Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.* Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis. Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto. Ita est. Iosephus Episcopus S. Hippolyti, Secretarius Concilii Vaticani.

ACTA PRIMATUM ET INFALLIBILE MAGISTERIUM ROMANI PONTIFICIS CONCERNENTIA, QUAE SESSIONEM IV C. VAT. PRAECESSERE.

1516—1572.

Declarationes Sacerdotum Galliae pro infallibilitate R. P. occasione oblatorum **Obolorum S. Petri** lingva Ecclesiae (latina) manifestatae, et in ephemeride „L' Univers" publicatae. 1869. 1870.

1. *Vox Petri, vox Dei.* — Sacerdos Dei altissimi, *Pontifex infallibilis.* — Tuus est totus, B. Pater, corde et animo Clerus Ecclesiae *Saboliensis:* nam tu es Petrus; et ubi Petrus, ibi Christus, ibi Ecclesia; ibi salus et vita. Qui credit in te, *Doctor infallibilis*, non credit in te, sed in Iesum Christum, qui misit te; et qui videt et audit te, Christum ipsum videt et audit. — *Credo, quod Rom. Pontifex sit infallibilis.* — Cum ego (Christus) sim inviolabilis Petra, tamen *tu quoque Petra es*, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint mihi tecum participatione communia. (Leo M.) — *A Petro ipse Eppatus et tota auctoritas nominis huius emersit.* (August.) — Quoties *fidei* ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coeppos nostros *nonnisi ad Petrum*, i. e. sui nominis et honoris auctorem deferre debere. (Innoc. I.) — Habes *Romam*, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Felix Ecclesia, cui *totam doctrinam* Apostoli cum sangvine

suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur. (Tertull.) — *Quicunque tecum, o Pie, non colligit, spargit;* h. e. qui Christi non est, Antichristi est. (Hieron.) — *Petrus est custos fidei, petra Ecclesiae,* ianitorque coelorum. (Petr. Chrysol.) — Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex; tu princeps Epporum, tu haeres Apostolorum; nec modo ovium sed et *Pastorum tu unus omnium Pastor.* (Bern.) — (**L' Univers.** Paris. 1869. nr. 715.)

2. *Pontifici infallibili!* Confirma fratres tuos; pasce oves meas; ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; Petrus per Leonem locutus est; qui adhaeret Cathedrae Petri, ille meus est; portae inferi (haeretici) non praevalebunt. — (**L' Univers.** 1869. nr. 897.)

3. Plus quam Moyses, hic; — et plus quam Angelus, hic; — secundum officium dico, non secundum meritum: *praeter Deum non est similis ei nec in coelo nec in terra.* (Bernard. de Pontifice in Concilio disserens.) — *Ubi Petrus, ibi Ecclesia; simulac Roma locuta erit, quamprimum causa finita erit.* — Cum *Papa* loquitur tamquam *doctor universalis, definiens ex cathedra,* nempe ex potestate suprema tradita Petro docendi Ecclesiam, tunc dicimus ipsum in controversiis fidei et morum decernendis *omnino infallibilem* esse. (Ligorius.) — (**L' Univers.** 1869. nr. 900.)

4. *Doctori Oecumenico et infallibili: quos vocant Gallicanos errores, interimat. Amen.* — (**L' Univers.** 1869. nr. 902.)

5. Quam speciosi pedes convenientium ad beatissimi Apostolorum Principis Sedem, *catholicae unitatis centrum, atque Eppatus apicem, unde Eppatus ac tota eiusdem nominis auctoritas emersit.* — Amantissimo Pontifici et Regi, omnium Pastorum Pastori, *ori totius Ecclesiae infallibili, soli Apostolorum successori, qui super orbem terrarum iurisdictionem ordinariam accepit.* — (**L' Univers.** 1869. nr. 904.)

6. Audio edictum fuisse promulgatum, et quidem peremtorium: Summus Pontifex, *Eppus Epporum* dixit. (Tertull.) — Sanctam Apost. Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum

successorum esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem *infallibilem* existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi *universam* Ecclesiam a D. N. I. C. *plenam* potestatem traditam esse. — (**L' Univers.** 1869. nr. 905.)

7. Venerabili, ineffabili, *infallibili* Patri, Pio IX. — (**L' Univers.** 1869. nr. 906.)

8. Pio, *Doctori infallibili:* ad illius auctoritatem pertinet editio *symboli*, ad cuius auctoritatem pertinet *finaliter* determinare ea quae sunt *fidei*, ut ab omnibus *inconcussa fide* teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis. — *Quaelibet obiiciant meditantes schismata Galli, Petre tibi Iesus credidit ipse gregem.* — Ad quem ibimus? Loquere Piissime Pater, *verba vitae aeternae habes.* — (**L' Univers.** 1869. nr. 907.)

9. Estis enim Vos, Pater Sanctissime, Iesu Christi Vicarius, *totum corpus Ecclesiae repraesentans*, qui claves regni coelorum habetis, *nec congregatum totum Generale Concilium sine Vobis, et nisi per Vos posset cognoscere.* (Clemens V.) — Nec adversus *Petrum*, nec adversus Ecclesiam portae praevalere poterunt inferorum. (Orig.) — *Super hanc Petrum aedificabo Ecclesiam meam.* — Liquido constat, *veteres Ecclesiae Gallicanae Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse.* (Duvallius.) — Scitis synodalium legum esse, ut in rebus, quae ad Ecclesiae statum pertinent, si quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanae Ecclesiae *Maximum Sacerdotem* quasi ad *Caput nostrum membra sequentia* recurramus. (Avitus Vienn.) — (**L' Univers.** 1869. nr. 908.)

10. *Non ad Concilium Generale a Papa appellari potest, quia Papa omni Concilio superior est: nec robur habet, quidquid agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur et confirmetur.* (Antoninus.) — (**L' Univers.** 1869. nr. 909.)

11. Pastori Pastorum, Eppo Epporum: noverimus certe, B. Pater, quanta cura, quanta sapientia, quanta fortitudine catholicae veritatis oracula, sanctae Ecclesiae libertatem, ac divina

et regalia Sedis Ap. iura *Doctor infallibilis*, invictusque propugnator definieris atque vindicaveris. — *Infallibilitas Papae est infallibilitas Christi ipsius*, qui cum Papa et per Papam regit, gubernat et pascit Ecclesiam suam secundum divinam ipsius promissionem et institutionem. — (**L' Univers.** 1869. nr. 911.)

12. *1682* (famosa Declaratio) *abeat quo libuerit!* — *Vox Pii vox Petri, vox Christi.* — (**L' Univers.** 1869. nr. 912.)

13. Sanctissimo Pio IX, Pontifici Summo, Pastorum Pastori, *infallibili Doctori, Iudici iniudicabili*, Ecclesiae Dei Capiti, Auctoritatis fonti, unitatis centro, *Verbi Dei oraculo, sine quo non valent Concilia, sed omnia prorsus invalida et nulla.* — Auferte gentem perfidam Credentium de finibus, et *unus omnes unicum ovile nos Pastor regat.* — Qui sequitur me, *non ambulat in tenebris*, sed habebit lumen vitae. — Romanus Pontifex est Iudex vice Christi, cui secundum magisteria divina obtemperare debet fraternitas universa, et Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et *Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.* (Cypr.) — *Erraverunt a fide* et inseruerunt se doloribus multis; (Gallicani, P. Hyacinthus, et Maret) tu autem, o homo Dei, haec fuge, sectare fidem. — (**L' Univers.** 1869. nr. 921.)

14. Summo Pontifici *ex cathedra infallibili.* — Credo *Papam infallibilem.* — *Omnia in ipso* (R. P.) *constant.* — Domine, salva nos, perimus, et *libera nos a malo Gallicano.* — Domine, tu exurgens misereberis *Romae,* quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius, et terrae eius miserebuntur. Quia *aedificavit Dominus Romam*, et videbitur in gloria sua. — *Beatus Petrus princeps est fidei.* (Ambr.) — *Manet Petri privilegium.* (Leo M.) — Vana locuti sunt unusquisque. *Dirige me in veritate tua et doce me.* — (**L' Univers.** 1869. nr. 927.)

15. Lapis autem (Petrus, nunc Pius IX) qui percusserat statuam (omnia scilicet Satanae regna, necnon et universa errorum propugnacula, novissimeque *Gallicanismum*) factus est mons magnus, et implevit universam terram. — Dilectissimo Patri, Pontifici Regi, *Petrae immotae*, lapidi angulari, Pastori

agnorum et ovium, *confirmanti fratres suos, Doctori proinde infallibili.* Exurgat, et dissipentur inimici eius; *loquatur, et causa finita sit omnis.* — (**L' Univers.** 1869. nr. 933.)

16. *Os Pii loquetur sapientiam, et lingva eius loquetur iudicium.* Lex Dei eius in corde eius, ideo *non nutabunt pedes eius.* — Illud assero, ac fidenter quidem assero, *pestem eos Ecclesiae ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei doctrinaeque auctoritate succedere, aut certe adstruunt, Summum Ecclesiae Pastorem, quicunque tandem ille sit, errare in fidei iudicio posse.* (Melch. Canus.) — Tu *sanae doctrinae* nobis *Magister,* tu unitatis centrum, tu populi *lumen indeficiens* a divina sapientia praeparatum. Tu *petra* es et ipsius Ecclesiae *fundamentum*, contra quod inferorum portae numquam praevalebunt. Te loquente *Petrum* audimus, te decernente *Christo* obtemperamus. (Declar. a. 1682.) — Pater Sanctissime, tu *Christi imples vicem, tibi soli* dicta sunt haec verba: confirma fratres tuos. *Os aperi, et da cunctis salutem* et pacem. — *Veritas catholica est: Pontificem definientem ex cathedra esse regulam fidei, qui errare non potest, quando aliquid authentice proponit universae Ecclesiae tamquam de fide divina credendum.* (Suarez.) — (**L' Univers.** 1869. nr. 939.)

17. Credo unam sanctam catholicam apostolicam Ecclesiam *Romanam et non Aurelianensem vel Suratensem.* (Dupanloup, Maret) *Ad hanc Romanam Ecclesiam* (ait Stephanus Ep. Paris. a. 1324.) *velut ad universam regulam catholicae veritatis* pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, et confutatio errorum. — Dignum arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, *ubi fides non possit sentire defectum. Est quippe praerogativa Sedis.* Cui enim aliquando dictum est: ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua? (Bern. ad Innoc. II.) Convertamus igitur oculos ad *Sedem B. Petri, qui est petra et crepido Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum.* (C. Chalced.) — In quatuor Patriarchalibus Ecclesiis sederunt haeretici. *In Romana* vero *nullus unquam sedit haereticus: aliae defecerunt, illa numquam.* Ita hic verificari potest illud Isaiae 19: In die illa erunt quinque civitates iurantes per Dominum

Deum exercituum, verumtamen *civitas Solis una vocabitur.* — (**L' Univers.** 1869. nr. 940.)

18. Pio IX Pont. Max. *infallibili totius Ecclesiae Doctori.* — *Infallibilitatis Pontificiae praerogativam constantissima perpetuaque SS. Patrum traditio commonstrat.* — Surge, *illuminare Roma, quia venit lumen tuum,* et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui. — Arbitramur adiuvante misericordia Dei nostri, *qui te regere consulentem et orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuae de SS. Scripturarum auctoritate depromtae* facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros, ut de correptione potius eorum gratulemur, quam contristemur interitu. (Aug. ad Innoc.) — (**L' Univers.** 1869. nr. 947.)

19. Oportet nos tamquam membra inhaerere Capiti nostro, *Romano Pontifici, et throno Apostolico, ex quo nostrum est quaerere, quid credendum quid sentiendum et quid tenendum sit.* (Cyrill. Alex.) — *Papae infallibili,* pacem, *ius omne ferenti,* Patribus et Synodi e coelo concordia lucet. — *In iudicio non errabit os eius;* (Hebr. XVI.) Pater filiis notam faciet *veritatem.* (Is. 28, 19.) — Omnes RR. Eppi clamaverunt: *Subscribant epistolae Leonis; qui non ei subscribit, haereticus est.* (C. Chalced.) — Doctrina tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiae apprime nota erat, *nec minime titubat in agnoscenda S. Sedis in persona Papae infallibilitate S. Hieronymus.* — (**L' Univers.** 1869. nr. 958.)

20. Benedicas nobis SS. Pater et *infallibilis Ecclesiae Doctor.* — Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Secundum hanc Domini promissionem *Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione haereticaque circumventione manet immunitata* super omnes praepositos et eppos et primates ecclesiarum et populorum, *in suis Pontificibus plenissima in fide et auctoritate Petri.* (Cyrill.) — (**L' Univers.** 1869. nr. 965.)

21. *Omnia ab eo* (Papa) *definita teneantur tamquam a Vicario Apostolici throni.* (C. Chalced.) — *Papa non potest errare* suppositis duobus: primum, quod determinet qua-

tenus Papa; alterum, ut intendat facere dogma de fide. (Bonav.) — (**L' Univers.** 1870. nr. 976.)

22. Pro te rogavit, *ut non deficiat fides tua*, teque iussit oves pascere, easque sive dispersas, sive congregatas *confirmare*. — Tu iure vocaris unitatis ecclesiasticae origo; *fac* igitur, *ut idem omnes dicamus*, et ne qua inter nos divisio fiat. Fiat pax in virtute tua. (Cler. Gallic. ad Alex. VII. a. 1660.) — (**L' Univers.** 1870. nr. 982.)

23. Pio IX, Summo Pontifici, Maximo, Optimo, Amantissimo, *quem semper credidi infallibilem*. — Semper fuit, est, et erit S. Ecclesia Catholica *domus*, *familia*, *navis*, *rete*, *regnum*, *ovile:* ideoque *fundamentum*, *patrem, gubernatorem, piscatorem*, *regem*, *et pastorem unicum*, *infallibilem* semper habuit, habet, et habebit, Domino supremo Duce, usque ad consummationem seculi. — (**L' Univers.** 1870. nr. 991.)

24. *Catholicis hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum Mater docet: oportet hoc sequi, quod illa Romana Ecclesia credit.* (Hincm. Rem.) — Cum *S. Sedes* sit *in fide indefectibilis*, ubi per decretum solemniter emissum Summus Pontifex proponit aliquid ut catholica fide credendum, ab omnibus huiuscemodi decreto internus debetur assensus. (Conc. Albiense, 1850.) — (**L' Univers.** 1870. nr. 993.)

25. Stabit aeternum tua, Summe, Sedes; — Hanc *super petram* struit; hanc fidelis fovet *immotam* Deus; ac *perenni foedere* firmat. — *Ut doctrinae infallibilitatis S. Sedis Apost. propugnatores confortare, et adversarios illuminnre digneris*, te rogamus, audi nos. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1018.)

26. O felix *Ecclesiae fundamentum! cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in coelo*, ut quae in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant et in coelo. (Hilar.) — (**L' Univers.** 1870. nr. 1022.)

27. *Ubi Ecclesia, ibi infallibilitas; ubi Petrus, ibi Ecclesia; ibi ergo infallibilitas, ubi Petrus. Quid igitur inopportunum, quod ubi est, ibi esse definiatur infallibilitas?* — (**L' Univers.** 1870. nr. 1023.)

28. Exurge igitur, Pie Christianorum Pater et *Doctor*, et inter Pios omnes piissimum te exhibe erga Christum Dominum, cuius in terris vicem geris. Beatus servus Immaculatae Dei-

parae, *haeres Petri, confirma nos. — A Gallicano libera nos Domine.* — **(L' Univers.** 1870. nr. 1025.)

29. Pontifici, qui te celebravit laude perenni, — Immaculata, novum grata rependе decus: *Absque errore Pium,* veluti sine labe Mariam, — cum docet, *humanum nunc sciat omne genus.* — Summum Pontificem ex Cathedra loquentem *et fuisse et esse infallibilem* credo et confiteor, faxitque Deus, ut a Concilio Vaticano definiatur. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1029.)

30. *Quod inopportunum dixerunt, necessarium fecerunt.* — Iesu Salvator mundi, exaudi preces supplicum (*pro destructione Gallicanismi et definienda infallibilitate Summi Pontificis.*) — **(L' Univers.** 1870. nr. 1031.)

31. Profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae devita, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. — Et portae inferi, et *Gallicanismus*, et Liberalismus non praevalebunt. — Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, a fructibus eorum cognoscetis eos. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1041.)

32. Pontifici *infallibili* adhaerere mihi bonum est. — Ubi Pius IX, ibi Petrus; ubi Petrus, ibi Christus; ubi Christus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi Veritas: ergo *ubi Pius IX, ibi Veritas.* — **(L' Univers.** 1870. nr. 1048.)

33. *Petro infallibili:* Papa non potest errare suppositis duobus (*ut supra ex textu Bonaventurae.*) — Tu Vicarius Iesu Christi et *os Dei;* loquere nobis *verba vitae aeternae*, et videbit omnis caro pariter, quod *os Domini locutum est*, et omnis iniquitas oppilabit os suum. — Non eget quidem Petrus mendacio nostro, sed *non mentitur fides in confirmatorem infallibilem credendo.* — **(L' Univers.** 1870. nr. 1054.)

34. *Gallicanismi* opus non renovandum, sed cum honore sepeliendum. — *Sententia*, quae docet, *Pontificem non posse ullo modo definire aliquid haereticum a tota Ecclesia credendum, est certissima et asserenda.* (Fenelon.) — *Ut ad veram poenitentiam Gallicanos omnes perducere digneris,* te rogamus, audi nos. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1058.)

35. Summus Pontifex *vi sui Primatus* in causis fidei et disciplinae generalis tractandis, definiendis, decernendis *est per se infallibilis.* — Cum omnes teneantur adhaerere *definitionibus S. Sedis*, easdem Constitutiones habere necesse est *pro iudicio certo, irreformabili, et infallibili,* — Christi Domini in terris Vicario *dicenti veritatem*, iudicanti iustitiam. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1058.)

36. Pio *illuminanti* mirabiliter *a montibus aeternis.* — In *cathedra unitatis* posuit Deus *doctrinam veritatis.* — Ad tuam gloriam specialiter spectat *surgentes succidere spinas,* sedare querelas. (Bern.) — Pio IX *Doctori infallibili*, cuius memoria semper in benedictione erit. — Petrus praestat sedi, quam ipse benedixit, *ut a portis inferi numquam* pro Domini promissione *vincatur*, omniumque sit fluctuantium *tutissimus portus*, in quo qui requievit, beata et aeterna statione gaudebit; qui vero contemserit, ipse videbit, qualia genera excusationum in die obtendat iudicii. (Gelas.) — *Ab uno unitas, et catholicitas, et apostolicitas, et iurisdictio, et sanctitas, et omnia.* Hosanna Pio! — (**L' Univers.** 1870. nr. 1075.)

37. Intemerata tuum *consule* Virgo Pium. — Petrus rector civitatis Christi, rector unitatis, *fons et norma veritatis;* sors aeterna reseratur ad Petri iudicium. (Breviarium Bisuntinum.) — Domine exalta Summum Pontificem, et *illumina inimicos infallibilitatis Summi Pontificis.* (**L' Univers.** 1870. nr. 1076.)

38. Summum Pontificem definientem *ex cathedra* in rebus fidei et morum esse *infallibilem*, eiusque *decreta dogmatica* esse *irreformabilia*, etiam *antequam accedat Ecclesiae consensus*, SS. Literae, traditio, necnon facta ipsa ostendunt. — Quod docet *S. Romana Ecclesia*, est mihi *regula fidei.* — (**L' Univers.** 1870. nr. 1077.)

39. „Quem me esse dicitis?“ Respondit Petrus pro omnibus, scilicet pro se et pro aliis Apostolis: ex quo patet, quod *praecipue ad Petri successorem pertinet certificatio dubitationum de fide* et pertinentibus ad eam. (Ludolph. de vita I. C.) — Claves regni coelorum se Petro daturum Dominus promisit; sed tunc non dedit; quia si statim dedisset, numquam in Petro pravitas confessionis vel error negationis,

de quo in Passione dicitur, locum invenisset. — Pio Magno: *deleto Gallicanismo* in Vatic. Concilio 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1080.)

40. In memoriam RR. *Ludovici Rossat* Eppi *Virdunensis* defuncti, quem percelebris epistola, ab ipso iamiam morituro, *ad S. Sedis Apost. propugnationem* fortissimo animo scripta, gloria et honore coronavit, et propter hoc erit sepulchrum eius gloriosum. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1095.)

41. Ut *infallibilitatis Romani Pontificis propugnatores confortare, contradicentes illuminare, et ad sensum catholicum perducere* digneris, te rogamus, audi nos. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1097.)

42. Exurge, Domine, adiuva nos, et *libera nos ab erroribus Gallicanis*, propter gloriam nominis tui. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1100.)

43. Deo, Pontificique Maximo Pio, *cuius verbo Domini circumamicta fides non deficit,* sociis atque Patribus Vaticani gratias. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1107.)

44. Clerus et populus curae nostrae concrediti in omnibus *auctoritati et iudicio S. Sedis Ap.* obtemperent, *sub cuius ordinatione totus grex dominicus pascitur et regitur.* (Conc. Pictav. 1868.) — Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere; sensum verbis velare; quae falsa sunt, vera ostendere; quae vera sunt, falsa demonstrare. (Greg. M.) — **(L' Univers.** 1870. nr. 1118.)

45. *Ut Summi Pontificis divina infallibilitas apertissimis verbis et dubitationis formam removentibus definiatur!* — Adhaereat lingva mea faucibus meis, si non meminero tui, Petre, et benedictionum tuarum! — Pater, venit hora, clarifica filium tuum, clarifica me apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam *Gallicanismus* esset. — Super *Gallicanismum* ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1121.)

46. Ea pars orbis sufficere debet, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari. (August.) — *Una fides debet esse totius Ecclesiae. Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sen-*

tentia a tota Ecclesia firmiter teneatur, (Thomas.) — Summus Pontifex, cum totam Ecclesiam docet, *in his, quae ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* (Bellarm.) —

47. Tu es Petrus, *Verbum Verbi*, dux et lux, rex et lex mundi. — *Firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum ceteris confertur.* (Leo M.) — Et si aliis imperatur (Apostolis) ut laxent retia sua, *soli* tamen *Petro dicitur; duc in altum*, hoc est, in profundum disputationum. (Ambros.) — **(L' Univers.** 1870. nr. 1126.

48. *A foeda Gallicanismi servitute* libera nos Domine. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1129.)

49. Ipsius *(Summi Pontificis) decretorum promulgationem, vim, et obligationem nullatemus pendere a consensu Ecclesiarum particularium,* libenter confitemur. (Conc. Suession. 1850.) — Illius (Summi Pontificis) utique officium est ac munus, non solum unitatem catholicam defendere, et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, *suo irreformabili* quidem *iudicio definire.* (Conc. Remense a. 1857.) — *Periculi plenas* duas opiniones indigitamus: quarum posterior affirmat, solemnia Summi Pontificis decreta in causis fidei etiam ex cathedra prolata non esse irreformabilia, eorumque vim ultimam ab Ecclesiae consensu pendere. (Conc. Suession. 1850.) — Summopere cavendum nobis est, ne in illa re Sedis Apost. auctoritatem inconsulte praetermittamus, decepti nimirum quorumdam doctorum scriptis, qui S. Pontificis auctoritatem minuere non verentur. *In vanum utique a Christo Pontifex Romanus plenam potestatem accepisset leges in toto orbe ferendi, si nobis licitum esset, constitutiones S. Sedis infirmare.* (Conc. Remense.) — Gaude Maria Virgo Immaculata, *haeresim Gallicanam* iamiam interemisti. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1130.)

50. Divideretur Ecclesia, nisi in Unitate *per unius sententiam* teneretur. (Thomas.) — Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius; qui habitat in coelis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1132.)

51. Sanior autem est Epporum pars, qui Ecclesiae Romanae ceterarum matri et magistrae, et *Summo Pontifici*,

Christianorum omnium Patri et *Doctori, fidei depositum* tuenti adhaerent. (Nat. Alex.) — Ut *Summi Pontificis divina infallibilitas* apertissimis verbis et omnem cavillationem removentibus et praefocantibus definiatur! — Cuncta per mundum novit Ecclesia, *quod Sedes B. Petri Ap. de omni Ecclesia fas haberet iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio.* — **(L' Univers.** 1870. nr. 1133.)

52. Sanctissimo Patri, Beatissimo D. N. Pio Papae IX, sanctae et universalis Ecclesiae Pontifici et *infallibili Doctori*, anni multi, multa pax, multa prosperitas, multa consolatio, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1137.)

53. Nobis *inexpugnabilem in omni errore propugnatorem* Deus providit, et Romanae Ecclesiae Papam ad victoriam praeparavit. (C. Chalced.) — Scitis fratres, quia ab antiquis diebus in nobis Deus elegit *per os meum gentes audire verbum Evangelii et credere.* — Petrus sacri fax amoris, *lux doctrinae*, sal dulcoris, Petrus mons iustitiae, *Petrus fons est Salvatoris*, lignum fructus et odoris, *lignum carens carie.* (Adamus de S. Vict.) — Vivat Pius IX, quem vidi, quem amavi, quem dilexi, in quem *infallibilem credidi!* — **(L' Univers.** 1870. nr. 1146.)

54. Praedica verbum (Pie IX!) *opportune, importune.* — *Iudicium Romani Pontificis loquentis ex cathedra in rebus fidei et morum est infallibile independenter a consensu Ecclesiae.* (Billuart.) — Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. (Ps. 118, 105.) — **(L' Univers.** 1870. nr. 1154.)

55. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. (Rom. 2, 22.) Te dereliquerunt, SS. Pater, *fontem aquae vivae,* et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. (Ier. 2, 13.) Et dimisit eos Dominus secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis; — et cibavit nos ex adipe frumenti, et *de Petra* melle saturavit nos. (Ps. 80, 13. 17.) — Pio IX *Doctori fidei:* adauge nobis fidem. — Tu Christus alter! *a te docentur, qui docent.* — *Ridebit inferni minas innixa Petrae cathedra; nec stare, nec verum loqui, orante Christo, desinet.* — A prudentia

carnis libera nos Domine! docendus populus, non sequendus. — Cogitans, quod non ecclesiastica definitio, sed haeresis potius est turbativa. — *Petro plenissimum commisit, et nulli alii Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* (Cyrill. Alex.) — O *firma Ecclesiae Petra! confirma* fratres tuos. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1168.)

56. *Christi infallibilis vicem qui gerit, Romanae Ecclesiae Pontifex, quomodo et ipse non sit infallibilis?* — **(L' Univers.** 1870. nr. 1170.)

57. *Sancta Romana Sedes ipsa est fundamentum a Deo fixum*, ipsa est sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, levantur. Ipsa est, cui ab ipso Domino potestas ligandi et solvendi speciali privilegio super alias concessa est. (Athan. ad Iul. PP.) — Resonabat inconveniens inimicorum vox, cum omnipotens sermo tuus in mediam terram prosilivit. *Infallibili* Pio IX Doctori peramato: Tu es Petrus, — Rogavi — Confirma — os Ecclesiae. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1174.)

1573—1595.

Declarationes Cleri Galliarum pro infallibilitate Pontificia per epistolas ad Pium PP. IX directas manifestatae. 1869. 1870.

1. *Clerus D.* **Nemausensis.** B. P. Presbyteri dioecesis Nemausensis nihil optatius haberent, quam ut Eppo suo Romam proficiscenti comites essent, et ad pedes Sanct. Vestrae devotionis suae erga Sedem Apostolicam filiale deponerent testimonium. Cum vero votis eorum officia, quibus funguntur, obstaculo sint, *unanimiter expostulant, precanturque,* in quantum ad eos pertinet, *ut definitio infallibilitatis Summi Pontificis, a quibusdam impugnata, in futuro Concilio inconcusse stabiliatur*, sitque novum fidelibus lumen, Eppis adiuvamen, Ecclesiae propugnaculum, Sanctitati Vestrae solatium,

Christo adversus infernas potestates triumphus atque trophaeum. — Nemausi, die 1 Nov. 1869. — **(L' Univers.** Paris. 1869. nr. 911.)

2. *Directores et alumni Seminarii* **Tarbiensis.** B. P. Ad pedes Sanct. Vestrae provoluti, Seminarii Tarbiensis alumni paternam efflagitamus benedictionem, supplicesque exoramus, ut nostros erga Sanctissimam Petri Cathedram sensus manifestare liceat. Sanam Romae doctrinam accurate edocti a doctissimis Theologiae Professoribus, quos Seminario Tarbiensi praeposuit venerabilis ille Eppus, qui licet octogenarius ad Vaticanum Concilium avolavit, *infallibilitatem R. P. unanimi ore acclamamus.* Nec vana fidei nostrae motiva. Oravit enim pro te, dilectissime Pie IX, qui pro Petro rogavit, ne Petri fides deficeret; quia *tu es Petrus, et super te solum Christi aedificatur Ecclesia*, itaque adversus te solum portae inferi non praevalebunt. *Tuum est* ergo, *firmissime Petre, confirmare fratres tuos Eppos, a quibus tu minime confirmandus es, cum te confirmaverit ipse Christus;* tuum est, omne Christi ovile pascere, quia tu solus vere Pastor es agnorum et ovium. Te idcirco, B. Pater, Christianorum Patrem diligimus, *tibi Doctori infallibili credimus.* Utinam, te Pontifice, erroris caput conteratur per Immaculatam illam, tam sublimi titulo a te exornatam! Utinam a te exornata te rursus infallibilitatis titulo exornet! Illa Immaculata tua, B. Pater, vere etiam nostra Immaculata est, dioecesisque nostrae laetitia et honorificentia, quae nobis in foraminibus Petrae (Lourdes) nuper subrisit. Utinam castissima Columba, cuius vox audita est in terra nostra, ramum olivae e coelis per Vaticanum Concilium terris inferat, scilicet *declarationem dogmaticam infallibilitatis R. P. per quam significabitur finis errorum diluvii, claudenturque fontes abyssi!* Utinam unusquisque e Catholicis nobiscum deinceps dictitet: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, *credo Christi Vicarium infallibiliter docentem!* — Tarbae, die 1 Ianuarii 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1005.)

3. *Clerus D.* **Elnensis** (Perpinianensis.) B. P. Omnes infrascripti dioecesis Elnensis in Gallia sacerdotes, ad pedes Sanct. Vestrae humiliter provoluti, *obtestamur: doctrinam, quae in universo mundo feliciter proclamatur, idest, infal-*

libilitatis Summi Pontificis, semper et in hac nostra dioecesi fuisse professam; nosque illam sicut et patres nostri unanimiter profitemur. Idcirco ut unius labii sit omnis Ecclesia, piissimum, etsi humiles, cordis nostri emisimus votum, *ut a Concilii Vaticani Patribus doctrina infallibilitatis Summi Pontificis, his temporibus praesertim saluberrima, tamquam catholicae fidei dogma definiatur.* — In dioecesi Elnensi, die 10 Ianuarii 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 987.)

4. *Clerus D.* **Rupellensis.** Speciosos osculari pedes evangelisantis pacem, evangelisantis bona non nobis nisi in mente et in toto cordis affectu datur. At non recessit retro cor nostrum, et non recedes a nobis. Caritas numquam excidit: ascende in coelos, descende in abyssos, sequemur te quocunque ieris, permanebunt oculi nostri et cor nostrum ibi. Te igitur, B. Pater, cum iuxta nos sit sermo tuus valde in ore nostro et in corde nostro, ut faciamus illum, credimus et confitemur: haeredem Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moysen, iudicatu Samuelem, *potestate Petrum; te Petrum, in successoribus viventem et docentem;* te Petrum, in his servantem plenam omnino pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam Dei potestatem; *te Petrum, cuius non deficit fides, fratres confirmantem;* te Petrum, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli ianitores, et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen haereditasti. Haec est, SS. Pater, quae vincit mundum, fides nostra. Humiliores equidem hanc confitemur, sed ut plane amantes; amantes magis videamur, sed ei, qui non credit, et ei, qui vim non sentit amoris. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1156.)

5. *Clerus D.* **Ambianensis.** B. P. Placeat Sanctitati Vestrae: sacerdotes Decanatus Hamensis in Synodo congregatos, non immemores, imo in unione Apostolorum tunc temporis in coenaculo perseverantium cum discipulis in oratione Dei, habere in votis, quod maxime urgent precibus, *propter luctuosas conflictationes errorum dierum nostrarum definiri quamprimum ut dogma: inerrantiam et infallibilitatem in doctrina fidei et morum Supremi Pontificis,* cui dictum est in B.

Petro: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; confirma fratres tuos; pasce agnos meos, pasce oves meas. Auribus nostris audiamus: istud visum est Spiritui S. et nobis! — (**L' Univers.** 1870. nr. 1126.)

6. *Directores et alumni Seminarii D.* **S. Flori.** Liceat moderatoribus et alumnis maioris Seminarii Sanflorani ad pedes S. V. prostratis humillimas voces iungere concentui, quem *Summo Doctori* ex omnibus terrarum partibus fideles et clerus laeti modulantur. Et nos, B. Pater, *animo volenti et fide non ficta solemne Ecclesiae iudicium expectamus, quod Petrum in successoribus infallibilem orbi nunciabit, et, lumine veritatis antiquum errorem propellente, conferet coelo laetitiam, religioni stabilitatem, ipsique mundo conturbato firmamentum.* — (**L' Univers.** 1870. nr. 1135.)

7. *Clerus D. Suessionensis.* Nos infrascripti D. Suessionensis in Gallia sacerdotes et filii devotissimi ad pedes Tuae Sanctitatis humiliter peramanterque provoluti, corpore absentes, mente adstantes, benedicimus Deum et Patrem totius consolationis, qui te consolatus est in multa tribulatione tua. Visum enim est Spiritui S. et tibi, magnopere Ecclesiae consuli posse Ecclesiam adunando, et ecce stupentibus istis, plaudentibus multis, o Rex Israel et auriga, vocati venerunt tibi de longinquo Reges Tharsis et insulae, Reges animarum, munera adducentes, et animum et corda. Miratum est et dilatatum est cor tuum. Nos saltem novos secuti Magos offerimus Regi Pontifici aurum subiectionis, Vicario Christi thus venerationis, egregio Pontifici tam indigna perpesso myrrham compassionis humillimam. Te confitemur *Divi Petri Sedis, primatus et dotum haeredem omnimodum et successorem mirificum.* In te miramur et agnoscimus *Vicarium Christi indefectibilem*, Regem Pontificem supremum, *ducem salutis ab omni errore immunem ideoque securum, firmamentum fidei firmissimum, columnam veritatis inconcussam, regulatorem morum perfectum et infallibilem.* Et ad os tuum tamquam ad os Petri suspensi oracula expectamus, corde magno et animo volenti. En vota nostra nosque obtulimus. Tu vero, benignissime Pater, redona nobis, quaesumus, auream benedictionem, quae recreet nos in die praesenti et salvet in supremo. — Veromandi in

dioecesi Suessionensi die 11 Ianuar. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1104.)

8. *Decanatus Ulciaci-Castri in D.* **Suessionensi.** Decanatus Ulciaci-Castri sacerdotes et parochi in coetum congregati ad S. Remigium, necnon egregius doctor medicus laicus, qui ipsis feliciter accessit, suam mentem circa infallibilitatem R. P. ex cathedra agentis aperire ausi sunt. Quapropter, B. Pater, nos infrascripti ad pedes S. V. provoluti, et benedictionem vestram pro nobis et nostris flagitantes, *declaramus hanc praerogativam Summi Pontificis seu infallibilitatem a nobis ut certam teneri, tum quia a S. Evangelio exprimitur, tum quia illam Romana Ecclesia profitetur et docet, tum quia nova est et paucorum sententia opposita.* Et hanc fidem nostram aperte sic hodie affirmamus, quia christianorum est et praesertim sacerdotum, suam fidem proclamare, quando haec fides in suspicionem cadit, audacterque ipse error non solum se affirmat, sed et praevalere studet ac minitatur. Sed quia, ut praeclare dictum est, *quod inopportunum dixerunt, necessarium fecerunt*, Deum omnipotentem deprecamur, ut haec fides nostra, si visum sit Spiritui S. et Patribus Concilii, annuente etiam S. Virgine Maria Immaculata, et B. Petro, *ut dogma Ecclesiae inconcussum quamprimum definiatur*, ita, ut veritas pateat, lux effulgeat, auctoritas consolidetur, uniantur mentes et coëant, erudiantur reges, fratres etiam confirmentur, fiatque unum ovile et unus Pastor. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1134.)

9. *Clerus D.* **Apamiensis.** Subsignati parochi necnon et sacerdotes Decanatus „La Bastide de Serou" D. Apamiensis in Gallia ad pedes S. V. humiliter atque devotissimo toto corde conveniunt, ut Sedi illi Apostolicae, in qua Christus Dominus Primatum universalem spiritualis auctoritatis stabilivit atque firmavit, summae suae venerationis fidele praestent obsequium. Hi nimirum parochi ac sacerdotes affectuosissimam mentem erga cor S. V. multis tribulationibus circumfusum, et variis gravissimisque aerumnis obnoxium profitentes, animam vestram tantis in angustiis positam humillima veneratione atque inviolabili fidelitate consolari, prout ipsorum est, enixe cupiunt. Sanctae Sedis Romanae exaltationem magna cum religione in

votis habent, eiusque gloriam toto cordis desiderio per universum orbem novo maximoque splendore clarescere anhelant. Huius *S. Sedis perpetuam indefectibilitatem, Summique Pontificis, qui Principis Apostolorum imo et ipsius Domini Salvatoris nostri vices gerit, personalem inerrantiam, Scripturae S., Sanctorum Patrum traditioni, atque praxi omnium seculorum, necnon sanae rationi omnino consonam, firma fide summaque religione tenent.* Hi auctoritatem supremam atque universalem et spiritualem, *primatum, infallibilitatis privilegium necessario simul continere* censentes, ferventi desiderio exquirunt, piisque ad Deum fusis precibus expetunt, *ut per firmam sanctionem atque explicitam definitionem huius indeficientis privilegii doctrina confirmetur, et contra omnes infensissimi hostis incursus in posterum muniatur*, ita, ut cuncto populo christiano et praesertim devotissimo Clero causa laetitiae praebeatur ingens, et unitatis catholicae ac christianae caritatis sacratissimum vinculum arctissime et gloriose perstringatur. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1130,)

10. *Professores maioris Seminarii* **Albiensis.** Dignetur Sanctitas tua vota nostra benigne suscipere, quibus *sententiae totius Ecclesiae, Romanum Pontificem infallibilem fidei doctorem profitenti, intimo cordis affectu suffragamur.* Haec est a pueritia, et, ut ita dicamus, ab uberibus matrum fides nostra; haec est fides, quam nostris alumnis semper tradidisse gloriamur; haec est fides, pro qua, Deo adiuvante, auspicanteque Immaculata Virgine, et ad carcerem et ad mortem ire parati sumus. — Die 18 Apr. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1147.)

11. *Clerus D. Burdigalensis.* Nimio gravati dolore prae quibusdam scriptis nuperrime editis, tamque *necessariam Romanorum Pontificum inerrantiae praerogativam* diruentibus, quam dirae tristitiae, quam angustiis amaritudine plenis obnoxium est cor Vestrae Beatitudinis altissimum, recte sensimus. Quapropter ut tenerrimae pietatis adimpleremus munera, simulque haud indifferenti locum daremus solatio, nos omnes sacerdotes, pastoralem in Decanatu Castilli novi dioecesi Burdigalensi curam gerentes, venerationis, obedientiae ac nostrae fidei ad pedes Sanct. Vestrae hocce testimonium unanimi con-

sensu deferre voluimus. *Omnes* igitur *decisiones doctrinales, omniaque decreta a S. Sede prolata tamquam a Deo emanata reverenter accipimus, eandemque auctoritatem ac ipsimet tribuimus Evangelio.* Credimus, firmiterque ut divinitus revelatum tenemus, beatissimum Petrum et eius successores non tantum ad pascendam, ad regendam, ac gubernandam Ecclesiam a D. N. I. C. fuisse praepositos, sed et ab ipso Salvatore dicente: „Ego pro te rogavi, ut non deficiat fidas tua, confirma fratres tuos" eis in docendo universum orbem *summum inerrantiae donum* concessum fuisse. Credimus ac firmiter tenemus *hanc fuisse Patrum necnon Sanctorum, verorumque fere omnium christianorum a seculis inconcussam fidem, quam ut praeclarum dogma a SS. Vaticano Concilio definiri maximo cum ardore exoptamus.* Insuper et aeris publici Romani penuria et necessitatibus e temporalis S. Ecclesiae principatus sacrilega exspoliatione exortis vehementer commoti, ducentos ad pedes Sanct. Vestrae hosce numos peramanter deponimus, hoc unum petentes, ut Apostolica benedictio, quam multo pluris terrenis omnibus facimus, nobis licet indignis et animabus nostrae curae commissis benigne impertiatur. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1115.)

12. *Capitulum* **Vapincense.** Quum multa ex variis Galliae dioecesibus prodierint adhaesionis monumenta doctrinae *infallibilitatis Summi Pontificis,* quae nunc in Concilio Oecumenico tractanda occurrit, Canonici Eccl. Cathedr. Vapincensis eadem fide firmati, ad pedes S. V. humiliter atque devotissimo corde conveniunt, summae suae venerationis fidele praestantes obsequium. *Credimus* ergo *et profitemur,* B. Pater, *existere in Ecclesia magisterium supremum, permanens, universale, cuius definitiones ab omni erroris et deficientiae periculo sunt immunes, quibus sese submittere tenentur omnes fideles tamquam summae et infallibili regulae fidei et morum. Credimus insuper et profitemur, hocce Magisterium a Christo commissum fuisse B. Ap. Petro et successoribus eius in Sede Romana,* quam Sedem toto mirante terrarum orbe omniumque fidelium plausu tot praeclaris virtutibus ornat Sanctitas Vestra. *Et hanc doctrinam, nempe inerrantiam personalem Summi Pontificis, utpote Scripturae Sacrae, SS. Patrum traditioni,*

atque praxi omnium seculorum consentaneam, firma fide summaque religione tenemus. Nunc, SS. Pater, haec vota nostra vehementi cordis desiderio exposcimus ardenterque exoptamus, *ut splendidissima luce resplendeat doctrina inerrantiae Vicarii Christi, et ad dogmatis normam adducatur a Vaticano Concilio;* supplicationibus nostris efflagitantes, ut occurramus omnes in unitatem fidei et fiat unum ovile et unus Pastor infallibiliter docens. O! utinam, Beatissime et amantissime Pater, qui Christi vices geris in terris, fausto peragas exitu, Spiritu S. auspice, congregatum Concilium, et cum Christo dicere valeas: opus consummavi. Faxit Deus Omnipotens, ut ipso die, quo celebratur festiva solemnitas beatorum App. Petri et Pauli, omnes Christifideles unanimi ore concinant cum S. Petro Chrysologo: B. Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1137.)

13. *Clerus decanatus Novigenti e D.* **Lingonensi.** Sacerdotes Decanatus Novigenti (in D. Lingonensi) ad pedes S. V. provoluti, animae vestrae dolores in tantis angustiis positae, humillima veneratione, inviolata fidelitate, et ardenti amore tantisper temperare enixe cupiunt. Angelus Ecclesiae Lingonensis, piissimus noster ac dilectissimus Antistes, Urbem proficiscens videre Petrum et apud eum manere diebus quindecim et amplius, nobis hoc vale supremum reliquit, doctrinae iudex fideique suae dioecesis testis et interpres: *Scio Papam ad docendam et regendam Ecclesiam sufficientem esse, et iterum dico, eius auctoritatem supremam esse, illiusque doctrinam infallibilem.* Et nos tam dilectae dilecti Patris doctrinae gaudenti animo inhaerentes, *credimus et cognovimus, quia tu, B. Pater, verba vitae aeternae habes; et te,* ut S. Scripturae et Patres nostri annunciaverunt nobis, *clavicularium regni coelestis,* qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit; *te melius quam Aaron, in pectore gerentem Urim et Thummim, doctrinam et veritatem; te Petram,* super quam Christus aedificavit Ecclesiam, et super quam qui ceciderit confringetur; *te confirmaturum fratres, non vero ab eis confirmandum;* te agnorum necnon et ovium Supremum Pastorem; *te Doctorem Ecclesiae infallibilem scimus, credimus, et profitemur, et praedicamus,*

et (filiolis dicere liceat, o Pater) toto corde peramamus. Magno populi christiani applausu, B. Pater, tuo infallibili iudicio declarasti, pronunciasti et definisti BVMariam fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem. Et *maxime nobis est in votis, a Spiritu S. et a SS. Synodo Vaticana declarari, pronunciari et quamprimum definiri: doctrinam Summi Pontificis immaculatam esse, et singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio ab omni erroris labe praeservatam immunem, heri, hodie, et in secula.* Quam hilari mente, o B. Pater, vocibus quam laetis et geminatis plausibus auream illam diem salutabimus, quam decora lux aeternitatis beatis irrigabit ignibus! — (**L' Univers.** 1870. nr. 1142.)

14. *Clerus D. Aeduensis.* Nos sacerdotes infrascripti in Archipresbyteratu Marciniaci prope Higerim dioecesis Aeduensis, curam animarum gerentes, ad tuae Sanctitatis pedes humiliter provoluti, sacris paginis universali traditione explicatis inhaerentes: 1. Agnoscimus, profitemur, ac firmiter iuxta Concilii Florentini definitionem credimus, S. Apost. Sedem et Pontificem Romanum in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum esse B. Petri Principis Apostolorum successorem et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse. 2. Quum vero eo ipso, quod Romanus Pontifex constitutus sit non ab hominibus neque per hominem, sed a Deo doctor, ab omnibus audiendus, inde sequatur illum *in doctrina fidei errare non posse*, alioquin discipuli in errorem induci possent, et refunderetur error in ipsum Iesum Christum, qui constituendo Papam doctorem omnium christianorum christianos omnes obiecisset errandi in fide periculo simul cum Romano Pontifice: unanimi ore, animo et corde peramanter *nos* profitemur, *Auctorem et Consummatorem nostrae fidei universali nostro doctori inerrantiae et infallibilitatis privilegium in doctrina fidei et morum contulisse et perpetuo conferre;* adducti praesertim hac illius singulari oratione, qui semper pro sua reverentia exauditus est: „Rogavi pro te, Petre,

ut non deficiat fides tua"; et hac quoque promissione Petro singulariter facta: „Tu es Petrus." Ceterum quoad huiusce veritatis definiendae opportunitatem quantumcunque sit nostrum omnium desiderium, tuo tamen reverendissimorumque Epporum, a Spiritu S. positorum regere Ecclesiam Dei, iudicio confidenter stamus, ad quidquid decisum filiali obedientia accessuri. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1107.)

15. *Clerus D.* **Anneciensis.** Ad pedes Sanct. Vestrae provoluti infrascripti sacerdotes dioecesis Anneciensis, archipresbyteratus Megevensis, *maxime dolentes super doctrinis circa fidem naufragantibus, omnibus votis exoptant definitionem infallibilitatis Romani Pontificis.* Quam audivimus doctrinam a B. et S. Francisco Salesio; pro qua defendenda parati sumus et in carcerem et in mortem ire. — Megevae, die 1 Iun. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1127.)

16. *Clerus D.* **Cenomanensis.** Unanimi consensu cum RR. dilectissimoque Praesule nostro Carolo Fillion Cenomanensi Eppo S. Sedis praerogativas firmiter amplectentes ac praedicantes, hucusque totam in ipso quiete reposuimus curam communis nostrae fidei testimonium perhibendi. Humilitati nostrae parum conveniens aestimabamus attollere vocem, ut nos ipsi directe venerationem devotionemque nostram in Christi Vicarium profiteremur. Sed pro miserandis temporum adiunctis *cum inimicis S. Romanae Ecclesiae ad labefactanda Cathedrae Apostolicae privilegia nonnullos etiam filios incautos ingratosque concinere non puduerit,* nobis ad primam e collationibus annuis habendam congregatis opportunum visum est ad Paternitatem Vestram una cum innumeris filiis S. Sedi addictissimis piam dirigere supplicationem, ut nostram inconcussam fidem filialemque affectum erga Vestram Supremam Auctoritatem nitidius declararemus. Dum adversarii numerum suum iactant et exaggerant, non importune magis ac magis apparebit, *quam pauci sint in nostris etiam Galliis, qui veterum Patrum fidelem traditionem de vestra potentiori principalitate summaque Magisterii potestate non servaverint.* Idcirco, B. Pater, nos ad pedes S. V. provoluti, cor vestrum paternum recreare cupientes, enixe deprecamur, ut testimonium altissimae devotionis nostrae gratum habeatis. Nos enim li-

benter amanterque iuvat iuxta SS. Florentinae Synodi tenorem confiteri: Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse. *Quodsi*, veluti speramus, *SS. Concilii Vaticani Patres opportunissimum iudicaverint, hanc supremam potestatem enucleatius declarandam, atque ad Gallicana effugia penitus praecludenda, infallibilitatis privilegium Petro eiusque successoribus iuxta S. Scripturam Sanctorumque Patrum traditionem datum absque ambagibus definiendum, hnic definitioni iamiam ex toto corde subscribimus.* — Die 5 Iun. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1138.)

17. *Clerus D.* **Auscitanae.** Ex quo tot et infensissimi ex abyssi profundo hostes prodiere contra temporalem S. Sedis Ap. potestatem, malaque ingentia contra ipsam congesserunt, non cessamus lacrymas et preces ante pedes Domini et Immaculatae Virginis effundere, ut eorum confundantur impia consilia, partesque Ecclesiae protegantur. Nunc autem *cum perversitas eo progrediatur, ut doctrinae iamdudum proscriptae a Summis Pontificibus de suo extrahantur sepulchro, contra praerogativas a Christo Domino B. Petro eiusque successoribus in Sede Romana concessas:* tacti sumus dolore cordis intrinsecus; ideoque maximo plausu accepimus sanctum et oecumenicum Vaticanum Concilium, spem habentes, ipsum tantis malis remedium, densissimisque tenebris coeleste lumen allaturum. Insuper *S. Scripturarum fulti auctoritate, Summorum Pontificum Constitutionibus, Conciliorum decretis, SS. Patrum et eminentissimorum Theologorum consensu, totiusque firma fide traditionis, corde credimus et confitemur: Romanum Pontificem, utpote B. Petri Successorem, esse iure divino Vicarium Christi, totius Ecclesiae Catholicae Caput, Pastorem supremum agnorum et ovium, Doctorem infallibilem;* ipsique ab omnibus deberi reverentiam ac indefessam obedientiam; paratique sumus ad hanc tuendam doctrinam etiam usque ad sangvinis effusionem, eandemque fidelibus nostrae sollicitudini commissis indesinenter tradendam. — Die 27 Iun. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1154.)

18. *Rector Eccl.* **Regaliensis.** (Royer.) SS. Pater! Eructanti huic ex omnibus orbis terrarum partibus tam laudabili necnon praeclarae voci debilem adiungere meam maturo. In nomine S. Trinitatis, Immaculatae Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, universalis Ecclesiae Pastorum simul et fidelium, *utinam die 29 huius mensis errores de Ecclesia contemporanei omnes inprimisque de Summi Pontificis ex cathedra docentis inerrantia et profligentur et conterantur* ad maiorem gloriam Dei. — Die 20 Iun. 1870. — Car. Paulus Menetrier. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1145.)

19. *APresbyter e D.* **Augustodunensi.** Infrascriptus, et plures APresbyteratus sacerdotes doctrinis in Ecclesia Catholica quasi unanimes assentientes et adhaerentes, credunt profitenturque *Summum Pontificem in rebus fidei et morum fallibilitati humanae divino privilegio subtrahi.* In praesentibus vero rerum adiunctis sic suum sensum votumque humiliter exprimere praesumunt: *Roma loquatur, causa finiatur, et fiant cor unum et anima una.* — Verdun-sur-Saone, 24 Iun. 1870. I. Matray. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1145.)

20. *Clerus D.* **Tullensis.** Scriptum in libro Psalmorum: „ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem“: ideo liceat infrascriptis humillimis sacerdotibus, ad pedes Sanctitatis tuae maxima qua decet reverentia provolutis, eam, quam habent in divina Sedis Ap. iura et in summe salutiferas tuae Beatitudinis praerogativas fidem proclamare. Te enim dicimus Magistrum et Supremum Sacerdotem vere levitici generis, quem nobis dedit noster verus Moyses, Iesus Christus. *A te nobis quaerenda est veritas.* Tu praees in loco, quem elegit Dominus; *tua ab omnibus tenenda est sententia,* ideo nec declinandum ad dexteram neque ad sinistram; qui autem superbierit nolens obedire nostri Magni Sacerdotis imperio *ex omni parte veraci,* moriatur homo ille, malum istud auferatur de Israel. Te post Petrum elegit Christus, *ut per os tuum audiant omnes gentes verbum Evangelii.* Te igitur, B. Pater, credimus et profitemur: Pastorem Ecclesiae universalis supremum, ad cuius ovile necesse est ut conveniant omnes Christi oves et agni fideles; *Doctorem infallibilem,* qui semper et in omni fidei et morum doctrina omnibus recte dicis et doces, et non

accipis personam, et viam Dei in veritate doces; Regem magnificum, cui Deus illam sedium suarum assistricem sapientiam misit de coelis sanctis, ut tecum sit et tecum laboret, ideo tu scis, quid acceptum sit apud Deum, et disponis populum tuum iuste. Taceant ergo peccatores illi, qui dicunt impio: veni nobiscum, insidiemus sangvini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem. Dominus est lateri tuo et custodit pedem tuum, ne capiaris. Quae omnia dicimus et toto corde profitemur, non aliqua damnabili acti temeritate, aut vana, ut volunt quidam, adulatione abrepti. *Habemus quae fidem nostram confirmant et augent, verba Domini:* Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Testis etiam nobis est traditio Patrum,* et inprimis ille praeclarus tuus praedecessor Magnus Leo Papa I, cuius verba haec sunt: „Quia tu es Petrus (ait Christus ad B. Petrum), id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis qui facio utraque unum, tu tamen quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia." Quam certissimam verissimamque doctrinam nos omnes ante alios filios ex longo tempore accepimus ex ore nostri admodum reverendi Antistitis I. B. P. Leonardi, Tutelae in Gallia Eppi. Qui doctissimus Praesul Romam nuper profecturus haec iterum ad commissos sibi clericos et fideles scribebat: „Le Pape a l' infaillibilité donnée de Dieu; les éveques dans le Concile la participent unis a lui. Celuici est assisté de Dieu immédiatement; par ce médiateur les éveques ont le meme assistance. Il fallait que l' infaillibilité fut quelque part d' une maniere certaine, dans un sujet immortel, inébranlable, reconnaissable aux yeux de tous. L' attacher au nombre, c' eut été la laisser flottante." Exinde, B. Pater, precamur et nostri fideles nobiscum, ut Spiritus S. qui nos docere debet omnem veritatem, indulgere dignetur, *ut quamprimum tu omnium Doctor tuo supremo infallibili iudicio, sacro approbante Vaticano Concilio, declares: doctrinam, quae tenet, Summum Pontificem Romanum in rebus fidei et morum esse infallibilem, ab omnibus fide catholica esse credendam.* — **(L' Univers.** 1870. nr. 1146.)

21. *Clerus D.* **Rotomagensis.** Auctoritatem legitimam, quam nostris temporibus evertere vel saltem detrahere omni ope contendit superba impiorum turba, nos affirmare, in quantum possumus, opportunum duximus. Quapropter, SS. Pater, *in Te subiecti regalem, filii paternam, servi dominicam, christiani papalem auctoritatem agnoscimus et veneramur; teque, cui soli data est in Ecclesia Christi potestas pascendi agnos et oves, totumque regendi gregem*, nos sacerdotes etsi indigni *in omnibus decisionibus circa fidem aut mores Doctorem infallibilem non solum corde credimus, sed etiam ore confitemur.* — Calidobecci in Caletibus, in festo SS. Petri et Pauli 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1153.)

22. *Capitulum* **Annecíense.** Ecclesiae Cathedr. Anneciensis in Sabaudia Canonici non sine amaro animo *nequissima tela contra divinas Romanae Sedis praerogativas ab impiis Scriptoribus et publicis praesertim ephemeridibus quotidie directa* contemplati sunt. Universalis Ecclesiae traditionibus pasti, et in schola *S. Francisci Salesii,* quem Dioecesis Anneciensis inclytum Patronum habere gloriatur, eruditi, cum eodem S. Praesule *confirmatoris infallibilis privilegium in B. Petri persona finem non habuisse, sed iisdem remanentibus Ecclesiae necessitatibus et errandi periculis, imo ab Apostolorum aevo magis ac magis succrescentibus, in omnes eiusdem in Romana Cathedra successores transmittendum fuisse omnino et firmiter tenent.* Circa hanc tanti momenti doctrinam silentium ideo hucusque servarunt, quod illustrissimi sui Praesulis in Concilio Vaticano nunc sedentis mentem probe noscentes, et de eius suffragio ad suam suorumque clericorum ac totius dioecesis fidelium fidem affirmandam nullatenus dubitantes, cum omni fiducia et modestia supremum iudicium eorum, quibus a D. N. I. C. dictum est: „docete omnes gentes", expectandi suas partes esse opinati sint; ast vero *in dies ingravescentibus contra catholicam illam sententiam inimici hominis conatibus, simulque magis ac magis crescentibus ad praecavendam definitionem, errori mortiferam, eiusdem insultibus,* ne ex suo silentio infensi aut etiam indifferentis vel oscitantis animi se insimulandi ansam qualemcunque praebere videantur: *Ecclesiae Cathedralis Anneciensis Ca-*

nonici praedicti, quorum et universi dioecesis Cleri una eademque est doctrina, Romani Pontificis, dum Supremi Doctoris Ecclesiae munere fungitur, inerrantiam unanimi ore palam et incunctanter profitentur; ideoque ut huiusmodi doctrinam ad stabiliendam divinam Ecclesiae auctoritatem et ad Christifidelium mentes in coelesti luce ac pace divina componendas afflante Spiritu S. Vaticani Patres supra candelabrum ponant et splendescere curent, sibi antiquum omnino esse et vehementer exoptare protestantur. — Annecii die natalitio SS. App. Petri et Pauli, 29 Iun. 1870. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1156.)

23. *Clerus D.* **Cadurcensis**. Humillime provolutis ad pedes S. V. parochis infrascriptis Decanatus Luzech in dioecesi Cadurcensi dulce et decorum sempiternum erit, corde, ore, et *usque ad sangvinis effusionem* hanc fidem profiteri, huiusque fidei solemnem in Conc. Vaticano definitionem exoptare: *Simonis Petri eiusque successorum manibus cum Christus tradiderit claves regni aeternae veritatis, quomodo Simonis Petri eiusque successorum uno solum die labia destitui possent thesauro divino infallibilibusque oraculis huius veritatis aeternae?* Et quia nos Te amamus, sicut tu ipse o! amasti Filium Dei, ideo pro nostris delictis, offensionibus et negligentiis miserationem divinam implorans, B. Pater, nos benedic pro toto vitae decursu, tremendique praesertim momento iudicii. In hac spe gaudentes filii agnellique tui ex imo corde fortiter feliciterque clamabunt et balabunt: non solum ad multos annos, sed ad prodigiorum faustissimum, quod nulla generatio ab incunabulis Ecclesiae hucusque vidit, scilicet ad trigesimum et septimum sicut Petri ita etiam amatissimi amantissimique Pii Papae IX Pontificatus annum! — Die 6 Iuli 1870. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1160.)

1596.

Eppus Massiliensis ad clerum dioecesanum dd. 30 Maii 1870. scribens, **reprehendit tres dioeceseos suae sacerdotes, quod, se inscio, ad Summum Pontificem scribentes, asserere non dubitaverint, per se obstacula poni, quominus pro infallibilitate S. Sedis sese enuncient.** 1870.

Non possum DDVras ignorare permittere epistolam, quam Dominis *Coulin*, *Beranger* et *Caseneuve* in circumstantiis sufficienter notis scripseram. Facile pepercissem calumniis et iniuriis, quae nonnisi meam personam concernunt; verumtamen *silentio praeterire non potui tam gravem ausum, quo tres sacerdotes dioecesis meae veritatem, et omnia principia, munus meum dirigentia aggrediuntur.* Non excidit memoria mea: me a sanctis et illustribus praedecessoribus meis, quorum, non obstante indignitate mea, successor et repraesentans sum, sacrum accepisse depositum fidei, honoris eppalis, fidelitatis et amoris erga Dominum nostrum Iesum Christum, erga Ecclesiam et visibile Caput eiusdem; Deo iuvante, hisque gloriosis exemplis suffultus sanctam haereditatem, mihi commissam intactam conservabo. En tenores *epistolae meae ad DD. Coulin, Beranger, et Casencuve:* „In ephemeridibus, *Gazette du Midi*“ de 16 et 17 Maii legi literas, quibus *Sua Sanctitas die 7-a ciusd. mensis DDVris respondere dignata est*, et versionem earum per DDVras institutam. Verum *DDVrae non publicarunt suam epistolam*, et de hac omissione plurimum dolendum est. *Eaedem non debuissent in umbra omittere accusationes adversus me prolatas, ad quas epistola Sanctissimi Patris nostri tam doloroso modo alludit.* DDVrae me admodum dextere accusare debuerunt, seu in sua epistola, seu in oralibus vel scriptis delationibus,

quas contra Eppum suum ad Suam Sanctitatem pertingere fecerunt, ut Sua Sanctitas, me non audito, se sufficienter informatam censuerit, *meque publice accusaverit, quasi pietati et libertati vestrae obstacula posuissem.* Haec ipsa verba sunt vulgatae versionis. Oportuit his *obstaculis* in mendacibus relationibus characterem manifestae oppressionis attribuere, ut sanctissimus Pater se iisdem dolenter affectum declaret. Haec quoque verba desumpta sunt e versione DDVrarum. Quaenam sunt ergo haec obstacula? Quaenam est violenta agendi ratio, qua liberam expansionem relationum vestrarum ad summum Caput Ecclesiae impedivissem? Haec cognoscere summi momenti fuisset, non tantum pro me, sed etiam pro dioecesi mea, coram qua honori meo detraxistis, et quae in huiusmodi materia veritatem cognoscere debet. In examine conscientiae meae, ad quod publice faciendum me cogitis, incassum quaero causam huius rei, cum nec quamdam speciem fundamenti accusationum vestrarum inveniam; etenim DDVrae nequidem praetextum desumere potuerunt e meis literis, proxime elapso Novembri *Dno Caseneuve* circa proiectum epistolae a nemine subscriptum, in respectu cuius a me consilia expetebat, scriptis; in quo responso meo eundem pure et simpliciter ad dimissas meas eotum circulares inviavi. *Rem abs dubio comprehenderem, si vos mandatum accepissetis, ut nomine confratrum vestrorum, quemadmodum fecistis, loquamini. Verum affirmo, nullum Sacerdotum Massiliensium vobis facultatem dedisse, ut veritatem, contra Eppum vestrum loquendo, detorqueatis.* Aetas et defectus experientiae iunioris vestrum multa a parte eiusdem admissa quidem explicare potest, quamvis nihil prorsus iustificet. Itaque dispensare me possum, quominus de illo loquar; verum nihil prorsus explicat agendi rationem duorum senecionum, qui nomina sua pone nomen illius subscripserunt. Provecta aetas, in consuetis rerum adiunctis, sensu reverentiae et submissionis erga sanctam Hierarchiam ducitur; eadem in loquendo et agendo quampiam dignitatem, nobili simplicitate plenam praesefert, cuius veneranda exempla nobis veterani Sacerdotes passim exhibent; at, proh dolor! huiusmodi sensa nequaquam omnibus sunt communia. Et quomodo potuissent DDVrae parcere Eppo suo, quae nemini par-

cunt, et quarum sermones, amaritudinem et diffidentiam erga omnes personas, resque spirantes, ipsos confratres suos saepe saepius ingemiscere fecerunt? Discutiant DD. Vrae memoriam suam, et comperient se, quocunque alio minus manus suas contra me levare debere. In specie Dnus Parochus S. Ferreoli expendere poterit hodie: cur fuerim vexatus tantis passibus, quos alia epocha apud me personaliter facere non dubitavit, quo Vicarius meus generalis fieri possit, et cur non annuerim desideriis eiusdem. Non aliud mihi superest, quam Deum orare: ut DD. Vras illuminet, cordaque earundem moveat; nam mala, quae calumnia producit, — de effectibus eiusdem tantum loquor, — semper admodum grandia sunt; et talia cumprimis fieri possunt in Dioecesi mea in praesentibus circumstantiis. Imo quis scit: num eadem unquam reparari possint? Non obstante profunda tristitia mea, vobis in Domino nostro benedico, eundemque oro, ut lumen suum super vos effundat. — *Car. Phil. Eppus Massiliensis.* Romae 26 Maii 1870."

Nihil adiicio ad hanc epistolam; etenim existunt circumstantiae, in quibus prolixae orationes nec opportunae, nec efficaces sunt, et ad aliud tempus relegari debent. Silentium, quod mihi hactenus imposueram, dignitati vestrae, non secus ac meae conformius mihi videbatur, et prae omnibus obversabatur oculis meis conatus: libertatem cleri mei usque ad scrupulositatem illibatam conservandi, neque existimo in praesentibus circumstantiis utile futurum, ut ab hac agendi ratione recedam. De opposito convictus sum. In reliquo, quaecunque sit defectio nonnullorum et aggressio a parte aliorum, cor meum in legalibus et episcopalibus intentionibus meis, quibus regitur, firmum custodiam, omnem fiduciam meam in Deo reponendo, sperandoque gratiam eiusdem, quae spiritus, et corda illuminat. — Carolus Philippus, Eppus Massiliensis. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1141.)

1597.

Responsum trium Sacerdotum Dioecesis Massiliensis ad epistolam Episcopi. 1870.

Reverenter et cum dolore percepimus epistolam, quam Illtas Vra nobis 26-a Maii scribendam existimavit, et quae nobis 10 Iunii tradita fuit. Haec epistola post aliquot horas a divulgatis circularibus literis, per Illtem Vram ad universum clerum dioecesanum dimissis, comparuit. Tristitia, quam lectio eiusdem nobis causavit, profunda fuit, corque nostrum crudeliter affligebatur, dum vidissemus: Illtem Vestram, quam Patrem nostrum vocare gestiebamus, nobiscum tam severe agere. *Nos nequaquam meremur has exprobrationes, indignatione et amaritudine plenas. Nos non sumus calumniatores, neque delatores.* Conscientia nostra nobis non dicit: nos honori Eppi nostri detrahere voluisse; ab opposito, eadem nobis dicit, nos nunquam immemores fuisse reverentiae, submissionis imo adhaesionis, quibus legitimae auctoritati et sacro characteri Illtis Vrae tenemur. *Nos difficilibus temporibus Summo Pontifici documentum nostrae absolutae devotionis, nostraeque in infallibilitatem eiusdem fidei, exhibere voluimus.* Quomodo potuit hic actus cor Illtis Vestrae contristare? Nos nonnullis verbis ardoris et persuasionis exposuimus necessitatem, quae nos ad hunc actum separatim et tam sero praesuscipiendum determinavit. Hoc modo loquendo, veritatem protulimus, neque credendo sumus, nos obligationibus erga primum pastorem nostrum defuisse.

Epistola Illtis Vestrae, inprimis propter datam eidem publicitatem, e parte nostra responsum deposcit, quod characterem reverentis, sed simul liberae, firmae et irrestrictae defensionis praeseferat. Illtas Vra nobis exprobrat: 1°/ Nos non vulgasse epistolam ad Sanctissimum Patrem, et in umbras omisisse accusationes adversus Illtem Vram prolatas, ad qua

literae Sanctissimi Patris tam doloroso modo alludunt. 2-o Accusamur: nos Eandem dextere calumniatos fuisse, sive in epistola nostra, sive in oralibus aut scriptis delationibus, quas ad Suam Sanctitatem pertingere fecissemus. 3-o Accusamur: nos in mendacibus relationibus indicasse obstacula, et violentam agendi rationem, ad impediendam liberam expansionem nostrae cum Capite Ecclesiae communicationis, adhibitam. 4-o Illtas Vra interrogat: an mandatum quodpiam habeamus nomine confratrum nostrorum loquendi, quemadmodum accusamur. 5-o Denique cuivis nostrum speciatim asperae quaedam exprobrationes fiunt.

Ad haec ingenue respondemus: 1°/ Illti Vrae substernimus epistolam Suae Sanctitati 10 Aprilis scriptam. Transponentes hanc epistolam, declaramus, nos id prorsus libero arbitrio praestare, nobisque reservare indubitatum illud axioma: vi cuius *nemini competit ius, commercio literario filiorum Ecclesiae cum Summo Capite eiusdem invigilandi* Si Illtas Vra verbis Suae Sanctitatis tactam se sentiat, neutiquam ad nos convertere se debet. Nam reapse qui sumus nos, ut haec sacra verba, coram quibus omnes se inclinare debent, iustificare audeamus? *Cur non vulgavimus hanc epistolam in ephemeridibus? Nos non publicavimus eandem, quia nobis prohibitum fuit Papae scribere, et quia utentes certo et irrevocabili iure, cum communi Patre fidelium directum commercium literarium fovendi, e deferentia erga Illtem Vram noluimus publicum facere actum, quem in plenitudine iuris nostri perfecimus.* Sua Sanctitas nobis ope Brevis de 7 Maii respondere dignata fuit. Ipse contextus humilis nostrae epistolae demonstrat: nos actui nostro tantam indaginem attribuere nequaquam potuisse. Patulum nobis videbatur, Suam Sanctitatem ab aliis, et non a nobis, informatam fuisse de situatione, in qua *Massiliae* versamur. *Impossibile nobis fuit verba Papae occulta tenere. Augustissima haec eloquia proprietatem omnium constituunt.* Hanc ideam ipsa Illtas Vra in sua epistola dd 31 Maii ad redactorem pagellarum „*Semaine liturgique*“ expressit. Ceterum *Breve pontificium fidei cleri et fidelium huius Dioeceseos magna encomia tribuebat, quae notitiae illorum subtrahere non potuimus.* Sensus teneritu-

dinis nos permovit, ut proprium scriptum nostrum, quod pone auctoritatem, maiestatem et perfectam libertatem loquelae apostolicae penitus disparuit, in umbra omittamus.

2-o Illtas Vestra nos accusat, nos Eandem dextere calumniatos fuisse, sive in nostra epistola, sive per orales aut scriptas delationes, quas ad Suam Sanctitatem pertingere fecissemus. Illustritas Vra nunc prae oculis habet textum epistolae nostrae. Reperitur-ne ibidem vel minima calumnia? Haec verba: „*imperiosae circumstantiae*“, mox iustificabimus, et explicatio nostra evincens erit. Quod ad orales vel scriptas delationes attinet, nos easdem negamus omni constantia, cuius capaces sumus. *Nos numquam fuimus, nec erimus delatores. Nos summo Pontifici epistolam misimus, quam sanguine quoque nostro subscribere semper parati erimus;* et hoc totum est. Haec immerita accusatio valde gravis est, diuque premet corda nostra. Mirum-ne est, Illme Domine! summum Pontificem, qui incessanter vigilat, cuius sollicitudo ad omnes Ecclesias extenditur, de statu animorum in dioecesi Massiliensi informatum esse? Tercenti Eppi ad Concilium proficiscentes per nostram civitatem transiverunt; magna copia fidelium Romam concessit. Situatio nostra nota fuit, nemoque dicere poterit: venerabiles patres concilii et pios peregrinantes aeternae urbis complices delationis factos fuisse, dum Romae de publicis factis loquerentur.

3-o Ubi sunt hae mendaces relationes, indicantes obstacula et violenta media, quae ad impediendam liberam expansionem nostrae cum summo Capite Ecclesiae communicationis adhibita fuissent? Semper redeundum est ad nostram epistolam, utpote unicum documentum, quod nobis per Illtem Vram in crimen verti potest. Nos nullatenus locuti sumus de violentis mediis; at praesto est series factorum, quae abunde demonstrat: *liberam expansionem nostrae cum summo Capite Ecclesiae communicationis impeditam fuisse. Nobis liberum haud fuit, fidem nostram manifestam reddere. Nos verae pressioni morali obnoxii fuimus.* Hae res nonnisi cum doloris sensu dici possunt; et nos sileremus, Illme Domine! si respectus veritatis et laesi honoris nostri nos non cogerent, ut hac reverenti et plena libertate loquamur. Dum Sanctissimo Patri

scripsissemus: quod „*imperiosae circumstantiae obligare videantur Sacerdotes dioecesis Massiliensis ad observandum silentium, quod cordibus illorum admodum grave est*“, — nequaquam cogitavimus, nos unquam cogendos fore ad ita loquendum, prout nunc facimus. Nos Illti Vrae nonnulla facta in memoriam revocare debemus. Illti Vrae uno mense ante discessum suum Romam DD. Curatos urbis Massiliensis ad eppalem residentiam suam congregare placuit. Memoriam huius rei exactam habemus, quam nemo confratrum nostrorum erroris arguere poterit. *Illtas Vra nobis declaravit: se sibi soli reservare ius, Sacerdotibus suis, Romam durante Concilio proficisci volentibus, facultatem ad id concedendi, atque hanc facultatem nonnisi raro et e peculiaribus motivis concedendam fore.* Eadem DD. Curatis commisit, ut clerum de hac resolutione informent. *Nos omnes in hac declaratione prohibitionem Romam eundi clero annuntiatam vidimus.* Quis nostrum potuit Illti Vrae alia adducere motiva, quam sensum pietatis, fidei et devotionis erga Pium IX? Pro Sacerdotibus Massiliensibus, successori S. Petri corpore et anima devotis, haec neutiquam extraordinaria sunt motiva. Itaque prohibitum fuit Romam proficisci, et primis quatuor mensibus ab aperto Concilio nonnisi duo tresve Sacerdotes Massilienses Romam proficisci potuerunt. Si liberi fuissemus, longe maior numerus ad pedes summi Pontificis convolasset, ut eos deosculetur, paternam benedictionem eiusdem impetret et ad sepulcrum Apostolorum in limine aulae concilii pias preces effundat. Fideles nihil detrimenti cepissent e momentaneo illorum discessu; zelus fervorque confratrum eorumdem, absentiam piorum peregrinantium supplevisset. *Usque dimidium proxime elapsi mensis Novembris nulla manifestatio, infallibilitati summi Pontificis favens, Massiliae locum habere potuit.* 15° eiusdem mensis die unus nostrum, „*D. Caseneuve*“ *conferentiis ecclesiasticis districtus de Saint-Cannat declarationem ad Papam, ab ipso latino sermone conceptam, proposuit. Haec declaratio assensum omnium praesentium sacerdotum mox obtinuit, cui duabus horis post conferentias iam viginti tria nomina subscripta fuere. Sequenti die mane D. Archi-Presbyter S. Martini Vicarius generalis Dno Caseneuve*

continuationem huius negotii prohibuit, eique iniunxit, ut coram collegis eiusdem Dnis Vicariis generalibus compareat. Rector SS. Petri et Pauli obtemperavit, sed una ad Illtem Vram appellavit. Idem Illti Vrae 18-o Novembris scripsit, cuius epistolae paria isthuc adnectenda censuimus; expresse petiit ab Illte Vra indultum, ut propositum suum, cuius executio nomine eiusdem prohibita fuerat, effectui dare possit. Responsum Illtis Vrae, Parisiis 22 Novembris datum negativum fuit; liceat nobis illud isthic reproducere: „Parisiis 22 Novembris 1869. Dilecte amice. Documenta super financiis pontificiis, quae praestolabar, publicationem mearum pastoralium literarum distulerunt; doleo de hac re, cum secus D. Vra praesusceptum passum facere evitasset. *Adhaesio mea observationibus D. Eppi Aurelianensis*, quam in sequelam huius remorae enunciare potui, *D. Vrae adhuc melius indicabit inopportunitatem* sui propositi, cui a consequenti locus esse non potest. C. Ph. Eppus Massiliensis.“ Dum ista agerentur, multi sacerdotes ad D. Caseneuve venerunt, et hausta notitia declarationis, eidem subscribere optaverunt. Confrater noster e respectu auctoritatis Illtis Vrae receptionem novarum subscriptionum denegare debuit. DD. Vicarii Generales mox prima die informati fuere, declarationi viginti tria nomina subscripta esse; D. Caseneuve non existimavit eadem suis superioribus nota reddenda esse, et in se solum assumsit onus responsionis de actu, quem D. Vicarius generalis Meistre eidem tamquam Illti Vrae inamoenum, intentionibusque eius adversum exposuit. Eodem tempore *publicatae fuerunt pastorales literae Illtis Vrae de 7-a Novembris, ope quarum eadem declarat, se adhaerere epistolae D. Eppi Aurelianensis de controversia relate ad definitionem infallibilitatis in futuro Concilio suscitata.* „Nos utimur hac occasione — dicebat Illtas Vra — ad commendandam clero nostro lectionem tanti momenti documenti, nam nos non essemus tam fortiter exprimendo sensa, quae nostra sunt.“ *Nos vehementer perculsi fuimus hac observatione; afflictio nostra magna fuit; tristes etenim experti sumus: nos nequaquam idem sentire cum Eppo nostro in doctrina, quae nobis admodum chara est, et quae traditionalem fidem Dioeceseos S. Lazari constituit.* Parem pro-

fundam impressionem exercuit in animos nostros sequens passus pastoralis epistolae quadragesimalis: „Non licet nobis ignorare, plures vestrum charissimi F. admodum generali inquietudini et perturbationi obnoxios esse. Nobis id mirum videri non potest; praesertim cum edocti simus de erroneis interpretationibus nonnullorum obiectorum doctrinae christianae, et veri sensus decisionum nostrorum postremorum Conciliorum provincialium, quae in nostra dioecesi a quibusdam propagantur.“ Perspicuum nobis est: hic de doctrina *infallibilitatis* sermonem institui. *Nos non novimus erroneas interpretationes, quae inter nos disseminatae fuissent; fides nostra de hac veritate firma et invariabilis est; verum videndo: nostra sensa hac in parte in dubium vocari posse, declarationem nostram Sanctissimo Patri misimus, quae hanc pretiosam fidem exprimit. Nos nequaquam usi fuimus indigna praesumptione, conscientiam Illtis Vrae, qua iudicis fidei, gravandi; conscientia eiusdem libera manet; intentiones eiusdem pro rectis, purisque habemus: sed cur non liceret nobismet ipsis uti inviolabili iure, fidem nostram Vicario Iesu Christi manifestam reddendi?* Porro quaepiam dicenda sunt nobis *de subscriptionibus pro concilio*, per ephemerides „*L' Univers*“ evulgatis, quibus nos quoque nos associavimus. *Has subscriptiones comitabantur sententiae, fidem nostram exprimentes.* Ad sistendum hunc motum opportunum censebatur subscriptionem in curia Eppali aperire; verum *declarationes super infallibilitate, quae his documentis devotionis erga S. Sedem a nobis intentum characterem dedissent, prohibitae fuerunt*; imo hae manifestationes per superiores nostros severo iudicio, atroque calculo notabantur. Dici audivimus: declarationes Papae mittere et pro Concilio in „*Univers*“ subscribere, idem esse: ac honori Eppo nostro debito deesse, et contra eundem rebellare. *Initio Aprilis, eodem momento, quo declarationem nostram ad summum Pontificem scripsimus, Ven. Capitulum quoque cathedralis Ecclesiae huiusmodi declarationem mittere intendebat; propositum istud effectu caruit, atque cuivis constat: Capitulum influxu earundem causarum ad silentium redactum fuisse, quae nostram libertatem coarctarunt.* Si Capitulum sensa sua libere pandere potuisset,

subscriptiones nostrae subscriptionibus confratrum nostrorum permistae fuissent et nos feliciter in obscuritate mansissemus. Non possumus impetrare a nobis, quominus de periodico scripto „*Semaine liturgiqué*“ quaepiam dicamus. Hae pagellae, propter salutarem effectum, quem producere possent, nobis charae, inde ab exordio Concilii, usque ad novissimum tempus, memoratu digno silentio prosequebantur praesentes quaestiones; eaedem non vulgarunt magni momenti documenta, uti: Breve S. Patris ad Abbatem Guéranger, allocutionem ad Eppos Orientis etc.; eaedem non potueruut publicas reddere manifestationes devotionis, summo Pontifici undique exhibitas, manifestationes, quarum partem habere nobis cautum fuit; eaedem in respectu augustissimae personae Pii IX quoque taciturnitate usae sunt, quae cunctos stupore replevit; in vulgus exiit: has pagellas rigidissimae censurae subiectas esse. Factum quoddam adhuc adducendum est. *Duo confratres nostri, qui in ephemeridibus doctrinam romanam defendendam susceperunt et molimina erroris revelarunt, reprobationem tulere, calamumque frangere debuerunt. Unus istorum, qui magni momenti opusculum elucubravit, quamvis strictae censurae se subiecerit, indultum tamen opus suum typis procudendi impetrare neutiquam potuit.* Illme Dne! cum dolore, reverenterque dicimus: *nos liberos minime fuisse.* Haec series factorum, ingeminamus, demonstrat: *nos obstaculis et morali pressioni obnoxios fuisse.* DD. Vicarii generales, quos veneramur, quique propter scientiam virtutesque suas nostra fiducia potiuntur, nobis indulgebunt: si ipsos testes invocemus. Quacunque demum forma intimaverint nobis tam crebro suas observationes, negare tamen non poterunt, ipsos nobis impedimenta posuisse, et liberam expansionem nostrae cum Capite Ecclesiae communicationis restrinxisse.

4-o Illtas Vra interrogat: an quodpiam mandatum *nomine fratrum nostrorum loquendi*, habuerimus? *Nostra declaratio nequaquam exprimit, nos mandato quopiam potiri;* quicunque de fide fratrum suorum testatur et factum quoddam enunciat, haud praetendit, se mandatum ad id habere; etenim dicit, quod dicere cuivis, scientia praedito, integrum est. *Eventus demonstrarunt, veritatem de ore nostro prodivisse.* Illtas

Vra nequaquam ignorat, *clerum dioecesanum, praecuntibus tribus Vicariis generalibus, cum effusione cordis subscripsisse declarationi Ven. Capituli, qua ad Breve S. Patris cum acclamationibus gratitudinis, et actu fidei in infallibilitatem eiusdem respondit; nos huic piae manifestationi tantum prolusimus. Interrogentur aliquot sacerdotes, qui huic declarationi non subscripserunt, et omnes fere fatebuntur: se infallibilitatem credere, et nonnisi ob metum, Illti Vrae displicendi, a subscriptione abstinuisse.*

5-o Veneratio, qua Illti Vrae tenemur, nobis necessitatem imponit loquendi *de exprobrationibus, per Eandem unicuique nostrum personaliter factis.* Non credimus, nos de primo pastore nostro tam male meruisse, ut tantam iacturam existimationis nostri faciamus. *Iunior nostrum modeste respondere posse existimat, in memoriam revocando, se 45-o aetatis anno neutiquam instar pueri, aut absque reflexione egisse.* Grata memoria recolit fiduciam eidem a parte Illtis Vrae elapso anno exhibitam: dum eidem spatio unius mensis administratio conspicuae, frequentisque parochiae Belle-de-Mai, demortuo parocho, commissa fuit. Idem adiicere posset: quod posteaquam 1864 per Ill. D. Cruice in rectorem parochiae SS. Petri et Pauli, prope 10,000 animarum numerantis, nominatus fuisset, per Illtem Vram a quatuor iam annis in statione, difficultatibus minime carente, omissus fuerit. Illtas Vra senectutem duorum veteranorum sacerdotum Dioeceseos suae contristavit. *„Coulin“* et *„Beranger“ cum energia profunde laesae conscientiae repellunt accusationem: se in sermonibus suis nemini parcere, verbaque sua diffidentiam et amaritudinem erga omnes personas resque spirare.* Illtas Vra in errorem inducta fuit. Quod plurimum mirantur, illud est: quod superiores, qui eosdem laesionis omnium fratrum suorum capaces supponunt, eosdem nunquam eatenus monendos existimaverint, quodve Illtas Vra eisdem documenta addicti animi, suique aestimii constanter exhibuerit. Si calumniati sint quempiam fratrum suorum: surgat, et loquatur! Quod attinet ad humiliantem obiectionem contra *parochum S. Ferreoli* directam, quasi ille, alia epocha personaliter passus fecerit, quo Vicarius generalis Illtis Vrae esse possit: hanc absolute reiicit. Si amici

eiusdem de ipso coram Illte Vra locuti fuissent, idem protestatur se unquam huiusmodi passibus ansam praebuisse et formaliter negat se illos succollasse. Unius dumtaxat facti recordatur; videlicet Illtem Vram, dum initio eppatus sui eundem ad se vocari curasset, eidem cum benevolentia adaperuisse dolorem suum, quod ipsum, e peculiaribus rationibus ad consilium suum, quemadmodum Ill. D. Cruice fecit, assumere nequeat. Idem tunc declaravit: se munus Vicarii generalis nequaquam appetere, et per Illtem Vram adursus, ut distinctum quodpiam signum addicti Illtis Vrae animi petat, ad iteratas, paternasque provocationes reposuit: „Cum Illtas Vra cupiat, dignetur mecum ita prout cum D. Giraud Saint-Rome agere". Universo clero constat: titulum istius piae memoriae Sacerdotis duntaxat honorificum fuisse; et Illtas Vra tunc eundem Béranger Officialem Dioeceseos nominavit, cuius nomen a quatuor annis in ordine dioecesano sub hoc titulo occurrit. *Parochus S. Ferreoli cumprimis per id contristatur, quod Eppus eiusdem cum clero suo communicare potuerit immeritam exprobrationem ex arcano colloquio desumtam.*

Persuasum teneat Illtas Vra, nos plurimum dolere, quod eidem sic respondere debeamus. Cor nostrum saucium est, verum nos obligationem implemus, confisi Deo, qui scrutatur renes et corda, quique sinceritati nostrae benedicet. Obligationis quoque nostrae est, responsum quod Illti Vrae damus, ad pedes Summi Pontificis deponere. Sanctisstmus Pater nobis benedixit; nos religionem eiusdem eludere noluimus. Suavis, magnusque Pontifex, cuius sapientiam, prudentiam et sanctitatem universus orbis admiratur, non potuit per nos periculo deceptionis exponi; et si oculos suos ad humilitatem nostram convertere dignatus est, coram se nequaquam indignos calumniatores vidit. Nos praesens memoriale nostrum nondum publici iuris fecimus. Verum cum Illtas Vra in suis circularibus literis dd. Romae 30 Maii, epistolam nobis scriptam clero suo notam reddiderit: ratio honoris nostri postulare videtur, ut nos quoque responsum nostrum ad notitiam confratrum nostrorum perferamus. Nos Il'ti Vrae personaliter scribere debuimus; speramus, eandem melius informatam, nobis iustitiam reddituram. Qui profunda cum reverentia manemus; Illtis Vrae hu-

humillimi, obedientissimi servi: nomine nostro et nomine *D. Coulin*, canonici hon. Missionarii apostolici et directoris magni catechismi, qui, absens, huic responso adhaeret: *Béranger*, canonicus, parochus Officialis dioecesanus; *G. Caseneuve*, rector Ecclesiae parochialis SS. Petri et Pauli. Massiliae, 17 Iunii 1870. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1150.)

1598—1602.

Epistolae et declarationes Cleri Italici pro infallibili magisterio Rom. Pontificis. 1869—1870.

1598. *Capituli Anconitani.* B. P. Dum inter iniquos fremitus gentium, inanesque populorum cogitationes, inter Regum Principumque consilia adversus Dominum inita divina omnia humanaque perturbantur, et Ecclesia Christi facta est signum contradictionis et odii; dum nos sacerdotes ministri Dei una cum Clericis in claustris degentibus Virginibusque Deo sacris angustiamur undique, et exspoliati cogimur ab ipsis Ecclesiae inimicis quaerere panem nostrum: fides adiuvante Domino in nobis non frangitur, sed augetur; spes non confunditur, sed excitatur vividius; et *vinculum caritatis et reverentiae, quo cum Apost. Sede iuncti semper fuimus, in dies stringitur et perficitur.* Quid enim exspectandum est? Num ut mundus nos diligat, cum ipsa Veritas dixerit: „Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit? — quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.“ Flere quidem libet inter vestibulum et altare pro peccatis quibus terra repletur, pro fide quae abiicitur, pro Deo qui blasphematur, pro impietate quae triumphum agit; sed pro nobis flendum non est, sed gaudendum, quia in bonitate sua Deus iuste hic nos pro peccatis affligit, et dignos simul efficit pro nomine Iesu contumeliam pati. Et hac quidem laetitia exultantes pro iis quae patimur, quibus Deus nos corripit, ut vocatione sua sancta digniores efficiat,

coram te, B. Pater, hodie sistimus, profitentes firmiter credere quaecunque tu sicut Ecclesiae Magister nobis proposuisti ad credendum, reiicere et condemnare quaecunque tu reiicis et condemnas, anathematisare quae tu anathematisas. O utinam in Vaticano Concilio infallibilitas Romani Pontificis definiatur! Hoc est desiderium nostrum, haec fuit semper et est nostra fides. Quidquid interea in hoc Concilio proponetur credendum, nos iam nunc plenissima mentis subiectione suscepturos, quidquid faciendum statuetur, facturos promtissimo cordis affectu profitemur; *scimus* enim *a quo discimus, et errare non formidamus; scimus a quo pascimur, et venena non timemus. Tibi, B. P. adhaerere volumus, et, sicut olim B. Petrus trina sua amoris professione specialem a Domino Primatus praerogativam est assecutus, ita nos trinam ipsam amoris et obedientiae erga te professionem renovantes a Domino auxilium speciale expectamus,* quo de omnibus inimicis nostris victoriam referentes, possimus in Ecclesia Dei bonum certamen certare, et nobis et aliis comparare coronam gloriae. Quoniam autem scimus praecipuum nostrum munus esse, orationes fundere pro supremo Ecclesiae Pastore, cum praesertim tribulationum tempora volvuntur, iam ab elapso mense Iunio, quo Missa de Spiritu S. in Cathedrali Ecclesia cani coepta est, curavimus, ut eum ipsum in finem, ad quem iusseras illam celebrari, ultroneo plerorumque nostrum concursu singulis in hebdomadis usque ad Concilii finem applicaretur. Instante autem modo auspicatissima illa die, qua Vaticana Synodus (ex qua bona omnia tum Ecclesiae tum societati obventura confidimus) aperietur sub tutela Beatissimae Virginis sine originali labe conceptae, nemo erit nostrum, qui coram Simulacro, quod nobis ut pignus benevolentiae reliquisti, ad eandem B. Virginem speciales non fundat preces, aliosque invitet ad exorandum, ut illa, cui datum est cunctas haereses interemisse in universo mundo, interimat et proterat errores et iniquitates, quae hac aetate nostra societatem fere universam commoventes, illam ad internecionem pene adduxerunt. Cum precibus autem et stipem tibi, amantissimo Patri nostro, conferre sategimus. Nec veremur in angustiis, in quibus versamur, tibi offerre minuta duo, sicut obtulit bona

illa evangelica vidua, cuius tamen oblationes acceptae fuerunt apud Dominum. Haec itaque plenissimo offerimus cordis affectu in tua benignitate confisi, dum ad osculum tuorum pedum provoluti etc. — **(Civilta Cattolica.** Roma. 1870. Ser. VII. Vol. 9. p. 357.)

1599. *Clerus Dioecesis Veronensis.* B. P. Canonicorum Collegium et Curiones totius Veronensis dioecesis una cum Clero Sanctissimi Zenonis Eppi nostri vestigiis inhaerentes, *tibi vero Iesu Christi Vicario, vero Petri Successori*, hisce turbulentissimis temporibus in ista dignitatis Sede celsissima pro christianae reipublicae incolumitate magna cogitanti plaudimus, gratulamur, *una et mente et voce unimur.* Ad aures adhuc sonant verba coelestis Patroni: (L. 1. tract. 4.) „O quam misera est fides, quam verba concinnant; o quam adultera, quae non agnoscit quo auctore sit nata; o quam non vera, si factionibus pollet!“ Nos hisce Zenonis dictis, fidei christianae strenui propugnatoris, suffulti, *ne factionibus a recto tramite aberremus, ne fide verbis concinnata innitamur, Oecumenici Concilii auctoritati obsequentes, eius definitionibus, decretis ac legibus tota mente et corde iam nunc assentiri ac demisse libenterque parituros profitemur.* Dum enixe Deum O. M. et B. Virginem sine labe conceptam deprecamur, ut omnia ad Vaticanum fausta ac prospera eveniant, ss. pedibus tuis, Pie IX P. Maxime, suppliciter advoluti, et *huic SS. Sedis auctoritati devoti* atque addicti etc. — **(L' Unita Cattolica.** Torino. 1870. p. 68.)

1600. *Canonicorum et beneficiariorum* **Pactensium.** B. P. Canonici, dignitates, ac beneficiarii Capituli Cathedr. Eccl. Pactensis ad tuos ss. pedes humillime provoluti, quoniam *tibi in B. Petro App. principe a Domino Iesu Christo datum fuit fratres in fide confirmare*, agnos pascere et oves, claves portare regni coelestis, hinc ligare ac solvere: per me priorem ac primam dignitatem eiusdem Capituli, te cum Patribus conclamant ac profitentur: quod es Pater Patrum, et Apostolico culmine sublimatus; summus omnium Praesidum Pontifex; Pontifex christianorum; Ecclesiae petra, fundamentum; Vicarius Iesu Christi; et confirmator fidei christianorum; Christi ovilis Pastor et Custos; Apostolicae Sedis Praesul Antistes;

universalis Eppus et Patriarcha; beatissimus et Apostolicus Vir; Praefectus totius orbis et caput familiae Christi; spiritualis Pater omnium! Summus Pontifex et venerabilis universalis Papa; Claviger domus Dei; demum cum D. Antonino AEppo Florentino, tu in primatu Abel, in gubernio Noë, in patriarchatu Abraham, in ordine Melchisedech, in dignitate Moyses, in iudicio Samuel, in zelo Elias, in mansvetudine David, in potestate Petrus, in unctione Christus. Hinc in hoc Concilio Vaticano *quidquid a te infallibili supremo doctore et magistro confirmatum vel definitnm ad credendum vel agendum fuerit, alacri animo et pleno corde excipiemus, confitebimur et agemus.* Exoramus Dominum Iesum, si ei placuerit, novum addere Ecclesiae, quam acquisivit sangvine suo, decorem, novamque firmitatem, sicque praesenti seculo praestare quod promisit, ut fiat unum ovile et unus pastor, *ut ex Patrum ore, per quod Spiritus S. loquitur, exeat ab universo catholico orbe exoptatum iudicium de S. Sedis, ideoque tui Romani Pontificis inerrantia et infallibilitate, quam S. Ecclesia, Patrum traditio, Conciliorum decreta, Romanorum Pontificum iudicia, totius catholici orbis submissio semper firmam ratamque habuerunt.* Et erit, ut omnis homo degens in terris, si veritatem agnoscere voluerit, absque ulla haesitatione ad Rom. Pontificem Christi Vicarium recurrat. Obsecramus demum Dominum Iesum per merita B. V. M. Matris eius, quam tuo infallibili iudicio Immaculatam docuisti, ut te multis annis sospitem servet; videas humilitatem inimicorum tuorum, canas super inferos filiosque diaboli triumphum, ac pacem ore tuo mellifluo nuncies mundo. — Pactae, die 19 Mart. 1870. *(Subscripti 26 Can. et Benef.)*

1601. *Archigymnasii Romani* (Universitatis). B. P. *Quod Scriptura, Traditio, Concilia, ipsique Patres aevi apostolici aperte testantur, fidem Petri nimirum firmissimam futuram; quod Christus rogavit, ne fides Petri deficeret; quod ideo eidem concredidit munus pascendi agnos et oves, fratresque confirmandi; quod in Concilio Oecumenico VIII, et in epistola perlecta in Lugdunensi II, et praesertim in Concilio Florentino expressis ferme verbis habetur; quod hactenus et Theologi nobiliores cum D. Thoma, et*

scholae melioris notae inter Catholicos tenuerunt docueruntque; quod demum universa testatur ecclesiastica historia, et facta innumera confirmant, svadentque: hoc ipsum, B. Pater, *inerrantia* nempe *Summi Pontificis ex cathedra definientis in rebus fidei et morum, in dubium vertitur occasione Concilii Vaticani, quasi nimirum eiusdem ope ab instituto maiorum orbis catholicus foret extemplo recessurus, et traditioni universae nuncium missurus.* Quae doctrina quamdiu intra limites ephemeridum mansit, nos Rector, Collegium theologicum, aliique Archigymnasii Romani antecessores silentio praetereundam censuimus, ne in ipsa Urbe principe, in qua sedet Concilium, eiusdem Patrum iudicium antevertere videremur. Cum vero noverimus, praeter dubiae fidei theologos etiam viros graviores et omnes, quotquot sunt catholici nominis hostes, inerrantiae adversariis adstipulari, silentium nostrum mittendum existimavimus, ut *quod semper professi sumus et edocuimus, Romanum nempe Pontificem inerrantiae dote potiri in fidei morumque controversiis ex cathedra iudicio irreformabili definiendis*, palam fieret solemniori modo, tuaeque Beatitudinis pedibus sententia votumque nostrum sisterentur. Quod eo vel magis nobis convenire existimavimus, cum notum sit, nos inter ipsos non deesse, qui non voce tantum ut omnes, sed scriptis etiam evulgatis ante Vaticanum Concilium ipsam inerrantiam probare, eamque ab osoribus vindicare toto animo studuerint, ut clarissimi *AEppus Nisibenus* (Tizzani), et *Perronius*. Nec nos movent difficultates, quae vel promissiones Petro factas Apostolis et ideo Ecclesiae communes existimant, vel Ecclesiae Caput a corpore avulsum supponunt semelac infallibile declaretur, vel Patrum testimonia exhibent quae non in Petro sed in fide ab eo conclamata fundatam praedicant Ecclesiam, vel demum ad facta historica confugiunt ut aliquos RR. Pontificum in fide errasse svadeant. Qui haec affirmant, *propria et privata confundunt placita cum Scriptura, Traditione, et historia; Primatum verbis fatentur, Pontificem volunt auctoritati Epporum obnoxium, et Ecclesiam idcirco excogitant, in qua prout in neotericorum societatibus, praeter publica comitia simul vel dispersim spectata nullus adsit iudex infallibilis et constans controversiarum*

fidei et morum. Nostrum non est, B. Pater, *difficultates millies repetitas resolutasque fusiori calamo explodere; ad eas* enim *refellendas sat est distingvere inter ea, quae uni Petro personaliter et exclusive collata sunt, et ea, quae ipsi concessa fuere cum ceteris Apostolis;* comparare obscura vel dubia Patrum effata cum colluvie clariorum; expendere naturam Ecclesiae Capitis, quod numquam avulsum dici potest a corpore, cuius vita coalescit, ad quod est divinitus ordinatum, quodque ita regit, pascit, confirmat, ut sine ipso verum Ecclesiae corpus nec esse nec dici possit; *factum attendere indubium, ex quo RR. PP. magisterium supremum a solis haereticis atque schismaticis serio fuit impugnatum;* ea discriminare, quae ipsi Pontifices ut omnium magistri et doctores Ecclesiae credenda proponunt, ab iis, quae privatam personam aut sententiam spectant; *sedente Pontifice absurdam propellere distinctionem inter Sedem et sedentem; inerrantiae sententiam cum Ecclesia enatam existimare,* factoque in eadem iugiter manentem, ipsius sententiae veritatem eruere a praxi totius Ecclesiae, non ab errore, ab opinione, a vanitate; et demum *factum sole splendidius penitus introspicere atque pensare, ex quo Ecclesia ipsa continuo RR. PP. decreta expedivit, ut, quid tenendum aut damnandum foret, dignosceret,* licet in adversa sententia non aliud revera ipsi forent, nisi primi inter pares. Haec innuere, B. Pater, sat est superque ad svadendum eruditum cordatumque quemlibet, inerrantiam R. P. cum Scriptura, Traditione et historia apprime convenire, et imo necessariam esse tum Ecclesiae, tum eius unitati, tum regimini, quod ea sublata facile nutaret atque corrueret. *Ne* igitur *aedificium admittamus sine fundamento; ne contra naturam fundamentum ipsum ab aedificio sustentari credamus;* ne inaniter dicamus Christum et plura Petro spopondisse, et pro eiusdem fidei indefectibilitate preces fudisse; *ne in ipsius Christi verbis pugnam ponamus, quasi Ecclesiam supra Ecclesiam aut fidem supra fidem aedificare voluerit;* ne Ecclesiam velimus indefectibilem sine constanti et supremo controversiarum Iudice; ne frustra et sine Petro hactenus Ecclesiam aut stetisse aut cucurrisse svadeamus; ne iniuriam Christo irrogemus, quasi Ecclesiae suae eiusque uni-

tati non satis prospexerit; ne scandalum orbi afferamus; ne omnium fidem, Ecclesiae unitatem et regimen infirmare aut subiicere videamur; ne unum effugientes periculum nimis heu! celebratum, in aliud illudque omnium teterrimum in veritatis luce caligantes impingamus; *ne Primatu concesso logicas eius illationes, iura naturamque Capitis et ordinationis catholicae societatis negligamus;* ne demum parvi faciamus solidiorem rationem, ob quam ab aevo apostolico ad nos quot fuerunt et sunt undique fideles, Petri successoribus in Romana Cathedra docentibus tamquam fidei magistris et Christi Vicariis morem gerere et obtemperare in omnibus studuerunt: *Romanorum Pontificum inerrantiae eorumque supremo in rebus fidei morumque controversiis definiendis magisterio non solum scienter et toto animo adhaeremus, verum etiam tuis pedibus humillime provoluti, ut ipsa inerrantia in Concilio Vaticano aperte definiatur, Scripturae, Traditioni, Patrum, Conciliorum, nobiliorumque Theologorum vestigiis inhaerentes instantissime adprecamur*, tuamque votis nostris benigne faventem apost. bened. obsequentissime obtestamur. Romae. 1870. — *(Unita Cattolica.* 1871. p. 538.)

1602. *Ephemeridum* „Unita Cattolica" *redactores Pio IX P. M. volumen offerunt cum subsidiis pecuniariis, ac una fidem suam de inerrantia R. P. profitentur.* B. P. Ex mandato rectorum ephemeridum Taurinensium quae „Unitatis Catholicae" titulo vulgantur, qua par est reverentia Tibi defero, B. Pater, hoc volumen *), in quo illorum nomina continentur, qui hanc pecuniae vim ad te mittunt. Paucis vero, undenam hae oblationes fluxerint, tibi aperiam. III Idus Apriles a. 1869, quum dies anniversarius ageretur, quo ante annos 50 primum sacrum feceras, ego in conspectum tuum veni una cum legatis *Italae iuventutis catholicae*, quae per diarium nostrum maximam in iis rerum adiunctis obsequii et religiosae laetitiae significationem edendam curaverat. Omnes autem concordes tibi et gratulationes nostras et vota pro tua incolumi-

*) Titulus Voluminis est: „Nomina et oblationes patrumfamilias Italorum Catholicorum, suppetias ferentium et obsequium suum testantium Concilio Magno Vaticano. Collegit diarium Taurinense, cui *Unitatis Catholicae* titulus est factus."

tate obtulimus cum collatitia stipe, qua Itali studebant paupertati tuae opitulari. Vixcum haec in vulgus manarunt, et nuncius percrebuit singularis benevolentiae, qua nos excepisti, illustris quidam paterfamilias Taurinensis, *Caesar Francesettius Comes a Mezzenile,* haec secum: Ergone iuvenes nostri incredibile studium exprompent, ut Pio IX P. M. opem ferant, eumque tueantur et merita gloria cumulent, nos autem patresfamilias nihilne pro communi christianorum parente aggrediemur? ergone viri ab adolescentibus nos vinci patiemur? Quibus dictis epistolam ad *Unitatem Catholicam* dedit, qua patresfamilias Italos hortabatur, ut opportunitatem nacti Concilii Magni Vaticani, eadem facerent, quae iuvenes Itali iam praestitissent, ut primum sacerdotii tui auspicalem diem recolerent. Quemadmodum vero tantum est Italorum in te obsequium, ut nihil unquam reiiciant, quod ad laudem et utilitatem tuam pertinet, ita factum est, ut perbrevi tempore nomina patrumfamilias colligerentur, quae hoc volumen capit, una cum pecuniae summa, pro temporum ratione haud contemnenda. Huiusce pecuniae partem ad te detuli anno superiore, quum Concilium SS. es auspicatus. Ecce nunc reliquum, quod ut benigne excipias, nomine Italorum patrumfamilias etiam atque etiam te rogo. Ad haec gratias quamplurimas tibi ago ob illa, quae egisti pro optima iuvenum institutione et pro tutanda paterna auctoritate. Postremo patiare, B. Pater, me et verbis meis et nomine rectorum *Unitatis Catholicae* hoc *fidei nostrae testimonium* tibi dare: *Nos pro certo semper habuimus et credimus, a te tamquam Christi Vicario verba aeternae vitae solum manare. Quae autem ad aeternam vitam ducunt, ea et falli et fallere nesciunt. Quare quotiescunque rite quidpiam pronuncias, id pro vero habendum. Enixe autem efflagitamus, ut Patres Concilii Vaticani persvasionem nostram decretis suis confirment.* Id unum restat, B. Pater, ut pro tua humanitate fausta quaeque mihi, coniugi meae, liberisque meis a Deo adpreceris. Hi omnes una mecum tibi pedes osculantur, *qui Deo duce inoffensi per procellosas huius seculi undas procedunt.* — Mense Aprili 1870. – **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 353.)

1603—1662.

Cleri Italici Vota pro definitione infallibilitatis Pontificiae ad Summum Pontificem simul cum denariis S. Petri delata. 1870.

1. *Archipresbyteri de Stresa Dioec.* **Novariensis.** Paulus Apostolus in sua I Cor. IX docet: „Qui vineam plantat, et de fructu eius non edit? qui pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum erit, si nos carnalia vestra metamus?“ Et tu, Summe Pie IX, tu quoque es *Pastor supremus Ecclesiae Sanctae Dei,* tu *Pastor Pastorum*, qui pascis oves et agnos Christi, et hodie nunc etiam hos et illas optime pascis, *praebendo omnibus in Concilio Vaticano Oecumenico aeternae vitae saluberrima et catholicae fidei et morum infallibilia pabula.* Igitur et de parvo lacte gregis non manducabis? Utique, B. Pater, tu es Pastor bonus ovium Christi, tu vadis ante eas, et cognoscunt te tuae, et cognoscunt te agni tui, omnes qui vocem tuam audiunt et sequuntur te, ut sic fiat unum ovile in uno Pastore aeterno et invisibili Christo Iesu D. N. cuius tu verus in terris visibilis Vicarius, verusque B. Apostolo Petro Principi App. Romanus successor, et vere tu ipse Princeps Romae. Tu quoque supremus agricola et procurator vineae Dei Sabaoth, et Domini exercituum, qui etiam mittis operarios in vineam suam. Et tu de fructu eius non edes? Tu *Paterfamilias Evangelicus, qui bonum semen seminat in agro suo;* et cum spiritualia multa et magna tu omnibus seminaveris in agro Ecclesiae Catholicae, magnum eritne et grave, si parva et pauca carnalia et temporalia metis, quae etiam tibi Pastori Supremo, Patrifamilias optimo, et Domino nostro sanctissimo, quia his opus habes, nos omnes oves gregis tui, filii et famuli tui omnes in Christo Iesu debemus et damus corde magno et animo

volenti? magnumne, inquam, hoc et grave erit? Non sane: nec fuit, nec est, nec erit nobis grave hoc; quinimo valde dulce et gloriosum nobis est et omnibus Christifidelibus, honorare semper et sponte opera et sermone Patrem universalem et Pastorem maximum Catholicae Ecclesiae, ut sic superveniat benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat, quae etiam et firmat domos filiorum, sic docente Spiritu S. in Eccles. c. 3. Itaque, B. Pater, Pastor, et Domine mi Pie IX, non dedigneris in summa bonitate tua accipere, rogo, duo minuta, i. e. duas libellas italicas, quas tibi mittit et humiliter offert corde magno et animo volenti minimus et pauper filius tuus, famulus et agnus universi gregis Christi, et magnae catholicae familiae, Ecclesiae, sacerdos *Dellara Melchior*, alias Parochus Archipresbyter Novariensis Dioecesis, qui in bonum animae suae corporisque, quod habitualiter tristissimo afflictatur podagrae et chiragrae morbo, suppliciter a te petit, B. Pater, apost. tuam benedictionem. Etiam peto, benignissime Pie, ut benedicere digneris toti familiae meae cum nepotibus multis meis, ut inter mundanas varietates ibi eorum corda sint fixa, ubi vera sunt gaudia. — Stresa, 8 Maii 1870.

2. *Parochi in Substinentia D.* **Venetae.** Epigramma: Pio IX P. O. M. *in rebus fidei et morum falli nescio*, quod primus catholicae assertor fidei cum sit, tot detectis undequaque hostibus, sibi, verae Ecclesiae, Deoque infestis, primus ante agmina christianae reipublicae descenderet miles in aciem; tanta hucusque operatus in tanta rerum subsecuta tempestate, et perversione morum ac iurium, ut totus personuerit orbis plausu festisque vocibus; quodque divino semper intentus negotio, Deo fidens, de victoria securus, adversariorum impetum sustineat; prorsus gravi aetate posthabita quasi primaevos recolligat certando annos: *Marinus Bonvicini* — exultans gratulatur etc. — VII Id. Maii 1870.

3. *Cleri Rhodigini D.* **Adriensis.** B. P. Equidem nosmet quam felicissimos ducimus, B. Pater, nomen nostrum tuos ad pedes deponi una cum aliquot munusculis, quae tibi humillime offerimus; necnon impensius laetamur, quod quis tui flagrans amore nobis occasionem praebuerit nostrae haud ulli secundae devotionis in hanc Apost. Sedem palam tibi faciendae,

et quo voto nos iamdudum, denuo modo nostri magis magisque obstringendi: *promtissimo nos animo esse et vitam, si quando opus fuerit, cum sangvine profundere causa tuendae B. Petri omniumque successorum eius de fidei morumque rebus ex cathedra decernentium inerrantiae, quae veritas uti dogma catholicum definiatur, enixe petimus, vehementerque exoptamus. — (Subscripti 13 sacerdotes.)* Die 19 Maii 1870.

4. *Sacerdotum Utinensium D.* **Utinensis.** B. P. Qua par est tuae dignitati reverentia, filiali tamen affectu tenuem tibi stipem offerimus, gratias agentes, quod *Oecumenicum Concilium* convocaveris. *In eo Patres divino instinctu Magisterii tui inerrantiam solemniter acclamabunt.* Virgo enim, quam ab origine immaculatam definivisti, nunc vices reddit: tu stellam novo in Ecclesiae fide fulgentem lumine eius intexuisti coronae, illa per ora Patrum tuo diademati novam inserit margaritam. Novimus sane supremae auctoritatis esse semetipsam et suae existentiae modum affirmare: *tibi suprema in terris auctoritas est, tute ergo te ipsum magistrum erroris nescium affirmare potuisses. Ast svaviter disposuisti, ut Oec. Concilium supremi magisterii tui inerrantiam una tecum assereret. Quam* igitur *veritatem cum reliquis catholicae doctrinae capitibus arctissime connexam indirecte de fide tenebamus, liceat tandem nobis pleno fidei nostrae merito directe propositam credere.* Sicque, ut confidimus, unitas fidelium tecum, quam Christus Iesus iam passurus enixis precibus a Patre postulavit, arctius perstricta vigescet. Tu perennis nostrae tecum unitatis arrham, benedictionem, nobis clemens impertire, novisti enim qui tu sunt, oves tuas cognoscis; nos Dei aspirante gratia vocem tuam audimus, nos tecum in omnibus. — Utini, idibus Maiis 1870. *(Subscripti 6 sacerdotes.)*

5. *Sacerdotum* **Crevalcoriensium.** Epigramma: Quod S. Oecumenicum primum Vaticanum Concilium ad animi dubia ac controversias auferendas, ad Ecclesiam militantem illuminandam, moderandam, necnon ad patrimonium fidei augendum in Iesu Christi dicto speciatim „tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam," vel „confirma fratres tuos," vel etiam „pasce agnos meos" alacriter solemniter con-

corditer *infallibilitatem Romani Pontificis circa fidem et mores* christianae reipublicae dogma confirmet, statuat ac evulget: *Franciscus Dinellius*, et *Michael Ricciardius* sacerdotes Crevalcorienses obolo italici et mundiatis cleri suum libellarum decem apponunt XI Kal. Iun. 1870.

6. *Sacerdotis* **Bononiensis.** B. P. Ego *Vincentius Todeschi* Bononiensis sacerdos, a diris sacrilegisque perduellibus cathedra collegioque multis abhinc annis exspoliatus, condignum Ap. Sedi obolum, ut vellem, exhibere nequeo, et idcirco adinstar evangelicae viduae libellas tantum decem humillime offero. Hisce praeiactis iamnunc *paratum me fateor firmiter excipere ac credere definitionem infallibilitatis pontificiae*, quamprimum a ss. Vaticana Synodo proclamandam. Certum enim compertumque omnino est, *a recto fidei tramite deflectere et in errorem prolabi non posse eum, qui a Christo Domino Ecclesiae suae fundamentum est constitutus*, eique agnos et oves pascendi, fratresque in fide confirmandi officium fuit concreditum. Praeterea quonam pacto Christus Ecclesiae bono consuluisset, ubi Pontifex in fidei morumque materia haud esset infallibilis, quousque Ecclesiae accederet consensus? Si enim prius Antistitum etiam dissitarum regionum esset expectandus assensus, diu nimis fideles ignorarent, quid sibi interim foret agendum. Insuper essetne necessarius consensus maximae partis Ecclesiae Praesulum, an unius tantum provinciae vel regni sufficeret? Si prius, tunc profecto non requiritur novus Ecclesiae consensus ad Pontificum definitiones infallibiles diiudicandas: quia maior Ecclesiae pars nedum hodie profitetur, verum etiam transactis temporibns est professa Pontificum solemniter definientium infallibilitatem. Si posterius, iterum peto, utrum Pontificis definitiones infallibiles evadant in ea sola provincia vel regno? an ubique? Si ubique, ergo una Ecclesia paris equidem conditionis cogetur ab altera suam mutuare fidem; si vero ibi tantum infallibiles habeantur, ubi admissae ac recognitae sint, tunc alia erit fides Italorum, alia Hispanorum etc. Rursum evenire posset, ut unius provinciae Praesules in posterum respuerent Pontificis definitiones, quas antea exceperant, prout accidit quoad dogmaticam constitutionem „Unigenitus Dei Filius“ Clementis XI. Qua posita Prae-

sulum inconstantia, nulla revera fidei regula adstrui posset ex unius provinciae regnive consensu. — Bononiae, VIII Kal. Iun. 1870.

7. *Sacerdotum* **Murellensium.** B. P. *Quod Christus B. Petro Apostolorum Principi aperte spopondit* per haec verba: „Ego rogabo pro te, ut non deficiat fides tua"; *quod semper Ecclesia tenuit, SS. Patres asseruerunt*, et in fidelium animis est alte repositum, quod insuper *gravis necessitas exigit erroris cuiusque coercendi,* quae maior evadit in dies se se effundendi facilitas: *id Divino afflante Spiritu per S. Oec. Syn. Vaticanam Beatitudini tuae solemniter assertum enixe desiderant* Sacerdotes Murellenses infrascripti, et declaratum auspicantur *dogma de R. P. infallibilitate in rebus fidei et morum*, quam Christus contulit supremo sui ipsius Vicario, quum loquitur ex cathedra et fidei haereditatem sibi concreditam tutatur; hanc illius Pontificis glorificationem humiliter precantur a Beatissima Virgine, per quem et ei tantum est additum gloriae. Haec omnia a Deo expectantes sacerdotes praedicti, in signum obsequii et amoris erga Beatitudinem tuam parvulum tibi offerunt obolum, et apost. bened. etc. Murelli die 26 Maii 1870. (*Subscripti 5 sacerdotes.*)

8. *Parochi Castri-rupti D.* **Veronensis.** B. P. *Audiat tandem orbis universus, quod est omnium in votis, et Magistri christiani nominis, sex abhinc mensibus in Vaticanis aedibus ad B. Petri gloriosum sepulchrum Spiritu S. afflante congregati, in fide et moribus te, cuius est pascere agnos et oves in pascuis uberrimis, fratresque tuos confirmare, falli nescium et inerrantem pronuncient.* Iucunditate et laetitia vestietur tunc satis moerens filia Sion, pingvescent speciosa deserti, exultatione montes et omnes colles accingentur, uno ore te laudabunt filii tui; et, sicut ad verba Christi, cuius iam ab anno 1846 vices geris, facta est in mari ferventi et frementi tranquillitas magna, sic stabit unda ruens iniquitatis; et qui inanibus verbis seducti sanam doctrinam non sustinentes dereliquerunt Dominum, fontem aquae vivae, fodientes sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas, per ea, quae procedent de labiis tuis, confitebuntur se errasse a via veritatis, et tacti dolore cordis intrin-

secus, venite, inquient, ascendamus ad montem sanctum Dei, ad collem myrrhae, thuris, et universi pulveris pigmentarii, et ambulemus in semitis eius, quia de Sion exivit lex, et verbum Domini de Ierusalem. B. Pater! Deus totius consolationis et omnis gaudii te repleat longitudine dierum, ut praetergrediaris annos Petri. Qui fuit semper merces tua et tecum perrexit quocunque ambulasti, ab omni tribulatione eripiat animam tuam. Cadant a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, et tunc solummodo meritorum plenus occinas cum Sancto Sene, cui promissum fuerat non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini: Nunc dimittis servum tuum Domine; quando videris salutem in Iacob, et obortam magnam lucem eis, qui ambulant in tenebris, et in regione habitant umbrae mortis, haec una omnium vox fuerit: vidimus gloriam eius, et tanto irradiati fulgore venimus in fide et operibus adorare Dominum Deum, cui soli sit semper benedictio, gratiarum actio et honor in secula seculorum! Benedic interim, Pater Sancte, mihi custodum minimo in vinea Domini Sabaoth, qui non sum dignus vocari rector, necnon filiis meis in Christo Iesu, qui te unum semper habent in ore et in corde, nec desinunt enixe orare Deum coeli et terrae, qui dat omnibus affluenter, et a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, ut te incolumem ad bonum totius Ecclesiae suae sanctae servet per annos multos. Habeas autem in fidei obsequii et amoris mei pignus obolum, quem mitto ad te ex Pontificibus maximum et inter Reges potentissimum, licet infirmiorem. Parva et tenuis quidem res, sed quamvis prorsus despicienda, eam te lubenti animo excepturum pro certo habeo, quia ut Christus Dominus et Magister non iam dona et munera, sed offerentis tantummodo respicis voluntatem. — Die 28 Maii 1870. Antonius Dedani, Parochus,

9. *Plurium sacerdotum ex* **Pedemontio.** Versus:

Ergo erit, ut, proprium quem vult Deus esse labellum,
Ingerat incauto subdola verba gregi?
Quique domum Christi fulcit firmissima cautes,
Ille ruens pessum culmina sancta dabit?
Haud erit; *eloquere, alme Pater; quae dixeris, haec nos*
Credimus haud hominis, verba sed esse Dei.

28 Maii 1870.

10. *Sacerdotis* **Genuensis.** Epigramma:

Pontifici Magno, Patri *fideique Magistro,*
Cui dedit in Petro pascere Christus oves.
Cernuus ipse pedes dum sacros osculor, atque
Ferre stipem heu! parvam gestio sponte meam,
Ex Cathedra fatur te vera et certa docere,
Clamo et iam excipie dogmata Concilii.

Genuae, 28 Maii 1870. Laurentius Redoano.

11. *APresbyteri S. Rochi ad portum.* Versus: Ave lux, decus veteris, columna — Foederis novi, omine roboratus, — *tam pie per te Veritas superna — lumina profert.* — O salus sponsae Ecclesiae triumphum — tanta te Christi caritas adurat, — et Pater, Rex perpetua corona — triplice vivas. — Ios. Belasio.

12. *Sacerdotum ex D.* **Brixiensi.** B. P. En munusculum, re quidem parvulum admodum, affectu autem grande, humillime ad pedes tuos speciosos deponimus, inter tot sacerdotes, qui inextingvibili in te et hanc Sedem amore aliquo signo prodierunt. Exiguum insigne grandis affectus et sincerae fidei in te, SS. Pater, qui *infallibili verbo veritatis* agnos pascis et oves. Oh! effulgeat tandem, et utinam in hac ipsa sacra Pentecostes die, lux tamdiu desiderata, et concupiscentibus animis expectata, *quo Apostoli Spiritu S. repleti omnes uno ore conclament illud Vaticani oraculum fidei de te, Beatissime Petre, dogma illud dicentes, quod semper credidimus, quod iam docuimus.* — Ex Paroecia S. Mich. Arch. Piscariae apud Isaeum Brix. — Ioan. M. Camplani, Parochus. — Thomas Capuani, Coadiutor.

13. *Canonici Hon.* **Nonantulani.** Epigramma: Pio IX P. M. *infallibili:*

Pontificem falli dubitas oracula dantem,
Veraque non nobis scita aperire Dei?
Tu pecus inscienti fontes et pascua nolles
Tradere, et indoctum callis habere ducem:
Quis minus aeternum Pastorem, cuncta gerentem,
Prospexisse gregi dixerit ergo suo?

Mutinae, III Non. Iun. 1870. Petrus Nomasia, Can. Hon. Nonant.

14. *Sacerdotis* **Romani** *e Congr. D. N.* B. P. Si fide divina apud catholicos omnes habendum est, *magisterium Pontificis divinum* esse, eo, quod divinum habeat auctorem seu institutorem Iesum Christum Deum et hominem: *quare eodem infallibilitatis privilegio non fulcictur, qui super illam cathedram in persona Petri sedet et sedebit in aevum?* Summus Pontifex Romanus verus est ac legitimus Petri successor, ideoque legitimus et verus eiusdem Christi Vicarius, cui soli Iesus Christus clare et aperte dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ecclesia haec divina est, utpote opus divinum; *Ecclesia et fundamentum unum sunt, quod veram solidamque constituit basim aeternae veritatis erroris nesciae.* De huius superni aedificii fundamento sive Petra dictum est a Christo Domino: qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Quidnam, quaeso, de omnibus verbis istis sentiendum, nisi pro certo Ecclesiam ex ore Altissimi ab universo mundo in suis definitionibus et iudiciis infallibilem habendam, ac propterea non falli, neque fallere unquam posse? Ut ita fieret, oratione oravit ad Patrem Verbum caro factum, sicut ipse obtestatus est Petro dicens: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et tibi dabo claves etc. Ad S. Petrum facta sunt a Domino haec alia verba: Beatus es Simon etc. Ita loquendo *Iesus per semetipsum declarat, D. Petrum non ab alio, non a pleniori Concilio fratrum supernae infallibilisque doctrinae donum accepisse, sed ab ipso Deo Patre*, ideoque Petrum laudat, imo beatum dicit; *et cum Petro et in persona Petri successores omnes eadem virtute et privilegio infallibilitatis praeditos dicit.* Hinc addit: Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te et super plebem meam principem te constitui et claves regni coelorum tradidi tibi. Haec verba fidelissima sunt et vera, soli Petro divino oraculo facta, ut praeesset per se ceteris Apostolis totique Ecclesiae Sanctae Dei, princeps et magister fidei et veritatis. Unde ego inter omnes S. Dei

Ecclesiae sacerdotes et filios minimus, superabundans gaudio, tota mente corde spiritu totisque viribus meis dicam nunc et semper cum S. Matre Ecclesia: Tu es Pastor ovium, princeps apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi, et ideo tibi traditae sunt claves regni coelorum. *Tibi et non illis tradidit Deus omnia regna mundi, ut gentes universas ut magister infallibilis aeternas doceas veritates, stabilias nempe, definias et declares de plenitudine Pontificiae potestatis tuae, sive plaudente Concilio, sive per temetipsum, si opus sit, ea omnia, quae in materia fidei et morum stabilienda definienda et declaranda esse in Domino iudicaveris.* Ex perinsigni hac declaratione dogmatica eventurum haud mora spero speciale fidei et reverentiae incrementum erga *S. Sedem magistram aeternae veritatis, ullo utcunque modo coram erroribus et errantibus flecti nesciam;* eppali auctoritati robur, ceterisque secularibus potestatibus munimentum validius ad populos ipsis divina dispositione subiectos ad maiorem Dei gloriam ipsorumque utilitatem feliciter regendos, quidquid in contrarium nonnulli adversarii sentiant. — Hyacinthus Rocca, C. D. N. sacerdos in coll. S. Mariae in Monticellis de Urbe rector. — Romae, pridie Kal. Iun. 1870.

15. *Sacerdotum ex D.* **Bononiensi.** B. P. Ad oscula provoluti pedum beatorum devotionis nostrae et obsequii testimonium tibi praebere summopere cupimus. Quid enim? non es tu, Pater SS., nobis et cunctis christifidelibus Parens, Dux et Magister? Parens excandescenti caritate, Dux sanctissimis morum disciplinis, *Magister infallibili sermonum veritate. In te Petrus vivit in secula et loquitur, et per os tuum ille App. Princeps praestat cunctis in hnmilitate quaerentibus divini eloquii veritatem.* Christi nomine iure ac merito nuncuparis. Illius quippe vicariam in terris gerens potestatem, et disrupta consolidas, et depravata convertis, et verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendis. *Oh! Spiritu S. inspirati sancti Dei homines, venerandi Patres Vaticani Concilii recognoscant et orbi universo praedicent divinum illius inerrantiae donum perenne, quod tibi, nempe Vicario suo, contulit Christus, in quo tibi et agnorum et ovium plenissimam pascendi tradidit in aevum potestatem.* Plebs certe

universa expectat, quia nulli cadere in mentem potest, *non illum falli nescium esse, quem veritatis doctorem et Christus constituit et fideles suspiciunt et Catholicae Ecclesiae SS. Concilia proclamant.* Impii vel ipsi fremitu suo hac nunciata veritate testantur se credere ex contremiscere. Nos certo certius, P. B., et plebes nobis commissae verbis Domini edocti et Apostolica confirmati traditione ex intimis spiritus et cordis medullis Cathedrae Petri, i. e. Beatitudinis tuae communioni consociamur, atque te credimus confitemur et praedicamus Sacerdotem Magnum, Summum Pontificem. — Burtrii, prid. Kal. Iun. 1870. (*Subscripti 10 sacerdotes.*)

16. *Abbatis O. S. B. in* **Pedemontio.** Versus: Tu Romae, tu Regum, *tu regula rerum, urbis orbisque ratio, tu immutabilis ordo;* tu Urbis orbisque Amen, tu Agnus, tu amor, imo Roma ipsa vertens Romae nomen. — Savigliano in Piemonte, 3 Iun. 1870. Teodoricus Daniel.

17. *Plurium Sacerdotum ex* **ditione S. Sedis.** B. P. Etsi nos subscripti sacerdotes germanos in te istamque Apost. Sedem animi nostri sensus alias palam fecimus, tamen nuperrimo Italorum sacerdotum exemplo incensi non possumus, quin tibi novum amoris observantiaeque demus testimonium. Ne igitur dedigneris, Pater SS., hanc licet perparvam, quam ad Concilii Vaticani suppetias pro sua quisque facultate contulimus, pecuniae vim comiter excipere. Iam nunc ipsi indubitanter tamquam Dei verbum recipimus ac profitemur, quidquid idem Concilium hactenus definivit, vel deinceps definiendum putaverit. Porro tu scias velimus, *nos iampridem Deum O. M. apprecatos, ut, quam semper sectati sumus, catholica veritas, Romanum nempe Pontificem, dum de rebus fidei ac morum loquitur, ut aiunt, ex cathedra, falli nescium existere, ab eiusdem Oecum. Synodi Patribus ad maiorem rei christianae utilitatem et decus quamprimum decernatur.* Magnam insuper spem fovemus, coelitus futurum, ut universum orbem gaudio gestientem, tibique beatam, quae uni contigerit, sortem videndi dies Petri gratulantem admiremur. Dum autem illud nos tibi, B. P., ab Immaculata Virgine, cuius gloriam adeo amplificasti, dilectionis fideique in eam tuae hostimentum

adprecamur, tu nobis interim apost. bened. impertire. — Datum prid. Non. Iun. 1870. (*Subscripti 13 sacerdotes.*)

18. *Sacerdotum Ordinariatus* **Patavini**. Pio IX P. M. Tibi, B. P., *infallibili veritatis Magistro*, salutis duci, filiorum obolum, discipulorum obsequium laetissimi offerunt sacerdotes Curiae Eppalis Patavinae administri, cum Bernardo conclamantes: Tu Princeps Epporum, tu haeres Apostolorum, tu auctoritate Moyses, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli janitores, et gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen haereditasti. Habent illi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium sed et Pastorum tu unus omnium Pastor. Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. — *(Subscripti: Vicarii Generales, et ceteri sacerdotes Curiae Eppalis.)*

19. *Canonicorum aliorumve sacerdotum* **Teatinensium.** B. P. Si quovis tempore, si ubique locorum in hunc D. Petri Primatum tamquam in centrum suum toto pondere feruntur Ecclesiae omnes particulares, illique innituntur, arctissimeque adhaerent: in te, B. Pater, veluti in illustri monumento positum huius apostolicae Cathedrae trophaeum catholicus orbis intuetur et admiratur. Tua quidem semper omnia vel facta vel dicta iam usque ab annis 24 tui immortalis Pontificatus memoratu dignissima: sed memorabilius, quo ad te tamquam ad plenitudinis fontem ex dissitissimis quibusque regionibus Ecclesiarum Praesules ad tuum nutum sex abhinc menses omnes libenter confluxerunt: et *in Vaticano* tecum sedentes et iudicantes, *ubi Divina Providentia statuit, ne unquam haeresum zizania exurgant atque pullulent*, christianam fidem, quae neque augeri quovis modo potest neque minui, magis magisque illustratam, errorumque remoto velamine, fidelibus cunctis in praesentiarum declarant atque proponunt. Nos interim subsignati Canonici etc. huius perillustris vetustissimaeque civitatis Teatinae *iamnunc enixe confitemur firmissime amplexuros infallibilitatis Augustae Petri Cathedrae dogma*,

ac cetera omnia ad fidem moresque spectantia, prout tibi et Patribus in Spiritu S. congregatis definire videtur, cordibus nostris profundius fore infixa, arctioribusque semper vinculis cum hac Apostolica Romana Petra devinciendos. — Teate Kal. Iun. 1870. — *(Subscripti 61 sacerdotes.)*

20. *Sacerdotam Vicariae Oddalengi M. dioec.* **Casalensis.** B. P. Et nos gratias tibi referimus maximas ex eo, quod deliberandum in Concilio Vaticano permisisti decretum super *infallibilitate sive inerrantia successoris B. Petri Principis App.* Qua super re professionis causa *dicimus omnino veram esse doctrinam de dicta inerrantia. Quod clarissime desumitur simpliciter ex absurdis posita contraria doctrina.* Nam cum Papa fallibili dicendum esset praeter alia 1. Christum non satis Ecclesiae suae providisse; 2. Christum non esse efficaciter lucem mundi; 3. Christum, dum B. Petro commisit pascere oves, pascere agnos, ad pascua etiam venenata intendisse; 4. Papam non esse vere Christi Vicarium; 5. Papam petentibus ovum veritatis et vitae saepius scorpionem erroris et mortis porrigere; 6. Papae sententiam omnium subesse iudicio; 7. licitum esse imo prudentis viri, a sententia Papae ad aliud eius iudicium et postremo ad Concilium appellare. Quae cum sint blasphema, peioribusque notis impingenda, *vota nostra ad coelestem Regem erigimus, qui te fontem veritatis indeclinabilem solemni decreto celebrari concedat.* — (Subscripti 7 sac.)

21. *Sacerdotum aliquot e D.* **Taurinensi.** B. P. Si filii debent subvenire parentibus in necessitate constitutis, eo vel magis tibi, SS. Pater, subsidium nos praebere debemus sacerdotes altissimi Dei, cuius tu vices geris in terris. Hoc mente recolentes sacerdotes addicti Ecclesiae Parochiali sub titulo SS. App. Iacobi et Philippi loci *Summaripae Nemoris* D. Taurinensis, licet parva magno ex corde tibi munera ferunt. Haec accipe, B. Pater, in signum obsequii nostri erga *Sedem Apostolicam, columnam et firmamentum veritatis*, erga temetipsum, qui Sedis Ap. iura et privilegia modo geris et vindicas, erga tuos ven. fratres et Patres nostros una tecum et dependenter, qnos Spiritus S. posuit Eppos regere Ecclesiam Dei, et modo tibi adsunt in Vaticana Sede. Quod Samuel ipsi

Domino a somno excussus aiebat, nos tibi, Sancte Pater, modo repetere iuvat: Loquere Domine, quia audiunt servi tui. — Kal. Jun. 1870. (Subscripti 16 sacerdotes.)

22. *Sacerdotum e D.* **Savonensi**. (Litera ad Summum Pontificem directa italico idiomate concinnata est, sed textus e SS. Petro Damiani, Anselmo, et Bernardo allegat pro inerrantia Pontificia, sequentes:) — Vos apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia. (Damiani op. 20 ad Alex. II.) — Divina Providentia vestram elegit Sanctitatem, *cui vitam et fidem christianam custodiendam et Ecclesiam regendam committeret.* (Anselm. de Incarn, ad Urban.) — Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingant: dignum namque, *ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa Sedis; cui enim alteri aliquando dictum est: ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?* (Bern. ep. 190. ad Innoc. II.) — Abissola, die 8 Iun. 1870. (*Subscripti 4 sacerdotes.*)

23. *Sacerdotis in* **Capitanata.** Carmen:

Quae Christus Petrusque docent, Pius haec quoque Nonus:
Ergo, mihi ut prosit credere, credo Pio.

Antonius Irace. Die 3 Iun. 1870.

24. *Sacerdotis* **Laudis Pompejae.** Ad culmen honoris et iurisdictionis potestatis Ecclesiasticae, Ecclesiae universae P. M. Pium IX. APresbyter parochus — Ios. Gagliardi — offert duas libellas, adhaerens et credens ex totis viribus, ex toto corde — omnia et singula, nedum quae credenda definiens docebit generale Vaticanum Concilium a Spiritu S. inspiratum in rebus fidei et morum; sed etiam omnia et singula, *quae credenda ex cathedra definiens docebit doctor gentium, Magister Supremus, Pater Patrum, lumen indeficiens, columna veritatis, anchora fidei*, novellus Noe, consolator fidelium, spes credentium, stella Ecclesiae, gaudium et solamen christianorum, *Pontifex Maximus Pius IX toto in orbe terrarum, solus infallibilis.*

25. *Parochi Urbis Romanae.* B. P. Nihil profecto adeo

gratum adeoque iucundum nobis huius almae Urbis Parochis accidere poterat, quam ut pro antiqua illa, qua Sanctitatem tuam prae ceteris iure omni prosequimur, utpote peculiarem nostrum Eppum decusque praecipuum, veneratione ac pietate, sacrorum Ordinum ex aliis orbis regionibus hac super re exempla aemulantes, ad Beatitudinis tuae pedes humillimas postulationes ac vota ex intimo corde profecta deponeremus, ac per haec unanimiter ponderaremus, quo studio, quo ardore, quo flagranti denique animi desiderio, *ut in sacra Oecumenica Synodo Vaticana infallibile huius Petri Cathedrae, i. e. Romani Pontificis magisterium solemniter definiatur,* inhiemus. Quodsi inter collationes, quae quavis hebdomada a nobis haberi solent, semel indicatum id fuit, quin tamen executioni fuerit demandatum, nonnisi ex prudentia atque consilio id promanasse certum est. Ac primo quidem ne eiusmodi votum exprimentes iis praeire voluisse videremur, quos probe novimus a Spiritu S. positos fuisse Eppos regere Ecclesiam Dei, quibusque propterea cum suo Capite Romano Pontifice in eodem Spiritu S. collectis fidei controversias dirimere datum est. Ac insuper *procul dubio supervacancum videri poterat, eiusmodi declarationem ac quodammodo propriae fidei professionem a Romanae Urbis sacerdotibus emitti, quos huic doctrinae concordi constantique ratione quovis aevo adhaesisse exploratum est.* Ea tamen in circumstantia addidimus, in praesentibus rerum adiunctis nostri muneris partem nonnisi eam esse ac nullatenus nobis praetermittendam, h. e. tum Patrem luminum, a quo omne datem optimum et omne donum perfectum, impense ac sine intermissione orare, ut Ecclesiae suae sanctae in ipsius nomine congregatae septiformis sui Spiritus gratia iugiter assistere dignetur; tum potissimum Christifidelium plebes nostrae parochiali curae concreditas erudire simulque disponere, ut quae in SS. Vaticana Synodo declaranda, edocenda ac definienda erunt, ea qua par est demissione obedientia atque omnimoda animi veneratione excipiant. Qui enim fieri alioquin potuisset, ut vel unus ex nobis hac in re haud perfectus cum ceteris inveniretur in eodem sensu atque in eadem sententia; ex nobis, qui in medio huius doctrinae lumine a patribus veluti per haereditatem ad nos transmissae singulari Dei miserentis be-

neficio enati, eiusdem doctrinae lacte vel ab infantia enutriti, eam in diversis licet gymnasiis pari ratione omnes edocti, doctrinam ipsam, quotquot sumus, Dei opitulante gratia non modo uno corde retinemus atque uno ore profitemur, verum etiam ab iis, quorum spirituali saluti prospicere quantum in nobis est tenemur, qua inter privata colloquia, qua inter publicas conciones ac catecheses aequo modo firmiter constanterque retineri cunctis animi viribus satagimus? Huiusmodi tamen agendi ratio, quam in tanti momenti negotio tenere censuimus, ex consilio atque prudentia duntaxat promanans, non absque magna omnium nostrum admiratione ac profundo cordis moerore sinistras interpretationes est passa. Exinde enim per publicas ephemerides in Italia non solum sed et in Gallia atque Anglia falso ac per calumniam evulgari coepit, coetum nostrum huic doctrinae quasi nova aut peregrina ea nobis esset, generatim adversari. Cum porro per id integrum ordinem nostrum turpitudinis nota ac nullimode ferenda iniuria affici nemo non videat, atque insuper ex eiusmodi evulgatione haud levia inter Christifideles scandala exoritura merito timenda sint, Angelici doctrinae inhaerentes, qui vera animi sensa tacito in sinu continere nefas esse asserit, „ubi per hoc silentium honor Deo debitus aut etiam proximorum utilitas subtraheretur," minime cunctandum arbitramur, quin ad Beatitudinis tuae solium humiliter provoluti coram Deo et hominibus meliori qua per nos fieri potest ratione unanimiter declaremus: *nihil esse nobis antiquius, nihil sanctius, nihil gratius, nihil optabilius, quam ut per Vaticani Concilii decretum* (si tamen ita Spiritui S. ac Patribus in eadem Synodo congregatis, prout summopere confidimus, visum fuerit) *infallibile huius S. Sedis, h. e. Romani Pontificis in docendo magisterium tandem aliquando expresse stabiliatur, atque in universo qua late patet orbe catholica fide omnibus credendum edicatur.* Tu interim, Pater SS., humillimos hosce animi nostri sensus, postulationes ac vota ea, quae in te plane singularis est, benignitate excipias, ex intimo filiorum tuorum pectore enata, qui dum pontificiam thiaram, quae sacrum caput tuum exornat, novo hoc pretioso lapillo praefulgentem cernere gestimus, super nos ac super nostrae curae commissos apostolicam benedictionem a te enixe

adprecantes, ss. pedem venerabundi exosculamur. Romae die 9 Iunii 1870. —

26. *Sacerdotis* **Vicentini.** B. P. — In praesentiarum cum omnes vere catholici reverentiam et obedientiam huic sanctissimae Cathedrae etiam per literas praestiterint: non possum quin et meam et semper eidem Cathedrae inconcussam, *tuo infallibili in rebus fidei morumque iudicio* submissionem nunc toto corde totaque proferam mente. — Vicentiae, III Non. Iun. 1870. Marcus Pelliero.

27. *Sacerdotis ex D.* **Biellensi.** Sancte Pater, *cuius fides deficere non potest, cum pro te oraverit Christus,* qui exauditus est pro sua reverentia, te suppliciter exoro, ut aliquam precem pro me et hac parochia meae curae commissa ad Deum fundere velis, ut tibi Summo Pastori nostro adhaerendo salutem aeternam consequi valeamus. — Mongrando S. Lorenzo, 4 Iun. 1870. Ioan. Dominicus Mercando.

28. *Sacerdotum ex D.* **Novariensi.** B. P. Nobis in Clero ultimis, sed in tui obsequio et amore nemini inferioribus permitte, ut in te fidem, quam a teneris annis semper habuimus, una cum innumeris Sacerdotibus Italis nunc ore confiteamur. Te successorem esse B. Petri principis Apostolorum, verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem, et tibi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem a Christo plenam potestatem traditam esse profitemur. Tu verus rector sedes in domo Christi; tu custos es vineae Domini Sabaoth; tu cunctarum ovium cunctorumque Pastorum existis Supremus Pastor. *Tu es sol usque ad extremum terrae divinum lumen effundens;* tu oculus, qui in corpore Christi emines cunctis sensibus; tu medicus, a quo sanitatem, requiem et solatium repetunt quicunque catholico censentur nomine. A Christo Domino nostro tibi concreditae in universa Ecclesia potestati subditi fiant, necesse est, et qui in sublimi et qui in humili loco resident, si haereditatem capere velint salutis; vere enim es tu in Ecclesia Rex Regum et Dominus dominantium. *Infallibilis cum sis a Christo in fidei morumque rebus magister constitutus, labia tua custodiunt scientiam Dei, et tu habes verba vitae aeternae; per os tuum Petrus, imo Christus loquitur;* et

propterea quam bonum nobis, et quam iucundum in domo Dei habitare tecum! certe qui tecum ambulat, ambulat in veritate, et veritas salvabit illum. E contra qui te non audierit, (heu miser!) ut parvulus fluctuans circumferetur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; tecum non colligens spargit, non adhaerens tibi Christi non erit sed antichristi; atque ut ethnicus et publicanus habitus in aeternum infelix homo peribit. Hinc toto corde quae tu doces credimus, quae approbas approbamus, quae damnas damnamus, quae reiicis reiicimus; iube, et iussa tua alacres exequimur. Faxit misericors Deus, per intercessionem Immaculatae Deiparae Mariae, quam tantis tu decorasti honoribus, et SS. App. Petri et Pauli, ut in hac fide nos nostrique constantes inveniamur usque in finem! — Bellintiaci, die 5 Iun. 1870. (*Subscripti* 3 *sacerdotes.)*

29. *Praepositi* **Loverensis.** *(Literae ad SS. Patrem italice scriptae inserit thesim de infallibilitate R. P. a suo condam Professore* **Carolo Passaglia** S. I. (1855) *Romae propugnatam, quae sic sonat:) A potestate Primatus, qua Romani Pontifices praecellunt, seiungi nequit infallibilitas docendi, dum editis e Cathedra constitutionibus catholicae fidei unitati prospiciunt. Demonstratio.* Penitissimum vinculum, quo cum praerogativa Primatus cohaeret *infallibilitas docendi propria Rom. Pontificum,* cum iidem e cathedra, uti aiunt, editis constitutionibus catholicae fidei unitatem tuentur, liquido patefaciunt: 1. Praerogativa, qua Romani Pontifices sunt et creduntur *centrum et principium efficiens* catholicae unitatis; 2. Praerogativa, quae effertur Matth. XVI. 18: *et portae inferi* etc. potissimum si commentaria Patrum in hunc locum prae oculis habeantur: e. g. Hilarii de Trin. VI. 36; Ambrosii de Incarn. c. 5; Augustini in Ps. contra part. Donati; Cyrilli Alex. de Trin. l. 4; Theodori Stylitae ep. 2 et 63; Leonis M. serm. 3 et 5; Leonis IX ep. 9 ad Mich. Aularium etc.; 3. Praerogativa significata Matth. XVI. 19. quandoquidem citra infallibilitatis dotem affirmari absolute non possit, id in coelo ligatum aut solutum iri, quod in terris iure Primatus ligatum fuerit aut solutum; 4. Praerogativa, quae exhibetur Luc. XXII. 31. 32. ex quo testimonio, facem

praeferentibus Patribus, duo comperta habemus: primo, praeceptum confirmandi fratres in fide ad Romanos Pontifices Petri successores pertinere; secundo, iisdem fratribus praesto esse divinum charisma, quo ab erroris periculo certissime eximantur. Utrumque vero tradunt Gelasius ep. 14; Pelagius II ep. 5; Anselmus Lucensis contra Gibertum; et universa schola ad seculum unque XV praeeunte Thoma II. 2. qu. 1. art. 10. Utrumque tradunt Vitalianus ad Saulum Cretensem; Agatho ad Const. Imp.; Adrianus I ad Car. Regem; Innocentius III ad Patr. CPnum; Bernardus ep. 190 ad Innocentium II. etc.; 5. Praerogativa, qua Romani Pontifices ius habent exigendi ab omnibus Eppis etiam collective spectatis, ut secum eandem profiteantur fidem et secum communicent; 6. Praerogativa *incorruptae fidei* et *immaculatae praedicationis*, quam Romanae Cathedrae Romanisque Eppis deferunt Irenaeus l. 3. c. 3.; Cyprianus ep. 55; Hieronymus contra Rufin. 1. 2. nr. 12; Theodoretus Ep. 116 ad Renat. Presb.; VI Syn. epistolam Agathonis recipiens et approbans; Hormisdas in fid. prof. Orientalibus imperata; Sacramentarium Leonis in praef. ad Missam diei nat. SS. Petri et Pauli etc. 7. Confirmatur ex imbecillitate probationis eorum, qui Romanorum Praesulum infallibilitatem inficiantur, et ex fallacia eorum commentarii, sive cum traditionem explicant, sive cum Scripturarum oracula a nobis proposita enarrant. — Lovere, 6 Iun. 1870. Ieremias Bonomelli, Praep.

30. *APresbyteri* **Sovanensis.** B. P. Non est inficiandum, *Ecclesiam ab Apostolorum tempore semper tenuisse, Romanum Pontificem in Petri locum, fidem, auctoritatemque succedere, atque ab illius ore in omnibus rebus fidei ac morum Eppos ac fideles oracula petiisse, illiusque iudicium Catholicos omnes in Religionis controversiis expectasse, illiusque denique vim et auctoritatem sacra omnia Oecumenica Concilia efflagitasse.* Quibus ex rebus haud mirum, si hisce nostris temporibus fere omnes Eppi, totus clerus ac Christifideles ex toto corde *optant definitionem de Rom. P. infallibilitate*, eiusdemque opportunitatem confitentur. Mihi constitutum erat, silentium servare ac circa hoc meam corde continere sententiam. Ast post tot insignium theologorum votorum proluviem ac plu-

rimorum Epporum preces, subiiciendi Pontificiae infallibilitatis quaestionem Concilio Oec. Vaticano, etsi inter hosce praeclaros me minimum esse sentiam, attamen meam professionem ac votum tibi, S. Pater, humiliter ostendere proposui. Ecclesia in fidei religionisque quaestionibus ac ceteris gravissimis controversiis omni semper aetate non ad alium, nisi ad Romanum Pontificem recurrit, eumque ut successorem Petri, doctrinae apostolicae doctorem, quaestionumque de fide et moribus iudicem tenuit. Et revera Romanus Eppus ille est profecto, cui Dominus in Petro ait: Super hanc petram etc. Si ergo mos erat solemnis Ecclesiae, causas maiores fidei et morum ad Apost. Sedem referre, nec firma ac valida Conciliorum seu Oecumenicorum seu provincialium decreta tenere, nisi a Pontificis auctoritate firmata essent, satis persvasum esse debet, opinionem omnium esse, iudicium R. P. in factis dogmaticis ac morum rebus esse infallibile, ideoque Pontificem Romanum vere esse magistrum, atque in Ecclesia moderatorem. Optandum igitur est magnopere, *ut Synodus Vaticana* auctoritate tua convocata ad componendos animos fluctuantes dissidiaque prohibenda, quae hisce temporibus exoriuntur, necnon ad Ecclesiae tranquillitatem splendoremque restituendum *quamprimum declaret Pontificem R. infallibilem esse in definiendis rebus, quae ad fidem moresque spectant, eumque ab omnis erroris periculo esse immunem.* — Sovani, 10 Iun. 1870. Angelus Busatti.

31. *Cleri Dioec.* **Aesinae.** (*Praemissa uberiore historia de constanti adhaesione Aesinorum erga S. Sedem Ap. sic se enunciat:*) — Et nunc hoc vinculum firmissimae adhaesionis arctius constringitur: quoniam tu, B. Pater, ut vidisti haeresim neo-lutheranam mentes atque corda invadere, in omnia foeda opera prorumpere, iura humana ac divina permiscere, mala et vitia priscis inaudita in gentes ingerere, tantam ruinam reparaturus Magnum Concilium Vaticanum divinitus coegisti: et procul dubio omni malo societatis civilis atque christianae sapienter consules; nam sicut Deus omnipotens cum cerneret primaevi mundi inordinata elementa vehementer coagitari, vix inter coelites locutus est: „fiat lux“, statim omnia elementa amice coniurantia lege et ordine sese composuere:

sic tu, B. Pater, inter Patres Concilii Vaticani salutaria iubens decreta, *cum sis in Concilio et extra Concilium petra, fundamentum Ecclesiae, Eppus Epporum, Magister totius orbis terrarum, imo terrestris Deus, idcirco infallibilis et inerrans*, gloriam Apostolicae Sedi, triumphum Ecclesiae, salutem gentibus, pacem mundo comparabis ac restitues. Sed ut haec bona eveniant, necesse est, ut omnes Christifideles humiles corde, mente dociles, quae tu probas probent, quae tu damnas damnent. Et ideo nos cordis sinceritate, animi subiectione exnunc promittimus et profitemur cunctis legibus, quas tu sancies, nulla haesitatione semper obtemperaturos. A quo proposito, Deo adiuvante, nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius nos unquam distrahent, nec dimovebunt. — Aesii, nonis Iuniis 1870. (*Subscripti 135 Canonici et sacerdotes.*)

32. *Dominicanorum in* **Noto.** (*In epistola ad SS. Patrem italice exarata sui Magistri Generalis* Alexandri Vincentii Iandel *verba citant, iisque plene adstipulantur:*) — Laetitia gestientes et exultantes in cordibus nostris excepimus *Schema de infallibilitate Romani Pontificis*, eo quod doctrinam illam, *quam Patres nostri ab initio semper docuerunt tamquam a Deo revelatam*, modo confidimus (quod in totius nostri ordinis votis erat) de fide divina tandem Deo dante esse definiendam. *Veritatem istam aperte in sacris Literis revelatam, et a qua unitas fidei totius Ecclesiae maxime pendet, parati sumus et sangvine nostro, si opus fuerit, consecrare.* — 31 Maii 1870.

33. *Parochi Boniensis in D.* **Mediolanensi.** Quo magis aspera tempestate commovetur S. Ecclesia, eo maiore cuique sacerdoti catholico cura et studio opus est, ut ipsi S. Matri Ecclesiae molestiam atque dolorem leniat; idcirco quo affectu, quo studio, qua doctrina atque fortitudine praediti sint sacerdotes, ita ut nulla pars eorum officii desideranda sit, temporum difficultates ostendunt. *Cur adhuc dubitetur de infallibilitate iudicii, quod Summus Pontifex Romanus ex cathedra, h. e. universalis Magistri suscepta persona, emittit in definiendis fidei ac morum controversiis? nonne erroris expertem esse oportet, quem Christus Ecclesiae praeposuit, atque, ne eius*

fides deficiat, rogare promisit? Illum ergo Pontificem iure divino Caput Ecclesiae, successorem B. Petri, Vicarium Christi, centrum unitatis, omnium christianorum Patrem atque Doctorem, ut regat et gubernet Ecclesiam universam, prorsus errare non posse, credere nedum congruum est, sed etiam omni cordi integre catholico maxime acceptum. Idcirco quam optarem, ut illico RR. Patres vocati et congregati in Concilio Vaticano in unum profiteantur infallibilitatem Summi Pontificis Romani ab omnibus Christifidelibus credendam et tenendam! Spiritus S. omnem veritatem docens, qui iam replevit domum, ubi erant sedentes Apostoli, (Act. 2, 2.) descendat, illuminet, repleat atque possideat corda omnium RR. Praesulum in Concilio Vaticano, ita, ut facile et extra omnem praetextum atque rationem humanam, infallibilitatem Pontificiam esse fidei catholicae dogmatis doceant, perinde ac solidam petram. — Bonii, die 3 Iun. 1870. Ioachim Trabattoni.

34. *Capellanorum in limitibus* **Venetis.** (*Epistola ad S. Patrem italice scripta continet elogia et praerogativas Summi Pontificis ex SS. Patribus et cumprimis Bernardo desumtas:*) — Qui tuus non est, non est Christi; tu Pater Patrum, et apostolico culmine sublimatus; Summus omnium Praesidum Pontifex; *Ecclesiae petra;* Christi ovilis Pastor et Custos; Apostolicae Sedis Antistes; ad principatum sacerdotii super omnes evectus; Caput omnium Epporum; Caput universalis Ecclesiae; Beatissimus et Apostolicus Vir; Christi vineae Custos; Universalis Eppus et Patriarcha; Princeps Sacerdotalis coronae; Praefectus totius orbis et Caput familiae Christi; Pastoralis Principatus dignitate illustris; *profanarum haeresum depositor; Princeps et Doctor orthodoxae et immaculatae fidei;* Sacerdos potissimus; Ecclesiae Praesidens; spiritualis Pater omnium; Summus Pontifex et venerabilis Universalis Papa; Vicarius Christi; omnium Christianorum Pastor et Magister. — Qui es? Sacerdos Magnus; Summus Pontifex; tu Princeps Epporum; tu haeres Apostolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus; tu es, cui claves traditae sunt, cui oves creditae; nec modo ovium sed et Pastorum

omnium tu unus Pastor; alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es; aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. — Pontebba Veneta, 9 Iun. 1870.

35. *Sacerdotum D.* **Pisciensis.** Pio IX Antistiti Maximo; nemini celeberrimorum Pontificum pietate, sapientia, fortitudine, et imperii diuturnitate secundo; qui difficillimis, quam dici potest, temporibus pro Dei gloria et christianae reipublicae commodo quamplurima memoratu dignissima, ad quae multi vix suffecissent, unus gessit; qui iuribus humanis et divinis, falsae philosophiae placitis pessumdatis, vindicandis, instaurandis, tuendis Oecumenicum Vaticanum Concilium, Dei Matris patrocinio omnino fretus, quam ipse *infallibili oraculo* labis nesciam ab origine adseruit, toto plaudente orbe et mirante, collegit; Pauperrimo Principi pauperrimi sacerdotes Dioeceseos Pisciensis unius Missae obulum, reverentiae devotionis fidei obtestationem plenissimam singuli offerunt. — Kal. Iun. 1870. *(Subscripti 101 sacerdotes.)*

36. *Presbyteri* **Piselli.** Carmen: *Pontifici Maximo prorsus erroris nescio divinitus ex Petri cathedra docenti:*

Si Deus omne suum Omnipotens ius fidit in orbe —
Clavigero coeli, qui, ut Deus, orbe patet; —
Num tanti muneris largitor, opisque supernae —
Errantem hunc firma deseret inde fide? —
Intonet ore Petrus verax sacra Urbis ab arce; —
Praescius ille mihi tum Paracletus erit. —

(Carmini huic tamquam adhaerentes subscripti 12 sacerdotes.)

37. *Sacerdotum aliquot ex* **Pedemontio.** Hymnus: *Pio IX P. M. gloriose regnanti, Catholicae Ecclesiae Supremo Pastori, fidei morumque Magistro infallibili.* — Tu Iesu Christi *infallibilis* Vicarius, tu D. Petri venerabilis Successor, — tu *veritatis propugnator invictissimus*, tu sanctae libertatis defensor acerrimus, tu vere Pontifex Virginis Immaculatae, tu *nova monstra errorum confregisti*, tu tristes seculi caligines expulisti, — tu *fide et doctrina debiles roborasti.* Oh! dies veniat tamdiu desiderata laetitiae ac pacis omnium credentium, gloriantium de triumpho Matris Ecclesiae, qua tu

credaris *fidei Magister, ut voluit Christus, inerrantia donatus;* etc. — Die 10 Iun. 1870. Bianchi Bartholomaeus a Montealto ad Bormidam, D. Aquensis in Pedemontio. *(Subscripti praeterea alii 3 sacerdotes.)*

38. *Sacerdotum D.* **Cassanensis.** Sacerdotes Cleri S. Constantini Oppidi Papasideri Cassanensis Dioecesis — non possunt quin patefaciant, qui sint sensus debitae obedientiae, humillimi obsequii, ac sincerissimae fidelitatis cordis eorum erga S. Ecclesiam, eiusque *Caput Visibile, Pontificem Romanum ac Iesu Christi Vicarium, necnon SS. Synodum Vaticanam, quam immortalis nullique secundus Pius Papa IX ea qua divinitus pollet potestate, Deo inspirante, indixit ac dirigit.* Sit igitur compertum, *adhaerere* iam scribentes *quam firmissime Summo Romano Pontifici S. Petri legitimo Successori, lubenterque se profiteri paratos ad exequenda, quae vel ab ipso iam sunt decreta, vel per S. Vatic. G. Concilium manent decernenda,* tam pro S. Matris Ecclesiae bono, quam pro animarum salute, adeo, ut, si opus fuerit, non dubitent facultates famam et caput pro iustitia et Christi Sponsa obiectare. — Postridie Kal. Iun. 1870. *(Subscripti 6 sacerdotes.)*

39. *Sacerdotum D.* **Clodiensis.** B. P. Quod Romanus Pontifex, per quem Petrus loquitur, in decernendis quae fidem moresque spectant *inerrantia* polleat, ab infantia omnes nos ex ore pastorum in doctrinae christianae scholis semper audivimus, *tamquam veritatem a S. Literis decerptam, Apostolicae Traditionis auctoritate suffultam, rationi consonam, ac pereximio D. Petri magisterio inhaerentem.* Dum autem liberalibus studiis progressu temporis vacaremus, eo magis intelleximus nos hac in re bene ac rationabiliter edoctos fuisse, quum perillustre Italiae nostrae decus, „Allighierium“ poëma, iuvenili manu versantes divinam ipsius pulchritudinem in Parnassio monte hausimus. Ibi enim didicimus, duo tantum pari inerrantiae praerogativa decorata sufficere nobis, ne pes noster in via erroris labatur, Sacras videlicet Vet. ac Novi Test. Scripturas, divino dictante Spiritu conscriptas, et *Ecclesiae Pastorem Ducem nobis in tenebricoso huius vitae itinere donatum.* Hisce notionibus in via scientiae paulatim

progredientes, SS. Literarum, Ecclesiae, Historiae, Dogmatumque maturiori sensu semitam ingressi, tanto huius veritatis fulgore perfusi fuimus, ut testimonium de hac reddere usque ad effusionem sangvinis fuissemus parati. Credidimus, propter quod locuti fuimus; ideoque plebes curae nostrae concreditas hac veritate imbutas semper voluimus. Nam *infandum duximus, Christum Dominum — reversurum ad Patrem, sui reliquisse vicesgerentem erroris magistrum, nautamque ad scopulos syrtesque navem Ecclesiae allidere valentem, ac illum, qui pro sua semper exauditus est reverentia, ne unquam Petri fides deficiat, rogationem ad Patrem inanem emisisse.* Quodsi Ecclesiae moles ita consistere debeat, ut in ipsam portae inferi numquam praevalere possint, *Petra* etiam, *super quam haec moles consurgit, necesse est ut inconcussa perseveret;* alioquin Petrae mobilitate et moles super hanc Petram consurgens contra promissum Christi mobilis evaderet. *Huius Petri praerogativae veritatem edocet Ecclesiae praxis, hanc perspicuam SS. Oec. Conciliorum praesertim Florentini ex decretis fluentia corollaria reddunt, hanc sanae Logices canon ipse probat.* Faxit Deus, faxit Immaculata Virgo, ut vaferrimi tenebrarum principis eiusque nequissimae sobolis opera exorta tempestate sedata, uno ore unoque corde a solis ortu usque ad occasum te *Ducem et Magistrum quoad fidem et mores ex cathedra loquentem confirmatorem infallibilem*, ut ait D. Salesius, firmiter profiteamur, sic de Pontifice, divino suggerente Spiritu, S. Oec. Vaticana Synodo decernente; cuius omnibus decretis pleno absque exceptione mentis assensu, totoque cordis affectu viribusque nostris nos subiicimus, adhaeremus ac usque ad effusionem sangvinis Dei ope fidem ac obedientiam praestabimus. — Datum Capite — aggeris, mense Iunio 1870. *(Subscripti 23 sacerdotes.)*

40. *Sacerdotum D.* **Cataniensis.** Quamquam infrascripti sacerdotes ADioec. Cataniensis in Sicilia nuper libentissime sua nomina suaque munuscula crediderint proprio Rmmo AEppo, Romanam Urbem, Vaticano Concilio interfuturo, proficiscenti, et ipse ea detulerit obtuleritque ipsorum omnium vice Beatissimo Christifidelium Patri: novis tamen adhortationibus aures obturare indignum omnino iudicarunt. Ipsi enim stant omnes pro ca-

tholica Romana Ecclesia, pro S. Sede Apostolica, pro SSmo Dno Pio Papa IX. Ea vero, quae tunc professi sunt, et nunc toto corde profitentur atque confirmant; maximumque sibi fore putant honorem, si eorum nomina nominibus ceterorum sacerdotum Italiae commixta *Pontifici Maximo, qui verissime totius ordinis Apostolatus os est errandi nescium*, rursus exhibeantur. — Catanae, XVII Kal. Iul. 1870. *(Subscripti 32 sacerdotes.)*

41. *Sacerdotum D.* **Beneventanae.** B. P. Quamquam auribus nostris audivimus, et patres nostri annunciaverunt nobis, *te Petrum esse, cui summa fidei ab auctore Domino commissa fuit;* et quamquam omnes fines terrae omnesque gentes veram profitentes fidem in te, Romanum Pontificem, tamquam in solem respiciunt, ut sive cum divinum aliquid, sive cum profundum nosse desiderant, te praeceptorem et oraculum habeant: attamen ex Cathedra tua, ex ore tuo, ex suprema potestate tua Petro concredita docenti Ecclesiam, non adhuc nos docuisti, te non ex sangvinibus, neque ex voluntate carnis, et viri, ast a Deo Iesu infallibilem esse in fidei et morum magisterio. Pater Sancte, hanc vocem audire optamus a te fratribusque tuis in tuo Vaticano Concilio in nomine Iesu et tuo congregatis. Iam nos filii tui ex revelata fide, quae gloria nostra est retinemus sane esse verum, ad Spiritus S. providentiam pertinuisse, Pontificem Maximum nec temere nec imprudenter unquam tantis in rebus posse agere et docere. Doce ergo nos, tibi Iesum Christum infallibilitatem donasse, infallibilem te fecisse, cum dixit: Tu es Petrus, ego rogavi pro te, pasce oves meas. *Dicito ex Cathedra tua arcana mysteria Pontificii tui; dicito, quod Petrus sat diserte significavit inquiens: Deus elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.* — Die 16 Iun. 1870. *(Subscripti 6 sacerdotes.)*

42. *Plurium Canonicorum ac sacerdotum e regno* **Sardiniae.** (Epistola ad Redactorem ephemeridis *Unita Cattolica.)* Tot sacerdotum Italorum exemplum, qui hoc tempore singularis pietatis et religiosi obsequii specimen erga Ap. Sedem praebent, nos negligentes et desidiosos esse non sinit erga B. Petri Cathedram, imo urget nos aemulari virtutem et illorum

zelum imitari. Nam etiam nos cum hac *aeterna veritatis Sede* fidei societatem habemus, et primatum eius aeque ac iura et doctrinam indesinenter veneramur. Quoniam autem Romani Pontificis hostes hac aetate praesertim de ipsius *inerrantia,* vel saltem de huius veritatis definiendae opportunitate cavillantur: nos muneris nostri partes esse arbitramur, fidem nostram simul cum aliis fratribus palam facere coram Pontifice Maximo Pio IX, cuius amore vehementer inflammamur, et cuius triumphis cum iucunditate gaudemus. Momenta namque, quibus Catholicorum fides hac super re sustentatur, aliter sentire non patiuntur. Revera D. N. I. C. nonne Simoni Petro speciale auxilium promisit, ne fides eius deficeret? nonne ipse Apostolorum princeps suborta Antiochiae quaestione de legis Mosaicae observantia, coram Apostolis et senioribus congregatis Hierosolymis in Synodum pro controversia dirimenda definitive, surgens dixit: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere? Act. 15. 7. Nonne universus SS. Patrum chorus, et maxime Tertullianus, Irenaeus, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus in sententiam abeunt D. Bernardi, qui ep. 190 contra Abaelardi errores ad Innocentium II ita scribit: „Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque ac scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum quippe arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum, Haec quippe huius praerogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: ego pro te oravi, Petre, ut non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos“ Quare inhaerentes sententiae Ivonis Eppi Carnotensis: „Sedis Ap. iudiciis et constitutionibus obviare plane est haereticae pravitatis notam incurrere,“ nos non adinstar adversariorum, sed more Ecclesiae filiorum *quavis examinis libertate exclusa, firmiter assentimur veritatibus a Deo revelatis, et quas Catholica Ecclesiae semper pro certis habuit et confessa est, qualis reipsa est Romani Pontificis inerrantia circa res fidei et morum. Nos enim probe scimus, quod sublata in Romana Sede huiusmodi coelesti praerogativa statim corrueret et indefectibilitas, et unitas,*

et veritas Catholicae Ecclesiae, quae super hoc fundamento nititur. Quocirca insanias falsas adversariorum Romani Pontificis reprobantes et intellectum captivantes in obsequium fidei, libenter veneramur et amplectimur universas definitiones et decreta Apost. Sedis et Supremi Pastoris loquentis ad gregem sibi creditum tam in Synodo Oecumenica, ut nunc in Concilio Magno Vaticano, quam, ut aiunt theologi, ex cathedra. Ita omnes credimus cum ceteris Italis fratribus sacerdotii munere fungentibus, et ita etiam profitemur coram P. M. Pio IX, qui est praecipuum seculi decus, reipublicae salus, iurium Ecclesiae propugnator acerrimus, BMVirginis sine labe originali conceptae eximius cultor et praeco, cuius fidem, caritatem, mansvetudinem, pietatem, sapientiam ceterasque virtutes quam maxime admiramur. *(Subscripti 52 can. et sac.)*

43. *Sacerdotis* **Terricciolensis.** Supra *petram* aedificata, impulsa pluries, eversa numquam, stat, stetit, semperque stabit Ecclesia. Irruant licet adversus eam furentis inferi ferales portae, irrita semper colluctatione deficient; pugnabunt, non expugnabunt. *Ea* nimirum *est solidissimae illius petrae inviolabilis virtus, ut nullo unquam adversantium potestatum impetu fracta, sed suismet aucta periculis, ac ipsis ventis validior effecta, firmior semper atque immobilior consistat. Petra haec Petrus et Pius IX est.* —

44. *Praepositi Cassignanensis.* Carmen ad Pium IX P. M.:

Si tibi, ut ad littus *tuto nos tramite ducas*, —
Petri naviculam credidit ipse Deus; —
Nosque suas commisit oves, ut pascua monstres, —
Germina quae mortis, quaeque salutis habent; -
Te duce, pastore audentes gradiemur, et *ori* —
Mentes cordaque erunt obsequiosa tuo. —

Die 11 Iun. 1870. Aemidius Galanti.

45. *Canonici* **Cuneensis.** B. P. *Doctrinam et veritatem geris in pectore tuo, quoticscunque ex cathedra iudicium profers in rebus fidei et morum.* Scriptum est enim: Pones in rationali iudicii doctrinam et veritatem, quae erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino. Exod. 28, 30. Ille exterius in pectore, tu interius in corde: ille in ra-

tionali iudicii, tu in iudicio dogmatico utique plusquam rationali Cathedrae tuae. Nam si illud in figura concessum a Deo fuit summo Hebraeorum sacerdoti, quanto magis in rei veritate tibi supremo Christifidelium Pontifici, Pastori atque Magistro? Neque ulli hac super re dubium subesse potest. *Hoc* enim *inerrantiae tuae,* SS. Pater, *privilegium indefectibili Christi Domini triplici innititur verbo: nempe promisso, prece, atque mandato.* Promisso quidem: super te enim veluti supra firmam petram in persona Simonis Petri, cuius successor es, aedificavit Iesus, sapiens utique vir et architectus, domum suam i. e. Ecclesiam, et portae inferi adversus te, quemadmodum et adversus Petrum, omnesque ac singulos successores eius in Supremo Pontificatu, praevalere numquam poterunt. *Prece* dein: quum enim videret Apostolos suos eorumque in posterum successores a diabolo fore interdum cribrandos atque exagitandos, rogavit Iesus Patrem suum orans et petens, ne deficeret unquam fides Petri eiusque successorum, ut, quotiescunque opus fuerit, per vos confirmarentur utique in fide fratres vestri Eppi. Tandem *mandato:* nam post resurrectionem suam, ut Ecclesia sua unum ovile constitueret sub uno Pastore, agnos (fideles) et oves, i. e. sacerdotes sive minores sive maiores, pascendos Petro, in eiusque persona tibi omnibusque successoribus suis tradidit, universam nimirum Ecclesiam sive discentem sive docentem. Liceat mihi, SS. Pater, exclamare: Signum magnum apparuit nobis in coelo Ecclesiae: Maria SS. sine labe; *tu Pater,* eius filius modo prorsus privilegiato, *sine errore.* Ipsa immaculata, quia Mater Christi: *tu infallibilis, quia supremus Ecclesiae Pastor ac Doctor.* Iesus falli nescius, quia Veritas ipsa ac Sapientia Patris caro facta: *tu falli nescius cum mensura in ordine ad supremum tuum magisterium, quatenus ipsius Christi Vicarius.* — Cunei, 13 Iun. 1870. Barthol. Matteis, Can. Poenit.

46. *Seminarii* **Bedoniensis.** Carmen:

O qui *falli nescius a te oracula fundis* —
Omnibus ut voces excipienda Dei —
Maxime Rex, orbis Pastor Supreme, tributum, —
Quod solvit pietas, accipe, Summe Pie. —

Est munus tenue, ast tenuis non nostra voluntas, —
Pro tenui hic nobis fausta precare, Pater. —

Die 30 Iun. 1870.

47. *Sacerdotum D.* **Comensis.** B. P. Infrascripti sacerdotes e Burmii Vicariatu Comensis dioecesis, cum vividissimo desiderio teneantur, ut etiam hac occasione Oec. Concilii Vaticani, quod a te indictum et per te sub BMV. Immaculatae auspiciis inceptum feliciter progreditur, suos ostendant devotionis, amoris et submissionis sensus erga te, B. Pater, nominatim pro *infallibilitate qua gaudes,* ne verba multiplicent, libentius et ex intimo corde subscribunt literis, quas hac de causa collegium Parochorum almae Urbis die 11 Iunii tibi dedit, atque simul laetantes cum Ecclesia enixe et reverenter proclamant: Benedicta sit S. Trinitas atque indivisa Unitas, confitebimur ei, quia per te, SS. Pater, *qui es totius Ecclesiae Catholicae infallibilis Magister et Rector*, his difficillimis temporibus hanc alteram fecit nobiscum misericordiam suam. — Die 23 Iun. 1870. *(Subscripti 8 sacerdotes.)*

48. *Cleri Carpensis e D.* **Ravennatensi.** Clerus Carpensis ad immortalem Pium IX P. O. M.! Vicarius Capitularis omnesque de Clero sacerdotes R. D. Antonii Garbagni ADioecesis Ravennatis consilio plaudentes, SSmi D. N. Pii IX pedibus advoluti, ceteris per singulos privatim oblatis novam hanc unius missae stipendio conflatam stipem addere festinant, quo eorum in *supremum veritatis infallibilem Magistrum,* inque Concilii Magni Vaticani decreta pietas, fides, obsequium, et ad mortem usque firmissima adhaesio unanimi solemnique consensione manifestissime dignoscantur. — Carpi, mense Maio 1870. *(Subscripti 133 Can. et Sac.)*

49. *Sacerdotum e D.* **Fidentina.** B. P. Quo saevius et magis impium in dies contra religionem et hanc S. Petri Apost. Sedem adstruitur bellum, eo arctiori vinculo ii, qui in sortem Domini vocati fuerunt, illique praecipue, qui ovium sibi concreditarum forma et exemplum sunt positi, Catholicae Ecclesiae eiusque Capiti Romano Pontifici devinciantur oportet. Haec nos advertentes illius gregis dominici partis rectores, quae in Fidentina hacce dioecesi Vicariatum foraneum constituit, a S. Margaretha Antiochensi Virgine et Martyre nuncupatum, muneris nostri esse ducimus, prout nil iucundius

habemus, palam profiteri promtam et integram submissionem et reverentiam omnibus placitis, quae Spiritui S. per Oecumenicam nunc coactam Vaticanam Synodum statuere et imponere visum fuerit. Qui autem semper coelesti opitulante gratia huic *Sanctae Veritatis Cathedrae* quam coniunctissime adhaesimus, et tum iura cum privilegia illi divinitus collata recognovimus et vindicavimus, enixe a Domino exposcimus, *ut dogma catholicum de personali Rom. Pontificis ex cathedra docentis infallibilitate*, omni prorsus adversariorum, quicunque sint, profligata cavillatione et vafritia, *ab eodem SS. Concilio quantocius de fide divina tenendum definiatur.* — Ex aedibus S. Margarethae die 29 Iun. 1870. *(Subscripti 6 sacerdotes.)*

50. *Sacerdotum* **Veronensium.** a) B. P. — Christus Iesus, qui exauditus est propter suam reverentiam, rogavit pro te, ut non deficiat fides tua, et tu confirma fratres tuos. Animam meam pro te ponam et pro veritate *infallibilitatis* tuae. — I. M. Martinelli, presbyter. Veronae idibus Iun. 1870. — b) Ego quidem toto corde et affectu me submitto SS. Synodi decisionibus, vehementissime cupiens dogma de tua infallibilitate. — Car. Peretti, presbyter.

51. *Cleri* **Montispolitiani.** Montispolitiani Clerus (in Tuscia) tibi toto corde adhaerens, tuamque *irreformabilem doctrinam* sincero animo tenens, teque ut unicum Magistrum universalisque Ecclesiae doctorem profitens, tuis pedibus provolutus haec in Vaticani Concilii adiumentum parva munuscula offert. Tu es vere solus, nos cum Ambrosio inquimus, quem nemo debet deserere, nemo mutare. Cui bene dicitur: Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes, et nos credimus. Et ideo votis fervidaque prece expostulamus solemnem tuae inerrantiae definitionem, a Christo Iesu sancitam, a Patribus et Conciliis, praesertim Florentino confirmatam. — Monte politiano, die 10 Iun. 1870. *(Subscripti 51 Can. et sacerdotes.)*

52. *Canonicorum et sacerdotum D.* **Pientinae.** Pio IX P. M. in Vaticana S. Petri aede Concilium Oec. peragenti Pientinae Civitatis et dioecesis sacerdotes collata ex Missarum eleemosynis stipe, ingentibus expensis connitentes pro suis quisque viribus ferre suppetias, qui sequuntur, obulos offerunt

venerabundi, libentibusque animis iam nunc Concilii decreta excipientes, *inerrantisque Pontificii fidem oraculi votis omnibus et gaudiis exoptantes. — (Subscripti 30 Can. et Sac.)*

53. *Sacerdotum* **Recinetensium.** Divo Petro Apostolorum Principi, eiusque successoribus, *in declarandis fidei veritatibus et morum regulis infallibilibus.* — 12 Iun. 1870. *(Subscripti 13 Sacerdotes.)*

54. *Cleri Genuensis.* B. P. Ad Sanctitatis tuae pedes provoluti, B. P., subscripti sacerdotes vota sua promunt, *ut ab oecum. Vaticano Concilio pontificia definiatur infallibilitas. Romanum siquidem Pontificem ex Cathedra definientem in rebus fidei et morum infallibilem esse, eiusque dogmatica decreta, etiam antequam Ecclesiae consensus accedat, esse prorsus irreformabilia ex Sacris Literis colligitur, et ex perpetua Ecclesiae traditione luculentissime evincitur.* Eiusmodi autem definitio, quam omnes boni ardenter exoptant, non modo opportuna, sed in praesentibus rerum circumstantiis necessaria quoque videtur. Sine igitur, B. P., ut tot sacerdotum Galliae, Germaniae, Italiae etc. votis iungantur et nostra, ut huius dogmatis definitione vehementer universa laetetur Ecclesia. Quidquid oecumenica Vaticana Synodus statuerit, nos humiliter suscipimus; quidquid Romanus Pontifex approbaverit, approbamus, quidquid damnaverit, damnamns. Dum hos sensus humiliter Sanctitati tuae pandimus, silentio praeterire non possumus dolorem, quo afficimur, ob quasdam *ephemerides*, quae hic et alibi vulgantur, quaeque licet erga Ecclesiam et hanc S. Sedem obsequentissimas se esse profiteantur, nimium tamen novitatibus adhaerentes, in novas abeunt sententias adminus periculi plenas. Deflemus potissimum, quae ab ephemeride, cui titulus *Rivista Universale*, evulgatae sunt opiniones; quas iam celeberrima romana ephemeris, cui titulus „Civilta Cattolica“, pluries refutavit, easque praesertim, quas nuperrime mense Majo huius anni p. 540. ss. in lucem edere non dubitavit. *Ad tuum* autem *oportet referri Apostolatum, B. P., pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei; tu enim es Petri Successor et Christi Vicarius, cuius sana doctrina constat iudicio veritatis et fulcitur munimine auctoritatis.* Mos iste semper in Ecclesia viguit, aiebat Vin-

centius Lirinensis, ut quo quisque foret religiosior, eo promtius novellis adinventionibus contrairet. Timemus, ne connivere sit hoc tacere. In huiusmodi siquidem causis non caret suspicione taciturnitas; quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Speciosum quidem est nomen pacis; ast mundi sectatores pacem voce clamare consveverunt, et opere destruere. Nos autem pacem veram, pacem Christi volumus; fugienda profecto sunt partium studia, et verum non vincendi sed inveniendi gratia quaerendum. Vera Ecclesiae Catholicae tessera est: caritas erga errantes, bellum adversus errorem. Misereri licet, scribebat S. Hilarius Pictaviensis, et praesentium temporum stultas opiniones ingemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, et ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Nos semper Romano Pontifici Successori B. Petri Principis Apostolorum et vero Christi Vicario totiusque Ecclesiae Capiti et omnium Christianorum Patri et Doctori usque ad extremum vitae spiritum firmiter adhaerere gloriabimur. — Genuae, die 29 Iunii 1870. *(Subscripti 160 sacerdotes.* — **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 634.)

55. *Canonicorum et Sacerdotum* **Faesulanorum.** Tibi, Pie None P. M. Parenti publico, optimo, indulgentissimo Canonici Faesulani, ceteri sacerdotes Faesulis consistentes, alumni sacri Seminarii, nonnullique cives Curiales, quorum nomina infra scripta sunt, hos pauculos nummos, quos quotidianus cultus vix illis reliquos fecit, venerabundi offerunt, enixe precati, *ut ille tandem illucescat dies, cum Concilium Magnum Vaticanum te christiani nominis Magistrum errare nescium solemni decreto pronuntiet. (Subscripti 57 Can. et sacerd.)*

56. *Sacerdotum* **Senarum.** *Petrus, imo ipse Christus per os Pii loquitur. (Subscripti 23 Can. et Sacerdotes.)*

57. *Sacerdotum Santagathae* **Apuliae.** Pontifici Virginis Immaculatae, Pio Papae IX, cuius nomen in Catholicorum labiis favus distillans, Hesperiae tot errorum tenebris contectae *perlucens veritatis Hesperus*, oppressisque sub libertatis specie dulce levamen spesque fidissima, munusculum quidam Presbyteri Santagathae Apuliae toto ex corde offerunt: *quem infallibilem crediderunt creduntque, Patres Vaticanae Synodus declarent,* summa ope flagitantes, decreta atque ab ipsa Sy-

nodo decernenda toto mentis obsequio amplexi, amplexuri. Die 2 Iul. 1870. *(Subscripti 14 sacerdotes.)*

58. *Sacerdotum Dioec.* **Vicentinae.** Carmen:

Pontifici data iura Pio Deus ipse tuetur,
Et semper stabunt illa tuente Deo.

(Reliqui versus ad civilem principatum S. Sedis referuntur.) — Vicentiae, 12 Iul. 1870. *(Subscripti 10 sacerdotes.)*

59. *Canonicorum et sacerdotum* **Barulensium.** B. P. En dies praeclarus illuxit, dies magnae laetitiae a christifidelibus tamdiu exoptatus, dies, in quo ss. Concilium Vaticanum firmam spem ingerit, lucem post longas tenebras allaturum, et universo mundo gravi moerore confecto gaudium et exultationem. Ecquis est qui ambiget? Tu, *Summe Pastor*, cui datum est, ovibus Christi consulere, et prospicere, *eximiae sapientiae radiis effulgens*, et omnium Ecclesiarum Antistitum frequentia stipatus, *afflante Spiritu Sancto* hypocritae fictam calliditatem, increduli impietatem, et impiorum perfidiam summa virtute tandem aliquando conteres et effringes. En clara vox ubique terrarum diu noctuque e coelo insonat: *Fides tua non deficit, neque deficiet;* bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum. Nos autem tot quot sumus huius Cathedralis Ecclesiae S. Mariae Maioris Archipresbyter, Canonici, Beneficiarii, omnesque sacerdotes *patrum nostrorum vestigia prosequentes*, qui in quibusvis adversis Arci Principis Apostolorum quam arctius inhaeserunt, *ter quaterque testamur, et ex corde confitemur humiliter excepturos, et pergratum habituros dogma fidei, quod in praelaudata S. Synodo summopere concupiscimus decernendum, quoad infallibilitatem Summi Pontificis*, necnon quidquid aliud visum fuerit definiendum. — Baruli, IV Kal. Iul. 1870. *(Subscripti 31 Can. et sacerd.)* — **(Voti del Clero Italiano** *per la definizione dommatica dell' Infallibilita Pontificia. 3 Vol.* Torino. 1870.)

60. Operae pretium ducimus, Votis his cleri Italici subnectere *declarationem, quam totius Cleri nomine* occasione oblati subsidii et votorum *pro definitione infallibilitatis pontificiae* edidit **Maurus Riccius** e Scholis Piis: „Pio IX P.

M. Italici sacricolae et sacerdotes. Admirandum profecto spectaculum praebes, B. Pater, quoties te intuemur, tanta rerum gestarum laude tot iam annis conspicuum, huic Vaticano Concilio praeesse, ex universis gentibus accito, hominum sapientia et moribus praestantissimorum, qui te duce simul et magistro, Catholicae Religioni maximum emolumentum sunt allaturi. Sed ne quis forte putet illos tantummodo, qui te circumstant, veneratione sua te prosequi, tibi tuisque placitis assentiri, nos Italici Sacricolae, sacerdotes, piorumque Ordinum sodales, nostro atque aliorum nomine, qui non sacris addicti nobiscum tamen erga te sentiunt, collatitiam stipem tibi deferimus, additis amoris demonstrationibus, quo universi flagramus, et quas pro certo habemus gratiores quocunque munusculo tibi fore. Eas perleges, si tibi libeat (obsecramus autem ut libeat) in hisce epistolis undecunque collatis religiosorum hominum, qui auctorem *Antonium Garbagnum* spectatissimum sacerdotem (Romaniolae) secuti nec sanctum institutum, quod amplexi sunt, neque suam in te devotionem erubuerunt. Diu perversi quidam homines falsae imo iniustae libertatis assertores, tota audiente Italia, dictitarunt, Italicos Dei ministros adversum te sentire, tuisque coeptis abhorrere; *civili* insuper *imperio, quod in incrementum catholicae doctrinae a tot iam seculis obtines*, cunctos maledicere, primisque in te clamoribus universos quasi facto agmine insurrecturos. Atque eo vecordiae processerunt, ut extremis, in quos incidimus, turbulentissimis annis ausi sint huc illuc libellos mittere, voce minisque urgendo, increpando, ut eos nostra manu subsignaremus, ne a mendaciis quidem abstinentes, vel quum sacerdotum nomina libito suo finxerunt, vel quum defunctos ipsos nova pene stultitia e sepulcris excitarunt.

Italicorum sacerdotum sensus animi veros en tibi nulla circumlocutione ex humilibus vicis, e primoribus urbibus: qui haud bini vel duodeni, sed turmatim divitias ad pontificiam dignitatem violandam ultro ab improbis oblatas non tantummodo respuunt, sed pecuniam quantulamcunque suam, ut se tibi deditissimos profiteantur, plerique ipsi indigentes, conferre student. Neque mutam pecuniam, quam cuique pauperrimo, si quis misericordia permoveatur, libenter impertit, sed pecuniam

literatam, h. e. verbis votisque exornatam iis in epistolis, in quibus sententiam suam nullo metu adversariorum luculenter aperuerunt. Macte igitur animo, SS. Pater, et gravissimis curis, quae his praesertim diebus te impediunt, parumper intermissis, vel de Concilio ad faustum exitum perducendo, vel in excipiendo qua solitus es humanitate accolas advenasque, bona et felicia, quae tibi pro tuis virtutibus atque in catholicae doctrinae incrementum Deus attulit, tecum perpende et laetare. Has epistolas atque haec munera in manu tenens, sacrosanctam Concionem adi, vocem in aula extolle, dicesque Conventui illi minorum Pontificum, qui te circumstant: „En vobis, o meorum laborum socii comitesque, en qua in me Christi Vicarium ira incendantur, quantas mecum inimicitias exerceant Italici sacerdotes! quae profecto et ad vestras regiones mendacio publicarum ephemeridum fama pervasit! Italici sacerdotes, filii in parentem amantissimi ad egestatem fere ipsi redacti, quorum plerisque necessaria ad victum desunt, symbolam suam mihi seponunt, atque eo ipso tempore, quum boni pro suspectis, quum liberi pro perduellibus habentur, epistolas mittunt, tanta in me devotione et pietate refertas, ut suas calamitates pene obliti esse videantur.“ Laetabuntur sane venerabiles viri, ac in dissitas provincias noster hic plausus, nostra amoris significatio perveniet, nullis deinde neque temporum neque hominum conatibus occasura. Quae nunc enim tibi dicimus, quaeve ominamur Italici Sacerdotes et sacricolae, haec tibi iterum dicturos haec tibi quocunque tempore ominaturos puta. Imo ut aliquod documentum coram universis gentibus extet perennis erga te reverentiae nostrae; genibus flexis, totoque audiente Vaticano Concilio, *in haec verba iuramus:*

„Italicorum Sacerdotum et Sacricolarum cuiuscunque modi tibi, Pontifex Maxime, perpetuum obsequium esto;

Quae tu loqueris, loquemur; quae vetas, vitabimus; quae iubes, iussa habebimus;

Civile, quo polles, imperium catholicae rei magnum putabimus tutamentum;

Quaecunque in SS. Concilio statues, probabimus; quaecunque respues, omittemus;

Te Christicolarum Parentem, te *veritatis magistrum, expertem errorum et nescium* praedicabimus;

Te Italicae regionis decus, libertatis assertorem, qui politiorem humanitatem auges amplificasque."

Ut pariter omnibus perpetuo innotescat, quonam te amore diligimus, quonam in posterum diligemus, genibus flexis, totoque audiente Vaticano Concilio, haec bona, haec fausta tibi ominamur:

„Vive diu, vive felix, vive iterum diu de nostris annis.

Deus O. M. Deipara Virgo, Sancti coelites omnes te pie protegant, te pie servent.

Pio IX vitam, Pio IX pacem, Pio IX immortalitatem.

Bone Pontifex, sancte Pontifex, nobis felix vivas, felix imperes.

Sospite Pio IX res catholica florens, sospite Pio IX res catholica felix."

1663.

Rector et Facultas Theol. Lovaniensis ad Epos Belgii in Concilio Oec. Vat. congregatos pro infallibilitate R. P. 1869.

Exploratissimum Vobis est, *quantopere pristina Lovaniensis Academia iam inde a sui principio et deinceps constanter in eam curam incubuerit, ut sacratissima Romanae Sedis iura ab aggressoribus defenderet, ac praesertim ut Summi Pontificis in docenda Ecclesia perpetuam erroris immunitatem fortiter tueretur.* Et vero, Praesules Reverendissimi, quum prava sua dogmata in populos disseminare coepisset *Lutherus,* Doctores Lovanienses statim omnium primi novatori vehementer restiterunt, et mox, aestimatis ad sincerae fidei praecepta eiusdem scriptis, pestiferi hominis libros gravissimis censuris notarunt; quam sententiam quum Novator

molestissime ferret, crimenque falsi dogmatis a se removere conaretur, *Iacobus Latomus*, ex Lovaniensis Academiae Doctoribus unus, latum a S. Facultate Theol. iudicium rationibus e S. Scriptura et Ecclesiae traditione petitis solide confirmavit; et quum paulo post Summus Pontifex Leo eius nominis X bullam suam *Exurge Domine, iudica causam tuam* fulminasset, idem *Latomus novo edito opere id praecipue egit, ut certissimis argumentis demonstraret, Romanum Pontificem esse in re fidei aut morum supremum controversiarum iudicem, eundemque falli nescium;* unde et rectissime concludebat Latomus, doctrinam Lutheri utpote a Leone Summo Pontifice tamquam haereticam damnatam ab omnibus Christifidelibus pro haeretica esse habendam, *omnemque a Pontificis iudicio ad futurum Concilium provocationem prorsus illicitam esse.* Post haec, scilicet *a. 1544*, qui proximus fuit ante inceptam Tridentinam Synodum, *Doctores Lovanienses scriptum evulgarunt dogmaticum* 32 articulis distinctum, in quo et de praecipuis catholicae doctrinae capitibus disserunt, et novarum sectarum commenta opinionum refellunt; loquentes autem ibidem de Ecclesiae auctoritate et de Supremo eiusdem Pastore Romano Pontifice *diserte docent, controversias in rebus, quae ad fidem aut ad mores pertinent, Apost. Sedis iudicio esse subiiciendas:* „Unus est, inquiunt art. 23, Ecclesiae Summus Pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cuius iudicium controversiae, quae super religione et fide existunt, sunt referendae“; et art. 25, ubi agunt de iis, quae sunt credenda, sic docent: „Certa fide tenenda sunt non solum quae Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quae per traditionem Ecclesiae Catholicae credenda accepimus, et quae definita sunt super fidei et morum negotiis per *Cathedram Petri*, vel per Concilia Generalia legitime congregata“; quibus verbis Conciliorum Generalium legitime congregatorum auctoritati aequiparatur auctoritas unius Romani Pontificis ex cathedra loquentis, simulque statuitur, eundem in definienda re fidei aut morum talem esse, in quem error neutiquam cadere possit. Atque ita constanter senserunt Professores et Doctores Lovanienses omnes, *Ioannes Driedo, Ruardus Tapperus, Iudocus Ravesteyn, Ioannes Hesselius, Guilielmus Lindanus, Mar-*

tinus Rythovius, Cornelius Iansenius, qui ex Concilio Tridentino redux Gandensibus primus datus est Eppus, *Thomas Stapletonus, Guilielmus Estius, Ioannes Malderus, Christianus Lupus* etc. quorum omnium haec fuit perpetua doctrina: *Romanum Pontificem, ubi Petri officio fungens toti Ecclesiae Christi aliquid tamquum divinitus revelatum praescribit credendum, errare non posse.* Quam doctrinam Sacra Facultas Theol. Lovaniensis impensiori etiam studio tueri coepit *post editam a. 1682 Cleri Gallicani de eccl. potestate declarationem,* quando et *statuit, in posterum ad collegium Professorum S. Fac. Th. a se admissum iri neminem, qui non prius promisisset, se R. P. infallibilitatem pro viribus esse defensurum.* Supersunt, Praesules Reverendissimi, spissae collectiones *Thesium theologicarum,* quae inde a tempore Declarationis Cleri Gallicani usque ad extinctam iniquo decreto a Iosepho II Lovaniensem Academiam publice fuere propugnatae. Inter has autem ut omnino *nulla invenitur, quae Gallicanae sententiae faveat,* ita e contra *numerosissimae* ibi *leguntur theses, in quibus aut affirmatur R. P. supra Concilia auctoritas, aut stabilitur eiusdem in definienda re fidei aut morum infallibilitas, aut denique statuitur irreformabile in his rebus esse eius iudicium, etiam antequam Ecclesiae consensus accesserit.* Instaurata autem a. 1834 Lovaniensis Academia ab hac maiorum suorum doctrina adeo non recessit, ut e contra et in scriptis a se evulgatis et in suis praelectionibus Professores constanter eam tradiderint, et alumni in disputationibus solemnioribus eandem quotannis publice defenderint. *Et nos quoque, Lovaniensis Academiae Rector et quotquot sumus hoc tempore Theol. Fac. Professores, nos pariter S. Scripturae effatis et SS. Patrum traditione innixi, una omnes profitemur, R. Pontificem S. Petri successorem, quando solemni definitione universae Christi Ecclesiae aliquod dogma tamquam divinitus revelatum praescribit fide divina credendum, aut sententiam aliquam damnat tamquam divinae revelationi contrariam, falli non posse, eiusque unius definitionem pro certissima fidei regula statim esse habendam, minimeque ad hoc requiri, ut Pontificis decreto iam accesserit Ecclesiae congregatae aut dispersae consensus sive*

tacitus, sive expressus. Atque *haec de Petri Cathedra sententia, quam divina revelatione adeo firmiter niti existimamus, ut dogmatico decreto tamquam dogma fidei catholicae definiri possit, ut a Vaticani Concilii Patribus tamquam dogma fidei reipsa definiatur, omnibus votis expetimus,* et vos, Illustrissimi Domini, Praesules Reverendissimi, ut haec vota nostra Vaticani Concilii Patribus nostro nomine significare velitis, enixe precamur. Datum Lovanii, 22 Dec. 1869. — **(Annuaire de l' Univ. Cath. de Louvain.** 1871. p. 243.)

1664.

Orientales Montis Libani pro infall. R. P. 1869.

B. P. — Tecum in Syria semper communicabimus, quia quicunque tecum non colligit, spargit. — Promittimus, nos huius S. Synodi definitiones et statuta fideliter servaturos atque totis viribus defensuros. — *Si, ut speramus, SS. Pater, Deus nostrum desiderium, nostras totiusque orbis catholici preces audierit, divinam Summi nostri Pontificis infallibilitatem, necnon gloriosam Mariae Matris nostrae immaculatae Assumtionem definitas accipiemus, et exultabimus, novaque luce fulgentem Ecclesiam Orientalem cum Ecclesia Occidentali magis magisque unitam contemplabimur.* — In Monte Libano 1 Nov. 1869. — (**L' Univers.** Paris. 1870. Nr. 988.)

1665.

Eppi Armeni Romae congregati, pro infall. R. P. 1870.

Etiamsi in Ecclesia nostra Armena numquam dubitatum fuit de *irreformabilitate iudiciorum, quae a Romano Pontifice uti Supremo Eccleeiae Catholicae Magistro et Doctore pronunciantur in materia fidei et morum,* utpote plurima Patrum nostrorum vetusta testimonia, atque Ecclesiae nostrae historica documenta luculenter ostendunt, quodque sacri et orthodoxi eiusdem Ecclesiae Antistites hucusque docuerunt: cum tamen audierimus quosdam hanc ipsam infallibilitatem in dubium revocare, nos timentes gravia damna, quae ex hac nova doctrina possent oriri universae Ecclesiae, praesertim vero Orientalibus, *quoniam numquam dubitatum fuit, quin irreformabilitas praedicta supremo R. P. primatui arctissime et inseparabiliter cohaereat, necessarium existimamus, ut eadem ab Oecum. Concilio definitive declaretur, atque idcirco petimus, ut de huiusmodi re in eodem Concilio quamprimum agatur.* Romae in aedibus Piatti Montis Ianiculi die 11 Ianuar. 1870. — (**Azarian** *Ecclesiae Armenae traditio de R. P.* Romae. 1870. p. 159.)

1666.

Clerus ADioecesis Neo-Aurelianensis in America pro infall. R. P. 1870.

Sacerdotes AD. Novae Aureliae ad consecrationem RR. D. I. Perché electi Coadiutoris huius ADioecesis coadunati, hanc opportunitatem laeti arripiunt, intimos et vividos sensus devotionis, venerationis et filialis amoris erga Sanct. Tuam exprimendi: Te *universalis Ecclesiae Doctorem* agnoscunt, te *omnium privilegiorum B. Petro a Christo concessorum legitimum haeredem* proclamant. Firmiter credimus, B. Pater, et alta voce profitemur, *B. Petrum* a Domino electum esse tamquam *centrum unitatis fidei,* et quidem *necessarium, permanens,* ac proinde *infallibile.* Credimus B. Petrum a Christo positum fuisse tamquam *Petram Ecclesiae fundamentalem,* contra quam portae inferi numquam praevalere poterunt, ac proinde omnino *infallibilem.* Credimus B. Petro commissam fuisse *curam pascendi Christi gregem,* agnos et oves, fideles et pastores, ac proinde illi omnino concessam fuisse *infallibilitatem.* Credimus B. Petrum a Christo Iesu mandatum accepisse *confirmandi fratres in fide,* ac proinde plena praeditum esse *infallibilitate* in exponendo et definiendo omnes veritates fidei. Credimus B. Petro datas fuisse *claves regni coelorum* cum tali potestate ligandi et solvendi, ut quod pronunciaverit in terra, ratum sit in coelo; ac proinde illi tributam fuisse *supremam et infallibilem* auctoritatem in iudicando. Credimus hoc *donum infallibilitatis B. Petro a Christo concessum propter Ecclesiam, ad eius successores et haeredes, nempe*

Pontifices Romanae Ecclesiae, hucusque transiisse, et usque ad consummationem seculi esse transiturum. Et cum haec nostra fides firmius in nobis de die in diem stabiliatur propter ipsam *nefariam oppositionem, qua cacci homines hanc veritatem audacter obnubilare conantur*, agnoscimus *Ecclesiam universalem semper professam fuisse hanc veritatem, et illam constanter observavisse in praxi;* siquidem Patres nostri in toto orbe semper ad Pontificem Romanae Ecclesiae recurrerunt ad solutionem finalem omnium fidei controversiarum; et illud praeclarum dictum ab omnibus catholicis tamquam axioma semper receptum est: *Roma locuta est, causa finita est.* Et quidem tota Ecclesia in gaudio exultavit, cum Sanctitas tua in plenitudine potestatis suae et supremo iudicio declaravit et definivit tamquam dogma catholicae fidei, BV-Mariam semper Immaculatam fuisse. Et quia hanc veritatem infallibilitatis tuae et mente credimus et ore confitemur, dolore intrinsecus affecti sumus, B. Pater, cum vidimus ingratos filios huic Paternitatis tuae privilegio obstare, et hanc svavem *veritatem, et Verbo Dei et constanti traditione firmatam*, audacter impugnare; sed nunc toto corde exultamus, expectantes hanc infallibilitatis tuae veritatem vel iam definitam fuisse, vel mox esse definiendam. — Neo-Aureliae, die 1 Maii 1870. — *(Subscripti 134 sacerdotes.)* — **(L' Univers.** 1870. nr. 1144.)

1667.

Eppus Curiensis in **Helvetia** pro infallib. R. P. 1870.

Ep. past. ad Clerum. Concilio Generali Vaticano a SS. D. N. Pio Papa IX, supremo Christi in terris Vicario, D. Petri successore indicto, adhucdum perdurante, literis nostris pastoralibus populo fideli nobis concredito ad praeviam illius instructionem simul et praestandam Conciliariis definitionibus et decretis debitam obedientiam, veritatem catholicam *de infallibili Ecclesiae in rebus fidei et morum magisterio divinitus instituto* fusius dilucidandam in Domino congruum atque opportunum arbitrabamur. Eundem autem in finem vobis quoque in vinea Domini operariis consveto hac in parte idiomate latino *Positiones* quasdam, i. e. themata pro instructione populi in vertente materia ex S. Theologia deductas communicare non praetermittimus, tenoris sequentis: a) Non tantum per mutam regulam, sed etiam per *vivum controversiarum iudicem* optimus Redemtor noster pro sapientia sua necessario providit, qualis tamen nec S. Scriptura est nec Traditio, nec spiritus privatus, sive seorsim sive simul sumantur. Sed *sola Ecclesia* hac praerogativa atque auctoritate pollet, qua prouti tamquam fidei magistra infallibiliter docet, ita tamquam controversiarum iudex decretorie iudicat; ut proin decisivo eius iudicio et in diremtis fidei quaestionibus et in conditis morum decretis generalibus singuli acquiescere teneantur, quippe tam in his quam in istis aeque infallibilis est, non solum in Concilio congregata, sed etiam extra Concilium dispersa. b) Hac tamen docendi iudicandique potestate solum gaudent Eppi, non vero laici, sive sceptrum teneant, sive aratrum. Imo ipsorum *Epporum potestas*, licet a Deo

immediate concessa, *subordinata* tamen *est Romano Pontifici.* Christus enim soli S. Petro Primatum non tantum honoris sed etiam verae iurisdictionis in universam Ecclesiam contulit, ita, ut Primatus S. Petro datus in omnes eius legitimos successores transiret. Cum igitur Romani Pontifices sint legitimi D. Petri successores, *Papae Pii IX iudicium in rebus fidei ac morum haud dubie eousque praevalet iudicio reliquorum Epporum, ut hoc sine illius consensu numquam finale sit ac decisivum*, quale tamen ocyus evadit, si accedente Summi Pontificis consensu firmetur, sive dein multorum sive paucorum fuerit Epporum. *Ipsius* vero *Romani Pontificis iudicium in rebus fidei ac morum pro universa Ecclesia latum, se solo, a vero et sancto non deflectere est sententia fidei proxima. Generalis enim eiusmodi ac definitiva S. Romanae Sedis decisio universam Ecclesiam ad assensum ipsi praestandum ex Christi voluntate stringit.* Portae enim inferi non possunt praevalere adversus Ecclesiam, et hinc neque Ecclesia potest unquam integra a suo Capite ac fundamento Petro avelli. Pauca haec in memoriam vobis revocata sufficient, ut fideles curae vestrae concrediti exhortationibus opportunis instructi promtiores et alacriores ad debitam Ecclesiae praestandam obedientiam Spiritus S. gratia cooperante inveniantur. — Curiae Rhaetorum die 28 Ian. 1870. — **(Schweizerische** *Kirchenzeitung.* 1870. p. 127.)

1668.

Clerus Ducatus Luxemburgici pro infall. R. P. 1870.

Quum nos celeberrima illa saltatoria processio, quae quotannis *Epternaci* in Ecclesia S. Petri magno populi undique concurrentis studio celebratur, ad gloriosum *S. Willibrordi* sepulchrum congregatos teneat, facere non possumus, quin innumerabilium memores bonorum, quae nobis cum egregio illo a Romano Pontifice huc deputato Apostolo contigerunt, alte atque ex intimo corde declaremus, quanti nos erga te et illustrissimam S. Petri Cathedram quum gratissimi et devotissimi animi sensus, tum piissimae observantiae affectus moveant atque semper moverint. Nihil autem potius nobis videtur ad gratias tibi et S. Ap. Sedi debitas solvendas, quam si, quoties suppetit occasio, verbo et opere demonstremus, *nos depositum fidei a Pontifice Maximo transmissum per decem seculorum varia discrimina fideliter custodivisse; inter cuius fidei placita inprimis iuvat prae nobis ferre, quantopere illo gloriemur, quod inde ab initio rite docti toti arripuimus*, cui usque adhaerere non destitimus, et in quo his potissimum temporibus indefessa cura et scientia plena opera clarissimi et reverendissimi D. *Ioannis Theodori Laurent* roborati, laeti et securi profitemur: *te, utpote Christum ipsum per os Petri loquentem, nec fallere nec falli posse, supremum in rebus fidei et morum Magistrum.* Itaque *haud parum gavisi sumus, quod reverendissimus et carissimus noster Antistes Nicolaus Adames inprimis postulavit, ut, quod semper et ubique et ab omnibus creditum est, fidei placitis solemniter adiiceretur;* cum et ipsi et nobis cum omnibus S. Ecclesiae

devotis filiis persvasum sit, *hoc vetus de thesauro Christi recenter prolatum dogma perennem lucis et gloriae fontem fore innumeris animabus in vitam aeternam scaturientem.* Quod ut fiat, quum non cessemus exoptare et precari, tum et hoc cum multis S. Concilii Patribus ardenter desideramus, ut placeat Sanctitati tuae totam Ecclesiam SS. Cordi Iesu consecrare, et amantissimi illius Cordis festum ad altissimum ritum extollere, ut ex inexhausto illo misericordiae abysso miserrime iacenti et afflicto generi humano luculentissima fides et uberrima caritas cum ceteris ininvestigabilibus Christi divitiis etiam profluant. Quod omnium bonorum largitor et effector Deus intercedente Beatissima et gloriosissima Immaculata Virgine Maria, omnium nostrum communi Matre, patriae Luxemburgensis augustissima patrona, dignetur quamprimum cum omnium pace et ad salutem totius mundi benignissime praestare et inconcusse stabilire. — Epternaci, in Vicar. Apostol. Luxemburgensi, die 7 Iun. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1133.)

1669.

Generalis Congregationis Passionistarum pro infall. R. P. 1870.

Romanus Pontifex errare possit necne in definiendis iis ex Cathedra, quae ad fidem pertinent et ad mores? ultimis hisce diebus quaestio adeo gravis exarsit, ut portae inferi, quae tamen adversus Ecclesiam numquam fore ut praeveleant certo scimus, conatum omnem parasse videantur, ne fidei vindex a Christo Domino constitutus, nascentium haeresum monstra suffocare, reique christianae in tempore queat subvenire. Hinc ubique terrarum fideles Spiritu S. impulsi vehementiori angi desiderio coeperunt, ut singularis haec et maximi momenti Ap. Sedis praerogativa per Oec. Conc. Vaticanum tandem definiatur; idque a Patre luminum ut prospere succedat expostulare precibus non intermittunt. Quibus et animum et vocem non adiungere nostra haec Congregatio a Christi Domini Cruce et Passione nuncupata nequit; omnium quidem humillima, sed nulli Ecclesiae Catholicae amore et Cathedrae Apostolicae veneratione secunda. Nostram autem hanc voluntatem erga te, B. Pater, et Sedem hanc Apostolicam nec novam, nec ictu aliquo obversantium opinionum excitatam in nobis senserit, quicunque noverit, quae mens, quae voluntas, quod studium in re hac ipsa fuerit nostri huius Instituti auctoris *Pauli a Cruce*, quem tua auctoritas, Pater Beatissime, primo inter coelites Beatos adnumeravit; ac deinde novis fulgentem signis inter solemnia seculi 18 a triumpho Principum Apostolorum Sanctorum fastis adscripsit. Ille enim ut a Deo revelatam doctrinam profitebatur, qua docemur, ab origine immaculatam esse Virginem Deigenitricem; ita et de Romani Pontificis auctoritate deque eius non errandi praero-

gativa sentiebat. Sanctorum vestigiis profecto insistens, summa religione Romanum Pontificem Petri successorem venerabatur, ut eius nomen nonnisi caput inflectens auderet pronunciare, et quidquid ab ipso decretum fuisset ac iussum, tamquam dictum et praeceptum Christi, cuius vices gerit in terris, suscipiendum esse dictitaret; ac celebre illud Augustini effatum „Roma locuta est, causa finita est“ in istud traductum saepius usurparet: Christi Vicarius dixit, ergo ita credendum est et agendum, quasi Christus ipse dixerit. His instituta documentis eiusdem S. Patris soboles, semper professa est et nunc coram profitetur, *necesse esse omnes, qui sunt undique fideles, ad Romanam Ecclesiam, scilicet ad Linum, Cletum ceterosque in Apostolica Petri Sede usque ad finem seculi succedentes, convenire, tamquam ad apostolicae traditionis indeficientes testes, unde fidei accipienda est certitudo, eosque Romanos Pontifices esse quasi os Catholicae Ecclesiae, quo Christus nobis loquitur, idcirco in rebus fidei et morum omnino falli nescios.* Quos sensus ego, humillimus servus tuus, B. Pater, et meo et meorum sodalium nomine ad thronum Beatitudinis tuae perferens, suppliciter oro, ut excipere digneris in testimonium fidei, quam inter tot aerumnas et tribulationes tam strenue defendisti, et quasi aliquod solamen inter apostolicas sollicitudines, a devotissimis filiis tibi exhibitum. — Ex Recessu SS. MM. Ioannis et Pauli de Urbe, 28 Iun. 1870. — (**L' Univers.** 1870. nr. 1159.)

1670.

Portugalli Romae praesentes pro infall. R. P. 1870.

Fuit, B. Pater, ista quondam in *Lusitanis* accensa pietate virtus, ut orbem celebritate nominis, Ecclesiam vero praeclaris fidei trophaeis implerent. Ea est autem misera temporum nostrorum conditio, nihil ut nobis aliud avitae gloriae supersit, quam religionis et virtutis memoria, quibus maiores nostri in Christi Regno ubique propagando desudabant. Nunc si filios decet in parentum factis gloriari, nostra fuerit gloriatio tales habuisse patres; et, si reipublicae nostrae splendor caligante fide obscuratus est, sit hoc nobis nec mediocris consolatio, fore aliquando ut illam fides pristinum in morem accensa novo lumine circumfundat. Neque enim animo excidit, quid aedificator et eversor regnorum Deus primo Lusitaniae Regi Henrico fuerit pollicitus, futurum scilicet, ut sanctum sibi hoc regnum esset, et in fide intemeratum, et divina miseratione protectum. Utinam, SS. Pater, nostra aetate hoc verbum adimpleatur, et maiorum nostrorum gesta aemulemur, quorum nobis memoria hac celebritate Concilii ut quam maxime obversatur. Subit enim praeclarissimi Praesulis *Bracharensis* imago, illius inquam *Bartholomaei a. Martyribus*, qui pietatis aeque ac doctrinae specimen in Tridentina Synodo praebuit; subit flagrans Lusitanorum in Ecclesiam studium, quum in hoc gravissimo sanctissimoque Consessu Vaticano tot cernimus Praesules, qui plurimas Orientis Ecclesias a nostratibus Christo subiectas moderantur. *Eandem nos fidem, idem erga Apost. Sedem obsequium, quotquot Lusitani versamur in hac alma Civitate, profitemur*, et amoris divitias, quibus corda nostra locupletantur, ad tuos pedes, SS. Pater, hac significatione ob-

sequii deponimus. Quum in hoc, qui terras incessit, errorum diluvio orbis universus in *Vaticana Sede* haeret obtutu, *quam velut arcam Noëmiticam in fluctus dominantem cernit, ex qua pacis columbam, Spiritus S. oracula venerabundus expectat;* quum ducenti Catholicorum milliones *divinum Ecclesiae Caput,* promissos Sponsae triumphos exposcunt: nos, quibus ad hanc almam Urbem venire contigit, Apostolorum Petri ac Pauli sepulchra venerari, fidem et constantiam in cryptis et amphitheatris corroborare, tuo, SS. Pater, conspectu et apostolica benedictione ditari, nos inquam ad *Petri Sedem* procumbentes, *columnam et firmamentum veritatis, unum et intemeratum Catholicae fidei repositorium, veram morum magistram,* non possumus, quin solemniori quo licet modo fidem et amorem erga te, Pater SS., testemur; unde *statuimus, declaramus, et profitemur, maxima nos, ut Ecclesiae filios decet, voluptate et observantia quidquid SS. Vaticanum Concilium statuerit, et Sanctitas tua confirmaverit, decreverit et tulerit, excepturos.* Hoc tibi plusquam semel ex patria promisimus, hoc denuo iteramus; *Tu* enim, B. Pater, *Christi in terra Vicarius, tu fidei et morum Magister indubitabilis, petra firmissima, qua superstructa est Ecclesia, portas inferi in aeternum superatura, tu Petri successor, cuius fides non deficiet, pro illa enim orat Christus, qui tecum erit usque ad consummationem seculorum, ut confirmes fratres tuos.* Ad mentem ergo tuam, SS. Pater, *execramur quidquid reprobaveris, et damnaveris, et quidquid vel perversi homines vel ignari contra te et contra Matrem nostram, S. C. Ap. Rom. Ecclesiam, scripto, verbo, facto tentaverint; insidias detestamur contra tuam Supremi Pastoris auctoritatem et libertatem nostris his temporibus paratas;* et Deum O. M. ardenter exoramus, ut illuminet qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ut renovetur facies terrae, ut *ubi est Petrus, ibi sint omnes,* et in mundo universo unum sit ovile, unus Pastor, omnium unus sit Dominus, una fides, unum baptisma, et in unum omnes coalescant in Christo Iesu. Deiparae autem Virgini sine labe conceptae, ac Petro et Paulo submisse supplicamus, ut S. Vaticano Concilio a Deo felicem cursum et exoptatum omnibus exitum, tibi au-

tem, SS. Pater, vitam, quae nobis est carissima, impetrent, etiam ultra Petri annos producendam. Tandem, B. Pater, ad pedes tuos reverenter accedimus, ut hanc obsequii nostri et amoris testificationem excipias, et patriae nostrae, Lusitanis omnibus, nobis, familiis nostris et amicis benedicas, deprecamur. — **(Acta officialia Concilii Magni Vaticani.** Taurini. 1870. II. 76.)

1671.

Clerus ADioecesis Westmonasteriensis in **Anglia** pro infall. R. P. 1870.

B. P. Nos e secundo Cleri ordine sacerdotes seculares, qui sacrae missioni in dioecesi Westmonasteriensi in Anglia inservimus, ad pedes Beatitudinis Vestrae humillime provoluti, una mente et corde uno profitemur: nos Beatitudinem Vestram agnoscere Iesu Christi Vicarium et divi Petri apostolorum Principis haeredem: quatenus *Beatitudinem Vestram in solidum possidere confitemur principatum illum, universam Ecclesiam docendi regendique, quo Novi Testamenti Pontifex ipse Dei Filius gaudet, quem idem Dei Filius ad Patrem reversurus B. Petro in manus plenissime commisit visibiliter exercendum, quemque per eum successoribus in Pontificatu, Romanis videlicet Episcopis*, ad finem usque huius seculi *cum eadem plenitudine tradendum curavit;* et quatenus iubente te in singulis Ecclesiis docendi regendique potestas per partes exercetur. Hanc nostram fidei professionem, B. Pater, tibi ad pedes supplices deponimus, ad S. Concilium Vaticanum, si ita Beatitudini Vestrae videbitur, deferendum. Novimus sane non esse nostri muneris iudicare de fide, vel agendi modum Beatitudini Vestrae aut Concilio Oecumenico praescribere, sed potius *infallibilia Vestra* eiusque *dicta* fideliter observare. Verum etiam *novimus plurimum fuisse agitatam sed et agitari quaestionem de extrinseca quam vocant*

opportunitate, quidquam de Romani Pontificis in docendo iuribus definiendi. Quod quum ita sit, locus est non solum Clero sed et ipsi fideli populo aperiendi hunc *suum sensum, quin extra fines sive officii sive christianae modestiae evagentur.* Sanctam Synodum Vaticanam ut legitimam cum debita veneratione nos suscipere, eiusque decreta et decernenda summo mentis obsequio nos amplecti et amplexuros esse profitemur. Beatitudini Vestrae a Deo O. M. longam diem ac perpetuam felicitatem summo studio precamur. Benedictionem Apostolicam divinae benevolentiae pignus nobis et nostris suppliciter petimus. — *Pro 100 sacerdotibus secularibus Westmonasteriensibus:* Daniel Canonicus Gilbert, Vic. Gen. — (**L' Unita Cattolica.** 1870. p. 598.)

1672.

Eppus Hagulstadensis et Novicastrensis (Hexham et Newcastle) votum professorum ac alumnorum **Collegii S. Cuthberti** pro infallib. R. P. Summo Pontifici significat. 1870.

B. P. *Rector, professores et alumni Collegii S. Cuthberti in Anglia*, provoluti ad pedes S. V. *vota sua ferventissima humillime offerunt, ut infallibilitas Summi Pontificis in tota sua integritate quamcitius definiatur.* En ipsorum verba in literis nuper ad me scriptis: „Rogamus Ill. ac R. Eppum nostrum, ut Sanctitati Suae aperte declaret, quam ardentissime haec definitio infallibilitatis R. P. a nobis exoptetur, et quam fervidae sint gratiae, quas Deo Omnipotenti agimus, quod iam appropinquat dies, quando haec saluberrima veritas, qua Supremus Pontifex necessitate postulante semper fideles illuminavit, vi dogmaticae definitionis clariore luce effulgebit. Vere erit illa nova ac pretiosissima gemma, quae amantissimi D. N. Pii Papae IX coronae pulchritudinem perficiet. Faxit Deus, ut in hoc solemni vitae suae tempore tali splendido dia-

demate coronetur, atque ut gratia, quae certo exinde oritura est, vitam illam suam omnibus tam caram tamque pretiosam ita roboret ac confirmet, ut etiam annos Petri longe longiusque excedat.“ Liceat mihi quoque indigno servo tuo vota mea, quia similia sunt, cum illis simul coniungere, quae ad pedes S. V. iam humillime offero, et uno tantum verbo exprimere, quam gratissima mihi erit dogmatica definitio illius veritatis, quam semper credidi et tenui. — Romae die 10 Iul. 1870. — **(Acta officialia Concilii Magni Vaticani.** Torino. 1871. II. 237.)

1673.

Clerus totius Angliae et Scotiae pro infall. R. P. 1870.

B. P. Nos infrascripti Angliae et Scotiae utriusque Cleri sacerdotes sensus nostros quoad doctrinam, de qua definienda in S. Concilio Oecumenico nunc agitur, manifestare cupientes, et nulla meliori verborum forma id fieri posse censentes, quam illa, quae a confratribus nostris almae Urbis Parochis nuper est adhibita, ad pedes Beatitudinis tuae humillime provoluti declaramus: *nihil esse nobis antiquius, nihil sanctius, nihil optabilius, quam ut per Vaticani Concilii decretum* (si tamen ita Spiritui S. ac Patribus in eodem Spiritu congregatis, quod summopere confidimus, visum fuerit) *infallibile S. Sedis, h. e. Romani Pontificis in docendo magisterium tandem aliquando expresse stabiliatur, atque in universo qua late patet orbe catholica fide omnibus credendum edicatur.* Quam quidem declarationem ad Beatitudinis tuae pedes humiliter deponentes, super nos et super omnes Christifideles in hoc Regno benedictionem apost. peramanter et enixe precamur. — Die 11 Iulii 1870. *(Subscripti 839 sacerdotes.)* — **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 659.)

1674—1699.

Rescripta Pii IX ad Ecclesiasticos, et Laicos, qui literis ad Summum Pontificem directis pro infallibilitate Pontificia se enunciarunt. 1869. 1870.

1. *Vicario Generali et Clero* **Atrebatensi**. Quae nobis experientia svaserat de devotione et observantia vestra, ea nuperis literis mirifice confirmata vidimus: quas sane *arctissima animorum vestrorum coniunctio, praesentibus in adiunctis adeo necessaria,* cariores etiam nobis fecit. Nam quidquid significatis, sive *de fide vestra quoad huius S. Sedis praerogativas*, sive de obsequio et alacritate, qua excipere consvevistis et excepturi estis eius decreta et documenta, sive de studio erga nos et proximum Concilium, ita conveniunt cum *egregii Eppi vestri* sensibus, ut in illo uno vos omnes audire ac praesentes habere videamur. Huius autem studii praeterea luculentum plane argumentum habuimus in liberali munere literis ipsis adiecto. Illud enim diserte demonstrat, vos, cum intelligeretis immanes omnino requiri sumtus ad cogendum istum totius Ecclesiae coetum, eique vires nostras prorsus impares esse, ultro et certatim contulisse vires ad larga nobis subsidia suppeditanda, quorum ope prosequi ac perficere necessaria possemus. Cumulatis itaque officiis hisce sic affecti fuimus, ut, quamquam grati animi nostri sensus aperuerimus optimo Pastori vestro, eos iterum vobis significandos ducamus; ut autem meritam referamus amoris vicem, non modo fausta omnia vobis adprecamur a Deo, sed eam potissimum in proposito firmitatem, eamque ministerio vestro et operositati virtutem, quae Eppi absentiam plane suppleat, eique postea redeunti Cleri populique animos arctioribus etiam caritatis ne-

xibus devinctos exhibeat, docilesque prorsus ac paratos ad excipienda libenter et exequutioni studiose demandanda, quaecunque S. Synodus constituerit. Interea vero divini favoris auspicem et paternae nostrae benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 27 Nov. 1869. — **(L' Univers.** 1869. nr. 962. Supplement.)

2. **Mauritio de Bonald** *e decuria Iudicum* **Ruthenensi.** Filiali vere animo, veneratione et amore erga nos et hanc B. Petri Sedem dignae fuerunt literae, quas die 20 Novembris anno proxime superiori a te datas, atque ab aliis dil. filiis clericis laicisque fidelibus subscriptas nuper accepimus. Ex iis enim luculenter nobis innotuit, quae sit eximia tua et eorumdem fidelium pietas, amor et observantia erga nos et *hanc catholicae veritatis et unitatis Cathedram, in qua Christus Iesus inexpugnabile fundamentum constituit Ecclesiae suae;* et quo catholicae mentis studio animati sitis, *ut suprema eius Magisterii auctoritas et vis, a divino sanctissimae religionis nostrae auctore eidem collata, solemni ratione* hoc tempore ad medelam tot malorum, quae humanam societatem perturbant, et ad salutem hominum *elucescat.* Non potuerunt nobis non gratissimi esse, dil. fili, egregii huiusmodi tui et eorumdem fidelium sensus, quos eximia tua et illorum religio, quae ubique in datis literis spirat, et satis aperte docet ex intimo profectos esse, et effecit, ut paterno eos libentique animo complectamur. Nos itaque, dil. fili, tuae atque illorum pietati summopere gratulamur, meritasque vobis laudes in Domino tribuimus, neque omittimus divinam clementiam humiliter enixeque obsecrare, ut vobis semper in abundantia coelestis suae gratiae propitia adsit; atque ita religionem vestram respiciat, ut salutares et uberes fructus divina benignitate in hac vita et in coelis recipiatis. Omnium autem supernorum munerum auspicem, et paternae nostrae benevolentiae testem apost. bened. etc. Datum Romae die 3 Ianuar. 1870. — **(La Civilta Cattolica.** *Serie VII. vol. 10. p. 227.* Roma. 1870.)

3. *Eppo* **Pistoriensi et Pratensi.** Complura ex parte cleri et populi utriusque dioecesis tibi creditae testimonia obsequii et devotionis accepimus, quae animum nostrum grato iucunditatis sensu affecerunt. Vidimus enim et ipsos fuisse

aemulatos zelum aliorum fidelium, qui nobis Generale Concilium habentibus non modo promtos se paratosque exhibuerunt humiliter excipere et exequi, quaecunque S. Synodo approbante essemus decreturi, sed etiam ut solatio essent et auxilio in hac gravi negotiorum mole, studiis suis certarunt. Curabit itaque fraternitas tua, ut cunctis, qui in utraque dioecesi, Pistoriensi et Pratensi, eiusmodi officia nobis praestitere, tum ex canonicis et rectoribus ecclesiarum, tum ex docentibus et alumnis in ecclesiasticis epheboeis, tum ex piis consociationibus, aliove quolibet sive clericorum sive laicorum ordine patefiat sincerae nostrae caritatis affectus et desiderium quo flagramus, ut Deus singulis pro cuiusque pietate et meritis praemia rependat amplissima. Illis interea nostro nomine et verbis animos adiicito, *ut hanc animorum coniunctionem cum Ecclesiae Pastoribus et Supremo omnium Capite sedulo retineant, neque ullo impiorum conatu hinc se divelli patiantur.* Nam quemadmodum veritatis hostes tantam nocendi facultatem nacti sunt ob nefariam conspirationem, qua inter se arcte iunguntur, ita salutaris Ecclesiae virtus maiorem exeret vim et efficientiam, si fideles omnes uno fidei et caritatis spiritu coniuncti quasi membra in unum corpus consentiant et coalescant. Hac spe confisi apost. bened. etc. Datum Romae die 5 Ianuar. 1870. — **(L' Unita Cattolica.** Torino. 1870. p. 747.)

4. *Canonicis et Clero* **Patavino.** Religionis, observantiae et pietatis filialis significationes, quas erga nos et hanc Apost. Sedem, et Oecumenici Concilii a nobis indicti et inchoati conventum vestris literis die 21 proximi Decembris superiore anno datis exhibuistis, magnam nobis consolationem attulerunt. Nihil enim libentius videmus, quam eam fidelis animi pietatem, qua Catholicae Ecclesiae filii ob singularia beneficia Ecclesiae Sanctae concessa sese Divinae Maiestati gratos profitentur, atque eo catholicae mentis obsequio, quo sese *Ecclesiae ipsius divinae auctoritati et Magisterio adhaerere ac obedire* paratos esse testantur. Itaque egregiis vestrae religionis et pietatis sensibus, dil. filii, magnopere in Domino delectati sumus, eo vel magis, quod in iis certum pignus habemus illius zeli ac studii, quo in sacro munere obeundo et animarum salute quaerenda sacerdotes Domini decet incendi. Dum autem de-

bitam pietati vestrae laudem tribuimus, dil. filii, Deum O. M. humiliter enixeque rogamus, ut uberrimis suae gratiae donis vos semper prosequatur, atque omni vera felicitate replere velit. Coelestium denique omnium munerum auspicem et paternae nostrae erga vos benevolentiae testem apost. bened. etc. Datum Romae die 13 Ianuar. 1870. — **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 74.)

5. *Vicario Capitulari et Clero* **Caesenatensi.** Vestras obsequentissimas excepimus literas ad nos datas laetissimo die, quo *Sacri Oecumenici Concilii Vaticani* a nobis indicti Deo propitio initium celebravimus, quae magnam animo nostro consolationem attulerunt. Ex iis enim agnovimus, occasione sacri Iubilaei a nobis concessi eiusdem *Oec. Concilii causa sacras conciones indictas atque habitas in isto cathedrali templo fuisse* ad fidelium pietatem excitandam, atque ex iis fervida sacerdotalis ministerii opera et divina gratia auxiliante salutares fructus in istum populum redundasse. Filialem autem vestram pietatem ac animorum vestrorum religionem, necnon praecipuam erga nos et hanc Ap. Sedem observantiam et amorem nobis luculenter declararunt tum vota, quae ex intimo corde depromitis ad uberes a divina clementia fructus Oecumenico Concilio conciliandos; tum *catholici ac fidelis animi obsequium, quo debitam eiusdem Concilii decretis ac iussis reverentiam atque obedientiam profitemini;**) tum demum piae oblationes, quas sublevandis nostris et huius Ap. Sedis angustiis filiali affectu nobis mittendas curastis. Egregiae pie-

*) In epistola italica ad Summum Pontificem sic se exprimunt Caesenatenses: „Protestiamo da ultimo la piu umile sommessione, e per esse intendiamo di accogliere fin d'ora volontarosi e docili le decisioni del S. Concilio, quali che saranno per essera, munite della sanzione e confermazione della Santita Vostra, *in cui veneriamo il Maesto universale dei figlinoli della Redenzione, ed il fondamento massimo del grande edifizio da Cristo fondato;* e facendo nostro il detto di Paolo: „Scio, cui credidi", dichiariamo di porgerci a tutto cio che verra sancito e determinato fideli ed obbedienti per modo da esser pronti a suggellare *la dolce cattivita nostra in ossequio al Magistero della Chiesa e del Visibile suo Capo* anche coll' effusione del sangve e colla iattura della vita stessa."

tatis vestrae significationes, dil. filii, nobis gratissimae extiterunt ac paterna caritate adducti pro filialibus vestris officiis gratae nostrae voluntatis sensus vobis testamur, meritasque in Domino laudes tribuimus. Dum vero praecipuas divinae bonitati gratias habemus ob salutares fructus, quos sacerdotalibus vestris laboribus largita est: eandem enixe humiliterque adprecamur, ut vobis semper propitia adsit, ac vos ad vestram et proximorum salutem uberibus suae gratiae donis ac omni vera prosperitate prosequatur. Coelestium denique omnium munerum auspicem et paternae nostrae caritatis testem apost. bened. etc. Datum Romae die 13 Ianuar. 1870. — **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 274.)

6. *Parochis* **Pisarum.** Magnam consolationem suscepimus ex vestris literis die 28 proximi mensis Decembris anno superiore datis, agnoscentes, studium nostrum sublevandi istos dilectos cives, quos praeceps exundatio istius amnis afflixerat, illam levaminis partem eorum damnis attulisse, quam pro nostrarum facultatum modo consequi vehementer optabamus. Haec autem consolatio eo maior etiam cordi nostro extitit, quod eximii vestrorum animorum sensus nomine etiam istius Civitatis vestris in literis expressi luculenter nobis declararunt, quam grata vobis et istis civibus fuerint paternae nostrae caritatis officia, et quo filiali affectu vos omnes nostrae humilitatis personam prosequamini. Praeclarum porro duximus atque gratissimum habuimus illud pietatis vestrae testimonium, quo *publica supplicatione indicta fidelem populum excitastis ad divinam clementiam nobis et Ecclesiae sanctae implorandam, ut ex Oecumenico Concilio a nobis indicto et iam inchoato ii salutares fructus habeantur, quos nostra et omnium piorum vota maxime postulant.* Nos equidem, dil. filii, vestrum religiosum studium debitis in Domino laudibus commendamus, ac cum divinae bonitati gratias agimus, quod istam urbem clementer respexit, ab ipsa etiam suppliciter exposcimus, ut vobis sua potenti virtute semper adsit, omniaque in posterum mala propitia miseratione abhinc avertat, efficiatque, ut uberibus in dies iustitiae fructibus fidelis populus augeatur. Coelestium autem omnium munerum auspicem et paternae nostrae

benevolentiae testem apost. bened. etc. Datum Romae die 23 Ianuarii 1870. — **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 161.

7. *Eppo* **Andriensi.** Omina, ven. frater, quae tu, clerusque et populus tuus paucis conclusistis, eiusmodi sunt omnino, ut, si Deus ipsis annuat, nihil nobis desiderandum relinquant. *Non aliud* enim *per labores omnes nostros et nominatim per Oecumenici Concilii convocationem spectavimus, nisi ut corrigeremus perversa praesentis aetatis principia; erroresque profligaremus, atque ita malorum causa submota nativum veritati imperium, religioni honorem, Ecclesiae libertatem, auctoritati obsequium, sanctitati iurium reverentiam, moribus emendationem, orbi compararemus tranquillitatem.* Itaque votis adeo convenientibus desiderio nostro plane delectati sumus: stipem vero iis ad hoc additam, ut quod optabamus, perficere possemus, pretiosissimum duximus pignus affectus, a quo illa manarunt. Excipe igitur, ven. frater, una cum clero et populo tuo grati animi nostri sensus, quibus acti fausta omnia tibi et ipsis adprecamur, dum divini favoris auspicem, praecipuaeque nostrae benevolentiae testem apost. bened. etc. Datum Romae die 5 Febr. 1870. — **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 143.)

8. *Clero* **Lucensi.** In nobili illa significatione obsequii vestri erga nos et sacrum Oec. Concilium, ac in iis votis pro fausto eiusdem exitu, quae ab epistola vestra praeferuntur, dil. filii, non modo sensibus fidei et affectus delectati sumus, sed etiam sapientia, qua perniciosissimo huius aetatis ulceri digitum admovistis. Et sane ea licentia, quae a turbulentissimis invecta temporibus, excusso prorsus legitimae cuiusvis auctoritatis iugo, socialia vincula dissolvit et frangit, sic illecebris suis aliquot etiam honestorum mentes pervasit et obumbravit, ut qui extrema eius consectaria execrantur, fontem, unde sponte dimanant, iustae necessariaeque libertatis nomine ac specie honestatum depereant. Qui sane error ad sacra traductus effecit, ut novus veluti spiritus sufficeretur *subdolis* illis *doctrinis, quae alias pietatis obtentu exitiosas Ecclesiae struxerant insidias, eiusque hierarchicum ordinem subvertere nisae fuerant; ita, ut istae, quae si non prorsus extinctae, abiectae saltem esse videbantur, reviviscentes et per famam proprio-*

rum praeconum potioribus auctae viribus plurimorum animos infecerint, illudque excitaverint conspirantium ingeniorum incendium, quod passim hodie e publicis et quotidianis scriptis erumpens eiusmodi praefert audaciae versutiaeque impudentiam, ut infensiorum acatholicorum artes et morem omnino sapiat. At Deus, qui nationes fecit sanabiles, et Ecclesiam suam peculiari providentia tuetur, elationem istam animorum compressurus, quae tot ubique turbas commovit, nostris hisce diebus divinam Oecumenicae Synodi virtutem reservavit, per quam maligna ipsa malorum omnium causa radicitus evelli possit. Ipsum autem opus suum perfecturum esse non ambigimus, potissimum cum spiritum gratiae et precum, praecipuarum coelestium gratiarum prodromum, ab eo in christianum populum liberaliter videamus effusum. Nos interim dum enixe clementiam divinam exoramus, ut votis vestris, quae nostra sunt et totius catholicae familiae, imo proborum omnium, obsecundare velit, auspicem divini favoris et paternae benevolentiae nostrae gratique animi pignus apost. benedictionem etc. Datum Romae die 26 Febr. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1079.)

9. *Mulieribus piis* **Brixiensibus**. Peculiari quodam oblectationis sensu excepimus testimonia fidei et pietatis vestrae, eo, quod antea vehementer dolueramus, prout ipsae estis conquestae, de honoribus in Civitate vestra exhibitis memoriae et nomini viri nequissimi eo consilio, ut Sedi Apostolicae contumelia inferretur. (Arnaldus Brixiensis.) Fuit enim ille vir, S. Bernardo testante, inimicus Crucis Christi, seminator discordiae, fabricator schismatum, turbator pacis, unitatis divisor. Videant ergo quem colant ii, qui animorum coniunctionem et unitatem sese velle ac tueri praedicant. Vos autem prudenter egistis, quae non abiistis in consilio impiorum, sed *ad arcem veritatis* oculos convertistis, ne incideretis in manus Domini, qui inimicos Crucis suae impunes abire non sinit. Ceterum nos non desinemus pro hac civitate vestra, uti petitis, et pro universa Italica gente Deum apprecari, ut memor tandem misericordiae suae, consoletur iustos, peccantes convertat, et Ecclesiae simul ac civili societati, tot iustitiae turbinibus, optatam pacem restituat. Interim laudantes fidem vestram, meritasque pro

collatis officiis gratias agentes, vobis et familiis vestris apostolicam benedictionem, testem praecipuae dilectionis nostrae, peramanter impertimus. Datum Romae die 3 Martii 1870. — **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 395.)

10. *Canonicis* **Avenionensibus.** Vestras obsequentissimas excepimus literas die 22 Februarii proxime elapsi datas, quae nobis luculentum erga nos et hanc S. Sedem venerationis et amoris testimonium praebuerunt. Ex iis enim intelleximus filialis animi vota, quae pro nostra incolumitate ac salutari Oecumenici Concilii a nobis indicti et iam inchoati exitu ad clementissimum Deum effunditis; necnon agnovimus, *quantopere vobis cordi sit, ut irreformabile Romani Pontificis B. Petri successoris iudicium in supremo magisterio obeundo in eodem Concilio decernatur.* Gratissima nobis extiterunt, dil. filii, vestra officia atque eximii vestrorum animorum sensus, quos paterna caritate complectimur, ac libenter pietati vestrae debitas in Domino laudes elargimur. Dum autem non dubitamus, dil. filii, eximia cordis vestri religione confisi, quin assiduis ad Omnipotentem Deum precibus nos et sanctum eiusdem Concilii opus hoc tempore adiuvare studeatis, ab ipso clementissimo Domino nos vicissim enixe exposcimus, ut vos uberrimis divinae suae gratiae donis ad vestram et proximorum salutem cumulare velit, omnique vera prosperitate laetificet. Coelestium vero omnium munerum auspicem et paternae nostrae benevolentiae testem apost. bened. etc. Datum Romae die 7 Martii 1870. — **(La Civilta Cattolica.** Roma. 1870. VII. 10. pag. 226.)

11. *Vicario Apostolico in* **Herzegowina.** Quod in literis tuis te sperare scripsisti, id revera contigit, ut acceptissima haberemus ea obsequii testimonia, quae nomine Cleri et populi catholici Vicariatus tui nobis obtulisti, cum ad oecumenicam Synodum celebrandam Urdem advenisses. Reputavimus enim rerum locorumque difficultates, in quibus fideles illi versantur, atque exinde aestimavimus, quanta vis fuerit fidelis caritatis, quae pias oblationes inter eos collectas expressit. Maius tamen aliquid ab ipsis expectamus, optantes scilicet, eos vires suas conferre, *ut, qui a catholica unitate procul aberrant, ad eam reducantur;* quod sane praestare poterunt

et precibus assiduis coram Deo effusis, et vitae sanctimonia bonisque operibus, quibus mira vis inest, ut qui a religione nostra alieni sunt, ad eam adamandam et amplectendam alliciantur. Interim cura, ut sensus paternae benevolentiae nostrae et haec desideria, quae significavimus, praedictis dil. filiis innotescant, et divini favoris auspicem habeto apost. bened. etc, Datum Romae die 23 Martii 1870. — (**L' Unita Cattolica.** 1870. p. 570.)

12. *Canonicis et aliis sacerdotibus Dioecesis* **Montis-Pessulani.** Gaudemus, dil. filii, vos non modo piissime affectos esse *erga S. hanc Sedem divinasque eius praerogativas*, sed etiam hanc devotionem ea *libertate ac firmitate* profiteri, quae ex intimo cordis sensu officia erga nos vestra procedere testentur. Iucundissimo propterea et pergrato ea excipimus animo; vosque hortamur, *ut quo maiore contentione egregiam istam animi comparationem, ceteroquin fidelibus communem, a zelo non secundum scientiam coerceri et repugnari conspicitis, eo constantius mente repetatis, Petri fidem illam esse Petram, supra quam Dominus aedificavit Ecclesiam suam.* Copiosa vobis adprecamur gratiae coelestis auxilia, eorumque auspicem et paternae nostrae benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 23 Martii 1870. — (**La Civilta Cattolica.** 1870. VII. 10. p. 749.)

13. *Mulieribus piis* **Concordiensibus.** Gaudemus, dilectae in Christo filiae, vos antiquam huius Venetae regionis gloriam non servare tantum sed et illustrare per fidem vestram, per filialem in nos observantiam, et dilectionem, et per venerationem illam, qua *divinam suspicientes Oecumenici Concilii a nobis coacti auctoritatem et virtutem, definitiones eius et decreta anxie demisseque expectatis.* Publica isthaec devotionis vestrae significatio, quam pia quoque stipe cumulare voluistis, acceptissima fuit nobis, non modo quod plurimas christianas puellas et matresfamilias religiosis huiusmodi sensibus penitus imbutas viderimus, sed etiam quia magnum ab egregia ista earum animi comparatione emolumentum singulis familiis ac reliquo populo obventurum sperare possimus. Et sane, si gratiam, qua Deus sexum vestrum ornavit, in eius gloriam et animarum utilitatem adhibeatis, si praeluceatis om-

nibus exemplo pietatis vestrae, si necessarios vestros et ceteros, quibuscum versamini, ad idem *obsequium erga Ecclesiam et hanc Petri Cathedram* inclinare contendatis: non levem profecto conferetis operam ei fructui comparando, quem S. Synodi convocatio spectavit, quemque congregati Patres curis laboribusque suis maturare nituntur. Et quoniam studia haec vestra nequibunt digna carere mercede, hanc vobis copiosissimam deprecamur, eiusque auspicem et grati animi nostri paternaeque benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 2 Apr. 1870. — (**L' Unita Cattolica.** 1870. p. 459.)

14. *Superiori Generali* **Lazaristarum.** Eo nitidius veritatis confessio splendescere consvevit, quo latius invaluit contrarius error, et quo potentiores in eam concitavit adversarios. Quocirca *dum cavillationes alias excogitatae adversus divinas huius Ap. Sedis praerogativas excitantur rursum, novaque refictae forma propagantur in vulgus ad animos ab eius observantia avertendos:* aperta devotionis tuae, tuaeque Congregationis isti Petri Cathedrae professio, illudque obsequium, quo familiam tuam a suis exordiis ad haec tempora iudicio eiusdem ac placitis ultro demisseque adhaesisse gloriaris, sicuti peculiari quadam luce refulgent, sic nobis multo iucundiora contingunt, et acceptiora. Quamquam enim dubitare nequiremus, quin filii sanctissimi, Romanisque Pontificibus addictissimi Parentis, Christi Vicarium eadem ac ipse veneratione prosequerentur, et eadem indignatione reiicerent opinionem quamlibet auctoritati eius infensam: hisce tamen in adiunctis aperta isthaec propriae fidei significatio mirifice nobis exornare visa est antiquam constantemque animi comparationem. Itaque libenter gratoque animo ipsam excepimus, eaque delectatum omnino esse censemus sanctissimum Institutorem vestrum, qui nequivit in hac tessera non agnoscere filios suos, iisque propterea et eorum operibus omnia coelestis gratiae munera non precari. Nos certe haec tibi, dil. fili, totique Congregationi tuae ominamur copiosissima, eorumque auspicem et paternae benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 7 Apr. 1870. — (**La Civilta Cattolica.** 1870. VII. 10. p. 750.)

15. *Vicario antea Generali* **Agrinensi,** *nunc Parocho et Archipresbytero* **Neraci.** Si quotquot infensi sunt *divinis*

Apost. huius Sedis praerogativis, eas passim insectari et convellere per publica scripta non verentur, nulla plane ratio suppetebat, cur tibi et iis e Clero istius Aginnensis dioecesis, qui tecum sentiunt, minus liberum esse deberet devotionem illi vestram testari. Officia idcirco, quibus dum demissum et alacre spopondistis obsequium quibusvis definitionibus et mandatis a S. Vaticana Synodo edendis, simul *aperte professi estis, vos de Petri successore eiusque praerogativis eadem omnino credere, quae communis Catholicorum sententia, Sacrarum freta Literarum oraculis, de iisdem tenuit et praedicavit*, acceptissima nobis fuerunt. Cum ergo iure vestro usi sitis, nequimus non commendare observantiae vestrae significationem, vosque non hortari, ut in eadem semper veneratione perseveretis ac studio erga hanc *veritatis cathedram, cui qui firmiter adhaereat, a nullo perversae doctrinae vento circumferri poterit.* Copiosa ad hoc tibi, dil. fili, et iis, qui tecum filialem pietatem suam nobis testari voluerunt, adprecamur divinae gratiae subsidia, singulisque bened. apost. etc. Datum Romae die 21 Apr. 1870. — (**L' Univers**. 1870. nr. 1096.)

16. *Parochis* Hulot, St. Maitre, et Mathieu, *in D.* **Aurelianensi.** In vestris observantissimis literis ad nos diei 9 huius mensis libenti animo agnovimus fidem, pietatem ac devotionem, qua erga nos et *hanc Apostolicam Cathedram, omnium Ecclesiarum matrem et magistram*, vos esse animatos profitemini. Vehementer gavisi sumus hisce vestris sensibus, Catholicae Ecclesiae filiis omnino dignis, quos ex intimo corde profectos esse non dubitamus; et quo magis fidelium interest hoc tempore, ut *supremae veritatis Cathedrae quam coniunctissime adhaereant*, eo magis laetamur, vos animo comparatos esse, qui nobis spem certam affert vos etiam non segnes futuros, ut salutares eiusmodi sensus in aliorum quoque animis tueri et promovere contendatis. Ne omittatis autem fervidis precibus summum misericordiarum Patrem obsecrare, ut tam necessario tempore adsit nobis, adsit Ecclesiae suae, ac propitius tribuat, ut fidelium corda omni perturbatione remota in omni semper iustitia, veritate et caritate consentiant. Dum autem a divina clementia humiliter exposcimus, ut super vos

bonitatis suae divitias dignanter effundat, coelestium munerum auspicem et paternae nostrae erga vos benevolentiae testem apost. bened. etc. Datum Romae die 23 April. 1870. — **(La Civilta Cattolica.** 1870. VII. 10. p. 749.)

17. *Archipresbytero et Clero* **Modanae** (in Sabaudia.) Libentissime videmus, dil. filii, *vos christiana pensare prudentia vim et efficaciam auctoritatis, ac in ea constituere religiosae iuxta et humanae societatis fundamentum: hoc autem rectae rationis subsidio uti ad fovendam in vobis vividam illam fidem, qua divinas huius S. Sedis praerogativas et veneramini et aperte profitemini, et luce splendidiore perfundi desideratis.* Iucundo itaque et grato excipimus animo officia vestra; eo vel magis, quod egregium istud et publicum pietatis vestrae et observantiae testimonium erga hanc Petri cathedram fructu suo apud fratres vestros et populum destitutum iri non censeamus. Hunc itaque studiis vestris uberem ominamur ex animo, ac interim divini favoris auspicem et paternae nostrae benevolentiae pignus bened. apost. etc. Datum Romae die 28 April. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1106.)

18. *Praesidi et sodalibus societatis catholicae* **Patavinae.** Gaudemus bonarum semina institutionum, quas horum temporum conditio desiderat, in patria vestra ita radices egisse, ut Societas Catholica, quemadmodum vestris ex literis die 22 elapsi Februarii datis didicimus, isthic fundata sit et opportunis legibus constituta. Id certe perspicue ostendit, vitam illam, quae a religione dimanat, quaeque tantam vim habet, ut civitates et populos florentes ac felices faciat, apud vos vigere; ac non dubitamus eam Deo adiuvante magna in dies incrementa capere posse, ubi opportunis praesidiis adiumentisque fulciatur. Hinc nobis gratissimum est videre, quod in hunc finem studia vestra curasque dirigere constituistis. Nobisque etiam spem facit salutarium, quos exoptamus, fructuum observantia illa, pietas ac devotio, quam erga nos et *hanc Apost. Cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum,* uno animo ac filiali affectu profitemini; ac summum bonorum omnium auctorem Deum humiliter adprecamur, ut incoepta vestra sua gratia prosequatur, et optatis uberibusque utilitatibus in gloriam suam, animarumque salutem religiosa studia vestra

foecundet. Coelestium autem omnium munerum auspicem, et paternae nostrae erga vos benevolentiae testem accipite apost. bened. etc. Datum Romae die 30 April. 1870. — **(L' Unita Cattolica.** 1870. p. 570.)

19. *Canonicis* **Reginensibus in Calabria.** Qui exploratam habemus huius archidioecesis fidem, minime dubitamus quin vos, dil. filii, ita mente iungeremini venerabili Antistiti vestro, ut eius huic S. Sedi devotio sensus vestros graphice referret. At quoniam audire saepius et accipere iuvat, quae svavia sunt et optata, laeti excepimus officia vestra, maxime cum crebra iis adscripta nomina Canonicorum, curionum, presbyterorum, alumnorum Seminarii testentur, unum cor esse et animam unam universo isti Clero, omnesque pari filiali observantia et amore nos prosequi, pari veneratione suspicere Oecumenicum Concilium a nobis coactum, pari desiderio et obsequio expectare eius oracula, et pari erigi fiducia emolumenti inde pariendi. Quae sane concors animorum comparatio eo in ordine, cui fidelium cura et institutio committitur, cum nequeat communis non esse populo, laetam omnino spem facit, terramque praeferre videtur plane bonam, quae centuplum seminis a S. Synodo faciendi fructum promittat. Quamobrem observantiae studiique significationibus vestris grati, Deum rogamus, ut vos confirmet in proposito vestro, et ab omnibus subductos insidiis copiosis cumulet muneribus suis. Eorum vero auspicem et paternae nostrae benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 9 Maii 1870. — **L' Unita Cattolica.** 1870. p. 574.)

20. *Canonicis* **Briocensibus.** *Consensu vestro in retinenda antiqua Galliarum fide quoad divinas Petri eiusque successorum praerogativas, votoque communi lucidioris et firmioris earumdem declarationis* ita delectati sumus, ut facere nequeamus, quin commendemus religionem vestram eamque prudentiam vere christianam, qua illustrati *in firmitate fundamenti soliditatem agnoscitis aedificii, et in virtute ac decore Capitis robur et honorem Corporis.* Paterno itaque affectu excepimus officia vestra, quae praestantiora quoque facta esse censuimns a temporum adiunctis; vicemque relaturi filiali caritati vestrae copiosa gratiae coelestis auxilia et omnia

fausta vobis apprecati sumus. Auspicem vero divini favoris paternaeque nostrae benovolentiae et grati animi pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 2 Iunii 1870. — (**L' Echo de Rome.** *Iournal du Concile.* Paris. 1870. II. 142.)

21. **Neapolitanis.** Crebra, quae nobis exhibuistis, Neapolitanorum nomina Albo inscripta, et munus ex communi collatione ei additum cum luculentam praeferrent *antiquae fidei, quae per difficilia haec tempora viget apud vos, et constantis obsequii absolutaeque devotionis erga hanc Petri Sedem,* animum nostrum quotidie contristatum a pertinaci impietatis ausu, sensus hosce obliterare nitentis, non mediocriter recrearunt. Quamobrem sicuti vobis, qui ad nos accessistis, oblaturi monumentum istud observantiae caritatisque communis, gratum animum nostrum enunciavimus; sic omnibus, qui dato nomine collataque stipe filialem pietatem suam nobis testatam fecerunt, exploratum esse cupimus, quam accepta nobis sint huiusmodi officia, *quae populorum obsequium et studium in communem fidelium parentem referentia catholicae unitatis amplitudinem et vigorem mirifice ostendunt.* Universis itaque, qui in nobis ei, cuius vices gerimus in terris, honorem et obsequium deferre voluerunt, copiosam fidei caritatisque suae mercedem adprecamur, et divini favoris auspicem paternaeque nostrae benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 9 Iunii 1870. — (**L' Unita Cattolica.** 1870. p. 574.)

22. *Vicariis, Canonicis, Clero et populo* **Massiliensi.** Ea trepidis in adiunctis ditionis nostrae exceperamus amoris et devotionis pignora a *religiosissima hac urbe et dioecesi,* ut minime dubitaremus, quin ipsa, *dum nonnulli diversis distrahuntur opinionibus, sententiam foveret divinis huius S. Sedis praerogativis obsequentiorem.* At certe nequivimus alacritatem non mirari, qua Clerus omnis, plerique e Proceribus, et magna populi pars turmatim nomina sua Albo, nobis per dil. filium egregium Baronem de Roux exhibito, adscribere voluerunt, ut aperte testarentur, qua nos prosequerentur filiali dilectione et observantia, et *quanta fide tenerent ac venerarentur in nobis omnia et singula privilegia Petro largita a Christo Domino in utilitatem Ecclesiae.* Celeritas ipsa, qua tanti moliminis res perfecta fuit, sicuti luculenter ostendit,

quam alte insiderent animis proditi sensus, sic praestantiorem fecit nobisque iucundiorem nobilissimam hanc significationem. In qua sane studium animadvertimus ea urbe dignum, quae ab ipso christianarum rerum exordio perfusa fuit Evangelii lumine, quaeque suis moenibus excepisse fertur „Amicum“ Christi, miramque et plane coelestem vitam diu suspexisse illius, quae „dilexit multum“, et in eius sodalibus iam tum habuisse specimen quoddam coenobiticae vitae. Quae sane avitae fidei et caritatis commendatio eo splendidior fulget in vobis, quod nec convelli, nec restingvi, nec infirmari potuerit vel a saevissimis diuturnisque praeteriti seculi perturbationibus, vel a crebris commotionibus aevi huius nostri, vel a periculosa convenarum totius orbis consvetudine, invecta a florentissimo commercio, vel demum a perennibus et callidis Ecclesiae osorum machinationibus. Quamobrem dum laeti excipimus luculentum istud religiosi affectus vestri testimonium, gratulamur vobis, quod gloriam ita custodiatis ac exornetis *patriae vestrae, quae primogenita Ecclesiae filia appellari meruit*, ac nemini secundos vos esse contendatis in observantia et amore erga hanc Petri Cathedram, quam nobiliores ex Imperatoribus et Regibus vestris omni prosequi officio, omnique ope iuvare honori sibi duxerunt. Deus vobis semper propitius adsit, avertat a patria vestra errorum omnium insidias et detrimenta, confirmet fidem vestram, et caritatem augeat, vosque suis omnibus muneribus affatim accumulet. Nos grati animi sensu perciti haec vobis adprecamur, dum superni favoris auspicem nostraeque paternae benevolentiae testem apost. bened. etc. Datum Romae die 27 Iunii 1870. — (**La Civilta Cattolica.** 1870. VII. 11. p. 229.)

23. *Episcopo* **Tarvisino.** Obsequentissimae in nos dilectionis significationes ac fausta vota, munusque et carmina Capituli Cathedralis Ecclesiae tuae, parochorum, aliorum sacerdotum et fidelium adeo splendide referunt unitatem mentium et affectuum, *plenissimamque omnium huic Petri Cathedrae devotionem ac incensum desiderium honoris eius et apertioris divinarum ipsius praerogativarum declarationis*, ut inter *addictissimas nobis dioeceses* nemini secundam censeri tuam debeamus. Cuius sane unanimitatis pretium inde

etiam augetur, quod omnibus persvasum esse videamus, eosdem prorsus erga nos esse Pastoris sui sensus, istosque nobis ita exploratos ducere, ut filialis pietatis testimonia per ipsum exhibita iucundiora quoque nobis fieri posse arbitrentur. Nec immerito sane in hac versantur sententia: cum publicae conciones tuae, *firmitas in tuendis Ecclesiae legibus, et huiusce S. Sedis iuribus propugnandis*, polemica scripta a te typis commissa, opera Concilii rebus naviter impensa, recensque demum lucubratio tua *adversus assertam unanimis suffragii necessitatem in synodalibus definitionibus*, per iugem factorum seriem quolibet argumento eloquentiorem eos docuerint, aptiorem apud nos et acceptiorem nancisci se vix posse mentis affectuumque suorum sequestrem et interpretem. Significato itaque ipsis, gratissima nobis fuisse eorum officia, potissimum per te nobis exhibita, et e studio propensissimarum voluntatum nos esse metitos muneris oblati pretium. Quoniam vero copiosam caritatis suae mercedem universis apprecamur, huius auspicem ac simul praecipuae benevolentiae nostrae gratique animi testem nuncia clero populoque tuo bened. apost. etc. Datum Romae die 11 Iulii 1870. — (**L' Unita Cattolica.** 1870. p. 807.)

24. *Parochis Dioec.* **Aretinae.** Nihil nobis iucundius, nihil praesentibus adiunctis opportunius, nihil efficacius ad felicem rerum exitum comparandum pia illa consociatione, quam inter vos ceterumque clerum et fideles curae vestrae creditos iniistis, ad implorandam ab Omnipotenti per crebram divinae Hostiae oblationem, quotidianumque populi ad sacram mensam accessum, lucem atque opem nobis et ven. fratribus nobiscum congregatis necessariam; ut, quae in religionis nostrae sanctissimae incrementum, Ecclesiae decorem ac utilitatem, et in animarum salutem definienda sint aut decernenda, perspicere ac perficere valeamus. Adeo enim errorum tenebrae orbem late occuparunt, adeo monstruosae doctrinae perverterunt mentes, omniaque suffoderunt divini et humani iuris fundamenta, adeo commoverunt ubique familiam humanam, ut divina tantum virtus huiusmodi mala profligare, veritatis lucem reducere, sacra in pristinum honorem revocare, iustitiae leges restituere, ordinem ubique turbatum instaurare iam possit. Iamvero cum multum valeat deprecatio iusti assidua, et oratio humiliantes

se nubes penetret, nec discedat, donec Altissimus aspiciat: validissimo isto subsidio a vobis oblato magnopere delectamur, et ab ipso mirifice exornari censemus atque augeri pretium stipis, quam ei rursus adiicere voluistis. Pergratum itaque vobis profitemur animum, Deumque rogamus, ut uberius in vos semper effundat spiritum gratiae et precum, votisque vestris obsecundans conspectum vobis optatissimi illius concedat eventus, quem tam impense maturare conamini. Interim vero superni favoris auspicem nostraeque paternae benevolentiae pignus excipite bened. apost. etc. Datum Romae die 11 Iul. 1870. — (**Voti del Clero Italiano** *per la definizione dommatica dell' Infallibilita Pontificia.* Torino. 1870. Vol. 3. p. 236.)

25. *Eppo* **Caputaquensi et Vallensi.** Tuis literis die 30 elapsi Iunii datis nobis obsequium exhibes tuae dioecesis Cleri, qui te interprete uti voluit, ut suam erga nos et hanc Ap. Sedem observantiam et amorem testaretur. Ex ipsis autem perlibenter agnovimus egregiam ipsius Cleri voluntatem, qui ad ea reverenter excipienda, quae ab Oec. Vaticano Concilio decreta ac definita fuerint, sese promtum, paratum, atque obsequentem profitetur; quae eiusdem pietas eo gratior nobis accidit, quod ab ea fide et religionis zelo dimanat, quae nullis impiorum fallaciis et artibus imminuta viget in eiusdem cleri ordine ac illibata perseverat. Hinc est, ven. frater, quod nos gaudemus, singulares ac paternos caritatis nostrae sensus erga hanc praecipuam tui gregis partem declarare; gratoque insuper complectimur animo piarum officia largitionum, quas idem Clerus una cum aliis tuae dioecesis fidelibus in obsequium huius Ap. Sedis suae fidei testificationibus adiecit. Tuum itaque erit, ven. frater, nostrae dilectionis et benevolentiae partes apud eundem sacrum tuae dioecesis ordinem obire, eumque monere, nihil nobis magis cordi esse, quam ut sacerdotalis dignitatem muneris praeclaris zeli operibus curandaque animarum salute alacriter tueri contendat. In hunc finem ipsi divinae gratiae auxilia ab Omnipotenti Deo suppliciter imploramus, ac huius praesidii solidaeque felicitatis auspicem apost. bened. etc. Datum Romae die 13 Iul. 1870. — (**Unita Cattolica.** 1870. p. 922.)

ACTA AD CONCILIAREM PERTRACTATIONEM PRIMATUS ET INFALLIBILIS MAGISTERII R. P. SPECTANTIA.

1700.

Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi, quatenus de Romano Pontifice agit. 1869.

Cap. XI. *De Romani Pontificis Primatu*[1]). Pastor aeternus[2]) et Eppus animarum nostrarum, qui priusquam clarificaretur, rogavit Patrem, ut credentes in ipsum omnes unum essent, sicut Pater et Filius unum sunt, (Ioan. 17, 1. 21. ss.) ad catholicae fidei et communionis unitatem in sua Ecclesia iugiter conservandam *in beato Petro Apostolo instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum*, dum iuxta Evangelii testimonia[3]) Petro Apostolo *primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe promisit atque contulit.* Ad unum namque Petrum Christus Filius Dei vivi dixit: „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi, non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“ (Matth. 16, 18. 19.) Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem Summi Pastoris et rectoris iurisdi-

ctionem in totum ipsius ovile dicens: „Pasce agnos meos, pasce oves meas.“ (Ioan. 21, 16. 17.) Unde *condemnamus atque reiicimus* huic tam manifestae SS. Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia Catholica semper intellecta est[4]), contrarias *eorum sententias, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes[5]), negant, solum Petrum prae omnibus Apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate directeque[6]) ipsi B. Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut suo ministro delatum fuisse.*

Quod autem[7]) in B. Apostolo Petro Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium[8]) Dominus Christus Iesus (1 Pet. 5, 4. — Hebr. 13, 20.) in *perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae* instituit, id eodem auctore *in Ecclesia*, quae fundata super petram[9]) ad finem seculorum usque firmiter stabit, *iugiter durare necesse est.* Manet ergo dispositio veritatis[10]), et *B. Petrus suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.* (Leo M. serm. 3. al. 2. n. 3.) Semper enim in suis successoribus, *Eppis S. Romanae Sedis*, ab ipso[11]) primum fundatae, eiusque consecratae sangvine, vivit et praesidet et iudicium exercet, ita, ut quicunque in hac cathedra Petro succedit, is iuxta Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtineat. Hinc[12]) innovantes atque in omnibus sequentes[13]) tum praedecessorum nostrorum Rom. Pontificum decreta, tum praecedentium Conciliorum generalium disertas perspicuasque definitiones, docemus et declaramus: *credendum ab omnibus Christifidelibus esse, hanc S. Apost. Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum*, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, doctorem et iudicem supremum existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse; et *hanc, quae propria est iurisdictionis potestas[14]), ordinariam esse et immediatam*, erga quam particularium ecclesiarum Pastores atque fideles tam seorsum singuli quam simul omnes officio

hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, (Expr. ad formulas fidei C. Lugd. 2. — C. Florentini, et Pii VI Breve „Super soliditate".) ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex[15]) sub uno summo Pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. Quare[16]) *damnamus atque reprobamus eorum sententias, qui a fide discedentes et attendentes spiritibus erroris,* (1 Tim. 4, 1.) *negant primatus potestatem a Christo Domino fuisse in B. Petro ita institutam*[17]), *ut eundem oporteat perpetuos in collata sibi primatus potestate successores habere; aut affirmant, Romanorum Pontificum iurisdictionem ordinariam et immediatam*[18]) *non esse tam in omnes simul quam in singulas seorsum particularium pastorum ecclesias; aut etiam contendunt, licere ab iudiciis Rom. Pontificum ad futurum generale Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.*

Ex hac autem suprema, ordinaria et immediata tum in Ecclesiam uniuersalem, tum in omnes et singulos particularium Ecclesiarum pastores et fideles potestate iurisdictionis consequitur, Romano Pontifici[19]) necessarium ius esse, in huius sui muneris exercitio[20]) *libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae,* ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare *damnamus ac reprobamus perniciosas illorum sententias, qui hanc Supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem impediendam dicunt, aut eandem reddunt seculari potestati obnoxiam, ita, ut contendant, quae ab Apost. Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis secularis placito confirmentur.*

Adnotationes ad Cap. XI. 1) Animadverti debet, hoc de R. P. primatu decretum ab initio efformasse singularis Constitutionis schema per se; deinceps autem iudicatum fuisse opportunius, coniungere illud cum Schemate Constitutionis de Ecclesia Christi cum ob alias rationes, tum ne doctrina de hac ipsa visibili Christi Ecclesia videretur manca, vel mysti-

cum Christi corpus sisteretur neque integrum neque plenum ac in sua constitutione absolutum.

2) Exhibetur in hoc ad doctrinam de primatu veluti *Prooemio* 1. summa rei, de qua decernendum, quaeque est ipsius apostolici primatus institutio facta in B. Petro; idem vero Prooemium 2. integrum fere constat SS. Literarum incisis ac phrasibus, quibus indicatur atque describitur tum illius auctor seu institutor, D. N. I. C. et quidem pro eo munere, quod institutum Christus voluit in ipso Petro veluti sui Vicario; tum institutionis ratio ac causa finalis, tum eius perpetuitas, propria vis ac natura.

3) Proponitur doctrina circa *primatus institutionem* in oppositione ad triplicem errorum speciem: 1 *Novatorum maxime Protestantium, qui*, ut exploratum est, *negant simpliciter divinam primatus iurisdictionis institutionem.* Quo etiam spectat auctor operis inscripti „Traité de l' autorité du Pape, a la Haye 1720.“ statuens, Romani Eppi primatum nonnisi iuris ecclesiastici esse. 2. *Schismaticorum, negantium soli Petro primatum in universalem Ecclesiam tributum fuisse;* affirmantium contra, eum Apostolorum collegio esse collatum; ita *Macarius* Vinnicensis th. dogm. orth. t. 2. docet I. Caput Ecclesiae esse D. N. I. C.; II. ab eodem Domino omnibus una Apostolis potestatem in universalem Ecclesiam fuisse collatam, adeoque Apostolos et eorum successores Eppos potestatem habere perfecte aequalem; III. totius Ecclesiae centrum esse Concilium oecumenicum, quemadmodum provinciae eccl. centrum esse Synodum provincialem. 3. *Richerianorum, qui negant eundem primatum immediate et directe fuisse uni Petro collatum;* contendunt vero, immediate et essentialiter illum ipsi Ecclesiae datum fuisse. (Richer. de eccl. et pol. pot.) De hac propositione ipse Richerius in sua quam cecinit palinodia asserit, adversari eam doctrinae Ecclesiae Catholicae a SS. Patribus fideliter expositae! Docent enim, Christum claves iurisdictionis eccl. primo immediate et essentialiter, non per accidens, Petro dedisse, deinde per Petrum Ecclesiae Praelatis contulisse. Quod duplici probat (Richerius) testimonio: Optati et Thomae.

4) Hoc inciso 1. significatur catholicam de primatu do-

ctrinam inniti constanti traditioni exegeticae; 2. inculcatur ipsa principalis Scripturarum interpretationis norma; et 3. excluduntur praeposterae interpretationes adversariorum, quibus hi verba Christi Domini primatum instituentis detorquent.

5) Regiminis forma pendet a subiecto supremae in societate potestatis; illam ergo pervertit, qui hanc vel ex integro vel ex parte subiecto denegat, cui eadem per supremum societatis auctorem competit. Porro pervertitur illa ab iis, de quibus partim dictum est superius, partim dicetur adnot. ss.

6) Haec sunt contra *Richerianos*, qui Petro eiusque successoribus *potestatem* duntaxat *ministerialem* adscribunt, itemque dicunt, institutum divinitus primatum fuisse Petro neque immediate tributum, neque ad eum directum, sed ad Ecclesiam uti ad proprium subiectum, cuius nomine Petrus illum accepit. Sed de hac propositione pariter ac superiori in retractatione sua Richerius observavit, eam non posse subsistere. Richerii errores a *Launoio*, *Du Pin*, aliisque innovati sunt. Itaque in Capitis Schemate credendum decernitur, immediate et directe primatum uni Petro collatum fuisse. Quo spectant ex propositionibus Synodi Pistoriensis a Pio VI damnatis a. 1794, 2 et 3.

7) Exponitur alterum doctrinae caput *de perpetuitate primatus*.

8) Per has descriptiones e ss. Literis desumtas indicatur rursum, quod ab initio circa prooemium diximus, scilicet participatione b. Petrum factum fuisse quod a se est Dominus Iesus, ipse auctor fons et exemplar Petri constituti Capitis atque fundamenti Ecclesiae, iuxta illud M. Leonis: „ut qualis ipsi (Petro) cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus“; simul indicatur ratio ac indoles impositi Petro officii, quod est summi pastoris, a quo omnes pascendi quousque in Ecclesia sunt oves et agni, et inde perpetua existit Ecclesiae salus.

9) Fit allusio ad parabolam, per quam ipse Dominus declaravit, firmitatem domus a fundamento pendere; hinc per illam interpretes catholici firmitatem domus, quam Christus ipse supra petram aedificavit, semper enarrarunt.

10) Dispositio veritatis secundum Leonem M. est consti-

tutio, vel quod in Petro Christus instituit, apud Matth. 16, 16 ss. Eatenus ergo Petrus manet et vivit etc. quatenus in suis successoribus manet constituta in ipso vis ac fortitudo petrae.

11) His continetur *successionis in Petri primatu conditio;* licet enim Petrus sui primatus successores habeat iure divino pendente a voluntate Christi institutoris, qui perpetuae successionis legem tulit: attamen ipsos successores esse Romanos nominatim Eppos, pendet a primatus cum Romano Eppatu coniunctione facta per Petrum; quo facto continetur successionis perpetuae conditio; idemque factum, utpote penitissime cohaerens cum iis, quae de Romanorum Pontificum primatu catholica fide tenemus, factum dogmaticum est, ideoque certum non tantum certitudine simpliciter humana ac historica, sed infallibilitatis.

12) Sequitur expositio doctrinae circa *primatus naturam* contra eos, qui ipsius sacri apostolici primatus rationem ac vim pervertere student.

13) Est haec in Conciliorum decretis formula consveta ad significandum, saltem quoad substantiam, nihil novi proponi. Id autem de primatus doctrina verissimum visum est Commissionis theologicae Consultoribus tum propter alia fidei decreta, tum maxime considerata *Concilii Florentini* formula, quae adeo quum praestet gravitate ac definitionum amplitudine, et Graecorum quoque consensione fuerit recepta, integra innovatur ac immutata retinetur, nisi quod utile visum sit, inciso „omnium christianorum patrem ac doctorem“ hoc addere: „et iudicem supremum“ ex Pii VI Brevi „Super soliditate“ 20 Nov. 1786, in quo nefarius *Eybelii* liber propterea etiam damnatur, quod fanaticam esse vocem dixit, Romanum Pontificem vicarium esse Christi, caput Ecclesiae visibile, iudicem supremum fidelium. Singula, quae porro subduntur, fidei illius veluti totidem explicationes sunt, necessariae tamen propter recentes dominantesque errores. Porro mirum esse non debet, ab allatis Florentini decreti verbis exclusa haec postrema fuisse: „quemadmodum etiam in gestis Oec. Conciliorum et in sacris canonibus continetur“; quoniam ea cum prioribus non iunguntur uti pars vel obiectum definitionis, sed uti definitio-

nis praecedentis motivum, quod vocant, vel ratio confirmationis. Licet enim, ut notum est, *Gallicanorum,* quique *Ianseniana*s et *Regalistarum* opiniones sectentur, plures non defuerunt, qui verba illa ad praestitutum definitionis obiectum trahentes affirmarent, iisdem plenam primatus potestatem limitari, atque sacris Synodorum canonibus obnoxiam declarari: compertum tamen omnibus est, sententiam istam, quae certis rationum momentis tum criticis e latina originali lectione „quemadmodum etiam“ depromtis, cum hermeneuticis, iisque partim grammaticis, partim logicis, partim historicis et partim theologicis refellitur, reprobatam semper fuisse communi iudicio theologorum atque interpretum, per quos verba illa accipienda sunt, non de iuridica praecedentium limitatione sive de definitionis obiecto, sed de historica praecedentium confirmatione sive de definitionis ratione, cuiusmodi recurrit in Gen. Conc. Later. V de auctoritate Rom. Pontificis super Concilia. Porro in Schematis capite ad Florentini Concilii definitionem ut par est appellatur, non vero ad rationem, qua definitio nititur vel confirmatur. Non erat ergo incisum illud afferendum; erat tamen, cur ad Florentinam definitionem nominatim appellaretur; nam praeter alias superius significatas rationes sua auctoritate et exemplo 500 fere Eppi praeibant, quia a. 1867 ex toto orbe terrarum in Urbe collecti ita ad SS. D. N. locuti sunt: Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto unionis definierunt, Romanum Pontificem Christi Vicarium, totius Ecclesiae Caput et omnium christianorum Patrem et Doctorem existere.

14) Adduntur haec tria: 1. *Romani Pontificis potestatem esse veram ac propriam potestatem iurisdictionis*; 2. *eandem esse potestatem cum ordinariam tum immediatam*; 3. *tam in universalem Ecclesiam quam in particulares singulorum Epporum ecclesias.* Adduntur autem propter eorum doctrinas, qui sequentes *Febronium, Tamburinium, Pistorienses,* modo affirmant 1. Romani Pontificis potestatem esse inspectionis tantum et directionis; modo 2. eam esse extraordinariam tantum, non vero ordinariam iurisdictionis potestatem in omnes et singulas ecclesias; et modo 3. eandem potestatem tantum mediatam, nullatenus vero immediatam esse in omnes

particularium pastorum greges ac fideles eppalem iurisdictionis potestatem.

15) Indicatur *finis et effectus apostolici primatus* ex ipsa divina institutione, qua Rom. Pont. primatus situs est in potestate unius supremi et universalis pastoris agnorum et ovium; unde determinatur ex ipsa divina institutione tam forma regiminis quam unitas regni; eadem vero potestas ex ipsa sua institutione officio inhaeret pascendi oves et agnos, quibus unus Christi Domini grex coalescit; unde potestas est ordinaria et immediata in omnia et singula membra, quibus unum Christi regnum constituitur. Quae cum ita sint ex ipsius divini Salvatoris institutione apud Ioan. 21, 16. ss.: praestituta capita doctrinae proponuntur veluti catholica veritas, a qua deviare salva fide et salute nemo potest. Quum autem neque defuerint, neque desint, qui unionem cum Romano Pontifice habendam et fovendam ad solam fidem restringunt, neque aliam communionem cum S. Sede necessariam dicunt, quam quae ab ipsis unio vocatur dogmatica: visum pluribus est necessarium, ut perniciosa eiusmodi sententia speciatim notetur ac proscribatur, ne catholica subvertatur unitas, quae dependet ab obedientia praestanda non tantum supremo Ecclesiae magistro in rebus fidei, sed etiam supremo Ecclesiae rectori in rebus disciplinae. Propterea has suggerunt formulas in Capite Schematis addendas: „aut has (ecclesias) in unitate catholica posse consistere per solam dogmaticam, ut aiunt, unionem cum Rom. Pontifice, quin ab eo in reliquis omnibus dependeant“; et in Canone XVI post alterius membri verba: „aut hanc eius (R. P.) potestatem non esse ordinariam in omnes ecclesias“, hoc tertium membrum addendum consulunt: „aut in earumdem disciplina ordinanda vel reformanda egere assensu Epporum cuiuscunque gradus ac dignitatis existant, anathema sit.“ Eidem tamen voto, quod est consideratione omnino dignum, breviori formula videretur satisfieri, si in proposito Schematis capite, ubi res desiderata quoad substantiam et generatim exprimitur inciso „ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate“, post verba praecedentia: „omnes officio obedientiae obstringuntur“ haec speciatim adderentur: „obedientiae tam in rebus fidei quam disciplinae“, vel

„tam in rebus, quae ad fidem et mores quam quae ad disciplinam ac regimen Ecclesiae pertinent.“ — Ipsae porro additiones in iis continentur sive eorum analysi, quae de Romano Pontifice complectitur *Confessio fidei Michaelis Palaeologi*, ipsi a Clemente IV a. 1267 proposita et ab eo in Concilio Oecum. Lugdunensi II a. 1274 Gregorio X oblata. (Extat in nostro opere: *Romanus Pontifex.* 1867. I. 505.)

16) Uti superius ex usu et more Conciliorum, nominatim Tridentini, post expositam catholicam doctrinam de divina apostolici primatus institutione contrarii principales errores conceptis formulis expositi ac condemnati fuerunt: ita nunc praecipui errores, qui veritati et perpetuitati primatus adversantur, simili modo referuntur atque reiiciuntur.

17) *In B. Petro* etc. Est formula a B. Leone M. praeformata, qua duo significantur: nimirum tum collatio potestatis facta immediate B. Petro, tum potestatem in Petro institutam esse institutionem obiectivi ut aiunt ministerii, quod personae Petri quidem fuit commissum, sed cum Petri persona cessare non debuit. Quo spectat, sive rem sive formulam consideres, propositio 25 M. Lutheri a Leone X in Bulla „Exurge Domine“ 16 Maii 1520 damnata: „Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus.“

18) *Ordinariam aut immediatam* etc. His tam eorum damnatur sententia, qui potestatem primatus immediatam esse negant, quam qui eandem ordinariam esse inficiantur. Prior sententia asseritur in opere, cui titulus: „Causa di S. E. il *Card. Girol. d' Andrea*“; in quo consideratur in Romano Pontifice duplex auctoritas, altera eppalis et altera papalis sive primatialis: spectata auctoritate eppali Pontifex Romanus esse dicitur Eppis reliquis aequalis, adeoque nullam habens in aliorum Epporum dioecesibus potestatem docendi pascendique fideles; spectata vero auctoritate primatiali superiorem potestatem habens super reliquos pastores, et eatenus, adeoque mediate tantum potestatem iurisdictionis in omnes ecclesias habens. Sententiam exposuit *Tamburinius*, sed eam respuit, ut suam illa etiam peiorem assereret: quae eo periculosior apparere debet, quod ex eadem *ius* repetit *appellandi ad Oecum. Con-*

cilium Tamburinius. Hic, cui *Gallicani* plane consentiunt, contendit, fas esse ac licere a iudiciis RR. PP. ad oecumenicum futurum concilium tamquam ad auctoritatem Sede Romana superiorem appellare; huiusque opinionis suae hoc affert fundamentum, quod plenitudo potestatis non sit penes Rom. Pontificem, sed penes Eppos in unum collectos, quodque Rom. Pontifex sit quidem superior Eppis singulis seorsum, sed non omnibus una et simul. Quum igitur fundamentum hoc pro utraque sua parte fuerit superius damnatum, reprobanda iure videbatur sententia circa appellationes ad Concilium, quas cum detestationis nota confixit in Synodo Mantuana 1459 *Pius II* bulla „Execrabilis“, quae innovata a *Sixto IV* et *Iulio II* et recepta quoque in Bullam Coenae art. 2. ita habet: Execrabilis etc. (ut in op. nostro: *Rom. Pontifex.* I. 611.) Ad perniciosam eiusmodi appellationis doctrinam, quae serpere non cessavit, exstingvendam proscribitur in Schemate diserte una cum fundamento, cui innititur, ipsa sententia; quo simul vel multo etiam magis dicenda videtur proscripta appellatio a iudiciis RR. PP. ad sententiam Epporum dispersorum. Ceterum in reprobandis appellationibus praeiverat *Nicolaus I* ep. ad Michaelem Imp. a. 865 scribens: „Jsta igitur privilegia huius S. Ecclesiae a Christo donata, sed iam solummodo celebrata et venerata; — quoniam cum secundum canones ubi est maior auctoritas, iudicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel roborandum, patet profecto Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.“ Hinc *Leo IX* Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum c. 11. epistolae redarguens: „praeiudicium, inquit, faciendo Summae Sedi, de qua nec iudicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis Patribus omnium venerabilium Conciliorum“; et c. 32: „Sicut cardo immobilis permanens ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni ecclesia habent iudicium, cum nemo debeat eorum removere statum, quia Summa Sedes a nemine iudicatur.“ Sed ex his constat tum contra Appellantium sententiam de mente

ac doctrina antiqua universalis Ecclesiae, tum de fundamento, cui appellationis condemnatio innititur. Iamvero una cum appellatione ad futurum Concilium condemnatur quoque appellantium ratio, contendentium, Concilium Generale esse auctoritatem Sede Romana maiorem. Nam doctrina haec opponitur pariter allatis superius RR. PP. iudiciis; opponitur generalium Conc. Lugdunensis II et Florentini definitionibus, quibus Romano Pontifici plenitudo potestatis in universam Ecclesiam asseritur; et opponitur diserte Bullae „Pastor aeternus“ Leonis X in C. Gen. Later. V. editae 14 Cal. Ianuar. 1516, qua damnatur pragmatica Sanctio Gallorum, et haec habentur: „Solum Rom. Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem tam Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex S. Scripturae testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Rom. Pontificum etiam praed. nostr. sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat.“ Quare condemnationis formula iure comprehenditur incisum „tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice maiorem“. Adiectum in alia Schematis forma erat: „vel, quod etiam detestabilius est, ad ipsas seculares potestates appellare“; quod tamen omissum fuit, eo quod eiusmodi appellatio locum habere amplius non videatur.

19) Asseritur Romano Pontifici *ius, cum ecclesiarum Eppis et fidelibus, ubicunque terrarum iidem versentur, libere communicandi, ita, ut mutuum inter caput et membra commercium a seculari potestate impediendum non sit.* Inter mala namque gravissima, quibus Ecclesia affligitur, hoc est, quod impii iure liberae communicationis negato Summum Pastorem a grege separant, potestatem Apost. Sedi divinitus collatam in munere suo exercendo ligant, ecclesiastici regiminis rectum ordinem pervertunt, ipsam doctrinae sanitatem ac morum disciplinae integritatem in discrimen adducunt, atque necessarium contra hostes vigorem labefactant. Porro liberam Romani Pontificis cum Ecclesiae pastoribus ac fidelibus, et horum cum illo communicationem in variis locis impeditam fuisse atque impediri, factum est omnibus notissimum. At vero negatur

ipsum quoque huiusmodi communicationis ius, adeoque catholica circa eandem communicationem doctrina negatur. Id fieri ab haereticis et schismaticis exploratum est, quum hi nullum penitus Romani Primatus ius agnoscant; sed idem negatur etiam a *Febronianis, Regalistis*, eorumque sequacibus, quorum rationes ad ipsum liberae communicationis ius evertendum complectitur *Il Mediatore a. 1862* nr. 28. p. 968. ubi 1. diserte negatur Romani Pontificis ius, cum Epis in variis terrarum locis vel regnis existentibus libere communicandi; tum 2. negatur diserte officium Epporum respondendi iuris illius exercitio, quotiescunque Pastori Supremo cum ipsis communicare placuerit; et e contrario 3. diserte asseitur seculari potestati ius et officium, in Pontificis Romani cun Ecclesiae Eppis communicationem invigilandi, eandemque prat e rationibus Status, ut aiunt, visum fuerit expedire, aut permitendi aut impediendi. Iamvero quod a Scriptore „Mediatoris" *Car. Passaglia)* de illa una communicationis specie dicitur, i ipsum a Febronianis, Regalistis, eorumque sequacibus extenditur ad totum genus omnemve modum, quo Romani Pontifics cum pastoribus et fidelibus totius orbis communicant. Et it ius esse Principum contendunt, videndi ac inspiciendi decrta ac constitutiones, quae a Romanis Pontificibus pro Ecclesiaum regimine animarumque salute edita ad pastores atque fieles mittuntur, adeo, ut decreta vel constitutiones eiusmodi v ac valore destituantur, nisi *beneplacito secularis regiminis* probata ac confirmata fuerint. Ad tale autem Principum ius aserendum non desunt, qui praeter rationes superius a „Mediatore" allatas hanc quoque proferunt, quod Romanus Pontifex i aliorum Principum ditione tamquam in territorio alieno nihil potest. Quae sententia quemadmodum opponitur definitini Florentinae, qua dicitur Romanus Pontifex in universum orbm tenere primatum; ita decreto Congr. S. Officii 1644 approbto ab Innocentio X et mente XI Const. „Accepimus" 11Iun. 1715 declarata uti haeretica fuit his verbis: „Propositio, Summos Pontifices, cum suas constitutiones in ea loca mittunt quae temporali aliorum Principum ditioni subiecta sunt, in trritorio alieno legem ferre, schismatica et haeretica declaratur."

20) Membrorum cum Capite coniuctio est conditio ne-

cessaria, ut hoc in ila possit influere; et communicatio pastoris cum ovibus est conditio necessaria, ut ille has pascere possit. Ad ea porro, sine quibus collata divinitus potestas et imposita divinitus offiia exerceri non possunt, Romanus Pontifex ius divinum habt; et qui illa denegat, huic resistit.

Canones de Prmatu R. P. Can. XIV.*) Si quis dixerit, beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorun omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile Caput; vel eum tantum honoris, non autem verae propriaeque iuridictionis Primatum accepisse, anathema sit.

Canon XV. Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse iure divino Petri in eodem primatu successorem, anathema it.

Canon XVI. Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo ofícium inspectionis vel directionis, non autem plenam et spremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam; at hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatan in omnes ac singulas Ecclesias, anathema sit.

Adnot. ad Canones. Ad Can. XIV. Cum quae Canonibus statuuntur, *de fide* esse omnia debeant: significasse distincte iuverit, quae hoc Canone *contra fidem* esse dicuntur, scilicet *negare* 1. *diinam Primatus in Petro factam institutionem;* et quidem2. *ita, ut Petrus esset omnium Apostolorum princeps;* itmque 3. *totius Ecclesiae militantis*, nimirum quae in terris peregrinatur et nondum in termino est, *visibile caput.* Hae tria, quae ex doctrinae capite de fide sunt, negantur a Prestantibus generatim omnibus, et ab ipsis etiam schismaticis etepiscopalibus; vel si praerogativam aliquam Petro factam concedant, eam vi iurisdictionis vere proprieque dictae exuut, ac in mero honore, quo Petrus esset primus inter pares, ollocant, et ita fidem christianam de in-

*) Primi 13 canoes ad priora Constitutionis capita pertinent, quae de Romano Pontifice no agunt.

stituto iurisdictionis primatu illudunt ac pervertuut. Hinc additur 4. incisum ultimum, quo decernitur *contra fidem esse affirmare, Primatum, quem Christus Petro contulit, honoris tantum fuisse.* Quod ad priorem Canonis partem attinet, habentur inter *Marsilii Patavini* et *Ioannis de Ianduno* errores a. 1327 a *Ioanne XXII* damnatos, velut S. Scripturae contrarios et fidei catholicae inimicos, haereticos, seu haereticales et erroneos, haec art. 2.: „Quod b. Petrus Ap. non plus auctoritatis habuit, quam alii Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput; item: Christus nullum caput dimisit Ecclesiae, nec aliquem Vicarium suum fecit"; et inter articulos Ioannis Huss in C. Constantiensi et a Martino V damnatos art. 7: „Petrus non est, nec fuit Caput Ecclesiae s. catholicae." Quod vero ad alteram canonis partem attinet, occurrunt inter articulos 39, de quibus errorum *Wicleff* et *Huss* suspecti ex mandato *Martini V* interrogandi erant, art. 23: „utrum credat, quod B. Petrus fuerit Vicarius Christi habens potestatem ligandi et solvendi super terram", et propositio damnata ab *Innocentio X* decreto S. Congr. Inquis. 1674. 29 Ian: „Omnimoda aequalitas inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae" veluti haeretica. Eodemque referuntur censurae de propositionibus *M. A. de Dominis* latae a *Facultate Parisiensi:* „Propositio, *sicut Apostoli simul et in solidum aristocratice curam gerebant Ecclesiae cum potestate aequali et universali, ita Eppi omnes simul et in solidum eandem regunt Ecclesiam, singuli cum plena potestate,* est haeretica, et schismatica quoad ultima verba. Tum ista propositio, *in potestate universali succedunt Eppi non modo universi, sed etiam singuli,* haeretica est et schismatica."

Ad Can. XV. Hic Canon statuitur contra novatores haereticos tum contra schismaticos, qui generatim negant 1. ex ipsius Christi Domini institutione Petrum in primatu super universam Ecclesiam debere successores habere perpetuos; et speciatim 2. Romanos Pontifices Petro in illo primatu succedere iure divino. Sed utrumque contra fidem esse, in superioribus manifestissime ostenditur. De utraque parte habentur

praecedentia Ecclesiae iudicia. Huc enim faciunt damnati a Conc. Constantiensi et Martino V Ioannis Huss articuli: 27. „Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur. 28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet. 29. Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum; sic facerent deficiente per summe possibile Papa usque ad diem iudicii. 9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit. 10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est Caput Romanae Ecclesiae particularis. 11. Non oportet credere, quod iste, quicunque est Romanus Pontifex, sit Caput particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit. 12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus; cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas;“ tum damnati ab iisdem articuli Wicleff 37, 40, 41: „37. Ecclesia Romana est synagoga satanae, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum. 40. Electio Papae a Cardinalibus a diabolo est introducta. 41. Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.“ Hinc ex articulis 39, de quibus errorum Wicleff et Huss suspecti interrogandi erant, articulus 24: „Item, utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei“; porro huc spectat damnatus Lutheri art. 26: „Verbum Christi ad Petrum: Quodcunque solveris etc. extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro“; eodem denique pertinent haec ex Brevi Pii VI „Super soliditate“ a. 1786, quo liber Eybelii „Quid est Papa?“ damnatur: „An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi, claves regni coelorum cum ligandi solvendique potestate Petro pollicentis: quas claves com-

municandas ceteris post *Tertullianum* Petrum solum accepisse *Optatus Milevitanus* profiteri non dubitavit? An fanatica dicenda tot, solemnia totiesque repetita Pontificum Conciliorumque decreta, quibus illi damnati sunt, qui negarunt, in B. Petro App. principe successorem eius Romanum Pontificem constitutum a Deo caput Ecclesiae visibile ac Vicarium I. C. ei regendae Ecclesiae plenam potestatem traditam, veramque ab omnibus, qui christiano nomine censentur, obedientiam deberi; atque vim eam esse primatus, quem divino iure obtinet, ut ceteris Eppis non honoris tantum gradu, sed et supremae potestatis amplitudine antecellat?“ Quibus utrumque Canonis incisum clare effertur.

Ad Can. XVI. Canon XVI statuitur contra doctrinas *Febronii*, *Tamburinii*, *M. A. de Dominis*, quique illas usquenum sequuntur ac repetunt, dicentes 1. potestatem primatus absolvi munere sive officio merae inspectionis vel directionis. Atqui haec est aliqua officii pastoralis functio, non autem ipsa pastoralis potestatis plenitudo, quae iuxta fidei doctrinam complectitur potestatem magisterii atque regiminis. 2. Addunt: potestatem propriam RR. PP. non esse plenam neque supremam potestatem pastoralis sive eppalis iurisdictionis in universam Ecclesiam. Qua negatione evertitur ipsa natura Primatus, qui, ut fides docet, in officio summi et universalis Pastoris sive Eppi ovium et agnorum situs est. Tum ex illis alii negant 3. Romani Pontificis potestatem esse ordinariam, quum sit pro casibus tantum extraordinariis, ut aiunt, non ad greges pascendos, sed ad ordinis perturbati tutelam; alii vero ordinariam eam esse concedentes ac inter pastores exercendam, negant illam immediatam esse in singulos greges vel fideles, ad eosdem scilicet docendos ac pascendos, quum Primatus potestas eppalis non sit. Quae rursum uti opposita declaratae fidei doctrinae, ita censura anathematis digna sunt. Quare proscribuntur, qui dicunt potestatem Romani Pontificis non esse ordinariam ac immediatam. Nam Papam mediate tantum praesse dominico gregi, ait *Zallinger* (Inst. I. E. l. 1. tit. 30. §. 508.) nec posse nisi supplere defectum pastorum inferiorum, apertissimus error est, ex damnatis haustus auctoribus, nempe *M. A. de Dominis, Richerio, Febronio, Eybel;* error est

manifeste repugnans verbis et sententiis Christi primatum instituentis in potestate S. Petro concessa; error repugnans traditioni et usui perpetuo; repugnans Concilio Oec. Later. IV. „Nihil in verbis Christi distingvitur, nihil excipitur; Petro imperatum est, inquit Bossuet (Serm. de unit. Eccl.) ut cuncta gubernaret, et pasceret omnes agnos et oves, filios et matres, et ipsos quoque pastores, inquam, si populi respiciantur, oves, si Petro conferantur. Quaero, quid Eppi prius, quid immediatius, quid propius acceperint?“ Et *B. Thomas* Suppl. qu. 8. a. 5. ad 3: „Inconveniens esset, si duo aequaliter super eandem plebem constituantur; si autem inaequaliter, non est inconveniens; et secundum hoc super eandem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis, et Eppus, et Papa.“ Hinc Theologorum sententiam referens *Merbesius:* (Summ. chr. 1. 2. de poenit.) „Ordinaria iurisdictio, ait, residet in iis tantum, quibus animarum cura et regimen ex officio competit; talis est Romani Pontificis in omni Ecclesia iurisdictio.“ Et *Parisiensis Facultas* a. 1540 contra *Lutherum* statuit: „Unum esse iure divino summum in Ecclesia militante Pastorem, cui omnes christiani parere tenentur.“ Tum a. 1683: „Unum esse iure divino summum in Ecclesia Pastorem, qui immediate a Christo non honoris solum et dignitatis, sed et potestatis ac iurisdictionis primatum habeat in tota Ecclesia.“ Quae porro authenticis Ecclesiae iudiciis modo generalius modo specialius declarata fuerunt. Huc enim referuntur: ex Conc. Later. IV cap. 5. quae sequuntur: „Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes, sancta universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra, CPna primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quertum locum obtineat“; porro ex damnatis a Ioanne XXII *Marsilii Patavini* et *Ioannis de Ianduno* erroribus art. 4: „Quod omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive AEppus, sive sacerdos simplex, sunt ex institutione Christi auctoritatis et iurisdictionis aequalis“; tum ex articulis 39, de quibus errorum Wicleff et Huss suspecti erant interrogandi, art. 25: „Utrum credat, auctoritatem iurisdictionis Papae, AEppi et Eppi in solvendo

et ligando esse maiorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat"; et art. 24: „Utrum credat, quod Papa canonice electus — sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei"; atque praeter allatam superius ex Const. „Auctorem fidei" propositionem 3 damnatam velut haereticam, huc pertinet ex *Pii VI* litera ad Germaniae Metropolitanos a. 1789. cap. 7: „Apostolica Sedes supra omnes Epporum dioeceses habet ius ordinariae potestatis"; et illa ex eiusdem *Pii VI* Brevi *Super soliditate*, quae post allegata superius verba sequuntur: „Quo magis deploranda est praeceps ac coeca hominis (Eybd) temeritas, qui tot decretis damnatos errores infausto suo libello instaurare studuerit, qui dixerit ac per multas ambages passim insinuarit: quemlibet Eppum vocatum a Deo ad gubernationem Ecclesiae non minus quam Papam, nec minori praeditum esse potestate; Christum eandem per sese Apostolis omnibus potestatem dedisse; quidquid aliqui credant obtineri et concedi solum a Pontifice, posse idipsum sive a consecratione sive ab ecclesiastica iurisdictione pendeat, perinde obtineri a quolibet Eppo; voluisse Christum Ecclesiam reipublicae more administrari; ei quidem regimini opus esse praeside pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul regant, negotiis implicare, privilegium tamen habeat negligentes cohortandi ad sua implenda munia; *vim primatus hac una praerogativa contineri, supplendae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo;* Pontifices nil posse in aliena dioecesi praeterquam extraordinario casu; Pontificem caput esse, quod vim suam ac firmitatem teneat ab Ecclesia; licitum sibi fecisse Pontifices violandi iura Epporum, reservandique sibi resolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum, alia uno verbo munia omnia, quae singulatim recenset atque velut indebitas ac Eppis iniuriosas reservationes traducit." His aliisque „infelix ille scriptor (ut ibidem legitur) nil non molitur, quo hanc Petri Sedem modis omnibus vexet ac oppugnet, qua in Sede constitutam Cathedram Patres unanimi sensu eam coluere, qua in una unitas ab omnibus servaretur; e qua in reliquas omnes venerandae communionis iura dimanant;

ad quam necesse sit omnem Ecclesiam, omnes qui undique sunt fideles convenire etc.“

1701—1702.

Fragmentum ex **Schenate Constit. de Disciplina Ecclesiastica,** signanter **de Eppis,** eorum nempe relatione ad Papam.

1701. I. **De Episcopis.** Cap. 4. *de obligatione visitandi sacra Limina Apostolorum et exhibendi relationem status Dioecesis.* Oportet, *ut sacri Pastores cum eo, cui confirmandi fratres et universum catholicum gregem pascendi cura a Christo Domino demandata est, firmiori usque vinculo sese coniungant*, et ita Catholica Ecclesia ex membris quantumcunque dissitis per mutuam in uno Capite consociationem unum corpus efficiat. Iamvero ad hanc rem assequendam nihil magis conducit, quam si *iidem Pastores iuxta perantiquam Ecclesiae disciplinam et SS. Canonum praescripta BB. Apostolorum Petri et Pauli sepulchra veneraturi ad almam Urbem accedant, seseque Romano Pontifici sistentes de rebus personisque suae Dioecesis relationem exhibeant.* Itaque sacro approbante Concilio Constitutiones Apostolicas hac de re editas *) innovantes, iniungimus singulis Patriarchis, Primatibus, AEppis, Eppis, ac Praelatis inferioribus iurisdictionem quasi eppalem et territorium separatum obtinentibus, ut iuxta spatia temporum in iisdem Constitutionibus praefinita obligationem adeundi per se vel per certum nuntium Apostolorum limina, et exhibendi relationem de statu suarum Ecclesiarum religiose adimplere non praetermittant. Quicunque vero ex praedictis nullo legitimo impedimento detentus, terminum sibi praestitutum praeterlabi sinat, quin huic obligationi satisfecerit, suspensioni ab usu Pontificalium, et

---

*) Sixtus V. Const. *Romanus Pontifex* 20 Dec. 1585. — Benedictus XIV Const. *Quod sancta* 23. Nov. 1740.

crescente contumacia aliis etiam poenis ab Apost. Sede infligendis subiiciatur. Volumus autem, ut primus huiusmodi terminus non amplius a die, quo memoratae Constitutiones editae sunt, sed a die promulgationis huius decreti pro omnibus indiscriminatim Praelatis incipiat, et in perpetuum deinceps computetur. Et ne praefatae relationes abundent in superfluis, ac deficiant in necessariis, mandamus insuper iisdem Praelatis, ut in ipsis exarandis Instructioni fel. rec. Benedicti XIII decessoris nostri in Concilio Romano anni 1725 editae accurate sese conforment, quam, ut omnibus quae supervenerunt necessitatibus ad amussim provisum sit, auctoritate nostra opportune reformatam in usum eorumdem Praesulum evulgandam curabimus.

Adnotationes. 1. Obligationem, quae est Eppis, adeundi Limina Apostolorum, et referendi statum Ecclesiarum, si eius substantiam respicias, non immerito repetunt rerum canonicarum tractatores ab ipso *Primatu Summi Pontificis*, necnon ex constanti observantia per omnes aetates ad haec usque tempora servata*). Cum tamen huius obligationis observatio negligeretur, ac non pauca inde damna profluerent, s. m. *Sixtus V* Constitutionem edidit incipientem *Romanus Pontifex* die 20 Dec. 1585, qua huic disciplinae solemnem quodammodo formam superaddidit: nam temporum spatia determinavit, quibus singuli Eppi pro diversa ab alma Urbe distantia hoc officium instaurare tenerentur, poenamque constituit contra eos, qui eidem Constitutioni non satisfacerent. De hac autem poena nulla fit mentio in decreto, cum ei derogaverit SS. D. N. Pius Papa IX in Constitutione nuper, die nempe 12 Oct. 1869, evulgata, quae incipit *Apostolicae Sedis.* Sed ne saluberrima ac plane necessaria huiusmodi lex debita sanctione careret, comminatio in decreto adiicitur mitioris quidem poenae contra transgressores, quorum si contumacia creverit, aequum est, ut gravioribus poenis in eos animadvertatur. Quoniam vero dubitabatur, an ad eam legem observandam tenerentur Abbates aliique Praelati „Nullius“ tertiae speciei, Benedictus XIV

*) Synodi Sardic. epist. syn. ad Iul. I. et: Cap. Ego N. IV de iureiur.

Constitutione *Quod sancta* diei 23 Nov. 1740 dum Constitutionem Sixtinam innovavit, dictos Abbates, aliosque inferiores Praelatos eidem obnoxios esse declaravit. Quia autem maxime expedit, ut Pastores inferiores cum supremo in terris Pastorum Principe communicent, eique tamquam membra suo Capiti adhaereant, et ad hoc assequendum nulla res magis adducit, quam si Eppi statis temporibus almam Urbem adeant, deque suo regimine Pontifici rationem reddant: omnino opportunum visum est, ut in Vaticana Oec. Synodo Sixti V et Benedicti XIV Constitutiones solemni decreto innovarentur.

2. Cum ex praedictarum Constitutionum in hoc Concilio innovatione obligatio visitandi App. limina et referendi statum dioecesis maiorem quamdam solemnitatem acquirere videatur, congruum plane censuerunt Consultores, ut abolita antiqua ratione computandi spatia temporum a die, qua latae sunt eaedem Constitutiones, unus idemque terminus pro omnibus indiscriminatim Praesulibus a die promulgationis huiusce decreti initium sumat, et in perpetuum computetur.

3. Sanctae memoriae *Benedictus XIII* in Concilio Romano anni 1725 *Instructionem* in usum Epporum pro relationibus exarandis edidit, quae *Benedictinae* nomine venit, quaeque omnibus prae manibus est. Eam S. Congregatio Concilii cunctis totius catholici orbis Eppis sequendam praecipit; adeoque maxime convenit, ut Concilii Vaticani Patres hanc disciplinam suo calculo comprobent. At eadem Instructio, quae numeris omnibus absoluta dici poterat habita ratione temporis, quo eadem prodiit, nequaquam novis, quae deinde obortae sunt, necessitatibus cumulate respondere visa est. Et sane non pauca ibidem scitu necessaria desiderantur, quae huius temporis ratio summopere exposcere videtur. Quapropter opportunissimum visum fuit proponere, ut S. Sedes eam augendam ampliandamque curet, ita, ut defectibus, quibus eadem in praesens laborat, ex omni parte occurratur.

1702. Cap. 5. *de Conciliis Provincialibus.* — — Iuxta decretum Patrum Tridentinorum (Sess. 25. c. 2. de ref.) *man-*

damus Eppis omnibus, et aliis, qui de iure vel consvetudine in Synodo Provinciali interesse debent, atque enixe praecipimus, ut in ipsa prima Synodo provinciali, post exitum praesentis oecumenici Concilii habenda, omnia et singula in eodem definita ac statuta palam recipiant, necnon veram obedientiam Romano Pontifici spondeant et profiteantur; unaque pariter omnes haereses, ac praesertim in hoc Vaticano Concilio damnatas, publice detestentur et anathematisent. Idemque in posterum quicunque in Patriarchas, Primates, AEppos et Eppos promovendi, in prima Synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Postquam autem provincialia Concilia dimissa fuerint, Metropolitani omnia eorum acta et decreta S. Sedi transmittant, neque eadem ante publicent, quam de more expensa ac recognita receperint.

Adnotatio. Haec obligatio non eo spectat, ut S. Sedes Synodorum Provincialium actis et decretis suam approbationem proprie dictam adiiciat, sed ut expendat, an Synodus ad normam ss. canonum habita fuerit, et corrigat, si quid fortasse in decretis aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. —

1703—1704.

Propositio ac petitio plurium Praesulum ad Concilium directa **pro declaranda Pontificia infallibilitate.** 1870.

1703. *Sacro Concilio Oecumenico Vaticano.* A sacra oecumenica Synodo Vaticana infrascripti Patres humillime instanterque flagitant, *ut apertis omnemque dubitandi locum excludentibus verbis sancire velit, supremam, ideoque ab errore immunem esse Romani Pontificis auctoritatem, quum in rebus fidei et morum ea statuit ac praecipit, quae ab omnibus Christifidelibus credenda et tenenda, quaeve reiicienda et damnanda sint.*

Rationes, ob quas haec propositio opportuna et necessaria censetur. Romani Pontificis, B. Petri successoris, in universam Christi Ecclesiam *iurisdictionis* adeoque etiam *supremi Magisterii Primatus* in *S. Scripturis* aperte docetur. Universalis et constans Ecclesiae *Traditio* tum factis, tum SS. Patrum effatis, tum plurimorum Conciliorum etiam Oecumenicorum et agendi et loquendi ratione docet, Romani Pontificis iudicia de fidei morumque doctrina irreformabilia esse. Consentientibus Graecis et Latinis in *Concilio II Lugdunensi* admissa *professio fidei* est, in qua declaratur: subortas de fide controversias debere Romani Pontificis iudicio definiri. In *Florentina* itidem Oecumenica Synodo definitum est: Romanum Pontificem esse verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium christianorum Patrem et Doctorem, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse. Ipsa quoque *sana ratio* docet, neminem stare posse in fidei communione cum Ecclesia Catholica, qui eius Capiti non consen-

tiat, quum ne cogitatione quidem Ecclesiam a suo Capite separare liceat.

Attamen fuerunt, atque adhucdum sunt, qui Catholicorum nomine gloriantes, eoque etiam ad infirmorum in fide perniciem abutentes docere praesumant, eam sufficere submissionem erga Romani Pontificis auctoritatem, qua eius de fide moribusque decreta *obsequioso*, ut aiunt, *silentio*, *sine interno mentis assensu*, vel *provisorie* tantum, usquedum de Ecclesiae assensu vel dissensu constiterit, suscipiantur. Hacce porro perversa doctrina Romani Pontificis auctoritatem subverti, fidei unitatem dissipari, erroribus campum amplissimum aperiri, tempusque late serpendi tribui nemo non videt. Quare *Eppi, catholicae veritatis custodes et vindices*, his potissimum temporibus connisi sunt, ut *supremam Apost. Sedis docendi auctoritatem synodalibus praesertim decretis* et communibus testimoniis tuerentur *). Quo evidentius vero catholica veritas

*) 1. *Concilium* provinciale *Coloniense* a. 1860 celebratum, cui praeter Emin. Cardinalem et AEppum Coloniensem Ioannem de Geissel quinque subscripserunt Eppi, diserte docet: „Ipse (Rom. Pontifex) est omnium Christianorum pater et doctor, *cuius in fidei quaestionibus per se irreformabile est iudicium.*“ 2. Eppi in *Concilio* prov. *Ultrajectensi* a. 1865 congregati apertissime edicunt: „Romani Pontificis iudicium in iis, quae ad fidem moresque spectant, *infallibile* esse, indubitanter retinemus.“ 3. *Concilium* prov. *Colocense* a. 1863 celebratum haec statuit: „Quemadmodum Petrus erat — doctrinae fidei magister irrefragabilis, pro quo ipse Dominus rogavit, ut non deficeret fides eius; — pari modo legitimi eius in Cathedrae Romanae culmine successores — *depositum fidei summo et irrefragabili oraculo custodiunt.* — Unde *propositiones Cleri Gallicani anno 1682 editas*, quas iam piae memoriae Georgius AEppus Strigoniensis una cum ceteris Hungariae Praesulibus eodem adhuc anno publice proscripsit, itidem *reiicimus*, *proscribimus*, *atque cunctis Provinciae huius fidelibus interdicimus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere auderent.*“ 4. *Concilium* plenarium *Baltimorense* anno 1866 coactum in decretis, quibus 44 AEppi et Eppi subscripserunt, inter alia haec docet: „Viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget *Ecclesia*, quae a Christo Domino *supra Petrum*, totius Ecclesiae caput, principem et pastorem, *cuius fidem numquam defecturam* promisit, *aedi-*

praedicabatur, eo vehementius tam libellis quam ephemeridibus nuperrime impugnata est, ut Catholicus populus contra sanam doctrinam commoveretur, ipsaque Vaticana Synodus ab ea proclamanda absterreretur. Quare si antea de *opportuni-*

---

ficata, suos legitimos semper habet Pontifices, sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem, in eius Cathedra collocatos, et eiusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris et potestatis haeredes et vindices. Et quoniam *ubi Petrus, ibi Ecclesia,* ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur, et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem: idcirco *divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quo tenuit ac tenet haec Romana beatissimi Petri Cathedra,* quae omnium Ecclesiarum mater et magistra, *fidem a Christo Domino traditam integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam et incorruptae veritatis doctrinam.* 5. *Concilium I. Westmonasteriense* provinciale a. 1852 habitum profitetur: „Cum Dominus noster adhortetur dicens: *Attendite ad Petram, unde excisi estis, attendite ad Abraham patrem vestrum:* aequum est, nos, qui immediate ab Apost. Sede fidem, sacerdotium, veramque religionem accepimus, eidem plus ceteris amoris et observantiae vinculis adstringi. *Fundamentum* igitur *verae et orthodoxae fidei ponimus, quod D. N. I. C. ponere voluit inconcussum, scilicet Petri Cathedram, totius orbis magistram et matrem, S. Romanam Ecclesiam. Quidquid ab ipsa semel definitum est, eo ipso ratum et certum tenemus;* ipsius traditiones, ritus, pios usus, et omnes apostolicas constitutiones, disciplinam recipientes toto corde amplectimur et veneramur. Summo denique Pontifici obedientiam et reverentiam ut Christi Vicario ex animo profitemur, eique arctissime in catholica communione adhaeremus.“ 6. *Quingenti* prope *Eppi* ex toto terrarum orbe ad agenda solemnia martyrii SS. Petri et Pauli a. 1867 in hac alma Urbe congregati, minime dubitarunt Supremum Pontificem Pium IX hisce alloqui verbis: „*Petrum per os Pii locutum fuisse credentes, quae ad custodiendum depositum a te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus, annunciamus, unoque ore atque animo reiicimus omnia, quae divinae fidei, saluti animarum, ipsi societatis humanae bono adversa tu ipse reprobanda, ac reiicienda iudicasti.* Firmum menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto Unionis definierunt: *Romanum Pontificem Christi Vicarium, totius Ecclesiae Caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem* existere.“

tate istius doctrinae in hoc Oecumenico Concilio pronunciandae a pluribus dubitari adhuc potuit, nunc eam definire *necessarium* prorsus videtur. Catholica enim doctrina iisdem plane argumentis denuo impetitur, quibus olim homines proprio iudicio condemnati adversus eam utebantur; quibus, si urgeantur, ipse Romani Pontificis Primatus Ecclesiaeque infallibilitas pessumdatur, et quibus saepe deterrima convitia contra Apost. Sedem admiscentur. Imo acerbissimi catholicae doctrinae impugnatores, licet catholicos se dicant, blaterare non erubescunt, Florentinam Synodum, supremam Romani Pontificis auctoritatem luculentissime profitentem, oecumenicam non fuisse. Si igitur Concilium Vaticanum adeo provocatum taceret, et catholicae doctrina testimonium dare negligeret, tunc catholicus populus de vera doctrinae testimonium dare negligeret, tunc catholicus populus de vera doctrina reapse dubitare inciperet, neoterici autem gloriantes assererent, Concilium ob argumenta ab ipsis allata siluisse. Quinimo silentio hoc semper abuterentur, ut Apost. Sedis iudiciis et decretis circa fidem et mores palam obedientiam negarent sub praetextu, quod Romanus Pontifex in eiusmodi iudiciis falli potuerit. Publicum itaque rei christianae bonum postulare videtur, ut SS. Concilium Vaticanum Florentinum decretum de Romano Pontifice denuo profitens et uberius explicans, apertis omnemque dubitandi locum praecludentibus verbis sancire velit, supremam ideoque ab errore immunem esse eiusdem Romani Pontificis auctoritatem, quum in rebus fidei et morum ea statuit ac praecipit, quae ab omnibus Christifidelibus credenda et tenenda, quaeve reiicienda et damnanda sint.

Non desunt quidem, qui existiment a catholica hac veritate sancienda abstinendum esse, *ne schismatici atque haeretici longius ab Ecclesia arceantur.* Sed inprimis *catholicus populus ius habet, ut ab oecumenica Synodo doceatur, quid in re tam gravi et tam improbe nuper impugnata credendum sit*, ne simplices et incautos multorum animos perniciosus error tandem corrumpat. Idcirco etiam *Lugdunenses et Tridentini Patres rectam doctrinam stabiliendam esse censuerunt, etsi schismatici et haeretici offenderentur.* Qui, si sincera mente veritatem quaerant, non absterrebuntur, sed

allicientur, dum ipsis ostenditur, quo potissimum fundamento catholicae Ecclesiae unitas et firmitas nitatur. Si qui autem vera doctrina ab Oecumenico Concilio definita ab Ecclesia deficerent, hi numero pauci et iamdudum in fide naufragi sunt, praetextum solummodo quaerentes, quo externa etiam actione ab Ecclesia se eximant, quam interno sensu iam deseruisse palam ostendunt. Hi sunt, qui catholicum populum continuo turbare non abhorruerunt, et a quorum insidiis Vaticana Synodus fideles Ecclesiae filios tueri debebit. *Catholicus* enimvero *populus semper edoctus et assvetus apostolicis Romani Pontificis decretis plenissimum mentis et oris obsequium exhibere, Vaticani Concilii sententiam de eiusdem suprema et ab errore immuni auctoritate laeto fidelique animo excipiet.*

1704. *Epistola, penes quam praevia propositio cum Patribus Concilii communicata fuit scopo eo, ut ei nomina sua subscribant.* Quemadmodum petitio his literis adposita ostendit, infrascripti Eppi cum aliis quoque convenerunt, ut ab Oecumenico Concilio sanctionem catholicae doctrinae flagitarent, qua supremam ideoque ab errore immunem auctoritatem Romani Pontificis, in rebus fidei et morum apostolica potestate universis fidelibus praecipientis, profitemur. Interest vero maxime, ut quamplurimi Patres eiusmodi sanctionem vel eadem vel simili ratione postulent. Rogamus ergo, Rme et Excme Dne, ut tam ipse huic propositioni seu petitioni subscribas, quam alios etiam Rmos Patres, quos noveris animi consensione coniunctos, ad subscribendum invites. Deinde petitionem tuo nomine, et, si fieri possit, aliorum etiam Patrum subscriptis nominibus auctam ad unum Epporum has literas dantium, quo citius licebit, remittere velis. Subscriptiones ita collectas peculiari Congregationi a SS. D. N. Pio PP. IX pro propositionibus expendendis nominatae exhibebimus. Quodsi alium forsitan eiusdem rei postulandae modum aptiorem melioremque censueris, rogamus, ut propriam petitionem eidem Congregationi proponere non omittas. Folia, rationes, ob quas petitio haec opportuna et necessaria censetur, Conciliorumque provincialium sententias continentia, Excellentia tua Rma pro libito retinere poterit. Romae, 3 Ianuar. 1870. Paulus Angelus *Ballerini*, Patr. *Alexandrinus l. r.* — Antonius *Hassun*, Patr. *Cili-*

ciensis. — Miecislaus *Ledochowski*, AEppus Primas *Gnesnensis et Posnaniensis.* — Iulius *Arrigoni*, AEppus *Lucanus.* — Ioannes *Zwysen* iam AEppus *Ultrajectensis*, nunc Eppus *Buscoducensis.* — Vincentius *Spaccapietra*, AEppus *Smyrnensis.* — Marianus *Ricciardi*, AEppus *Rheginensis.* — Spiridion *Maddalena*, AEppus *Corcyrensis.* — Pelagius *de la Bastida y Davalos*, AEppus *Mexicanus.* — Andreas Ignatius *Schaepmann*, AEppus *Ultrajectensis.* — Georgius Ant. *de Stahl*, Eppus *Herbipolensis.* — Andreas *Raess*, Eppus *Argentinensis.* — Ioannes Maria *Doney*, Eppus *Montis Albani.* — Petrus *de Preux*, Eppus *Sedunensis.* — Alexius *Wicart*, Eppus *Vallis Vidonis.* — Stephanus *Marilley*, Eppus *Lausannensis et Genevensis.* — Felix *Cantimorri*, Eppus *Parmensis.* — Aloysius *Kobes*, Eppus *Methonensis.* — Bartholomaeus *d' Avanzo*, Eppus *Calvensis et Teanensis.* — Theodorus *de Montpellier*, Eppus *Leodiensis.* — Aloysius *Filippi*, Eppus *Aquilanus.* — Iosephus *Caixal et Estrade*, Eppus *Urgellensis.* — Aloysius *de Agazio*, Eppus *Triventinus.* — Nicolaus *Sergent*, Eppus *Corisopitensis.* — Franciscus *Roullet de la Bouillerie*, Eppus *Carcassonensis.* — Claudius Henricus *Plantier*, Eppus *Nemausensis.* — Ludovicus *Delalle*, Eppus *Ruthenensis.* — Vincentius *Moretti*, Eppus *Imolensis.* — Vincentius *Gasser*, Eppus *Brixinensis.* — Amandus Renatus *Maupoint*, Eppus *S. Dionysii Reunionis.* — Carolus *Fillion*, Eppus *Cenomanensis.* — Ignatius *de Senestrey*, Eppus *Ratisbonensis.* — Antonius Maria *Valenziani*, Eppus *Fabrianensis et Matelicensis.* — Aloysius *Lembo*, Eppus *Cotronensis.* — Gerardus *Wilmer*, Eppus *Harlemensis.* — Aloysius *di Canossa*, Eppus *Veronensis.* — Nicolaus *Adames*, Eppus *Halicarnassensis.* (Vic. Ap. *Luxemburgicus.*) — Iosephus *Pluym*, Eppus *Nicopolitanus.* — Gaspar *Mermillod*, Eppus *Hebronensis.* (Suffrag. *Genevensis.*) — Ioannes *Marango*, Eppus *Tenensis et Miconensis.* — Franciscus Leop. *de Leonrod*, Eppus *Eystettensis.* — Theodorus *Gravez*, Eppus *Namurcensis.* — Michael *Heiss*, Eppus *Crossensis.* (**L' Univers.** 1870. nr. 988.

1705.

Propositio aliorum **Praesulum** potissimum **Italorum,** in eodem merito. 1870.

Sacro Concilio Oec. Vaticano. A sacra oec. Synodo Vaticana infrascripti Patres Dioeceseon praesertim Italiae, prae oculis habentes verba S. Evangelii, necnon Ecclesiae doctrinam et monumenta, atque S. Thomae Doctoris Angelici, Ecclesiae totius et eorum patriae gloriae et ornamenti oraculo suffulti, qui solemni sententia edixit: „Ad Summi Pontificis auctoritatem pertinere, finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur; et ideo ad solam eius auctoritatem pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam" (2-a 2-ae q. 1. a. 10.); et alio gravissimo effato S. Alphonsi de Ligorio, alterius Ecclesiae et patriae praeclarissimi luminis, permoti, humillime instanterque efflagitant, ut ipsissimis verbis eiusdem S. Alphonsi (in peculiari dissertatione), sancire velit: *quod, licet Romanus Pontifex quatenus peculiaris persona sive privatus doctor possit errare, sicut etiam est fallibilis in quaestionibus meri facti, quae ex hominum testimoniis praecipue pendent; cum tamen Papa loquitur tamquam Doctor universalis definiens ex cathedra, nempe ex potestate suprema, tradita Petro, docendi Ecclesiam, tunc in controversiis fidei et morum decernendis ab errore sit immunis.* Nec mirum videri poterit id ab iis exquiri: cum ipse S. Augustinus, de alia dogmatica veritate disserens, ad rem ait: „Quoniam quaestionis huius obscuritas prioribus Ecclesiae temporibus magnos viros et magna caritate praeditos Patres Eppos ita inter se compulit salva pace disceptare, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentitur, etiam remotis disceptationibus firmaretur"

(de bapt. contr. Donat. l. 1. c. 7.) Pronam difficultatem diluit S. Hilarius: „Sed male alius intelligit? Damnemus in commune vitiosam intelligentiam, non auferamus fidei firmitatem.“ (De Syn. n. 88.)

1706.

Patrum Concilii nonnullorum, signanter **Germaniae, Austriae, et Hungariae Praesulum** petitio ad Summum Pontificem directa pro eo, **ut doctrina de infallibilitate R. P. Concilio discutienda haud proponatur.** 1870.

B. P. Pervenerunt ad nos literae typis impressae, quibus Concilii Patribus subscribenda exhibetur petitio, a Synodo Oecumenica flagitans, ut sancire velit supremam ideoque ab errore immunem auctoritatem Romani Pontificis, in rebus fidei et morum apostolica potestate universis fidelibus praecipientis. *Mirum certe est, fidei iudices invitari, ut ante causam dictam de sententia ferenda declarationem subscriptione sua munitam ederent.* Verum in hoc tanto negotio Te ipsum, SS. Pater, adeundum esse censuimus, quippe qui a Domino ad agnos ovesque pascendum constitutus, animarum Christi sangvine redemtarum piissimam curam habes, et periculorum ipsis imminentium affectu paterno misereris. Abierunt tempora, quibus Sedis Apost. iura a Catholicis in dubium vocari contigit. Nemo est, qui nesciat, sicut corpus absque Capite mutilum, ita neque Concilium Ecclesiam totam repraesentans absque successore S. Petri haberi posse, omnesque S. Sedis mandatis promtissimo obediunt animo. Praeterea quae de Pontificis Romani auctoritate fidelibus tenenda sint, Concilium Tridentinum edixit, Florentinum quoque; cuius ea de re decretum in cunctis singulisque eo sanctius conservetur oportet, quoniam Ecclesiae Latinae et Graecae consensu stabilitum est; atque si Dominus ad Orientem tot malis oppressum miseri-

cordiae suae oculos convertere dignetur, unionis restituendae fundamentum erit. Accedit, quod hac tempestate Ecclesiae adversus eos, qui in religionem tamquam commentum humano generi exitiale consurgunt, pugna sustinenda sit nova et a seculis inaudita, ita, ut consultum minime videatur populis catholicis tot undique machinationibus in tentationem inductis maiora, quam Patres Tridentini, imponere. Ceterum prout cum omni Ecclesia Catholica Bellarminus effatur: „definitiones de fide pendent praecipue ex traditione Apostolica et consensu Ecclesiarum"; et quamvis ad totius Ecclesiae sententiam cognoscendam Synodus universalis brevissimam sternat viam, tamen a nobilissimo Concilio, quod Apostoli cum senioribus Hierosolymis habuerunt, Nicaenum usque errores innumeri Ecclesiarum particularium decisionibus, successoris S. Petri totiusque Ecclesiae consensu adprobatis profligati et extincti sunt. Indubium est, quod omnes Christifideles Sedis Apost. decretis veram obedientiam debeant; insuper eruditi piique viri docent, quae Summus Pontifex de fide moribusque ex Cathedra loquens constituat, etiam absque Ecclesiarum consensu quomodocunque demonstrato irrefragabilia esse. Attamen silentio premere non licet, *graves* nihilominus *superesse difficultates ex Patrum Ecclesiae dictis gestisque, genuinis historiae documentis et ipsa doctrina Catholica enatas, quae nisi penitus solutae fuerint, nequaquam fieri posset, ut doctrina praedictis literis commendata populo christiano tamquam a Deo revelata proponcretur.* Verum ab hisce discutiendis refugit animus, et, ne eiusmodi deliberationum necessitas nobis imponatur, benevolentiae tuae confidentes flagitamus. Praeterea cum inter potiores nationes catholicas munere eppali fungimur, rerum apud eas statum quotidiano noscimus usu; *nobis* autem *constat, definitionem, quae postulatur, religionis inimicis nova suppeditaturam arma ad rei catholicae etiam apud melioris notae viros invidiam concitandam; certique sumus rem in Europa saltem nostrarum regionum Guberniis causam praebituram sive praetextum, in iura Ecclesta residua invadendi.* Haec Sanctitati tuae ea, quam communi fidelium Patri debemus, sinceritate exposuimus, et tuo, precamur, mandato fiat, ut doctrina, cuius sanctionem petunt, Concilio Oecumenico discutienda haud proponatur. Romae 12 Ianuarii 1870.

(Subscripti: Card. AEp. *Pragensis* et Card. AEp. *Vindobonensis*, porro AEppi: *Strigoniensis, Salisburgensis, Olomucensis, Goritiensis, Monacensis, Leopolitanus R. Armeni, Bambergensis, Leopoliensis R. L., Colocensis, Coloniensis;* Eppi: *Augustanus, Crysiensis G. R., Bosnensis et Sirmiensis seu Diakovariensis, Tergestinus, Hildesimensis, Vaciensis, Vic. Ap. Castr. Borussiae, Budvicensis, Trevirensis, Vic. Ap. Saxoniae, Lavantinus, Gurcensis, Transylvaniensis, Labacensis, Iaurinensis, Cassoviensis, Szathmariensis, Quinque-Ecclesiarum, Csanadiensis, Varmiensis, Osnabrugensis, Tarnoviensis, Litomericensis, Moguntinus, Lublinensis, S. Gallensis, Rottenburgensis, Albaregalensis, Marianopolitanus;* item AEp. *Caesareensis* i. p. Generalis Abbas Mechitaristarum Vindob., AEp. *Fogarasiensis* G. R., demum Abbas *Strahoviensis.)*

1707.

Petitio **Epporum Galliae** in eodem merito. 1870.

(Concordat cum priori Praesulum Germaniae et Austriae petitione, demtis duntaxat postremis verbis et argumento ex situ Guberniorum depromto.) — Romae 12 Ianuar. 1870. (Subscripti: AEppi: *Parisiensis, Avenionensis, Albiensis, Remensis;* Eppi: *Babilonensis R. Syr., Augustodunensis, Divionensis, Gratianopolitanus, Ebroicensis, Montis Pessulani, Vivariensis, Metensis, Apamiensis, Suessionensis, Briocensis, Niciensis, i. p., Valentinensis, Verdunensis, Rupellensis, Bajocensis, Catalaunensis, Constantiensis, Massiliensis, Oranensis, Constantinianus, Vapincensis, Lucionensis, Aurelianensis;* item: *Lamacensis*, et *Pharannensis in Portugallia; S. Iacobi Capitis Viridis; Siracensis i. p. r. Arm. Mechitar. Venetus;* AEp. *Siuniensis Abbas Mechit. Ven.;* et AEp. *Antiochenus r. Arm. Gen. Abbas Antonianorum Monachorum.)*

1708.

Petitio **Praesulum Americae** in eodem merito. 1870.

Ad pedes Sanctitatis tuae provoluti humiliter et enixe deprecamur, ut quaestio de definitione infallibilitatis Summi Pontificis tamquam dogmatis fidei Concilio Vaticano haud proponatur. Petitionis rationes inter plures tres tantum, quae sufficere videntur, adducere liceat: *Prima* quidem, *quod discussio quaestionis clare monstrabit defectum unionis, et praesertim unanimitatis* inter Eppos; *Secunda* vero, *quod in circumstantiis, in quibus nos versamur in regionibus, ubi haereses non solum impune grassantur, sed et dominantur, definitio nedum attraheret, e contra magis ab Ecclesia alienaret eos, quos omni pretio, omni sacrificio Christo lucrifacere volumus; Tertia* denique ratio, *quod interminabiles inde lites orituras praevidemus*, quibus opus ministerii impediendum et Concilii huius Vaticani fructus forsan omnino perimendos apud *Acatholicos* metuimus. Hisce Sanct. tuae sincero corde et pia intentione expositis, Deum Omnipotentem precamur, ut omne malum ab Ecclesia sua avertat, teque, B. Pater, Sancto suo Spiritu illustret et dirigat. — Romae die 15 Ianuar. 1870. (Subscripti: AEppi: *Cincinnatensis, S. Ludovici, Neo-Eboracensis, Trapezuntinus i. p., Alifaxiensis*; Eppi: *Wheelingenensis, Savanensis, Nevarcensis, S. Ioannis, Rostensis, Eriensis, Hartfordiensis, Raphanensis i. p., Chatamensis, Pittsburgensis, Carolopolitanus, Montereyensis, Kerriensis, Cliftoniensis, Petriculanus, Dromorensis, Dubuquensis, Nashvillensis, S. Iosephi, Milwachiensis, Portlandensis, Sinus viridis.)*

1709.

Petitio **Epporum Orientalium** in eodem mérito. 1870.

Audivimus circumferri literas typis mandatas, quibus petitur, ut Concilium Oec. definiat tamquam dogma: supremam ideoque ab errore immunem esse Summi Pontificis auctoritatem in rebus fidei et morum; easque literas passim per domos Patribus exhiberi subscribendas. Nos, B. Pater, qui in orientalibus partibus inter schismaticas et haereticas gentes degimus, nec minori tamen quam occidentales Eppi affectu et devotione erga Apost. Sedem devincimur; maxime vero, quod ad nos attinet, exoptamus, ut universus Oriens cum reliquis gentibus in te, B. Pater, respiciat, et unius ovilis Pastor unice summus aliquando fias. *Quid de Romano Pontifice tenendum sit, Florentina Synodus Graecis Latinisque consentientibus tunc sancte opportuneque sancivit. Quapropter te, cuius sapientiam semper suspeximus, te nunc enixe rogamus, ut humeris nostris maiora viribus onera imponi, et pericula, inter quae sacro ministerio fungimur, gravioribus difficultatibus cumulari non velis, non patiaris, non sinas.* Romae 18 Ianuar. 1870. (Subscripti: Patriarchae: *Antiochenus R. Melch.* et *Babilonensis R. Chaldaei;* Ex-Patr. *Antiochenus r. Melch;* AEppi: *Tyrensis R. Melch., Seleuciensis et Aleppensis R. Melch., Emesenus et Apamenus R. Melch. Kerkukiensis R. Chald., Amidensis R. Chald.;* Eppi: *Sydoniensis, Bosrensis, Haurananensis, Ptolemaidensis, Mariamnensis, Heliopolitanus,* omnes Rit. Melch.; *Sertensis,* et *Acrensis* R. Chald. demum *Abbas mitratus et Generalis Antonianorum Chald.)*

1710.

Petitio nonnullorum **Italorum Praesulum** in eodem merito. 1870.

(*Concordat cum petitione Epporum Germ. et Austr. his additis*:) — Cum enim inter potiores nationes catholicas munere eppali fungamur, rerum apud eos statum quotidiano noscimus usu; atque ideo nobis reapse constat, definitionem huiusmodi, quae nulla cogente necessitate postulatur, nova inimicis in Ecclesiam arma suppeditaturam, atque apud plurimos etiam melioris notae viros fore minus acceptam, ita, ut illi ansam assumerent reliqua Ecclesiae Cath. iura invadendi; hi vero (quod animo nobis coram Deo et hominibus alte infixum tibi, Pater Optime, adaperire potuimus) non absque periculo schismatis, in praecipuis religionis nostrae sanctissimae officiis persolvendis ac bonis operibus adimplendis relaxarentur. — Romae die 18 Ianuar. 1870. (Subscripti: AEppi: *Taurinensis*, et *Mediolanensis*; Eppi: *Bugellensis*, *Pineroliensis*, *Albinganensis*, *Ecclesiensis*, *Hipporegiensis*.)

1711.

Propositio **Epporum Austriae, Hungariae et Germaniae de modo discutiendi Schema de Ecclesia Christi.** 1870.

Ad Praesides Concilii. Schema Constitutionis dogmaticae *de Ecclesia Christi*, quod Patrum consultationi propediem submittetur, gravissimas res complectitur. Sicut praecipuae hostium fidei aggressiones contra divinum procurandae salutis humanae institutum fundamentaliaque eiusdem dogmata diriguntur, ita solida expositio doctrinae de Ecclesia eiusque auctoritate principale agendorum huius Concilii argumentum efficiat est necesse. Summopere autem exoptandum est, ut tanta materia ea, qua par est, maturitate, eo item modo et ordine pertractetur, quibus brevitati quoque, quantum fieri potuerit, consulatur. Nam vel eae, quae hucusque factae sunt, tractationes sat superque ostenderunt, quantum momentum recto consultationum modo et ordini tribuendum sit. Quapropter infrascripti summopere desiderant, *ut gravissimum hoc schema non in omni sua extensione simul et adsemel examinetur, sed argumentum eius fine accuratioris discussionis in certas partes dividatur.* Tres autem principales partes in eo perspicue distinguuntur: Cap. 1—9 tractat *de Ecclesia eiusque proprietatibus;* Cap. 10 et 11 *de potestate ecclesiastica*, cui tamquam appendix additur Cap. 12 *de temporali S. Sedis dominio;* tertia pars, quae Cap. 13—15 complectitur, *de gravissima Ecclesiae ad Statum Civilem relatione* agit. Singula autem harum trium partium iterum pro re nata in alias minores subdividendae forent. Quod nisi fiat, et unicuique Oratorum liceat de quocunque capite, quo libuerit, ordine promiscuum proferre sermonem, non exigua re-

rum confusio, ipsiusque tractationis difficultas et protractio ipso facto oriretur. Praeterea non utile tantum sed fere necessarium videtur, generales rerum considerationes a speciali cuiusvis materiae tractatione secernere, ut facilius attentio in universam rei indolem et postmodum in eam particularem, quae prostat, materiam figatur. Quapropter EE. VV. infrascripti enixe rogant, ut 1. Antequam Schema dictum Conciliari pertractationi subiiciatur, Patribus Concilii iustum pro praeparatorio studio temporis spatium, fors una post conclusam schematis de Catechismo discussionem quindena concedatur. 2. Ante specialem singulorum capitum considerationem generalis discussio aperiatur ita, ut in exordio totius consultationis illi ad dicendum provocentur, qui fors de universo schemate aliqua notanda haberent. 3. Ut consultatio secundum supra dicta in tres partes distingvatur, ita, ut nonnisi pertractata una parte ad alteram discutiendam procedatur. 4. Ut similiter unicuique parti discussio de eadem generalis praemittatur, qua demum peracta ad singula capita deveniatur. Quia vero 5. nonnulla capita in prima saltem parte, quae de Ecclesiae charactere et proprietatibus agit, tam arcte cohaerent, ut de illis simul sermonem fieri consultum videatur: optime Cap. 1. cum 2; Caput 4 cum 5; Cap. 6 cum 7; et Cap. 8 simul cum 9 consultationi submitti poterit. — Romae, die 9 Febr. 1870. *(Subscripti: 11 AEppi et 28 Eppi, item 1 Abbas.)*

1712.

AEppus Amadiensis et Patriarchatus Babylonici Chaldaeorum Vicarius retractat votum, quod cum Orientalibus nonnullis Praesulibus contra infallibilitatem Pontificiam depromserat. 1870.

B. Pater! Dignare, obsecro, novissimum tuorum, quos adamas, filiorum atque Epporum ad pedes tuos provolutum, et Sanctitatem tuam paulisper alloqui audentem benigne auscultare. Subscripseram, fateor, deprecationi ad te, Pater clementissime, ab Orientalibus quibusdam Antistitibus iam praesentatae, qua humillime ac obsequiosissime expostulabatur, ne admittas Postulatum illud plurimorum Epporum pro infallibilitate Romani Pontificis a Concilio hoc Vaticano definienda. Porro protestor id me praestitisse ob causas ibidem vix indicatas, ac nominatim ob offendicula inde consequutura quoad schismaticos nostrarum regionum, praesertim ex male intelligenda ac interpretanda huiusmodi Conciliari decisione; ob difficultatem explicandi ac conciliandi factum Honorii Papae, nulla alia intercedente aut impellente causa sive humana minusque decorosa, sive partium studii, multoque minus, quod iniuria quidam mali interpretati sunt, quodque Deus avertat, ex animo minus benevolo et reverenti erga te, Pater optime, istamque *S. Ap. Romanam Sedem, arcem veritatis, religionis, decusque nostrum immortale.* Iamvero cum conspexissem, ex huiusmodi deprecatione quasdam ephemerides deduxisse, etsi nullo iure, hostiliter sentire Orientales in Romanum Pontificem ac S. Sedem; alios autem captare inde occasionem magnificandi ac corroborandi partem ac opiniones ita dictas *Gallicanas*, ad easque nos fere adscribere, *cum tamen numquam cum illis quidquam habuerimus commune; cumque ego sive*

ut Doctor in S. Theologia sive ut Eppus illius semper fuissem senteutiae, ut crederem ac docerem, reapse irreformabile debere esse iudicium Romani Pontificis ex Cathedra ut Doctoris universalis a Christo Domino constituti, et ut Capitis Ecclesiae immaculatae, docentis; et cum insuper profundius in quaestionem hanc ac consequentias illius inquisiissem, praesertim instituto iudicio super libellis illis exaggeratis ac reprobandis Presbyteri *Gratry* ex una parte, atque egregia solidaque confutatione P. *Ramiere* S. I. nuper edita ex altera parte, accidissetque fausto eventu hisce diebus, ut prae manibus haberem *Manuscriptum quoddam vetus cuiusdam historiae ab homine Nestoriano compilatae, in qua inveni, quod ad iustificationem Honorii R. P. ab errore mire facit:* has, inquam, aliasque ob rationes in conscientia non contemnendas compellor, Pater Beatissime, *ut non solum sententiam, quam semper retinui, pro Romani Pontificis ex cathedra in fidei ac morum negotiis decernentis inerrantia testificem meam; sed insuper propter haec temporis adiuncta rationabile esse et potius quam nocivum, perutile contra fore, si id tibi videbitur, existimem, ut in Concilio hoc Oecumenico, prout in Postulato Epporum proponitur definitio dogmatica exhibeatur:* infallibilitatem scilicet R. P. cum magisterium supremum uti Doctor universalis Ecclesiae a Christo constitutus exercet, fundamentum habere in Scripturis S. et Traditione, ideoque de fide esse. Hunc sane in modum ut corde simplici sentiam ac declarem, *postulat apprime ipsa veritas ac theologica argumentatio; postulat sanissima illa Romanae Ecclesiae doctrina, quam a iuventute mea maximo beneficio e purissimo fonte, Collegio nempe Urbano de propaganda fide duxi ac defendi; postulat male in S. Sedem cogitantium manifestatio; postulat hostium nostrae S. Religionis et eiusdem S. Sedis Romanae petulantia ac abusus; postulat amor ac reverentia nostra erga Romanum Pontificem, ac istam S. Sedem; postulat ipse honor noster; postulat deinque tot Doctorum, et quasi dixerim* (licet aliis in adiunctis) *cum Augustino, totius Ecclesiae Catholicae auctoritas.* — Romae Kal. Martii a. 1870. Georgius Ebedjesus Khayatt. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1071.)

1713—1800.

Synopsis analytica Observationum, quae a Patribus **in Caput et Canones de Romani Pontificis Primatu** factae fuerunt. (Schematis C. XI.)

1. **Aliquot RR. PP.** statuunt: *totum caput ita compositum esse, ut nequaquam maiestatem Primatus cognoscere et admirari faciat; modum loquendi nimis iuridicum esse.* Insuper opus esse, ut *ordinis Epporum mentio eorumque muneris explanatio fiat.* Speciatim RR. Patribus necessum videtur, ut textibus S. Scripturae *generalis saltem Traditionis commemoratio adiiciatur*, necnon *textus S. Conc. Florentini integer allegetur.* Ad verba autem „ordinariam esse et immediatam" (R. P. iurisdictionem) hae observationes afferuntur: a) Vox *immediata* in themate duplici sensu adhibetur, nempe quoad *originem* potestatis primatialis, deinde quoad *exercitium* huius potestatis. Priori sensu haec vox in libris dogmaticis semper in usu erat, sed posteriori sensu illa introducta est a nonnullis scriptoribus, qui eminentem Primatus dignitatem imminuere et propemodum destruere conati sunt, excogitata distinctione *mediatae et immediatae* potestatis. *(Vecchiotti* inst. canon.) Haud mihi arridet, inquit unus Patrum, usum huius vocis propter aliquos novatores in lingvam Ecclesiae dogmaticam assumi. b) Aliter res se habet circa vocem *ordinariam.* Haec vox respectu Primatus potestatis minime est inusitata. Legitur iam in decretis S. Conc. Later. IV. At idem, quod hac voce exprimitur, non solum eodem sed eminentiori potius modo in verbis S. Conc. Florentini „ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. *plenam* potestatem traditam esse" contineri mihi videtur. Accedit, *quod ista vox* „ordinaria", *utpote quae facile eam in-*

terpretationem admittat, qua existentia cuiusvis ordinariae potestatis in dignitate et munere Eppali negatur, vix in Schemate admitti possit, quin simul ea Eppalis potestas, quae „ordinaria“ *nominatur, accuratissime et distinctissime circumscribatur.* Quare ad vitandam quamlibet in interpretando confusionem seu ambiguitatem, deinde respectu illius in S. Conc. Tridentino per 10 menses protractae discussionis de causa et origine iurisdictionis eppalis proponere conor, ut *aut verba* „ordinariam et immediatam“ *deleantur, et loco illorum ponantur, quae sequuntur:* „plenam potestatem traditam esse, quam non extraordinariis duntaxat casibus, sed semper exercere potest et in fideles universos, et in ipsos Ecclesiae totius Eppos“; *(Nat. Alex.* diss. 4 in Sec. 1. schol. 3.) *aut, si haec propositio non placuerit, in Cap. XI praeprimis lucide et perspicue exponantur ea, quae circa ordinariam quam vocant Epporum potestatem, in quantum illa iuri divino innititur, fide catholica credenda sint.* Quodsi unum vel alterum factum fuerit, tenor Canonis XVI clare et distincte circumscribi poterit.

2. **Alius RR. Pater** censet: *deleatur id, quod de potestate ordinaria et immediata dicitur*, quum potestas Romani Pontificis qua plena et suprema potestas iurisdictionis in universam Ecclesiam sat clare describatur, et huiusmodi propositio ansam praebere possit novarum cum Graecis Unitis et Orientalibus dissensionum, necnon ita a multis explicari, ut Epporum potestas aut de medio tollatur aut iniurioso modo coerceatur. Porro proficuum esse, si pro Primatu R. P. adstruendo etiam *traditionis* testimonia adferantur. Insuper *citata ex S. Scriptura vel Conciliis integre inserantur.*

3. **Alius RR. Pater** ita disserit: ut in indice Schematum aperte perhibetur, priora capita 10 tamquam parte 1 agunt de Ecclesia in se spectata et ultimo per definitionem generalem potestatis Ecclesiae finiuntur. Succedit parte 2 specialis expositio potestatis Ecclesiae, et tractatur de visibili Ecclesiae capite, de Primatu, scilicet eius natura, potestate, et iuribus. *Nullus* iam *erit ingenuus decretorum considerator vel lector, qui non lacunam animadvertat, qua tota Eppalis ordinis potestas et iurisdictio praetermissa fuit.* In paucis Capitis

X verbis de potestate Ecclesiae in genere sermo fit, qua clerici omnes, ipso Summo Pontifice non excepto, comprehenduntur, ubi certe de Pastoribus, sed non de Eppali stricte auctoritate tractatur, ubi tota expositio eo tantum collineat, ut, sicut in fine dicitur, Ecclesia Christi perfecta societas esse comprobetur. Alio loco in decretis disciplinaribus de Eppis quidem multa exhibentur, sed quae ad officia, ad leges ipsis impositas spectant; nemo vero dixerit, pauca in initio verba, quae Eppos positos esse aiunt ad regendam Ecclesiam Dei, sufficere ad exponendam Eppalis Ordinis dignitatem, iurisdictionem et missionem. Denique non ad disciplinares, sed ad dogmaticas Concilii partes haec pertinent. *Summopere necessarium existimo, ad plenam nedum fidei expositionem, sed etiam ad ignominiam et dedecus ab Eppali Ordine avertendum, ut in 2 parte, ubi summa in Ecclesia potestas exponitur, auctoritas etiam Epporum, qui pariter Apostolorum successores sunt, tum ordinis tum iurisdictionis uberius et plenius exponatur,* iunctim quidem cum suprema auctoritate Primatus, ut de toto S. Hierarchiae organismo ex professo tractetur. *Rationes tam ex veritate rei quam ex temporum necessitatibus ultro profluunt*, nec multa indigent commonstratione. Quodsi Dominus non super B. Petri solum, sed super omnium quoque Apostolorum fundamentis extruxit Ecclesiam; si Apostoli omnes eorumque successores a Christo missi sunt docere gentes et baptisare, a Spiritu S. porro positi regere Ecclesiam Dei: dogmatica huius muneris expositio et confirmatio a Concilio Vaticano, quod de Ecclesia et de Primatu uberius tractat, abesse non potest, quin Eppali ordini iniuria inferatur, Christianus populus in fide perturbetur, et ipsa praedicatio plena Evangelii dimittatur. Neque de singulis dioecesibus regendis loquendum est, sed de potestate, qua Eppi in genere participant quoad regendam Dei Ecclesiam. „Eppatus enim unus est, ait S. Cyprianus, cuius in solidum a singulis pars tenetur;“ et idem: „Quomodo solis multi radii sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum, et quum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine: sic et Ecclesia Domini luce per-

fusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit. Unum tamen caput est, et origo una et mater foecunditatis successibus copiosa.“ Quod in ordinatione Eppi solemniter precatur Ecclesia: „Oremus, Deus omnium fidelium Pastor et Rector, hunc famulum tuum, quem Ecclesiae tuae praeesse voluisti etc.“ id ipsum sequatur Conciliaris definitio. Temporum vero necessitates certissime poscunt, ut S. Sedis et Eppatus intima coniunctio, arctissimum et necessarium vinculum unius quasi spiritus animique motus cunctis appareat. In vehementissima adversus innumeros praepotentes et effraenatissimos inimicos pugna neque solus Summus Pontifex, neque soli Eppi vel ullo momento conspiciantur. Auctoritas Ecclesiae impetitur, divina eius missio, fides et lex: e contrario tota et plena eius constitutio ostendatur, non solius Primatus, non Epporum separatorum, sed utriusque simul. Hostes certe ante omnia fundamentum Petri adoriuntur, sed non minus Eppalem auctoritatem impugnant. Ipsis diebus, qui nunc decurrunt, in foliis publicis malignum apparet gaudium, quod Epporum in Concilio Vaticano collectorum dignitas et iurisdictio deprimi videatur; sicuti gaudent, quod Sedes Apostolica immoderatis, ut ferunt, postulatis Epporum animos a se avertat. Quis iam necessitatem non viderit, requiri, ut in dogmaticis huius Concilii de auctoritate regiminis Ecclesiae definitionibus Eppi pariter ac S. Sedes locum, quem divina institutio iis assignavit, obtineant expressum et confirmatum? In huiusmodi coniunctione unicum reperio remedium, quo tantis contra Concilii dignitatem et contra ipsam S. Sedem cavillationibus tandem finis imponatur, fidelibus fiducia, quae iam titubare incepit, restituatur, et inimicis Ecclesiae calumniandi ora claudantur. Pars haec II, cuius textum probatis viris committendum censuerim, inscribi poterit aut „de Hierarchia Ecclesiae“, aut „de regimine Ecclesiae“, aut alio modo, qui melior videbitur. Ceterum *observationibus, quas alius R. Eppus* (nr. 1.) *exhibuit, ex integro assentio, easque etiam ex mea parte commendo.*

4. **Alius R. P.** disserit: Ne manca sit et in essentialibus minime absoluta Constitutio de Ecclesia Christi, *necessarium esse, ut ex professo de instituto divinitus Apostolatu Epporum tractetur.* Qua de re R. P. ad ea accedit, quae de eodem argumento ab alio R. Eppo (7.) prolata sunt. In specie optatur, ut *omittantur verba, quibus Pontificis iurisdictio* „ordinaria et immediata“ *praedicatur*, ad evitandas erroneas conclusiones, quae facile exinde in praeiudicium iurisdictionis Epporum deduci possent. Insuper huius capitis argumentum etiam *traditionis* eccl. testimoniis fulciendum esse, necnon *textum Florentini integre inserendum.*

5. **Sequens Patrum** ita disserit: 1. Schematis nostri auctores in suis pro Primatu argumentis sola demonstratione *biblica*, ut vocant, contenti, allegatis paucis locis S. Scripturae omni desiderio et omni indigentiae satisfacere opinantur. Sane immerito. Imo potius *biblicis argumentis etium historica demonstratio coniungenda erat.* Nostrae enim Ecclesiae proprium est, omnia, quae ad dogma pertinent, etiam argumentis ex traditione sumtis illustrare, et mere scripturisticam Protestantium methodum non sufficientem putare. *Nostris praesertim temporibus historica primatus demonstratio, quae traditionali respondet, plane necessaria mihi videtur.* Permultos enim nostratum iam audivimus loquentes: „biblica vestra pro primatu argumenta sint ut sunt: sed interrogemus historiam.“ Ideo certe permultum refert, historicis argumentis demonstrare, quod iam a primo Ecclesiae seculo et per omne posterius aevum Primatus R. P. in Ecclesia et viguerit et agnitus fuerit. Non impossibilia postulo, non amplum, diffusum et latum tractatum historicum in Schemate requiro, sed sicut biblica Schematis argumentatio brevissima est, ita et soror eius historica paucis fuisset contenta. Propono igitur, ut (ad finem textus S. Ioan. XXI. 16. 17.) post „oves meas“ addatur haec periodus: *Et haec suprema R. P. auctoritas inde a primis Ecclesiae Christianae temporibus per omne posterius aevum in Ecclesia semper revera viguit et agnita fuit. Quod testantur innumera facta historica, a scriptoribus primorum seculorum narrata, necnon et millia Patrum tam graecorum quam*

*latinorum testimonia**) *Unde condemnamus et reiicimus huic tam manifestae S. Scripturarum et eccl. traditioni contrarias eorum sententias* etc. Addendum est, quod iuxta opinionem meam verba illa Schematis „ut ab Ecclesia Cath. semper intellecta est“ (doctrina S. Script. de primatu) melius et tutius omittantur, quia a) propositio mea non solum de doctrina Scripturae agit, sed argumenta quoque historica affert, et deinde b) quia praesertim in loco illo celeberrimo apud Matth. 16, 18. 19. verba „super hanc petram“ a pluribus ss. Patribus non de Ap. Petro, sed de Christo ipso fuerint intellecta. 2. In Schemate nostro legitur: „Hinc innovantes atque in omnibus sequentes tum praedec. nostrorum decreta tum praecedentium Conciliorum Gen. definitiones etc.“ Inter testimonia pro primatu praecipuus deinde locus tribuitur effato illi celeberrimo *C. Florentini* in decreto pro unione Graecorum; et ingenue fateor, me quoque hoc testimonium maximi facere.

---

*) Iam *B. Ignatius* Antiochenus S. Ioannis Ev. discipulus ineunte seculo I Romanam Ecclesiam *την προκαθημενην της αγαπης*, praesidem amoris (coetus christiani) appellat; *S. Cyprianus* autem alioquin cum S. Stephano Papa colluctans, nihilominus iteratis vicibus clarissimis verbis Primatum agnovit, scribens ad Antonianum Eppum ep. 56: „ut sciret (Cornelius Papa) te secum h. e. cum cath. ecclesia communicare“; et alibi: „factus est Cornelius Eppus (Romae), cum Fabiani locus, i. e. locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret“; (ep. 52.) similiter in ep. 55. Romanam Ecclesiam „Petri cathedram“ nominat, atque Ecclesiam universalem, unde veritas sacerdotalis exorta est. Eodem tempore, medio Sec. 3, *Dionysius M.* AEppus Alex. apud Romanum Pontificem Dionysium haereseos accusatus, coram eo quasi iudice suo rem suam agere et defendere minime recusavit. Magnum autem illud Ecclesiae lumen *S. Leo M.* Papa de se ipso testatur: „Ratio pietatis exigit, ut pro sollicitudine, quam universae ecclesiae ex divina institutione dependimus etc.“ (ep. 12. ad Epp. Afr.) Universalem hanc Romani Eppi curam pro tota Ecclesia etiam celeberrimi illi contemporanei S. Leonis ex Ecclesia Graeca *Socrates* et *Zosomenus* in libris suis historicis absque omni ambiguitate enunciarunt; (Socr. H. E. 1. 2. c. 15. — Sozom. H. E. 1. 3. c. 8.) in Conciliis autem oecumenicis Legatos Rom. Pont. Praesidum honore et munere functos esse neminem latet.

Sed *Schematis auctores testimonium hoc duplici modo immutaverunt, et additione et subtractione. Addiderunt verba:* „et iudicem supremum“, *et subtraxerunt clausulam finalem Florentinam.* Conati quidem sunt in annotationibus suis utramque hanc immutationem defendere; sed frustra, ut equidem credo, laboraverunt; omnis enim vis et valor loci alicuius in testimonium allati ab accurata eius reproductione pendet. Eadem pagina Schematis (20) legimus, SS. Patrem praed. suorum decreta innovaturum et ea in omnibus secuturum esse. Sed b. m. Pontifices Maximi Gregorius XIII, Urbanus VIII, et Benedictus XIV in professionibus fidei Graecis aliisque Orientalibus praescriptis accurate ac fideliter receperunt et repetierunt verba Florentina, nil addentes et nihil dementes. Nescio, quomodo, si Schema a S. Patre approbaretur, dici posset, ipsum in hac re decreta praedec. suorum secutum esse, nil innovantem. De sensu illius clausulae finalis Florentinae et genuino eius textu litem movere nolo; mihi sufficit, si a SS. Patre nostro praed. suorum vestigia revera persequente verba Florentina absque omni mutatione integra repetentur. 3. *Quod ad* „ordinariam ac immediatam“ *iurisdictionem eppalem R. P. in universam Ecclesiam attinet, plane iis assentio, quae ab alio R. Patre* (1) *in animadversionibus suis ad Cap. XI et Can. XVI monita sunt.*

6. **Alius R. Pater** fusius exponit: non solum fidei ratione atque plena doctrinae de Ecclesiae integritate, verum etiam temporis nostri conditione maximopere expostulari, *ut de Epporum auctoritate et dignitate non obiter tantum sed funditus agatur.* Dein haec vota subiunguntur: 1. Capiti XI de R. P. primatu tractanti aliud Caput praevie esse praemittendum, quo Epporum potestas et auctoritas explanari debet. 2. Locum, qui explicit: „gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse“, ampliificandum esse verbis: „et licet Christus Dominus reliquis Apostolis eorumque successoribus, Eppis videlicet Ecclesiarum immediatam et ordinariam contulerit docendi et pascendi greges potestatem, haec tamen in regendis Ecclesiis Pontifici ita subordinata est, ut suprema quoque Pontificiae iurisdictionis potestas non solum in universali Ecclesia, sed etiam in particularibus Ecclesiis sit

et vere nominetur propria et ordinaria, erga quam particularium ecclesiarum pastores etc.“

7. **Alius R. P.** scribit: 1. *sufficere, si dicatur: Pontificem habere Primatum honoris et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, in omnes Eppos, in omnes fideles; neque esse dicendum: immediatam, ordinariam potestatem iurisdictionis in omnes et singulos fideles.* Nam eam potestatem Papae adscribendam esse, cuius exercitium sit possibile; sed istius immediatae et ordinariae in singulos fideles potestatis exercitium Romano Pontifici non esse possibile. Certam nihilominus eamque magnam a Summo Pontifice exerceri iurisdictionem in singulos fideles immediatam, illam nempe, quae cum munere Primatis universae Ecclesiae connexa Pontifici sit possibilis, v. g. ratione necessitatis, utilitatis, appellationis, reservationis casuum vel excommunicationis. 2. *Verba illa* „iudex supremus“ *omittenda, et tenorem Florentini Concilii retinendum;* quia nihil addant, imo ansam possint praebere quaestioni: an iudex ultimus sit Papa solus, an Papa cum Concilio? 3. *Verba illa, quibus damnantur appellantes a Romano Pontifice ad futurum Concilium, ne excitetur quaestio, an Papa cum Concilio habeat maiorem potestatem quam Papa solus? ita ponenda: illos damnamus, qui ad subversionem eccles. disciplinae a sententia S. Sedis appellant ad Oecum. Concilium.*

8. **Censet alius:** Cap. XI omittatur vox „ordinaria,“ et dicatur: *Romanorum Pontificum iurisdictionem immediatam non esse.* Rationes: negari non posse, Summum Pontificem potestatem habere in quavis dioecesi ea, quae Eppi sunt, agere. Item Eppos in dioecesibus suis regendis non esse Vicarios Summi Pontificis, sed potestatem eis propriam exercere. Itaque de re ipsa disceptationi vix esse locum: rei designandae autem ea seligenda verba, quae in sensum a veritate alienum detorqueri non possint. Eppos vero appellari Ordinarios, quoniam in dioecesi sua ea, quae Eppi sunt, ordinarie ipsi peragant; et eodem sensu, quo ordinarii sint, potestatem haec eadem exercentem extraordinariam esse vel extraordinario modo in dioecesim agere. —

9. **Alius R. P.** scribit: quod Cap. XI Schematis attinet,

doctrina ibi tractata *de R. P. primatu in Ecclesia tum ob rei in se spectatae momentum, tum ratione habita specialis indigentiae temporis nostri, quae in dies multiplici titulo ingravescit, tractationem sibi deposcit apprime sollicitam et gravem, ex qua et veritas huius divini instituti et iusta eius ad ecclesiae organismum ratio, necnon ex ipsis doctrinae visceribus eiusdem congruentia et venustas dilucide cognoscatur. Cui postulato Schema haud satisfecisse arbitror.* Quod nempe 1. argumentationem de veritate Primatus divinitus instituti attinet, *Schema acquiescit in locis biblicis proferendis*, supersedens omnino argumentis subiungendis, aut summis saltem digitis attingendis, quae *ininterrupta traditio* suppeditat, cum tamen catholica argumentandi ratio postulet, *ut in ore duorum istorum fontium, Scripturae scilicet et Traditionis, stet verbum,* sicque hanc fidem in ecclesia numquam non viguisse manifesto appareat. 2. Cum institutio primatus in ecclesia ex praemissa demum *doctrina de Apostolatu divinitus ordinato* rite concipi possit, praecedens autem *Caput X de potestate Ecclesiae*, quod sane mirum est, obiter tantum et ne nominetenus quidem Apostolorum tamquam subiecti potestatis eccles. mentionem faciat, et hoc quoque Caput XI Primatum quasi ab Apostolatu avulsum exhibeat et tractet, iusta etiam primatus ratio et finis immediatus non sat dilucide apparet, comparate ad locum classicum ep. Eph. 2, 20. 21: superaedificati estis super fundamentum Apostolorum et prophetarum, — ipso summo angulari lapide Christo Iesu. (Cuius iam vices Apostolo Petro et successoribus eius commissae sunt.) 3. Ea est *Schematis de primatu Ecclesiae loquendi ratio iuridica et arida,* qualem ad hoc institutum laeto animi sensu amplectendum minus allicere posse existimaverim. Eiusdem expositio tantum abest, ut quod svave quod venustum et humano sensui tantopere congruum inest huic doctrinae, illustret et contestetur, ut potius nonnihil, quod duritiem vel acrimoniam sapit secularis potestatis, eidem offundat. 4. Quoad ea denique, quae de potestate Primatui inhaerente in Schemate praedicantur, *difficultatem aliquatenus creat illud, quod Pontificis potestas iurisdictionis simpliciter* „ordinaria et immediata in omnes et singulas ecclesias“

dicatur; non ac si thesis haec iusto sensu accepta verissima non sit, sed quatenus absque accuratiori determinatione sinistrae interpretationi vel in alienum sensum detorsioni obnoxia videatur. Non sine ratione sufficiente Patres Tridentini ea de re tantopere disceptarunt, quin tamen res ad decisionem devenerit, quandoquidem *Epporum quoque iurisdictio in ecclesias suas ordinaria et immediata est, et qui fieri possit, ut eadem duorum iurisdictio circa idem obiectum sine rerum confusione aut perturbatione locum obtineat, difficulter intelligitur.* Quapropter aut ista iurisdictionis pontificiae praedicata (ordinaria et immediata) tam in decreto quam in Canone silentio praetereantur, aut recta et authentica eorum in decreto fiat explicatio, atque in Canone dubium aliqua idonea adpositione removeatur. Equidem iustam partium utique imparium discretionem, si non aliter, appositis saltem verbis B. Thomae Aquinatis „inaequali tamen modo" fieri posse existimaverim.

10. **Alius R. Pater**, cui alius accedit, scribit: Ad ea, quae p. 18—20 Schematis de Ecclesia continentur, (de Primatu c. XI.) repeto animadversionem iam prius propositam, *quod in hoc Schemate ac peculiariter quoad Cap. XI desideretur tractatus de Eppis tamquam Apostolorum successoribus, sine quo vera idea Primatus eiusque in Ecclesiae hierarchia ratio neque intelligi neque exponi potest.* Vituperandum quoque esse censeo, quod *in schemate sicca quaedam et iuridica tantum expositio iurium et praerogativarum Primatus* inveniatur, atque ipsius haud satis miranda et saluberrima vis et operatio in universam Ecclesiam necnon in societatem humanam silentio tegantur. Deinde displicet mihi, quod Primatus nonnisi ex S. Scripturae argumentis probetur; *omnino oportere atque expedire mihi videtur, ut nonnulla saltem facta historica gravioris momenti necnon SS. Patrum effata, quae Primatum ab initio in Ecclesia institutum fuisse probant, hoc loco allegentur*, et quoad hoc desiderium iis assentio, quae proposuit alius R. Eppus. (5.) Ad pag. 21 (decr. C. Flor.) *mihi non placet tum insertio verborum ex Pii VI decreto* („Super soliditate") *in textu e Conc. Florentino allegato, tum omissio verborum, quae in fine*

illius textus habet C. Florentinum: quia ea verba secundum ea, quae in textu graeco inveniuntur, a multis non solum tamquam motivum, sed etiam sensu restrictivo haud immerito intelliguntur. Quia p. 20 initio eiusdem contextus expresse mentio facta est Conciliarium definitionum, ex quibus allegatis ista verba desumta sunt, Concilii dignitas mihi requirere videtur, ut verba allegata nulla insertione alterentur, sed verba inserta in hoc contextu omittantur, et alio loco congruo collocentur, additamentum autem finale integrum assumatur. Porro *verba*, „ordinaria et immediata iurisdictio“ *quae ter in Cap. XI et semel in Can. XVI reperiuntur, mihi non arrident in Concilii decreto dogmatico vel Canone, quia ad Scholae terminologiam pertinere et extremam quamdam systematis Iuris Canonici, quod vocant Papale, consequentiam et exaggerationem involvere videntur,* quae quamvis recte intellecta vera possit appellari, sed facile ad sensum minus rectum protrahitur necnon controversias dubiaque nociva provocat. Summus Pontifex sine dubio habet supremam potestatem plenam in universam Ecclesiam atque in omnes ac singulas eius partes; qua vero uti debet *salvis iuribus Epporum, qui tamquam Apostolorum successores a Spiritu S. positi sunt regere Ecclesiam Dei, et qui sine dubio in suis singuli dioecesibus habent ordinariam immediatamque iurisdictionem vi divinae institutionis muneris eppalis, et non solum tamquam vicarii vel delegati Summi Pontificis.* Summus Pontifex tamquam Christi Vicarius et S. Petri successor, Eppi autem tamquam ceterorum Apostolorum successores habent utrique iurisdictionem ordinariam et immediatam concurrentem, sed, prout S. Thomas observat, modo inaequali. Summus Pontifex, qui ex Christi institutione quodcunque ligare et solvere valet in universa Ecclesia, nec praeter Deum alium habet iudicem in terris, sua potestate suprema uti debet in aedificationem et non in destructionem Ecclesiae, ad servandum sive restituendum, non vero ad pervertendum rectum et bonum ordinem. Omnia ipsi licent, sed non omnia expediunt. Ubicunque necessitas vel Ecclesiae salus postulat, ipse utitur sua potestate suprema et universali, quam regulariter ordinario et immediato modo nonnisi Eppi exercent. Exinde *desidero ad errores dubiaque*

vitanda, ut verba „ordinaria et immediata iurisdictio“ *in capite et canone omittantur.* Si vero id non placuerit, postulo, ut eadem verba cum additamento iungantur, quo a falsa interpretatione caveatur; et in hunc finem propono, ut inseratur: *et quamquam Dominus Apostolis eorumque successoribus Eppis ordinariam et immediatam docendi et pascendi dederit potestatem, haec tamen in regendis singulis Ecclesiis Romano Pontifici ita subordinata est, ut suprema etiam ipsius iurisdictionis potestas in singulis Ecclesiae universae partibus ordinaria sit et immediata.* In Canone autem XVI post verbum „immediatam“ ponatur: „aut eandem primatialem potestatem contradicere Epporum iurisdictioni ordinariae et immediatae.“

11. **Alii RR. PP.** disserunt hoc modo: Reticere non possumus, *inter illa, quae caput XI praecedunt, et illa, quae ipsum sequuntur, magnum hiatum esse.* Tractat scilicet Caput X de potestate Ecclesiae, ita tamen, ut subiecti eius, Pastorum scilicet et Doctorum in genere solum meminerit; Caput XI agit de uno potestatis illius subiecto, scilicet Romano Pontifice, cuius primatum, auctoritatem et iura exhibet. Ast nec in hoc nec in sequentibus capitibus ulla alius subiecti eiusdem potestatis, Eppalis nempe ordinis, missionis eius et iurium mentio fit. Quod probare non possumus. *Imperfecta* enim *et manca esset doctrina Concilii Vaticani de Ecclesia, si, ubi de Petro et eius successore Romano Pontifice Christi Vicario agitur, loqui negligeret de reliquis Apostolis et eorum successoribus Eppis, super quorum fundamentum cives sanctorum, domesticos Dei, i. e. Ecclesiam, ipso summo angulari lapide Iesu Christo, superaedificatam esse dicit gentium Apostolus, et quibus simul cum Petro eiusque successoribus triplicem illam potestatem, Capite X Schematis memoratam, exercendam tradidit divinus Ecclesiae fundator:* dum electis e medio discipulorum XII Apostolis divinae doctrinae suae thesauros communicavit, et missione, quam ipse a Patre acceperat, iisdem tradita dixit: Data est mihi etc.; dum sacrosancti N. L. sacrificii in memoriam eius obeundi praeceptum dedit: Hoc facite in meam commemorationem; dum potestatem fecit solvendi et ligandi in terris, quae soluta

sint et ligata in coelo; haec autem omnia ea auctoritate, ut qui eos non audierit, sit sicut ethnicus et publicanus, e fidelium communione exulet. Si inadvertenter neglectus hic intercurrit, tristis res est; nec minus tristis, si advertenter id factum fuit. Difficile enim certo est assequi, in quem scopum intenderint Schematis huius sicut aliorum quoque auctores, dum quasi ex professo sublime hocce Eppatus institutum ignorant, vel in libera et spontanea sua operatione quaquaversus constringere, principalibus suis attributis privare, imo in manifestum rei catholicae ac S. Sedis detrimentum auctoritate illa, qua coram oculis mundi pollere debet, plus minus exuere volunt; quum tamen res Ecclesiae et auctoritas S. Sedis eo meliori loco positae erunt, quo studiosius servata fuerint ordinis Eppalis dignitas et momentum; quo proin liberius et efficacius, quove maiore auctoritate egerint per universum orbem dispersi Apostolorum successores ea, quae sacri muneris apostolici sunt, quo denique minus proiecta fuerit in eos servilis dependentiae umbra, quae verbi et actionis eorem momentum et pondus certo subruere pergeret. Quare nisi novum infausti huius conaminis solemneque documentum in dedecus Concilii magnumque rei catholicae praeiudicium dari velit: *post Caput X aliud inserendum foret, in quo Eppatus in Apostolis fundatio, in successione perduratio, destinatio, attributa et dignitas congrue exponerentur;* cui Capiti dein opportune iungeretur illud, quod de Romano Pontifice agit. Postquam de Eppis Concilium in sensu praemissorum locutum fuerit, iam et de divini Ecclesiae organismi complemento, Primatu scilicet et suprema R. P. auctoritate doctrinam Ecclesiae pertractet, est necesse. Faciat tamen id Concilium non sicco et ieiuno illo modo, quem Capite XI observatum esse videmus, iuridicam potius deductionem, quam expositionem sublimi destinationi et praecelsae naturae Primatus convenientem exhibente; annunciet Concilium Vaticanum divini huius instituti magnificentiam, benevolam ac utilem pro genere humano naturam; omnia proinde vitet, quae durum rigorem, auctoritatibus civilibus proprium, in divinum hocce institutum transferant, illud hominibus odiosum reddant. Haec quoad formam: quantum vero ad Schematis materiam, *opportune adferuntur*

verba Concilii Florentini ad sublimem Primatus dignitatem et missionem orbi denuo exhibendam et inculcandam: ast inopportune minusque recte aliud additum, demta alia comparent, quae vim citationis nonnisi labefactare possunt. Tunc enim suus locis in testimonium cum certa auctoritate adductis constat vigor, dum in omni sua plenitudine exhibentur, nullumque vitiatae integritatis eorum adest vestigium, dum quaevis abest sinistrae intentionis tale factum generantis suspicio. Quod Florentini Patres dixerunt, catholice dictum fuerat et indigentiis Ecclesiae suffecit: nulla necessitas adest ultra eius limites egrediendi, et in eis, qui originariam et XIX seculorum usu probatam Ecclesiae constitutionem illibatam servari volunt, sublimi potestati inconsulto extendi optatae invidiam creandi; certe sicut omnibus, ita quam maxime difficillimis nostris temporibus nec eidem nec Ecclesiae profuturam. Restituatur igitur textus decreti Florentini, deleantur addita, addantur deleta. *Praedicatur porro:* „ordinariam et immediatam esse iurisdictionis pontificiae potestatem in particularium ecclesiarum pastores et fideles tam seorsum singulos quam simul omnes.“ *Quae sicut quoad primatialem potestatem sumta nulli offensioni ansam praebent, ita quoad cppalem praedicata dubia omnino creare possunt, casum in omnem saltim insolita sunt, proinde devitanda.* Nullo aevo Summorum Pontificum potestas magis exoptata, intensius amata, ferventius defensa fuerat, quam nostris recte temporibus per Eppos ipsos. Quare prudentia a Schematum auctoribus exegisset, ne expressionibus a lingva dogmatica adusque alienis, nec necessariis ansa praebeatur merito suspicandi, id per ipsos intentum fuisse, ut Epporum e Schemate faciem Ecclesiae exhibere vocato expunctorum potestas subruatur, dignitas explodatur, momentum attenuetur, ceu qui non amplius a Spiritu S. positi regant simul cum Summo Pontifice in iusta sub eo ordinatione Ecclesiam Dei, sed Pontificis solum vice fungantur in gregibus sibi non propriis, proprio Eppo, qui nonnisi unicus esse potest, solo Romano Pontifice existente; quum tamen sub ipsius Summi Pastoris et Rectoris divinitusque instituti Ecclesiae Primatis gubernio et directione Eppi absque novae huius theoriae applicatione felicissime rexerint omnibus temporibus Ecclesias

suas, quin opus evaserit doctrina tali stabilita infaustae duarum potestatum in variis gradibus positarum et se invicem fulcientium ac firmantium confusioni, variis abusibus et inde emanaturis indubiis malis viam sternere. Quare *id peroptamus, ut verba:* „et hanc, quae propria est iurisdictionis potestas, ordinariam esse et immediatam“ *deleantur, eorumque in locum haec inserantur:* „quam non in extraordinariis solum casibus, sed semper exercere potest et in fideles universos, et in totius Ecclesiae Eppos.“ Hisce conformiter etiam Canon XVI sic reformetur: „Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam ac in omnes singulas Ecclesias, anathema sit.“

12. **Alii XVIII RR. Patres** has afferunt observationes: (post nonnullas stylares emendationes.) — *Non satis apparet, utrum de iure divino primatus ita adnexus sit Romanae Sedi, ut in nullius potestate sit, eum in aliam Sedem transferre.* Hinc melius: „ita, ut Romanus Pontifex Petro in Eppatu succedens Petri ipsius Primatum in universam Ecclesiam Romae divina ordinatione constitutum consequatur, et in suos successores transmittat“. Porro non videtur decere, Pastores et fideles indistincte commemorare. Sed dum debita Epporum subiectio Romano Pontifici asseritur, ratio habenda est Eppalis dignitatis hoc modo: „Et hanc, quae propria est iurisdictionis potestas, ordinariam esse et immediatam, non erga simplices fideles duntaxat, sed etiam erga ipsos particularium ecclesiarum Pastores. Quamvis enim Eppi in sacerdotalis potestatis plenitudine sint Romano Pontifici pares, et in propria quisque Sede non meri Vicarii, sed veri Pastores a Spiritu S. positi regere Ecclesiam Dei: nihilominus tam seorsum singuli quam simul omnes erga Apostolicae Sedis potestatem officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam fidei professionis unitate Ecclesia Christi sit unus grex sub uno Summo Pastore“. — Magis porro directe et expresse damnandus est *error exploratissimus, gravissimus et nostro etiam tempore vividissimus Gallicanorum de superioritate Concilii supra Pontificem.* Hinc addenda haec alia videntur: „aut

etiam contendunt, Romanum Pontificem non habere auctoritatem super omnia Concilia etiam generalia; aut praesumtione temeraria docent, ab iudiciis RR. PP. ad futurum generale Concilium appellare.“ Ibidem videtur potius dicendum: „quare damnamus et execramur ut schismaticam illorum doctrinam, qui hanc Supremi Capitis cum Pastoribus et gregibus communicationem impediendam dicunt; et haereticum illorum errorem, qui eandem reddunt seculari potestati obnoxiam.“

13. **Sequenti RR. Eppo** totum Caput XI in varias paragraphos distribuendum videtur, et in eo *agendum de infallibilitate R. P.* In prooemio, ubi dicitur „primatum iurisdictionis“ addatur *et magisterii.*

14. **Alius R. P.** dicit: *Caput XI videtur ea dispositione et styli forma indigere, quae magis apta sit et conveniens decreto dogmatico.*

15. **Alius R. P.** scribit: post illa verba *durare necesse est* haec alia addenda esse: Christus Dominus oves suas et agnos suos Petro pascendos commisit. Et Christi oves et agni non sunt tantum Eppi et Pastores illorum temporum, sed etiam Eppi et fideles nostrorum temporum, qui aeque ac illi uno Pastore indigent.

16. **Alius R. P.** hoc censet: Dicatur utique in hoc Capite Romanus Pontifex esse fundamentum visibile Ecclesiae, sed *non praetermittatur etiam, Eppos Apostolorum successores esse fundamenta, licet secundaria. Falsum est, quod in Schemate affirmatur: Christum uni Petro, et non etiam collegio Apostolorum dixisse:* quodcunque solveris etc. *In decreto Concilii Florentini, quod citatur, nihil addendum est, nihil supprimendum.* Non addenda illa verba: „Romanum Pontificem supremum iudicem existere“, quae necessaria prorsus non sunt, et materiam exhibent disputationibus. Multo minus supprimenda illa alia: „quemadmodum etiam in gestis Oec. Conciliorum et in sacris canonibus continetur.“ Quae verba collata cum textu graeco et bene explicata significant: mensuram plenitudinis potestatis, quae Papae competit, sumendam esse ex praxi Conciliorum et statutis canonicis. Ex quo sequitur, *auctoritatem Romani Pontificis non esse pure et simpliciter monarchicam absolutam seu independentem a*

Conciliis Generalibus et sacris Canonibus. Ubi affirmatur iurisdictionem R. P. esse ordinariam et immediatam, addatur: *salvis omnibus iuribus Epporum,* ut appareat, iurisdictionem illam ordinariam esse papalem non eppalem, et ne videantur Eppi nil esse aliud quam vicarii pontificii. Obediendum est Romano Pontifici iusta praecipienti; sed semper excipiuntur casus, in quibus ex lege naturali, divina et ecclesiastica inferior non debet superiori obedientiam. Tandem *non videtur definienda quaestio: utrum liceat appellare a Papa solo ad ipsum Papam in Concilio generali?*

17. **Alius R. Eppus**, cui alter accedit, *in genere optat, ut, quemadmodum enunciantur praeclarissime R. P. praerogativae, ita etiam uberior doctrina tradatur de potestate Epporum in regenda Ecclesia sub obedientia eiusdem Pontificis.* Post verba Christi: „Pasce oves meas" addendum et breviter evolvendum putat *argumentum traditionis*, atque integram formulam tradit huius additamenti. *Non sentit cum iis, qui verba* „ordinariam et immediatam" (iurisdictionem) *expungi vellent: veritatem enim exprimunt*, et veritatem, quam utile est confirmare. Ad praecidendas altercationes unitati et caritati semper noxias post illa verba addi censet haec vel his similia: „Licet enim et Eppi in suas particulares Ecclesias propriam ordinariam et immediatam habeant iurisdictionem, eam tamen inaequali modo cum Romano Pontifice exercent, qui cum sit universalis Ecclesiae Eppus et Pastor, plena in universum orbem iurisdictione gaudet, eamque longe sublimiori modo in omnes Ecclesias, ac Eppi in suas, exercet. Quare erga eum tum omnes singularium Ecclesiarum Pastores, tum universi fideles tam seorsum etc."

18. **Alius R. P.** sic censet: *verba C. Florentini sola et integra exscribenda sunt, itaque resecentur illa:* „iudicem supremum." *Non expedit damnare sententiam eorum, qui dicunt generale Concilium esse superius Romano Pontifice, vel hunc non esse infallibilem in sensu Schematis propositi. Ergo expungenda sunt ex hoc Capite quae hanc duplicem Papae praerogativam supponunt vel ad eam referuntur.* Ad conciliandam potestatem Summi Pontificis cum potestate Epporum in regimine Ecclesiarum haec vel his similia sunt addenda:

„Huius tamen supra definitae ordinariae immediataeque potestatis Summo Pontifici competentis usum ita moderari convenit, ut non impossibile aut nimis difficile reddatur exercitium iurisdictionis Epporum, quos ex ordinatione divina Summus Pontifex ut pastores ordinarios in Ecclesiae regimine sibi associat.

19. **Alius R. P.** scribit: I. *Post Caput XI novum caput scribatur de iuribus Epporum.* Hoc autem enixe peto sequentibus rationum momentis: 1. Omnibus constat tempora nostra esse Epporum auctoritati infensissima. Porro auctoritas haec, nisi Oecumenici Concilii auctoritate roboretur, in dies magis vilescet. 2. Hanc Epporum potestatis expositionem urgent verba e Concilio Prov. Coloniensis, ad quae clarissimi Schematis auctores provocarunt. Illam in Capite novo deducant, et quidem tum respectu magisterii, tum ministerii, tum regiminis sacri. 3. „Data est mihi etc. Sicut misit me Pater etc. Euntes ergo docete etc.“ quibus verbis SS. Apostoli constituti sunt magistri in Ecclesia. „Baptisantes eos etc. Sic nos existimet homo etc.“ quibus declaratur potestas ministerii. „Quorum remiscritis etc. Quaecunque alligaveritis etc. Pascite qui in vobis est etc. Attendite vobis etc.“ en potestatem regiminis. Quum vero Christus promiserit se futurum cum Apostolis usque ad consummationem seculi, patet luculenter, triplicem illam potestatem in omni sua amplitudine ordinaria ad Apostolorum successores, qui sunt Eppi, transiisse. Igitur si per temporis compendium non possit uberior, saltem tanta fiat iurium Eppis competentium commemoratio, quanta in S. Synodo Tridentina facta fuisse legitur Sess. 23. c. 4. — 4. Doctissimi Schematis auctores in adnot. haec habent: „Denique magistra et interpres normae agendi etiam pro civili societate publicisque negotiis est Ecclesia.“ Quis iam nesciat, ad Ecclesiam ut magistram et interpretem spectare Eppos? 5. Logicus ordo postulat, ut postquam Cap. X de Ecclesiae potestate in genere tractatum est, atque Cap. XI speciatim asserta illa potestas est, quae Summo Pontifici competit, sequenti capite agatur de illa, quam ceteris Apostolis eorumque successoribus, qui sunt Eppi, perinde divinitus traditam fuisse constat. Ut pateat, quanti fecerint SS. Patres hanc Epporum potestatem,

sufficiat alios inter S. Gregorium M. in medium afferre, l. XI ep. 37: „Si sua unicuique Eppo iurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debet ordo, confundatur?“ In hunc sensum loquitur Hadrianus II lib. ad Syn. Oec. 8: „Prima salus est, rectae fidei regulam custodire, dein a constitutis Dei et Patrum nullatenus deviare.“ II. *Citatur decretum unionis in C. Florentino. Impense rogarem, ut originalis textus decreti suae integritati restitutus citetur*, hocque ideo a) quia id postulat honor debitus tanto Concilio; b) quia id ipsum exigit S. huius Vaticanae Synodi auctoritas et dignitas; c) hoc ipsum sibi vindicat historiae veritas; d) denique idem svadet et prudens salutis oeconomia, ne illi, qui nondum prono feruntur animo in sacram unionem, plausibilem praetextum nanciscantur hocce sacrum Concilium Vaticanum vellicandi. Faciamus, quod fieri olim mandabat S. Gelasius ep. 5. ad Eppos Lucaniae: „Canonum paternorum vetus forma servetur.“ Dicamus et nos cum Leone IV in fragm. ep. ad Lothar. Imp.: „non potuimus praefixos Patrum terminos immutare.“ III. *Capite XI occurrit sententia haec:* „et hanc, quae propria est iurisdictionis potestas, ordinariam esse et immediatam.“ *Quomodo poterit hoc conciliari cum innumeris illis effatis SS. C. Tridentini, quibus Eppi asseruntur esse locorum Ordinarii?* Haecque Epporum qua Ordinariorum potestas ita plane se habet, ut ab illorum ordinatione certis in casibus nulla detur appellatio. Sess. 24. c. 10. *Videtur incompatibile, ut in una eademque Ecclesia circa easdem res duae existant potestates ordinariae et immediatae.* Potestas Eppi est divinae originis, non ecclesiasticae concessionis, prout est Parochorum potestas, quae idcirco a concedente extendi potest vel restringi. An potestas Eppi nonnisi vicaria fuerit potestas? Contra id conclamat universalis fides, atque convictio communis fidelium Ecclesiae ritus graeci, quam hi ex innumerabilibus Codicibus iuris Ecclesiae suae acceptam tenent. Videsis, ut alia innumera taceantur, lib. 2. Const. Apost. c. 26. 13. 29. 32. 42. Et Can. Apost. 88, 46; et Conc. CPnum IV can. 14 et 21.

20. **Alius** haec habet: I. *Opportuna esset brevis expositio errorum, qui in Cap. XI damnantur.* Secus quorsum

tanta dicuntur de immediata et ordinaria iurisdictione Summi Pontificis? nec intelligetur, quod dicitur Can. 16 de officio directionis et inspectionis. II. *Multi, qui derogant plenitudini potestatis R. P. facile dabunt, eius esse iurisdictionem ordinariam et immediatam in omnes et singulos Pastores, sed denegabunt eam respicere Pastores collective spectatos, seu corpus Epporum. Huic errori nulla formula magis opposita, quam illa Leonis X in Conc. Later. V, in qua expressis verbis declaratur: Pontificem Romanum super omnia Concilia habere auctoritatem.* Praeterea solemnis allegatio Concilii Later. esset quaedam veluti confirmatio Concilii illius.

21. **Alius** dicit: in articulo 2 locum: ubi sermo est de praecedentium Conciliorum definitionibus, sic amplificandum putarem: „Hinc innovantes tum praeced. Conc. generalium, inprimis Conc. Oec. Florentini, disertas perspicuasque definitiones etc.“ Ratio: oecumenicam autoritatem dogmaticorum decretorum C. Florentini a quibusdam pertinaciter negari constat.

22. **Alius** haec animadvertit: *distingvenda in Summo Pontifice quae sunt de iure divino ab iis, quae facto humano orta sunt; ac proinde verba Schematis hoc modo reformanda:* „Semper enim in suis successoribus Eppis S. Rom. Sedis ab ipso primum fundatae, eiusque consecratae sangvine vivit et praesidet et iudicium exercet (Petrus). Quamvis enim in Petri potestate fuerit eligere sedem, in qua sibi succedentes Primatum in universam obtinerent Ecclesiam; tamen cum ipse Romanam elegerit, eamque usque ad obitum rexerit, non amplius in alicuius est potestate, Primatum ab hac Sede suisque in ea successoribus divellere, alioque transferre. Hinc qui Petro in hac Romana Cathedra succedit, is iuxta Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet etc.“ *Ita correctum Schema errorem damnat eorum, qui cum Photio, Febronio, aliisque neotericis, quibuscum consentiunt liberales, Ecclesiae primatum a Sede Romana seiungi posse contendunt.* Cui quidem errori nonnulli quoque ex Catholicis quandoque adhaeserunt, et Ballerinius ipse haud satis repugnat; quippe qui dubitet, num huiusmodi separatio auctoritate saltem Rom. Pontificis fieri possit an non. Quantum

hoc a veritate longe se habeat, constat ex Vicleffi propositione damnata a Concilio Constantiensi: „non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.“ Quae enim credenda sunt necessitate salutis, ut ait Gerdilius, temporibus non commutantur. Novum quoque robur huic veritati accessit ex damnata in Syllabo propos. 35. Quae cum ita sint, *non incongrue factum existimarim, si post verba* „aut etiam contendunt licere ab iudiciis Rom. PP. etc.“ *adiiciantur sequentia: aut quomodocunque sustinent Summum Pontificatum ab Romae Eppo atque urbe ad alium Eppum aliamque civitatem, alicuius Concilii Gen. sententia aut universorum populorum facto transferri posse.*

23. **Alius** dicit: *Ad rem conferre videtur, si praemittatur tamquam inconcussum rei fundamentum, quod iam de fide circa Primatum Summi Pontificis credendum est*, atque ex erroribus fidem hanc infirmantibus occasio sumta fuerit explicatius hac de re proponendi Ecclesiae doctrinam. Omittenda videtur commemoratio et reprehensio errorum illorum, qui Canonibus damnantur, ne bis idem efficiatur.

24. **Alius** haec habet: *Ad refellendum errorem, qui hac nostra aetate late grassatur, sola de Romano Pontifice pertractatio non sufficit.* Alia prorsus necessaria doctrina ad refutandos etiam schismaticos adnotanda est de ecclesiastica potestate S. Petro et Apostolis, iisque solis divinitus tradita, a quibus divina institutione in eorum successores derivatur. Itaque *seorsim tractandum est in Schemate* 1. *de administratione Petro et Apostolis data;* 2. *de Primatu R. P.* 3. *de potestate Epporum.* Quae in fine Cap. XI de iure communicandi cum Pastoribus et fidelibus dicuntur, satius remitti videntur ad Caput de iuribus Ecclesiae quoad societatem civilem pertractans. Posita hac generali animadversione, 1. exordium sumendum est non ab institutione Primatus S. Petri, sed ab administratione Petro et Apostolis divinitus tributa; 2. de iis, quae perpetuitatem ac finem Primatus respiciunt, institui debet sermo, cum de primatu R. P. agendum est; 3. expungenda putarim verba „sive omnibus simul,“ ne credatur soluta implicita saltem quaestio, de qua infra, an Concilio Generali superior sit Romanus Pontifex? 4. Statuendum est, Primatum

S. Petri eo moriente nequaquam extingvi, attento primatus eiusdem fine. Quaestio est, quonam iure Romanae Sedi adnexus sit? De quaestione hac plane silere et in canonibus verbis „Romanum Pontificem, Romanos Pontifices“ verba alia „Summum Pontificem, Summos Pontifices“ substituere praestat. 5. Definitio Concilii Florentini integre est referenda cum verbis „quemadmodum etc.“ et sine ulla additione. 6. Verba prout iacent de potestate „ordinaria et immediata“, nisi accuratius explicentur, ita poterunt interpretari, ut Eppi in suis dioecesibus vel nullam habeant potestatem ordinariam et immediatam, vel eam habeant communem cum Summo Pontifice. Praeclare Concilium Later. IV: „Romana Ecclesia disponente Domino super omnes alios ordinarium potestatis obtinet principatum.“ Huic declarationi inhaerendum puto, sed simul non recedendum ab iis, quae ad rem ait auctor libri: „Febronius abbreviatus“: Primatus limites habet, quos Salvator ipse posuit. 7. A Summis Pontificibus non fuit proscripta quaestio, an Concilium sit superius Romano Pontifice? sed factum solum provocationis ad Concilium ideo reprobatur, quod Appellantes ea mente res suas ad Concilium revocare consveverint, ut ecclesiastica iudicia subterfugiant. Auctoritas vero Leonis X in Concilio Later. V non probat, nisi Romanum Pontificem indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum plena frui potestate. Tandem *proponit* (24 Pater) *sequens Schema*:

Cap. 1. *De Ecclesiae potestate Petro et Apostolis data.* Administrationem Ecclesiae Petro et Apostolis traditam fuisse apertissime demonstrant Christi ipsius verba ad Apostolos: Sicut misit me Pater etc. Euntes docete etc. Quaecunque ligaveritis etc. (Ioan. 20, 11. — Matth. 18, 15. 28, 13.) Quae verba Petro pariter et Apostolis ceteris dicta sunt, ideoque Petrus et Apostoli pares erant in potestate Apostolatus: „hoc erant et ceteri Apostoli, ut ait S. Cyprianus, quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris et potestatis.“ Verum salva Apostolatus potestate, ceteris Apostolis praelatus est Petrus, cui Christus potestatis plenitudinem seu primatum non modo honoris sed etiam iurisdictionis in universam Ecclesiam immediate ac directe promisit, (Matth. 16, 18.) et post suam re-

surrectionem praesentibus reliquis Apostolis uni contulit, dicens: Pasce agnos meos, pasce oves meas. (Ioan. 21, 16.) Unde *condemnamus et reiicimus contrarias sententias tum illorum, qui docent potestatem ecclesiasticam toti Ecclesiae datam esse, in eaque uti potiori et immediato subiecto residere, a quo Pontifici et Eppis veluti christianae plebis ministris et instrumentis communicatur; tum eorum, qui negant Petrum ceteris Apostolis praelatum fuisse, eumque solum primatum tum honoris tum iurisdictionis, seu curam totius Ecclesiae ab ipso Christo accepisse.*

Cap. 2. *De Primatu R. P.* Primatum a Christo institutum esse, ut Catholicae Ecclesiae unitas formaretur, sarta tectaque custodiretur, ex perpetua luculentaque SS. Patrum traditione certum est. Quod autem totius communitatis bonum et regimen spectat, id sane oportet in eadem communitate fixum perpetuumque esse; adeoque moriente Petro primatus extingvi non debuit, sed omnino manere et ad finem usque seculorum firmiter perseverare, utpote qui non in commodum ipsius Petri, sed propter unam perpetuoque mansuram Ecclesiam institutus est. Itaque perpetuitas Primatus non secus ac ipsius institutio ab iure divino proficiscitur: adeoque ex ipso iure divino et Christi institutione aliquis sit, oportet, qui mortuo Petro in Ecclesiae primatum succedat. Succedit Romanus Pontifex successionis ratione, prout tum consensu totius Ecclesiae, tum Conciliorum auctoritate, tum denique veteribus liturgiis evidentissime constat. Itaque quidquid a Romano Pontifice et ab Apost. Sede ad fidei unitatem conservandam et ad commune bonum statutum ac decretum est, aut suprema sententia decisum, id venerabiliter tenendum est a christianis, atque esse apud omnes legis loco debet, tamquam ipsius Petri voce decretum ac firmatum; adeoque nemini fas est a quolibet Ap. Sedis et Summi Pontificis edito decreto ad futurum Concilium, quod non est, nec scitur quando futurum sit, appellare. Quo obtentu remanent scelera impunita, nutritur adversus S. Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis disciplina confunditur. (Pius II. Const. „Execrabilis.“) Itaque *damnamus ac reprobamus eorum sententiam, qui negant primatus potestatem a Christo Domino fuisse in Petro ita*

institutam, ut oporteat eundem in collata potestate perpetuos habere successores, eosque esse Romanos Pontifices. Praeterea innovantes et in omnibus sequentes tum praedec. nostrorum RR. PP. decreta, tum disertas perspicuasque Conciliorum generalium declarationes, definimus etc. (ut in C. Florentino.) Praeterea *decernimus ac definimus, decretis ac iudiciis a Romano Pontifice editis ita esse a christifidelibus obsequendum, ut nemini liceat ab iisdem ad futurum concilium generale appellare.* Tandem *damnamus eorum errorem, qui affirmant Summum Pontificem non habere super omnes Ecclesias ordinariae potestatis principatum; ac illum errorem, non posse et in universos fideles et in ipsos totius Ecclesiae Eppos, quatenus tota principatus vis sita esset in officio inspectionis vel directionis, et in supplenda Epporum negligentia.*

Cap. 3. *De Epporum potestate.* Eppi in locum Apostolorum successerunt; unde consequitur, potestatem Apostolorum in Eppos transivisse, quod ex natura successionis perspicuum est. Succedunt vero Apostolis in regimine Ecclesiarum, sive in potestate Eppatus, non autem in extraordinaria potestate Apostolatus, secus enim non singulariter Eppi sed Apostoli dicendi erunt. Potestas Eppatus totam ordinis seu imponendi manus potestatem complectitur, et simul potestatem peculiares Ecclesias regendi ac gubernandi. In hanc potestatem Eppi succedunt declarante Tridentina Synodo Sess. 23. de Ord. c. 4.: „Eppos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere; et positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, et S. Petrus, pascite qui in vobis est gregem Domini. (Act. 10—1 Pet. 5, 2.) Dum sibi creditas dioeceses pascunt singuli Eppi, ad regimen universae Ecclesiae, quae ex his dioecesibus constat, operam et industriam conferunt, suumque gregem pascunt, et oves universas, quas Christus sangvine suo et passione quaesivit, colligere et fovere debent. Unde sequitur in eppali gradu duplicem locum iurisdictionis vis inesse, eam nempe quae in singulis Eppis est, et eam quae in universo pastorum corpore, quod Eppi efficiunt sub Romano Antistite, omnium Capite constituto. Auctoritas eppalis corporis exercetur potissimum in Con-

ciliis oecumenicis ad canonum normam rite peractis, in quibus ius ipsis subsellii est, ferendique suffragii decisivi divinitus concessum, et una cum Romano Pontifice fidei morumque capita definiendi, et de generali disciplina canones constituendi, adeoque non consiliarii neque consultores, sed vere iudices sunt. Praeterea in singulis Ecclesiis potestatem iurisdictionis cum imperio coniunctam habent, h. e. potestatem leges ferendi, quae iuri communi ecclesiastico, aut Summ. Pontificum et Oec. Conciliorum praescriptionibus non adversentur; potestatem iudicandi causas spirituales et ecclesiasticas, et potestatem corrigendi ac puniendi reos ac criminosos poenis canonicis. Potestas haec Epporum in singularum Ecclesiarum regimine citra fines Ecclesiae, ad quam legitime missi sunt, coërcetur, nec ad omnes Ecclesias se porrigit; Eppi insuper in suis dioecesibus non omnia possunt, sed eorum potestas Summi Pontificis auctoritati atque Sedis Apostolicae et ss. Canonum decretis obnoxia est, et eius usus intra quosdam limites restringi et contineri potest. Itaque *inhaerentes Concilio Tridentino declaramus, Eppos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos esse, sicut Apostolus ait, a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores existere; declaramus pariter, in Conciliis Generalibus potestatem suffragii decisivi ferendi seu definiendi solis Eppis divinitus concessam esse, eisque in spirituali singularum Ecclesiarum, in quibus facta legitima plebis assignatione legitimi pastores sunt, regimine collatam esse potestatam ferendarum legum, iudicandi ac puniendi, semper superiori Rom. Pontificis auctoritati obnoxiam, et S. Sedis ac SS. Conciliorum decretis subiectam. Quare illorum errores reiicimus ac condemnamus, qui docent Eppum quemque habere iurisdictionem indole sua universalem, quam pro iure suo exercere potest, quoties id fidelium salus exposcere videtur; et quemlibet Eppum in ordinaria sua dioecesis administratione plenam obtinere auctoritatem, a qua nihil iure divino exceptum sit, cui etiam Romanus Pontifex et Concilium Generale nullum novum limitem apponere potest, nisi quem Eppus ipse acceptat.*

Canones. 1. Si quis dixerit, potestatem ecclesiasticam

toti Ecclesiae datam esse, in eaque ut primo et immediato subiecto residere, a quo Summo Pontifici et Eppis veluti christianae plebis ministris et instrumentis communicetur, anathema sit. 2. Si quis dixerit, Petrum ceteris Apostolis non fuisse praelatum, neque primatum honoris et iurisdictionis seu curam totius Ecclesiae ab ipso Christo accepisse, anathema sit. 3. Si quis dixerit, Primatus potestatem a Christo Domino non fuisse in Petro ita institutam, ut oporteat in eadem perpetuos adesse successores, eosque non esse Summos Pontifices, anathema sit. 4. Si quis dixerit, Summum Pontificem non habere ordinarium potestatis principatum in universam Ecclesiam, sed tantummodo potestatem mediatam et extraordinariam, quatenus tota principatus vis sita sit in officio inspectionis vel directionis, et in supplenda Epporum negligentia, anathema sit. 5. Si quis dixerit, decretis a Summo Pontifice editis Christifideles non ita obstringi, ut a quolibet huius decreto cuilibet non liceat ad futurum concilium appellare, anathema sit. 6. Si quis dixerit, Eppos, qui in Apostolorum locum successerunt, non esse positos a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei; eosque in Conciliis Gen. ad canonum regulam rite peractis iure ferendi suffragii decisivi ex iure divinitus dato non gaudere; et in singulis Ecclesiis, ad quas legitime missi sunt, potestatem iurisdictionis cum imperio coniunctam non habere, anathema sit. 7. Si quis dixerit, Eppum quemque habere iurisdictionem indole sua universalem, quamque iure suo exercere potest, quoties id fidelium salus exposcere videtur, maxime vero si eorumdem fides periclitetur; et quemlibet Eppum in ordinaria sua dioecesis administratione plenam obtinere auctoritatem, a qua nihil iure divino exceptum sit, anathema sit.

25. **Alius** dicit: Ne verbum quidem de Eppis, quos Spiritus S. posuit etc. et qui sunt columnae domus superni Regis etc. (Nicol. 1. ad Epp. Gall.) Eppatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. (Cypr. de unit. Eccl.) *Necessarium* ergo *mihi videtur, ut Capiti XI de R. P. primatu praemittatur quasi fundamentum aliud Caput de Eppis*, in quo ea saltem dicantur, quae in Cap. XI Schematis a R. Eppo Moguntino propositi continentur. *Caput XI scholae potius umbram quam Aulae Conciliaris dignitatem sapere mihi*

videtur. Quae R. Moguntinus c. XII Schematis sui disputat, nonnullis additis lineis sufficere hoc loco videntur. Speciatim vero *verba illa, quibus de ordinaria et immediata Romani Pontificis in omnes et singulas Ecclesias iurisdictione sermo fit, aut omittenda aut ita temperanda censuerim, ut Epporum iura nullo modo laedantur*. Quare haec verba inserantur: „Et licet Christus Dominus Apostolis suis eorumque successoribus Eppis ecclesiarum immediatam et ordinariam contulerit docendi et pascendi potestatem, haec tamen Romano Pontifici sic subordinata est, ut suprema etiam Pontificiae iurisdictionis potestas in omnes et singulas ecclesias propria iudicetur et ordinaria; quae tamen tunc solum intervenit, quum aut alicuius particularis dioecesis aut universalis Ecclesiae sive utilitas sive necessitas id postulat. Omnes igitur Ecclesiarum pastores et fideles erga hanc Summi Pastoris potestatem officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo Pastore.“ *Omnia, quae litem movere possent, omittantur, puta quaestio illa: a quonam singulis Eppis iurisdictio ordinaria deferatur?* Concilii Tridentini definitioni acquiescendum esse etiam hodie tum aliis tum hac potissimum de causa putarim, ne iterum tempus Oecumenicae Synodi inutilibus de hac quaestione disputationibus teratur.

26. *Stylares modificationes* **alius Pater** proponit, et *obiicit, quod nil aut ferme nil dicatur Capite XI Schematis de Eppis* eorumque necessaria cooperatione cum Papa ad fidem custodiendam et definiendam.

27. **Alius** haec habet: *Haud facile videtur, sententiam aperire de parte Schematis, quin cognoscatur praecisa exaratio partis anterioris a qua dependet. Caput desideratur de Sacra Hierarchia, et praemittendum esset Capiti de Romano Pontifice.* Consultius videtur formulam Concilii Florentini ad amussim retinere, utpote acceptatam a Graecis et Orientalibus. *Ad tollendas accusationes, quasi dictum sit, unum tantummodo esse in tota Ecclesia Eppum, cuius omnes alii Eppi sint Vicarii, praestat clare potestatem Primatus*

ordinariam ex institutione Christi distingvere a potestate Eppi in propria Ecclesia utique ordinaria ex ipsamet institutione Christi ; quod fieri poterit addendo vocabulum Primatus. Quum factis constet, per Summos Pontifices negotia maximi momenti in Conciliis tractata et definita fuisse, necesse atque sufficere videtur, dicere generatim: non licere ab iudiciis Summi Pontificis appellare.

28. **Alius** sic ait: *Putarim clarius esse exponendum officium obedientiae erga Romanum Pontificem, addendo: obedientiam huiusmodi ad res quoque disciplinares extendi oportere.* Ex formulis propositis ea magis arridet, quae brevior est, nimirum: „obedientia tam in rebus fidei quam disciplinae obstringuntur"; quae additio insuper magis placeret, si Canoni XVI inserta esset hoc modo: „plenam ac supremam potestatem iurisdictionis tam in rebus fidei quam disciplinae in universam Ecclesiam."

29. **Alius** haec dicit: Hanc suggero mutationem: „Hinc innovamus tum praed. nostrorum RR. PP. decreta, tum praecedentium Conciliorum Generalium, praesertim vero Lugdunensis II et Florentini, disertas perspicuasque definitiones de primatu Ap. Sedis." (Reliqua ad minores, et stylares spectant modificationes.)

30. **Alii RR. Patres** censerent non parvi fore momenti, si sequentia adderentur: „(consequitur) *iure proprio ac divino ad unum pertinere Romanum Pontificem, instituere confirmareque Eppos*, ita, ut non aliquis etiam consecratus unquam sit aut fuerit verus et legitimus pastor, qui locum Eppatus non obtinuerit per institutionem confirmationemve saltem mediatam S. Sedis et iuxta normam ab eadem S. Sede approbatam aut recognitam." Item in fine post haec verba „damnamus ac reprobamus" adderetur: *errorem illorum, qui contendere ausi sunt, aliquem posse unquam fieri verum et legitimum pastorem, quem non instituerit aut saltem mediate confirmaret Romanus Pontifex.* Rationes praedesideratarum additionum sunt sequentes: 1. hanc institutionem confirmationemve Epporum tamquam ius proprium et necessarium S. Sedis plures haud semel negarunt, v. g. in praetenso Concilio Parmensi sub Napoleone I; 2. in gravioribus rerum adiunctis, ubi instat

periculum schismatis, solent excogitare Potestates Seculares, utrum et quomodo absque Papa, imo eo reluctante, canonice constitui possint Eppi; 3. praedicta doctrina manifeste sequitur e suprema ordinaria et immediata potestate iurisdictionis, quam habet Summus Pontifex in universalem Ecclesiam; 4. est independens a solutione quaestionis controversae de origine iurisdictionis, utrum ista immediate a Deo necne veniat singulis Eppis.

31. (Minores mutationes.)

32. **Alius** censet: vocem „principium" expungendam esse, cum satis sit ad adstruendam veritatem catholicam dicere: „visibile fundamentum", ut ibi dicitur, et aliunde vox „principium" aequivocationi locum dare possit. Christus enim est tamquam principium unitatem Ecclesiae constituens. Porro *deest propria ratio, cur primatus Petri et promissio illi a Christo facta debuerint in eius transire successorem. Quare immutandus videtur § sequenti modo: Quod autem D. N. I. C. Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium ad bonam constitutionem ideoque essentiale Ecclesiae suae in B. Apostolo Petro instituit, id iugiter durare in Ecclesia necesse est, quae ipso Christo auctore fundata est super petram et ad finem seculorum usque firmiter stabit.*

33. **Alius** ait: *ad Cap. X et XIII, ubi asseritur veram Christi Ecclesiam non aliam esse praeter unam sanctam catholicam et apostolicam Romanam, vellet ut tolleretur* „Romanam." Ratio est 1. in venerationem Symboli Nicaeno-CPni, in quo quatuor tantum notae indicantur; 2. ne suspicentur gentes Orientales, scopum definitionis Vaticanae esse, statum antiquum et proprium Ecclesiae Orientalis destruendi, illamque in formam Ecclesiae Occidentalis redigendi; praesertim cum apud illas gentes vox „Romana" idem significare soleat ac „Occidentalis." 3. Dum quatuor notae Nicaenae sint intrinsecae et essentiales Ecclesiae, illi est accidentale ut sit Romana, cum hoc pendeat a facto mere accidentali Petri Romae mortui. Ad haec 4. „Romana" est vox geographica, particularem locum significans, unde non satis vox illa consuleret catholicitatis notae. Tandem 5. quia si aliquis exurgeret Antipapa, ut in tempore Novatianorum, qui se Romanum Pon-

tificem diceret, vox illa non esset iam distinctiva verae Ecclesiae. His de causis loco huius appositi proponit sequentem formulam: „et apostolicam, caput visibile habens Rom. Pontificem.“

34. **Alius** *probat omnem doctrinam. At redactionem improbat ut aliquatenus implexam, involutam, et saepe redundantem.* Novum schema deinde subiungit cum adnotationibus declarativis.

35. (Modificationes quoad stylum et redactionem.)

36. **Alius** sic dicit: *Tollatur additamentum factum decreto Florentino de officio supremi iudicis in rebus fidei in Romano Pontifice residente. Nec dicatur Pontificem Romanum habere ordinariam et immediatam potestatem, sed* „superordinariam“, *eminenter non formaliter continentem potestatem Eppi,* quodammodo sicut Deus continet perfectiones creaturarum. Formula enim proposita videtur excludere iurisdictionem ordinariam Epporum.

37. **Alius** approbat sub duplici conditione: 1. quod compleatur decretum Florentinum addita clausula: quemadmodum in gestis Oec. Conciliorum et in sacris canonibus continetur. 2. Ut determinetur sensus vocis „ordinariae potestatis.“ Ordinaria est sane Summi Pontificis potestas, eo sensu, quod non sit delegata; non autem eo sensu, quod „ordinarie eadem ac ab Ordinario“ in qualibet dioecesi exerceri possit.

38. **Alius** approbat valde, sed cupit, ut integre citentur verba Christi ad Petrum Matth. XVI: Et ego dico tibi etc.

39. **Alius** ab initio, ubi dicitur in Petro institutum utriusque unitatis, fidei et communionis, „principium perpetuum“, ait: *insolitum est et exaggeratum dicere, Romanum Pontificem esse principium unitatis fidei.* Non est primarium, nam hoc est Christus; nec secundarium, nisi praesupponatur, quod probandum est, Corpus pastorum cum Petro coniunctum non esse illud principium, sed solum Papam personaliter et independenter ab Eppis de fide iudicare. Eo magis displicet formula illa, quod paulo supra unitas trium personarum in Trinitate velut exemplar unitatis in Ecclesia exhibita fuerit. *Inde consequeretur Papam esse fontem omnium quae habent Eppi,* quemadmodum a Patre in Filium, et in Spiritum

S. ab utroque communicatur diva natura; *quod esset monstrum doctrinae.* Ad probandum, Pontificem esse principium unitatis fidei, affertur haec ratio, quod habeat primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam. At *potest habere primatum iurisdictionis, quin sit supremus iudex in fide. Nam revelatio est factum, cuius depositum est penes totam Ecclesiam, de quo igitur Eppi authentice testimonium omnes facere debent.* — Assertum: „ad unum namque Petrum Christus dixit, tu es Petrus, tibi dabo claves, quodcunque ligaveris", est verum de primo textu; falsum de duobus aliis, quorum prior aequivalenter, et posterior expressis verbis omnibus Apostolis dictus fuit. — Ubi dicitur tamquam fidei dogma „Petrum solum prae omnibus Apostolis non solum seorsim singulis sed et omnibus simul vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum": *Primatus iurisdictionis comprehendit in mente auctoris Schematis principium unitatis in fide. Sed hoc sensu verba sunt falsa. Nam non solus Petrus, sed Apostoli omnes simul promissiones assistentiae Christi et illuminationis Spiritus S. acceperunt, et revera simul iudicandi de fide munus exercuerunt,* ut narratur in Actibus Ap. — *Ad allegationem formulae Florentinae duo reprehendit:* 1. *additionem verborum* „Iudicem supremum", *ubi notatur: appositum* „Supremum" *videri spectare etiam ad vocem* „Doctorem", *quae immediate praecedit: supremam doctrinalem auctoritatem non penes corpus pastorum, i. e. Eppos coniunctos cum Papa, sed penes solum Papam personaliter et independenter ab Eppis residere, quod tamen non docuit Florentinum.* Vox „Iudicem supremum" legitur in Brevi Pii VI contra Eybel 20 Nov. 1786. At 1. Breve Pii VI non est Concilii Florentini nec alterius Concilii decretum, neque etiam iudicium ex Cathedra. 2. Iudex supremus non idem est ac doctor supremus. Iudicium enim non spectat per se ad res fidei, secus ac doctoratus. 3. Eybel merito damnatur, ut qui dixerit: fanaticum esse asserere, Romanum Pontificem existere Caput Ecclesiae et iudicem supremum Ecclesiae. Sed quid ad rem? 4. Eybel certe damnatus non fuisset, si dixisset simpliciter, supremum iudicem fidei et controversiarum non esse Pontificem Romanum personaliter et independenter

ab Eppis, sed Pontificem cum Eppis sive collectis sive dispersis, et sive expresse sive tacite consentientibus. Haec enim sententia quamvis plurimorum fuerit, numquam damnata est. *Alterum reprehendendum in citatione decreti Florentini est omissio ultimorum verborum:* „quemadmodum etiam in gestis Oecum. Conciliorum et in sacris canonibus continetur.“ — Ubi dicitur iurisdictionem Summi Pontificis esse ordinariam et immediatam erga omnes particularium Ecclesiarum fideles, tollantur haec verba, et dicatur: „et hanc, quae propria est iurisdictionis potestas, directe et immediate exerceri posse, prout Ecclesiarum necessitas vel utilitas postulabunt.“ Ratio mutandi: Hoc, quod Pontifex habeat potestatem ordinariam et immediatam in singulas Ecclesias, verum est et indubitatum eo sensu, quod iurisdictio R. P. ut summi Primatis in singulas dioeceses sit propria et non delegata, et quod certe et exerceri per se et directe valeat. Sed ita temperanda fuisset huius doctrinae expressio, ut clare videretur aliam esse potestatem Summi Primatis, aliam Ordinarii immediati et proprii uniuscuiusque dioeceseos Eppi, et ita utramque in suo ordine exerceri, ut illa huic non noceat; sicut fieret, si nimis frequenter et absque debita moderatione interveniret Romanus Pontifex. Alioquin ordo a Christo institutus penitus turbaretur et subverteretur. At cum proposita mutatione in decreto integrum servatur ius Summi Pontificis, et non videntur violari aut praetermitti Epporum iura. *Propria* enim satis supplet *ordinariam*, et *prout necessitas vel utilitas postulabunt* adiicit temperamentum, quod libertati Pontificis non officit, et ingerentiam eius immoderatam excludit. — Ubi dicitur: *Pastores et fideles tam seorsim singuli quam simul omnes* — tollantur haec postrema verba: quia formula extenditur ad iudicium doctrinale, ac proinde videtur pastores assimilare privatis fidelibus, quasi et ipsi vero assensu deberent iudiciis pontificiis adhaerere, unde non amplius essent iudices fidei. Hac praeterea doctrina damnaretur tum praxis perpetua Conciliorum, tum expressa doctrina tot praeclarorum doctorum, qui tenuerunt Eppos esse coiudices Summi Pontificis in negotio fidei. Ea de causa mutanda sunt, quae dicuntur de Romani Pontificis iurisdictione supra omnem Ecclesiam, etiam supra Pastores col-

lective spectatos. Quamvis enim non liceat a Papa appellare ad Concilium Oecumenicum, non ex hoc excluditur ius Epporum in materiis fidei, maxime collective sumtorum, quae est doctrina liberrima. — Ubi de *beneplacito regio* minime necessario ad valorem decretorum Ecclesiae agitur, dicta quidem probat, tamen ad vitandas Guberniorum offensiones vellet dici quaedam de concordia fovenda in rebus quae *mixtae* dicuntur.

40. *Optat* **alius Pater,** *ut Primatus R. P. non ex sola Scriptura, prout fit in Schemate, sed ex traditione etiam comprobetur. Vult, ut iurisdictio Pontificis non dicatur in singulas dioeceses ordinaria.* Namque ait eiusmodi concurrentem Pontificis iurisdictionem nullus Eppus suae missionis et dignitatis sibi conscius admittere potest; ac meminisse debuissent auctores Schematis, Eppos non esse Summi Pontificis vicarios, quippe qui proprio iure eoque divino gregem sibi commissum gubernant. Observat denique vix ullum fidei articulum adeo schismaticis et protestantibus exosum esse, quam catholicam de Primatu doctrinam. Quapropter haec doctrina cum magna prudentia et circumspectione proponenda est, ne adversariorum animi magis magisque exacerbentur, et ab unione cum Ecclesia Cath. deterreantur.

41. **Alius** haec proponit: 1. Loco *perpetuum utriusque unitatis principium* dicatur: *perpetuum utriusque unitatis medium centrumque necessarium;* quia primarium unitatis principium in Ecclesia est Christus, secundarium autem unitas collegii Apostolici, cuius centrum ac medium Petrus est. Item loco *visibile fundamentum* dicatur: *praecipuum fundamentum;* Petrus enim est Ecclesiae fundamentum, ast non unicum, cum ex aequo, ut scribebat S. Hieronymus, super ceteros Apostolos fortitudo Ecclesiae solidetur. 2. Ex verbis *ad unum namque Petrum* vox: *unum* deleatur. Haec verba Christi ad Petrum, (Matth. 16.) ait Augustinus, non habent illustrem intellectum, nisi ad Ecclesiam referantur. Ergo certum non est, ea ad solum Petrum referri: materialiter ad solum Petrum dirigebantur, formaliter ad Ecclesiam. 3. Verba illa *sive omnibus simul (*Pastoribus) omittantur utpote aequivoca. Si enim integra propositio, quae hoc loco legitur, eo sensu intelligatur, quod solus Petrus inter Apostolos primatus praerogativa ditatus

fuerit, non solum vera, sed fide catholica certa est: si autem hoc sensu, quod Apostolorum collegium et quidem Petro coniunctum vera et propria iurisdictione non fuerit instructum super universam Ecclesiam, aut eo sensu, quod comparando Petrum cum ceteris Apostolis simul sumtis superioritatem Petri super Apostolorum collegium asserat, non ita certa est. 4. Restituatur formula fidei Florentina, qualis habetur in actis. 5. *Sensu canonico et theologico dici potest Romanus Pontifex iurisdictionem habere ordinariam et immediatam in singulas dioeceses, dummodo non intelligatur esse solus vere et proprie omnium Ecclesiarum Eppus*, ceteri vero tamquam improprie dicti pastores et doctores, seu improprie dicti Eppi habeantur; aut etiam dummodo non duo asserantur esse in unaquaque ecclesia Eppi proprie dicti. Idcirco non placet, ut appelletur iurisdictio pontificia *Eppalis*, prout fit in adnotationibus Schematis. 6. In Schemate eo fine iterantur hae voces *seorsum singulis et simul omnibus*, ut fide catholica tenendum esse statuatur, Pontificem Romanum esse superiorem collegio Epporum simul sumto aut Concilio Generali. Quo autem iure id fieri possit, non apparet, cum plura in contrarium proferri queant tum ex Concilio Gen. V et ex Conc. Constantiensi, tum ex dictis RR. PP. Eugenii IV, Pii II etc. ac praesertim contradicat Martinus V in bulla „Inter cunctas," ubi 41 propositionis Wicleffi, quae sic se habebat: „Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias" damnatio ita explicatur: „Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares." (Labbe Conc. XII. 267.)

42. *Laudat* **alius R. P.** *integrum Caput XI Schematis; quaedam tamen addenda censet.* Sic post verba: „ita ut quicunque in hac cathedra Petro succedit, is iuxta I. C. institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtineat" addendum putat: „et quidquid ab Ecclesiae Patribus, Doctoribus, Conciliis reperitur dictum et praedicatum de Petri Cathedra, de Sedis Apostolicae aut Romanae Ecclesiae dignitate ac suprema potestate in omnes totius orbis Ecclesias, id

omne praecipue et primitus dictum et praedicatum fuisse intelligatur de B. Petri eiusque successorum potestate et dignitate in universam Ecclesiam: a qua oritur, et in qua residet ac viget omnis Sedis Apostolicae, Cathedrae et Ecclesiae Romanae dignitas, potestas, principalitas, et omnium supremorum iurium summa." — De *obedientia Romano Pontifici debita* perutile censet ut addatur: „ideoque non tantum externum obsequium, sed etiam *internum mentis cordisque assensum R. P. iudiciis esse praestandum,* ut custodita cum Rom. Pontifice eiusdem fidei professione eiusdemque regiminis unitate, Ecclesia Christi sit grex unus sub uno Summo Pastore, unumque ac idem regnum Dei sub uno supremi Regis I. C. Vicario adunatum." Addendum insuper putat: „Insuper *damnamus omnes illos, qui summam maioritatem Papae negant, aut inter ipsum et Epporum coetum aliqualem divisionem ponunt, et Ecclesiae Catholicae supremum Pastorem a particularium Ecclesiarum Eppis ceu Caput a corpore, Petrum ab Ecclesia distrahere moliuntur,* quasi fratrum omnium coetus, quos Petrus etiam in suis successoribus confirmare iubetur, posset unquam ab illa Petri et successorum eius fide desciscere, quae ex Christi promissionibus numquam deficere potest; aut qui a Petro confirmandi sunt iuxta ss. Evangelium, Petrum ipsum e contra docere et confirmare queant. Damnamus pariter illos, qui, ut errores a Romano Pontifice damnatos in vulgus diffundere possint, proferre minime verentur sensum verum librorum, e quibus damnatae propositiones excerptae fuerunt, a Summo Pontifice haud recte intellectum fuisse." —

43. **Plures alii Patres** proponunt: 1. Ut in prima phrasi voci *principium* substituatur vox *centrum*, SS. Patrum traditione recepta, et unitatis catholicae ideam plenius exprimens; et post vocem *primatum* ad integram doctrinae expositionem errorumque adversantium condemnationem addatur: *non honoris tantum sed et iurisdictionis, magisterii scilicet et regiminis.* 2. Ut in secunda phrasi ad excludendam omnem ambiguitatem obiectionesque praecidendas haec interserantur: „ipsi quoque, (Petro) priusquam ad apostolicum collegium eadem verba dirigeret, Christus effatus est, subdens: et quod-

cunque ligaveris“ ; aut tota phrasis saltem sic inchoetur : „Unum namque Petrum Christus Filius Dei vivi alloquebatur, quando dixit : Tu es Petrus“ ; negari enim non potest, ultima textus evangelici verba, *quodcunque ligaveris*, fuisse postmodum a Christo Domino dicta toti collegio Apostolorum. 3. Ut in phrasi sequenti supprimantur hae voces : *sive seorsum singulis sive omnibus simul*, quia necessariae non sunt, ut plenissime exprimatur Primatus R. P. in universalem Ecclesiam, et aliunde innuere videntur possibilitatem alicuius separationis inter caput et membra, inter Petrum et collegium ceterorum Apostolorum, 4. Ut referatur definitio Concilii Florentini absque ulla sive additione sive omissione. Addatur autem postea : „Docemus pariter et declaramus, potestatem primatus iurisdictionis ipsi propriam ordinariam esse et immediatam, quae directe per ipsum et absque ullius impertita delegatione aut assensu requisito exerceri valeat, ut custodita cum Rom. Pontifice et a Pastoribus et a fidelibus tam communionis quam eiusdem fidei unitate etc.“ Sic enim clarius exponitur sensus vocum *ordinariam et immediatam.* — Denique ne detur ansa querelis Guberniorum, expresse declaretur in fine capitis, regula ultimo loco exposita non contineri quaestiones mixtas, quae mutua potius utriusque potestatis concordia et benevolis conventionibus terminandae sunt. —

44. **Plures alii RR. Patres** haec animadvertunt : 1. Non ad unum Petrum, sed ad ceteros etiam Apostolos dictum est : quodcunque ligaveris etc. 2. Verba, quae ex Conc. Lugdunensi II proferuntur, vim non habent decreti Conciliaris, et praeterea citanda saltem essent iis aliis additis, quibus explicatur potestatis Pontificiae ratio : „Ad hanc (Rom. Ecclesiam) sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit. 3. Enixe rogant, ut decretum Concil. Florentini integrum referatur ; ait enim Martinus I in Concilio Romano : „Dogmata Patrum firmamus, nihil addentes, nihil subtrahentes.“ Hac autem occasione *acriter RR. Patres insimulant auctores Schematis, quod dixerint : verbis illis* „quemadmodum etiam in gestis Oec. Conciliorum etc.“ *plenam Primatus potestatem non limitari, neque sacris Synodorum canonibus obnoxiam declarari.* In

medium enim proferunt ex ipsismet Actis quae dicta aut facta sunt in Concilio, et aiunt manifeste colligi a) textum graecum eandem vim legalem habere quam habet textus latinus; b) textum graecum, cuius sensus (inquiunt) in manifestissima luce ponitur discussionibus praeviis Graecorum, et duabus orationibus Bessarionis, iis verbis efferri, quae interpretationem auctorum Schematis nulla ratione admittunt. c) Summum Pontificem omnibus postulatis Graecorum assensum praebuisse. „Quomodo ergo, inquiunt, notae Schematis hic loquuntur de Iansenistis, de Gallicanis, de Regalistis etc. Non agitur hic neque de Iansenistis, neque de Gallicanis, neque de Regalistis; agitur de veritate historica et certissima; agitur de decreto fidei prout conditum fuit, et quod iuxta prohibitionem S. Martini nemo debet et potest mutare." — 4. Instantissime postulant, ut clarissime explicetur sensus verborum *iurisdictio ordinaria et immediata*, ita, ut remaneant salva divina Epporum iura. Illud enim esset maxime luctuosum, si ex silentio Concilii Vaticani possent vel aliquantulum provenire labefactatio praecipuorum membrorum Ecclesiae et imminutio in praxi iurium Epporum, qui sunt, ut ait Angelicus Doctor, vicarii Dei, quantum ad regimen Ecclesiae. —

45. **Alius R. Pater** *censet agendum esse in Concilio de muniis seu iuribus Epporum.* Id enim necessarium videtur ad eliminandam invidiam, quasi in decretis condendis solius Romani Pontificis ratio habita fuerit; et etiam ut securitati Epporum, et concordiae inter fratres consulatur.

46. **Alius R. P.** censet 1. quod *uberior desideretur doctrinae, quae traditur, expositio.* Quaecunque demum sit definitionis formula, quam prae ceteris aliqua forte prudentiae ratio adhibendam svadeat, id efficiendum est, ut quae docentur, manca non videantur, nullusque cavillationibus, quantum fieri potest, relinquatur locus. 2. *Primatus et infallibilitas Summi Pontificis arctissimo vinculo inter se cohaerent, cum ipsius primatus in Ecclesia divinitus instituti vis et ratio postulet, ut Romanus Pontifex absque erroris formidine catholicam veritatem edocere, eique repugnantes errores damnare valeat.* Si tamen mutata locutione semper adhibita in superiori capite, hic dicatur *Romanae Ecclesiae,* non *Ro-*

mani Pontificis Primatus, etsi non mutentur nisi verba, nexus inter unum et alterum caput, prout iacent prima addendi capitis verba, primo intuitu non videtur esse perspicuus.

47. **Alius Rmus** ita animadvertit. a) *Generalis observatio.* Non placet, quod *tota fere expositio quasi iuridica quaedam vindicatio, dura et arida* est, illa unctione, quae e. g. Concilii Tridentini decretis, Catechismi Romani expositionibus inest, et legentium animos dulciter attrahit, omnino carens, Primatum in Ecclesia Christi adinstar severissimae secularium principum dominationis ostendit, paternum vero huius primatus characterem, clementem beneficam amabilem primatus auctoritatem, perennem pro Ecclesia et toto mundo salutis fontem ex hac divina institutione manantem vix leviter tangit. Hac expositionis (non rei) duritia et asperitate tamquam iugum durum magis quam ut amabile Dei beneficium populis huius seculi primatus apparebit. Temporis angustia non permittit, ut pro mea tenuitate tenorem totius capitis reformem. Sed in libello de Ecclesia a *Rev. et Ill. Eppo Moguntino* Concilio exhibito materies, ni fallor, apta invenitur, et fortasse etiam in sequentibus notulis nonnulla ad mitigandam Capitis asperitatem non inepta humillime proposita sunt. b) *Speciales observationes.* Humiliter propono, ut addantur haec verba: „Eo autem sensu revera, sicuti plures S. Patres docent et nos libentissime agnoscimus, primatus *Ecclesiae* datus est, quod nimirum non ad inanem et vanam personae Petri electionem vel ostentationem, sed ad totius Ecclesiae non tantum pulchritudinem et decorem, sed etiam maximum emolumentum et necessarium fundamentum datus, ideoque pro universa Ecclesia inaestimabile salutis donum sit.“ Ratio additamenti est: Plures Patres expressis verbis docuerunt, Primatum *Ecclesiae* datum esse. Recta interpretatio horum verborum, quae multis offendiculo sunt, in Capite nostro utilis esse videtur. Deinde hac recta interpretatione beneficus (non onerosus) pro Ecclesia primatus character tamquam iam a Patribus celebratus extollitur. — c) Proponere liceat, ut dicatur solummodo: *Patrem et Doctorem*, omissis verbis *et Iudicem supremum.* Rationes propositionis sunt: A) ut Concilii Florentini formula sarta tecta Concilii Vaticani auctoritate eo reli-

giosius reproducatur, quo vehementius a nonnullis quum auctoritas C. Florentini tum praecipue huius formulae receptus textus latinus impugnatur. B) Quia additamentum hoc solemni loco necessarium non esse videtur; nam e Florentina formula iam sponte fluit, Romanum Pontificem esse iudicem supremum. Nefarius autem *Eybelii* liber, ad quem nos vocant doctissimi Schematis auctores, iam in oblivione pene omnium, sicut et Puffendorfius aliique auctores in Schematis de Ecclesia animadversionibus e sepulchris citati, sine honore iacet et resurrectionem expectare non potest. Quodsi Eybelius Florentinam formulam reverenti animo excepisset, revera librum istum nefarium non scripsisset. C) Quia talis cumulatio verborum de iuribus Summi Pontificis etsi verissimorum, sine urgente necessitate in tali formula solemni facta aspera videtur, et, ut mihi videtur, non satis iustificata. d) Addenda omnino videntur verba formulae Florentinae: „quemadmodum etiam in gestis Oecum. Conciliorum et in sacris Canonibus continetur.“ Rationes sunt: A) Formula Florentina, de qua multum disputatur hodie, integra uti sine additamento sic etiam sine ulla subtractione appareat. B) In casu omissionis horum verborum dicent adversarii: Patres Concilii Vaticani, quidquid dicant Schematis auctores in animadversionibus, limitationem potestatis Summi Pontificis in his verbis consilio et cogitate omissis inesse senserunt, et eo ipso inviti produnt, quod silentio ea presserunt sicque oblivioni ea tradere intenderunt. Alii dicent: in his verbis omissis textus latinus a graeco discrepans posteriori demum tempore cogitate mutatus et corruptus est. Haec mutatio et corruptio (pergent) nostro tempore detecta est. Haec est causa, cur nunc verba a Concilio silentio premantur. Sic adversarii nostri. Ne tales cavillationes oriantur, formula Florentina integra reproducatur. e) De *ordinaria* potestate addatur: „licet et ipsi (Pastores) in suas particulares ecclesias veram ordinariam et immediatam, inaequali tamen modo, iurisdictionis potestatem a Christo Domino institutam habeant.“ Ratio est: ut expressis verbis excludatur error, quem *Tamburinius* aliique ut necessariam sequelam doctrinae de ordinaria et immediata R. P. in universam Ecclesiam omnesque fideles potestate asserunt, dicentes: Romanum Pontificem tali

potestate instructum unicum esse in Ecclesia Eppum, aliisque Eppis omnibus ordinariam atque immediatam in suas particulares ecclesias potestatem ipso facto abiudicatam esse. Homines (etiam quidam sacerdotes, parochi etc.) rerum theologicarum minus periti et minus circumspecti, vel etiam homines Concilio et Primatui inimici ad hoc falsum consectarium conficiendum et in vulgus spargendum adduci possent eo facilius, cum in nostris Schematibus de iuribus Epporum altissimum silentium stricte observetur. Verba illa limitantia in additamento a me proposito „inaequali tamen modo“ secundum S. Thomae doctrinam et verba formata sunt. f) Humillime tandem idem cum uno alterove insuper proponit (R. Pater), ut ad finem Canonis in Schemate „non esse ordinariam in omnes et singulas ecclesias“ addantur haec verba: „aut hanc ordinariam et immediatam Romani Pontificis potestatem convenire et consociari non posse cum vera ordinaria et immediata iurisdictionis potestate, quam Eppi ordinatione divina in suas particulares ecclesias habent.“ —

48. **Alius Pater** ita censet: *Nullo modo praetereunda videtur obiectio fieri solita, quod potestas ligandi ac solvendi omnibus Apostolis tributa aeque fuerit a Christo* iuxta Matth. 18. Hinc post verba „solutum et in coelis“ sequentia inserenda proponit: „Licet enim hanc ligandi et solvendi potestatem reliquis quoque Apostolis asseruerit, attamen cum uni Petro Christus promiserit se super eum tamquam supra petram aedificaturum esse Ecclesiam suam, clavesque regni coelorum collaturum: quis non videt multo magis Petrum prae ceteris Apostolis promissionibus suis extulisse? Uni autem Simoni Petro contulit quoque Iesus etc.“ — Item (de placito regio) haec subnectenda arbitratur: „aut quomodolibet pro spirituali fidelium bono decernuntur etc.“ ut infringatur petulantia eorum, qui nihil aut fere nihil a civili Placito exemtum volunt ex iis omnibus, quae a S. Sede procedunt.

49. **Alius R. P.** ait: Post verbum *appellare* adderem: *vel etiam recurrere:* scimus enim in iure recursum ab appellatione distingvi. —

50. **Tres alii RR. PP.** dicunt: *Generaliter* doctrina in Capite contenta *manca* est et *incompleta*, nam agere de Pri-

matu R. P. sine expositione totius Hierarchiae in Concilio Tridentino explanatae (Sess. 23. c. 4. et Can. 6—8.) non congruum videtur. Hinc *desideratur tractatus de Eppis, Presbyteris, et Diaconis,* horum potestate et iuribus, tum ad invicem et Summum Pontificem relatione; et, quia Eppi potestatis sibi a Deo collatae nobilissimam partem in Conciliis Oecum. exercent, de horum natura, indole, fine, et modo ea celebrandi. Sic haberetur plena et adaequata Ecclesiae constitutionis adumbratio. *Specialiter* vero — addenda verba postrema e C. Florentino; verba vero *iudicem supremum* a suo loco expungenda sunt et citanda post verba *canonibus continetur;* ea enim non ad textum Concilii, sed ad Bullam Pii VI „Auctorem fidei" pertinent. Caveamus, ne accusemur a Graecis, et Schismaticis mutilasse aut mutasse Florentini Concilii textum.

51. **Alius R. Pater** praeterquam quod et ipse desideraret, ut in hoc Capite *expositio totius Hierarchiae Eccl.* praesertim de potestate Epporum et de Conciliis Oec. clara daretur, observat 1. *nihil definiendum esse in Concilio, nihil fidelibus credendum proponi, nisi quod ab omnibus, quod semper, quod ubique creditum est.* Non ergo e ratiocinationibus scholarum, vel piis utut multorum sentimentis oportet dogmata vel nova deducere, vel iam credita amplificare, sed fideliter tenenda est regula fidei a patribus pro omni tempore stabilita. Iamvero licet sit certum, Pontificem Romanum in iurisdictione Primatus suprema *ordinaria et immediata* gaudere auctoritate ac potestate, dubium tamen est, an consultum et antiquitati ac universalitati congruum sit, eadem his scholasticis terminis definire. 2. *Asperitatis magis quam caritatis speciem praeseferre id, quod auctores Schematis faciunt, qui in hoc capite ter repetunt ordinariam et immediatam R. P. potestatem,* et tertio loco dicitur hanc supremam ord. et immed. potestatem esse etiam in omnes et singulas ecclesias particulares earumque Pastores. Haec enim verborum accumulatio videtur concentrare totam virtutem, quae inest Ecclesiae ad salvationem humanitatis, in auctoritate. 3. *Sufficere Concilii Florentini definitionem de R. P. primatu;* nam cum in illa definitione Pontifici Romano tribuatur plenitudo

potestatis, qua maior cogitari nequit; ad quid insuper dicere, Pontificem habere potestatem ordinariam et immediatam? eo magis, quod non videtur, quomodo illa potestas non foret quoad exercitium impossibilis, cum impossibile sit, unum Pontificem exercere immediatam et ordinariam potestatem in omnes et singulas Ecclesias, et earum Pastores. Insuper per hanc immediatam et ordinariam potestatem in omnes et singulas Ecclesias Summo Pontifici tributam posset in dubium ac controversiam vocari Epporum potestas.

52. **Alius R. P.** 1. non approbat titulum Schematis istius, sicut et ceterorum; loco enim *approbante Concilio* vellet *sacro simul iudicante Concilio,* ne Eppi videantur simplices Consultores. 2. Non approbat stylum. Decreta Conciliorum cum debeant habere eandem auctoritatem, ac SS. Evangelia, in eodem stylo simplici ac simul nobili exprimenda sunt; stylus vero schismatis est nimis elegans, et redolens humanam inanitatem. 3. *Caput XI et decretum de infallibilitate unum deberent efformare caput;* quo in casu ad verba: *et ipsi B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi* adderet vocem *docendi,* quae respondet verbo *Doctorem* ante posito. Post verba *licere ab iudiciis RR. PP. appellare* adderet: „in rebus fidei et morum tamquam errori obnoxiis assensum verum et internum non deberi, vel licere ab eorumdem sententiis ad futurum Concilium appellare“ etc. Praeterea vellet, ut vocibus *ordinariam et immediatam,* quibus iurisdictio Summi Pontificis declaratur, aliqua adderetur conditio, ne videretur soluta quaestio de iurisdictione Epporum, utrum nempe ea sit iuris divini vel ecclesiastici.

53. **Alius R. P.** ait: Quantam curam *Eppi Bohemi* adhibuerint ad auctoritatem Summi Pontificis vindicandam, testis est *Synodus Pragensis* 10 abhinc annis habita, cui Eppus interfuit; ac eadem orthodoxae fidei ratio postulat, ut Clero et populo in memoriam revocetur collata Eppis iure divino auctoritas. Hinc petit, *ut huic Capiti XI aliud antecedat de divinitus instituto Ecclesiae regimine, in quo fiat expositio de divinitus instituto Apostolatu Epporum,* de quorum iurisdictione et missione obiter tantum est sermo in Cap. X.

54. **Alius R. P.** vellet, *ut de auctoritate Epporum vel fieret integrum Caput, vel Caput XI ita reformaretur, ut de illa auctoritate expressa fieret mentio;* vellet etiam, ut sermo fieret de auctoritate civili. Auctores Schematis videntur supponere, praeter auctoritatem Pontificis nullam aliam existere in hoc mundo auctoritatem sive ecclesiasticam sive civilem.

55. **Alius R. P.** inquit: verbo *pascendi* addatur verbum *docendi.* — Loco verborum *aut etiam contendunt licere* dicatur: „aut etiam contendunt, iudiciis Rom. Pontificum in rebus fidei et morum tamquam errori obnoxiis assensum non deberi: vel licere ab eorumdem sententiis ad futurum Gen. Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem, aut, quod detestabilius est, ad ipsas seculares potestates appellare."

56. **Alii R. Patri** *omnia maxime placent*, sive quae in Cap. XI sive quae in canonibus inveniuntur: *solum vellet, ut adderentur testimonio Matth. XVI verba:* „Et ego dico tibi, quia tu es Petrus", *ut clare pateat, ibi sermonem esse determinate de uno Petro, et quidem distincto a ceteris Apostolis.*

57. **Alius R. P.** asserit: Verba Synodi Florentinae debent integerrime, nec plus nec minus citari. Loco *ordinariae et immediatae* dicatur: *quodam modo ordinariam esse et immediatam:* Eppi enim expresse vocantur Ordinarii in sua quisque dioecesi. *Verba de auctoritate Pontificis supra Concilia delenda sunt*, in iis enim inopportune affirmatur haec auctoritas.

58. **Alius R. P.** ait: Auctores Schematis sicut in prioribus X Capitibus expectationi minime omnium responderunt, ita et in hoc Capite XI de divino primatu. Ad praecipua certe pietatis ac misericordiae opera Primatus pertinet, unde ita ipse explicari debuisset, ut omnes in sui obsequium, amorem, admirationem raperet. At *auctores Schematis doctrinam de primatu iuristico quodam et contentioso modo exposuerunt, ita, ut nihil iciunius, nihil sterilius excogitari possit.* Sacrae Scripturae locis, quae semper in adversas partes pertrahi possunt, *addenda sunt Traditionis monumenta:* tunc

demonstratio catholica evadit. Textus ex Traditione desumti, praesertim textus Concilii Florentini debent integre afferri. Quae dicuntur de appellatione a Papa ad futurum Concilium, pertinent ad controversias iampridem sopitas nec incaute resuscitandas. *Quae* vero *de immediata et ordinaria Summi Pontificis potestate in Schemate dicuntur, ambigua omnino sunt, atque ita comparata, ut contentionibus, quas Conc. Tridentinum sapientissimo ac prudentissimo consilio sopitas voluit, iterum locum dare possint.* Illud quoque singulare est ac pene inconceptibile, *in doctrina de Ecclesiae Cath. constitutione, de institutione et divinis iuribus Epporum nullum sermonem fieri;* et tamen Apostolus Eph. 2, 20 dicit: *Ecclesiam fundatam esse super fundamentum Apostolorum.*

59. **Alius R. P.** observat: Caput XI, ut connectatur cum X, ita esse inchoandum: „Ecclesia vero Christi ideo dicitur Romana, quia reveretur Romanum Pontificem uti suum Caput supremum visibile; nam Pastor aeternus etc.“ Porro scriberet: „Unde condemnamus veluti adversas tam apertis S. Evangelii testimoniis sententias eorum, qui dicunt Petrum non fuisse ab ipso Christo vero proprieque dicto Primatu iurisdictionis supra Apostolos instructum; vel affirmant hunc Primatum a Christo collatum fuisse directe et immediate non Petro sed Ecclesiae, quae eum postea tradidit Petro, ita, ut Petrus illum ab Ecclesia vel saltem per Ecclesiam acceperit.“ Item scriberet: „Quum vero Princeps Pastorum et omnium ovium magnus Pastor D. N. I. C. ideo B. Petrum tam ampla auctoritate supra ceteros Apostolos circumdedisset, ut suus Primatus esset fundamentum, supra quod Ecclesia velut supra firmissimam petram erecta immobilis permaneret contra omnes satanae conatus usque ad consummationem seculorum, evidenter patet hunc primatum non potuisse esse temporaneum, sed perpetuum esse debuisse.“

60. **Alii R. Patri** Caput XI valde probatur; insuper proponit, num non esset consultum in fine Capitis post verba *Placito confirmentur* sequentia addere: „Tametsi vero spes nobis subesse debeat, quod Reges ac Principes Christiani, eorumque Gubernia ac cuiuscunque Reipublicae moderatores iustis piisque nostris in hac re votis annuere, favere ac assistere ve-

lint; iure tamen et officio nostro freti per viscera misericordiae I. C. D. N. illos hortamur atque monemus cum Regio Psalte, ut eruditi intelligant atque apprehendant disciplinam, nequando super ipsos irascatur Dominus; siquidem procul omni dubio exploratum atque firmiter tenendum sit, neminem unquam et nullibi supremae nostrae pro grege universali pastoralis sollicitudinis exercitio impedimenta ulla in medium proferre posse sine piaculo Divinae Maiestatis, et sine labe fidei."

61. **Alius R. P.** omnino insistendum putat in declaratione *plenae potestatis ordinariae et immediatae* Summi Pontificis in universam Ecclesiam; sunt enim nonnulli, qui pertinaciter sustinent, hanc potestatem nonnisi mediatam esse.

62. **Alius R. P.** post verba *verae obedientiae* adderet: „non solum in rebus fidei et morum, sed et in rebus mere disciplinaribus."

63. **Alius R. P.** vellet, ut adderentur verba ex divo Matthaeo: „Et ego dico tibi, quia tu es Petrus etc." ut nimirum pateret Iesum Christum de Petro singulatim ac determinate loqui, et quidem distincte ab aliis Apostolis.

64. **Alius R. P.** observat: in hoc capite et in relativis tribus canonibus non inveniri explicitis et apertis verbis definitum, iurisdictionis primatum Summi Pontificis extendi et exerceri in universa Ecclesia *Occidentalis aeque ac Orientalis ritus*, non solum in rebus fidei ac morum, sed etiam *in ordinanda et reformanda eccl. disciplina tam canonica quam liturgica;* hoc enim ultimum turbulenti homines occasione capta Constitutionis Pii IX „Reversurus" omnino negant, et simplicium animas seducunt. Hinc addatur: Romanum Pontificem iure divino vi primatus supradictam iurisdictionem habere. Sermo est de necessitate custodiendi tam communionem cum Romano Pontifice, quam eiusdem fidei professionis unitatem, tamquam necessariam conditionem ad conservandam unitatem gregis Christi. Hic etiam vellem, ut claris verbis explicaretur: ad hanc communionem habendam non sufficere eandem profiteri fidem, uti multi pseudomagistri docent, sed necessarium esse, ut per hanc communionem intelligatur vera et sincera obedientia praestanda Romanae Sedi in rebus, quae

ad fidem, mores, et eccl. disciplinam attinent. Et quia fons malorum in aliquibus Ecclesiis Orientalis ritus vigentium fuit et est illud principium male intellectum, et peius applicatum, quod dicunt *Nationalismum,* vellem, *ut in hoc Capite, ubi sermo fit de particularium Ecclesiarum cum centro unitatis communione, saltem indirecte principium hoc erronei nationalismi tamquam norma constitutiva interna privatarum Ecclesiarum reiiciatur.*

65. **Alii quinque RR. PP.** aiunt: 1. *De suprematia Petri supra alios Apostolos nulla fit mentio, et tamen ab ea exordiendum esset;* hinc dicatur: *solum Petrum prae omnibus et super omnes Apostolos* etc. Item loco *regiminis formae* melius poneretur *regiminis constitutio.* 2. Damnatur error *Richerii* et *Pistoriensium,* iam a Pio VI sua Constit. Apost. damnatorum. Ista Constitutio citanda erit: usus enim fert, errorem iam antea irreformabiliter damnatum iterum non damnari, quin mentio fiat prioris damnationis. 3. *Ab ipso* (Petro) *primum fundatae* (Romanae Ecclesiae): istud *primum* velut aequivocationi obnoxium (Antiochena Ecclesia fuit primum a B. Petro fundata) delendum. 4. *Licet doctrina de ordinaria et immediata iurisd. R. P. dubio procul verissima sit et catholica, clare tamen et perspicue explicanda est,* ne detur ansa adversariis cavillandi: ex hac doctrina sequi, eppalem iurisdictionem in propria dioecesi non esse ordinariam et immediatam. Hoc autem duplici via obtineri potest: una potior et nostro iudicio adhibenda, ut scilicet *inter Caput X et XI inseratur caput integrum de Epporum iuribus et iurisdictione,* abstinendo tamen a controversia, utrum a Deo vel mediate a Summo Pontifice proveniat; altera brevior, ut in ipsa periodo paucis verbis explanaretur ratio, qua duae potestates, pontificia et eppalis, stare simul possunt, et licet ambae sint immediatae et ordinariae, ad invicem tamen minime pugnant.

66. **Quinque aliis RR. Patribus** *ordo Schematis de Ecclesia videtur immutandus, et a fundamento incipiendo prius de Romani Pontificis Primatu, dein de ceteris Ecclesiae praerogativis agendum.* Verum est, olim assumi usurpatum in Schemate demonstrationis ordinem. Primum enim

de Ecclesia in genere quaestio movebatur, postea de Romano Pontifice, cum subintelligeretur in Ecclesia Summus Pontifex, et quod de Ecclesia primum asserebatur, nullo modo in argumentum adducebatur contra subsecuturas de Romano Antistite affirmationes. At nunc vigente quem dicunt *Parlamentarismo* ordo est immutandus, ne Ecclesia putetur esse similis parlamentarismo, in quo *Corpus* est omnia, et auctoritas Regis est quid adventitium.

---

67. *Observationes in Canones XIV—XVI.* Ita censet **unus R. Pater:** In Canone XVI loco verborum quae nunc sunt, haec alia videntur substituenda: — „Aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam tam in omnes simul quam in singulos seorsim Ecclesiae Pastores et fideles." Deinde *duo Canones addendi:* 1. Si quis in definitionibus fidei et morum dicat Rom. Pontificem damnare non posse propositiones aliquas in sensu ab auctoribus intento; aut asserat eius definitionibus fidei et morum *externum* tantum *silentium* tribuendum, non vero *internum mentis assensum,* anathema sit. 2. *Si quis dixerit, decreta R. P. in rebus fidei ac morum ab universa Ecclesia tenenda ante aliorum Pastorum consensum sive tacitum sive expressum errori posse esse obnoxia, aut audeat ab his ad futurum Concilium appellare, anathema sit.*

68. (Respicit Can. XI et XIII. de Ecclesia.)

69. In Can. XVI *auferenda prorsus ultima pars (de ordinaria potestate); quia hac definitione quaelibet Ecclesia praeter suum Eppum alium etiam Sponsum haberet, scilicet Papam, et iam nulli essent veri Eppi divecesani, sed omnes evaderent Vicarii Apostolici.*

70. **Alii** dicunt: *Addendi tres Canones:* 1. Si quis dixerit, *Rom. Pontificem non habere auctoritatem super omnia Concilia etiam Oecumenica,* a. s. 2. Si quis dixerit, *licere a iudiciis RR. PP. ad gen. Concilium appellare.* a. s. 3. *Si quis dixerit, Rom. Pontifices, cum supremi fidei et morum Doctoris munere funguntur, non esse infallibiles, aut aliquando errasse, a. s.*

71. **Alius** ad Can. XVI et Cap. XI *loco verborum de ordinaria iurisdictione sequentem formam proponit:* „Si quis dixerit, R. P. habere tantummodo *officium inspectionis vel directionis, non autem ordinariam, supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam et eius Pastores*, a. s. „Rationes mutandi: ne paulatim per theologorum subtilitates in quaestionem revocetur potestas divinitus collata Eppis, constituta duplici iurisdictione immediata in eundem locum, et ita subordinata potestate Epporum, ut illam tantum habeant, quam tribuerint Pontifices, unde simplices evaderent Vicarii Apostolici: quod maximum horrorem incuteret Orientalibus, quorum tamen iura et constitutiones se perpetuo integre servaturos promiserunt RR. Pontifices. *Neque in favorem ordinariae potestatis Pontificis merito allegatur definitio C. Later. IV:* „Romanam Ecclesiam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum.“ *His verbis Concilium exclusit tantum: potestatem provenire a consensu Ecclesiae; sed docet eam esse originis divinae,* quae tamen in singulas Ecclesias non exercetur nisi mediantibus Eppis, qui ipsius R. P. ut Capitis Ecclesiae auctoritati et iudicio se subiicere tenentur.

72. **Alius** proponit: Can. XV ad 2 partem: *Certum est, illum, qui Romae sedet, esse successorem Petri in Primatu, et quidem iure divino; sed non ita certum est, verum successorem Petri in iure divino perpetuo Sedem Romae habiturum, de quo nulla extat divina promissio.* Quare haec pars ita emendanda est: „Si quis dixerit, *Rom. Pontificem, qui successor est Sedis Petri, non esse iure divino Petri in eodem primatu successorem*, a. s.“ Ubi fit distinctio inter Sedem Petri et Sedem Romanam. Priori ex iure divino, alteri ex facto tribuitur Primatus. Canone XVI tollatur vox *supremam* quae non legitur in decreto Florentino. Aliunde sufficit vox *plenam.* Tollantur voces *ordinariam et supremam,* et dicatur: *propriam, et quae immediate exerceri possit.*

73. **Alius** scribit: Can. XIV ad finem dicatur: *primatum directe et immediate ab eo accepisse.* Can. XV: si quis dixerit, — *Rom. Pontificem, utpote Petri in eodem primatu successorem, eisdem ac Petrum primatus praerogativis super*

universam Ecclesiam iure divino non gaudere, a. s. Can. XVI addatur: „non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in rebus, quae ad *disciplinam* et *regimen Ecclesiae* pertinent, etc.“ Canon XVI sic foret reformandus: *Si quis dixerit, R. Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis, tam in rebus fidei et morum, quam in iis, quae ad disciplinam ac regimen Ecclesiae pertinent, aut hanc eius potestatem eppalem non esse ordinariam* etc.

74. Postulat **unus Pater,** ut in Can. XVI verba: „eius potestatem non esse ordinariam et immediatam in omnes et singulas ecclesias“, omittantur.

75. Adnotat **alius**: dici in utroque Canone, XV et XVI, primatum potestatemque R. P. esse *super universam Ecclesiam:* quod novum est, nec in anteactis Conciliis invenitur. In *Concilio* enim *Constantiensi,* ubi multa declarantur de supremi Pontificis auctoritate, et quidem a Martino V in Bulla „Inter cunctas“, haereseos suspecti sic interrogari debent: utrum credat, quod Papa canonice electus sit successor B. Petri, habens supremam potestatem *in Ecclesia* Dei? In *Conc. Tridentino,* ubi de casibus reservatis agitur: (Sess. 14. c. 7.) Unde merito Pontifices Maximi pro suprema auctoritate sibi *in Ecclesia* tradita etc.

76. **Alius R. P.** unice animadvertendum censet, *propositiones in Can. XIV—XVI enunciatas damnari ut erroneas aut haeresi proximas, non autem ut haereticas.*

77. *Quoniam in decursu Capitis XI non semel declaratur, doctrinam in eo assertam de fide totam et integram esse credendam; et aliunde nullus de infallibilitate Summi Pontificis canon proponitur, satius ducerent plures RR. PP. ut tres allati canones praetermitterentur,* et in omnibus ad Primatum S. Sedis Apost. spectantibus *servaretur doctrinalis Florentini Concilii forma,* de qua attentis circumstantiis dici potest, quod et attinget ad finem fortiter, et disponet omnia svaviter.

78. **Alius** scribit: *Cap. XI et Can. XVI* Schematis ob potestatem *ordinariam et immediatam* Summo Pontifici

ibi vindicatam mihi *non placent, quia facile ita possunt intelligi, ut Eppi vel eorum iura nimis reducantur.*

79. **Alius** addit: Canon XVI sic reformetur, ut nr. 73.

80. Censet **alius**: In Can. XVI ponendum esse post verbum *immediatam:* „aut eandem primatialem potestatem contradicere Epporum iurisdictioni ordinariae et immediatae a. s.“

81. 82. **Alii duo RR. PP.** aiunt: elocutio Canonis XIV clarior evaderet, si ita procederet: „Si quis dixerit, B. Petrum Ap. non esse constitutum a Christo Domino Apostolorum etc.“ Item Canon XVI: „Si quis dixerit, R. P. non habere plenam“ omittendo cetera, quae in successiva definitione plenissime continentur. Item in eodem canone post verba: *Si quis dixerit, potestatem ecclesiasticam,* possent adiungi verba: *universalem et independentem.*

83. **Alius R. P.** dicit: *In Canonibus Capiti XI adnexis non omnes, nec expresse condemnati sunt errores adversus doctrinam in hoc Capite expositam.* Hinc novo hoc ordine Canones disponeret: Canones XIV et XV prout in Schemate; dein *Canon XVI:* Si quis dixerit, *nihil vetare, quominus alicuius Gen. Concilii sententia, aut universorum populorum facto, aut aliquorum vel etiam omnium civilium guberniorum directo vel indirecto consensu aut vi Summus Pontificatus a Romano Pontifice atque ab Urbe Roma ad alium cuiuscunque gradus aut dignitatis in Eccl. Hierarchia Eppum aliamque civitatem transferatur, aut transferri possit,* a. s. *Canon XVII* idem ac ille, qui in Schemate est XVI. *Canon XVIII:* Si quis dixerit, *licere ab iudiciis et sententiis R. P. appellare vel recurrere ad futurum Gen. Concilium, tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem, aut non pertinere ad solum Pontificem Romanum, Concilia Oec. convocare, eis per se vel per legatos praesidere, eaque confirmare, aut secularibus potestatibus regia etiam aut imperiali dignitate fulgentibus ius esse, Generalia Concilia directe vel indirecte impediendi, vel aliquo modo interveniendi circa ea, quae eadem Concilia respiciunt, sine expressa Summi Pontificis licentia, vel ultra eiusdem licentiae limites,* a. s. *Canon XIX:* Si quis dixerit, *Civilem Potestatem posse impedire quocunque motivo, aut praetextu,*

quominus Sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice, et legitimis propriis Pastoribus libere ac mutuo communicent; aut ea, quae ab Ap. Sede vel eius auctoritate ad regimen universalis Ecclesiae vel singulae cuiuscunque constituuntur, vim ac valorem non habere, vel exequutioni mandari non posse, nisi potestatis secularis Placito confirmentur aut muniantur, etiamsi ex motivo subditorum vel Ecclesiae protectionis id fieri dicatur, a. s.

84. **Alius R. P.** in Can. XVI vellet, ut voces *ordinariam et immediatam* explicarentur in sensu animadversionis in Caput XI factae. Insuper *praefatis Canonibus alios duos Canones adiungit ad evitandam explicitam declarationem infallibilitatis R. P.* Canon XVII: Si quis dixerit, *ordinariam quam habent Eppi iurisdictionem in Ecclesiam, ad cuius regimen a Spiritu S. positi sunt, non esse Summo Pontifici tamquam supremo Hierarchae subiectam,* a. s. Canon XVIII: Si quis dixerit, *iudiciis R. P. in rebus fidei et morum universam Ecclesiam spectantibus tamquam errori obnoxiis assensum verum et internum non deberi, aut ab eius sententiis ad futurum Concilium Gen. licite appellari posse,* a. s.

85. **Alius R. P.** *suppresso decreto de infallibilitate R. P. vult tantum, ut post Canonem XVI sequentes duo addantur Canones:* XVII: Si quis dixerit, etc. ut prior. Canon XVIII: aeque ut prior.

86. **Alius R. P.** inquit: in fine Can. XVI adderem: *aut fideles non obstringi vera eidem obedientia, cum definit quae ad fidem et mores pertinent, haud requisito praecedente aut subsequente Epporum consensu, sive cum praecipit, quidquid ad regimen Ecclesiarum spectat.*

87. **Alii R. Patri** *in Can. XV pars altera immutanda videtur, et alterutra ex sequentibus formulis substituenda:* „Romanum Pontificem B. Petro in Romano Eppatu succedentam eidem iure divino in eodem Primatu non succedere"; aut: „Rom. Pontificem non esse legitimum B. Petri successorem, ideoque iure divino non habere Primatum in Ecclesia." Huius vero additionis ratio est, quia duo concurrere debuerunt, ut Romanus Pontifex sit B. Petri successor in primatu: 1. voluntas

Christi conferentis Primatum B. Petro; 2. factum B. Petri, quo elegit sibi Romae eppalem sedem. Ex his duobus primum constituit vere ius divinum; secundum vero non ita, sed fuit conditio perpetuae successionis.

88. **Alii quinque RR. PP.** in Can. XVI verbis *in omnes et singulas Ecclesias* haec alia addenda censent: „etsi ab Eppis divinitus positis, et a Pontifice in suae sollicitudinis partem vocatis immediate, et iure ordinario regantur, et gubernentur, a. s.“

1801.

Secretarius Concilii communicat Patribus Concilii **Schema Capitis de infallibilitate R. P. addendum Capiti de Primatu R. P.**

Monitum Secr. C. Cum plurimi Eppi petierint a SSmo D. N. ut Concilio proponatur thema *de infallibilitate Romani Pontificis*, idemque SS. D. N. de consilio peculiaris Congregationis pro recipiendis et expendendis Patrum propositionibus deputatae memoratae petitioni annuere dignatus sit: idcirco RR. Concilii Patribus examinanda distribuitur *formula novi Capitis ea de re agentis, quae formula Schemati Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi inserenda erit post Caput XI.* — Ex Secretaria Conc. Vatic. die 6 Mart. 1870. Iosephus Ep. S. Hippolyti, Secr. C. V.

Caput addendum decreto de R. P. Primatu: Romanum Pontificem in rebus fidei et morum definiendis errare non posse. Sancta *Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet*, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter re-

cognoscit. Et *sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri.* (Ex prof. fid. edita a Graecis in C. Oec. Lugd. II.) Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam“ (Matth. XVI. 18.) haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia *in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio, et sancta celebrata doctrina:* (Ex formula S. Hormisdae Papae subscripta a PP. C. Oec. VIII CPni IV.) hinc, sacro approbante Concilio, *docemus et tamquam fidei dogma definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cui in persona beati Petri dictum est ab eodem D. N. I. C.* „Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua“ (Luc. XXII. 32.), *cum supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit; et hanc Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere* (quod Deus avertat) *praesumserit, sciat se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse.*

1802—1940.

Synopsis analytica Observationum, quae a Patribus **in Caput addendum decreto de Romani Pontificis Primatu (infallibilitate)** factae fuerunt.

1. **Rmus Pater**, (Card. Rauscher) **qui primo loco est,** *ita omnino disserit:* Antequam gravissimam hanc quaestionem aggrediar, non abs re erit, id, de quo agatur, adcuratius determinare. Apud omnes catholicos constat, *Concilium, quod Ecclesiam universam repraesentet, absque Summo Pontifice, qui Ecclesiae caput est, neque haberi neque cogitari posse:* quo erronea illa de Conciliis universalibus doctrina evertitur. Porro omnes uno ore confitemur, *Sedem Apostolicam fidei catholicae firmamentum esse inconcussum atque decretis, quae de fide moribusque edit, obedientiam veram praestandam esse.* Attamen Successori Principis Apostolorum etiam in iis, quae vi potestatis regiminis ipsi competentis praecipit, obediendum est et nihilominus *nemo est, qui afffirmet, casum haberi non posse, quo quis ordinationibus eius licite refragetur.* Simili modo non quaeritur, an Pontifici ex cathedra docenti obediendum sit, sed *an nullus cogitari possit casus, quo dubiis locum dare liceat? An necesse sit, quae Summus Pontifex apostolico munere fungens fideles edoceat, atque consensu Ecclesiae quomodocumque demonstrato tamquam a Deo revelata, perinde fide Deo debita suscipere? Ne hoc populo Christiano credendum proponatur, difficultates supersunt*, quae ut summa adcuratione perpendantur et discutiantur, rei gravitas, animarum salus et Concilii oecumenici decus districte iubet. Me eis solvendis imparem hucusque fuisse candide fateor. Mei tamen erit a Concilio universali decreta

defendere. Rem eam credentibus probare, facile gratumque negotium est. *Durior Antistitum in Austria et Germania conditio.* Quum id teneamus oportet, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum sit, *demonstrandum erit, Christianos semper implicita saltem tenuisse fide, Successoribus S. Petri divinitus collatum esse, ut quod apostolico munere fungentes de fide moribusque decernant, irrefragabile et ab omni proin errore immune sit:* unde fit, ut obiectiones ex certis historiae documentis desumtae haud tanquam ad rem non spectantes declinari possint, sed solvi debeant necesse est. In hac investigatione praevigeant necesse est sana ratio et critices regulae ex eadem deductae. Subterfugiis, quibus theologi non pauci in *Honorii* caussa usi sunt, derisui me exponerem. Sophismata adhibere et munere episcopali et natura rei, quae in timore Domini pertractanda est, indignum mihi videtur; sed et prudentia ab artificiis hisce me prohibet. Continua mihi cum fidei Christianae inimicis pugna est, et his praecipue armis utor, ut clare ipsis ostendam eos sibi contradicere ac perinde nescire quid loquantur. Hoc eis valde molestum esse ex responsionibus patet. Si autem in quacumque caussa probare possent, me ad artes eis exprobratos ipsum confugisse, triumphum agerent. Similis multorum aliorum Episcoporum conditio est et ideo officii nostri pastoralis ratione iubemur nihil intactum relinquere, ut antequam Pontificum Summorum inerrantiam fide certam esse declaretur, difficultates, quae nobis obstare videntur, summa diligentia examinentur.

Attamen *asseritur revelatum esse, Petri successoribus divinitus potestatem collatam esse de rebus fidei leges pro universa Ecclesia ferendi: inde vero iusta ratiocinatione inferri, illis decretis falsum subesse non posse: opinionem igitur, quae hanc infallibilitatem neget, merito errorem dici et quidem errorem haeresi proximum. Hac autem demonstratione id, quod probandum est, ut iamiam probatum supponitur.* Quodsi fidelibus ut a Deo revelatum tenendum esset, Summos Pontifices potestatem accepisse de fide moribusque leges ferendi, quas absque ulla exceptione sive dubitatione tanquam credendorum et agendorum regulam sequi deberent,

manifestum profecto foret opinionem Pontificum infallibilitatem negantem a recta fide alienam esse; sed *circa id ipsum an hanc potestatem divinitus acceperint, quaestio versatur.*

Spiritui Sancto facillimum fuisset, Apostolis fidei expositionem inspirare, cunctis, quibuscum Ecclesiae saeculorum decursu confligendum erat, erroribus expressis verbis occurrere: nam cum eo composita celeberrimorum Ecclesiae doctorum sapientia tanquam stilla situlae et quasi momentum staterae reputanda est, omnesque Conciliorum definitiones Patrumque explicationes pulcherrimo ordine clarissime compositas nobis a principio revelare potuisset. Tunc Ario, Nestorio, Eutycheti sacrorum Antistites scriptum Dei Verbum exhibuissent atque dixissent: Vide et lege; haec tibi credenda sunt, si Christianus esse vis. Unus alterve a fide defecisset, sed disputandi inter Christianos locus non fuisset. *In Domini* pariter *potestate erat, S. Petri successoribus diem usque novissimum eam praebere Spiritus Sancti assistentiam, qua Petrus, Paulus et Ioannes muniti erant, atque hoc revelare et praecipere: Quoties, cum Apostolos meos in regnum meum assumsero, de credendorum vel deligendorum regula dubium exortum fuerit, ite ad successorem servi mei Petri et quae vobis dixerit, non hominis sed Paracliti, quem ego misi vobis, effata erunt.* Nonne haec iuxta humanum captum remedia errorum, qui in agro Domini pullulant, optima fuissent? *His tamen praesidiis nos fulcire non placuit Domino,* cuius misericordia exaltata est super omnia opera eius, viae autem eius imperscrutabiles sunt: *Ecclesiae suae opus potius imposuit, veritati revelatae in scriptis et sine scripto traditionibus apud eam depositae eas invenire ac stabilire expressiones, quae sensum rectum enuntiando et ab errorum corruptelis tuendo undequaque sufficerent: quod etiam assistente ei Spiritu Sancto labentibus saeculis exsecuta est* in ruinam et resurrectionem multorum inter gravissimas tentationes et aerumnas, quibus ex multis cordibus cogitationes revelatae sunt. Post tot et tantos labores, quae de fidei mysteriis Christianus teneat oportet, omni ex parte declarata et definita sunt ita ut de eis error, quem dudum ab Ecclesia reiectum esse manifestum non foret, vix emergere possit. Er-

rores, qui Ecclesiam nunc, religionem christianam et vitae vere humanae fundamenta oppugnant, praeambula fidei attinent et intima cuiusvis hominis conscientia ad eos confutandos testis citari debet.

Quaeritur igitur, quanam ratione ad hanc fidei dogmatum explicationem et definitionem perventum sit? Praesidebat ei, qui in monte universos Apostolos iussit: Euntes docete omnes gentes! et universis pariter promisit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi! Ipse omnia ita disposuit, ut Ecclesia sponsa eius erroris contagione non inficeretur. Ad id obtinendum necessarium erat, ut fideles doctrinam, qua Apostolos imbuit, edocerentur et eam tanquam ab ipso propositam agnoscerent. Ut autem Dominus animas sanguine suo redemtas obstringere posset, doctrinam aliquam tanquam ab ipso revelatam agnoscere ita, ut eam reiicientes fidei Deo negatae rei essent, *oportebat criterium indicare, ex quo homines bonae voluntatis certo colligere possent, doctrinam aliquam divinitus revelatam esse. An igitur iuxta Iesu Christi voluntatem et institutionem Successore S. Petri solo et absque ceterorum Apostolorum successoribus testimonium de fidei deposito perhibente, doctrina ab eo proposita ut a Deo revelata suscipienda et tenenda est; an ut Christianis obligatio haec imponatur, testimonium ab aliorum Apostolorum successoribus perhibitum accedat oportet?*

Nemo dubitat, recte responsuro ad litteras sacras recurrendum esse; attamen sollicite simul inquirat necesse est, *quonam sensu Ecclesia ea, quae S. Petro a Domino dicta sunt, inde a primis saeculis intellexerit.* Nec admodum difficilis investigatio est. Christianis nomine, quo ornantur, dignis nunquam non cordi erat, doctrinam salutis a Dei Filio acceptam intemeratam retinere nec media ad eam conservandam et explicandam adhibita delitescunt, imo hunc in finem instituta sunt, quae sua natura notoria essent. In hisce considerandis recordemur necesse est, rem non iis confici, quae nostra ex mente fieri debuissent, sed iis, quae reapse facta sunt; praeterea eloquia Patrum de conditionibus, quibus expletis doctrina quaedam ut divinitus revelata suscipi debeat, accuratissimo examini subiicienda sunt.

Ecclesia Christi iam tempore S. Ignatii, qui secundus post Petrum in cathedra Antiochena sedit, catholica appellata est, ut eam ubivis propagatam et ubique locorum eamdem esse significaretur. *Ecclesiarum* scilicet *etiam remotissimarum de doctrina inter se consensio fidelibus aevi apostolico supparis securum erat pignus, veritatem ab Apostolis traditam illibatam se tenere;* martyrum iam tempore sancti et invicti fidei nostrae patres in ea steterunt sententia, quam Vincentius Lirinensis notissimis illis verbis universa Ecclesia approbante enuntiavit. *Petrum, quem petram Christus Ecclesiae suae constituit, in successoribus suis vivere, optime sciebant, et Ecclesiam Romanam primatum tenere S. Ignatius et Irenaeus expressis verbis attestati sunt.* S. Polycarpi epistola in conventibus sacris per Asiam legi solebat: quando igitur primorum saeculorum Pontifices expedire iudicaverint fideles scriptis instruere, quis dubitet, quod reverenter excepta et summi facta forent. Attamen *Deo vivae potius vocis oraculo quam libris mundum edocere placuit.* Duodecim Apostolorum, in quos Spiritus Sanctus descendit, septem scripti nihil nobis reliquerunt, valde brevem epistolam Iudas, non admodum longam Iacobus frater Domini composuit, et binae S. Petri litterae 166 versus non excedunt. *Etiam antiquissimi aevi Pontifices parum scripserunt, sed verbo divino instantes erant et sanguinem suum pro Christo fuderunt. Errores, qui ad eorum notitiam pervenere, damnaverunt, verum et Episcopi et concilia numerosa, quae secundo et tertio saeculo habita sunt, haereses, quibus traditionem apostolicam maculari contigit, reiecerunt et primae Sedis totiusque Ecclesiae consensu accedente doctrinae puritas unitasque conservata est.*

Postquam Licinio victo Constantinus omnem orbem Romanum imperio suo subiecerat, externus Ecclesiae status per totum orbem Romanum immutatus est eodemque tempore *haeresis Ariana* fidem pacemque fidelium in Aegypto Asiaeque parte graviter perturbavit. Unde *prima vice factum est, ut universi Episcopi ad concilium, cuius sententia litem dirimeret, habendum invitarentur. Plurimi Nicaeae adfuerunt et unius synodi ope Ecclesiae consensus plenissime probatus est: quod fidelium animos intime commovit. Haec auctori-*

tatis Conciliorum oecumenicorum initia. Tanquam testes infallibiles veritatis revelatae in Ecclesia depositae atque supremam de rebus sacris constituendi potestatem habentes ab omnibus agnita fuerunt. Absque Pontifice Romano Concilium universale haberi non posse, catholicis cunctis constabat; attamen non crediderunt Summum Pontificem a Deo accepisse potestatem docendi, qua Concilia oecumenica superflua redderentur. Testantur id S. Augustini et aliorum Ecclesiae Patrum eloquia; nec non Summorum Pontificum dicta et gesta. *Decursu quatuor saeculorum, quibus opus erat, ut recta de Trinitate et Incarnatione doctrina stabiliretur, multoties ad consensum Ecclesiarum uti certum veritatis pignus provocatum est, neque Pontifices Romani contradixerunt, sed eamdem potius sententiam nihil haesitantes professi sunt.* Hoc ipsum durante schismate sub Hormisda Pontifice composito Gelasius I. fecit; cum enim non deessent, qui conquererentur, Ecclesiae tantam scissionem absque iusta caussa illatam esse, epistola ad Episcopos Dardaniae data, principia, quae Sancta Sedes Acacium condemnans secuta sit, adcurate exposuit et ius ei vindicavit, „Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus" exequi et Synodos tam confirmare quam custodire. Dubium non est, eamdem fuisse S. Hormisdae sententiam: etenim tam in agitationibus, turbisque diuturnis, quibus Ecclesia orientalis conquassata fuerat, quam in communionis restitutione agebatur de Chalcedonensi definitione, ergo de doctrina, quae manifesto ecclesiae universalis consensu stabilita erat. Ceterum sensum, quo formulare a subscribentibus intelligebatur, etiam lis de tribus capitulis exorta satis adumbrat: certe *Vigilium neque Graeci neque Latini in rebus fidei infallibilem crediderunt.*

Prout Sancta Sedes semper erat petra, adversus quam portae inferi non praevaluerunt, et Summi Pontifices munus fratres suos confirmandi fideliter executi sunt, ita tamen ut perpaucos ei defuisse facta testentur. *Honorius non confirmavit fratres suos:* nam de quaestione fidei, quae orientem Christianum vehementer tunc adhuc movebat, de Incarnatione scilicet decretum emisit, quod emendatione summopere profecto indigebat et ad plurimos in novam tentationem induce-

dos multum contribuit. *De sacramenti ordinis ministro erraverunt Stephanus III., Stephanus VII.*, et *Sergius III.; Leo IX. quoque vir sanctus, sed hac in re labis simoniacae detestatione abreptus.*

Concilii Lugdunensis II. acta non habemus. Michael Palaeologus per Gregorium Logothetam professionem fidei emisit, qua continetur: „Et sicut (Romanus Pontifex) prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri (*διορίζεσθαι*)". *Quod* autem *definitio, consensu Ecclesiae nullo modo expresso, irrefragabilis sit, haud exprimitur.* Praeterea Episcopi Graeci in litteris suis plurima quidem verba texunt, ubi autem ad iura Primatus agnoscenda ventum est, Pontifici id tantum spondent: „nihil eorum denegamus, quae ante schisma praestabant patres nostri his, qui apostolicam regebant sedem, sed statim et nos attribuimus". Leges et consuetudines ecclesiasticae, quae saeculo nono vigebant, iurium primatus normam constituerunt. Gregorii X. successores iteratis vicibus institerunt, ut Episcopi Graeci professioni ab Imperatore emissae accederent, eamque iureiurando confirmarent, sed declinabant id omnes, etiam Veccus patriarcha et alii, qui post Michaelis obitum se viros sincere catholicos exhibuerunt: nam contumelias, depositionem et carcerem pati quam ab unione deficere malebant: Antistites vero latini Lugduni congregati aderant quidem, cum Imperatoris Graeci fidei professio legeretur, sed de eius tenore neque deliberationem habuerunt neque decretum condiderunt. Constitutionum, quas Gregorius X. Concilio approbante edidit, una tantum ad Graecorum caussam spectat, prima nempe: damnat enim et reprobat omnes, qui negare praesumserint, Spiritum Sanctum aeternaliter ex Patre et Filio tanquam ex uno principio procedere. Praeterea *si Summi Pontifices credidissent, in Concilio Lugdunensi decretum esse, ipsos in rebus fidei et morum definiendis errare non posse, procul dubio in Concilio Florentino exegissent, ut Graeci hoc ipsum confiterentur: quod autem nequaquam factum est.*

Maxima demum difficultas oritur ex Bonifacii VIII. bulla: „Unam Sanctam." Quodsi Bonifacius VIII. in rebus

fidei et morum definiendis errare non potuit, obiectum decisionis Pontificiae ergo doctrina de potestatis ecclesiasticae ad civilem ratione divina ordinatione stabilita et obligationibus inde emanantibus ut veritas a Deo revelata credenda est. Habentur nunc, qui ad difficultatem eludendam defendant eum nihil definire voluisse, quam omnes homines obligatos esse Pontificem Romanum ut caput Ecclesiae a Christo constitutum agnoscere attamen absurda est suppositio, cui haec asserentes innitantur oportet.

Paucis his praecipuas innui difficultates, quae et meo et multorum Antistitum iudicio obstant, ne Christianis fide Deo revelanti debita credendum proponatur, S. Petri successores etiam absque Ecclesiarum consensu quomodocunque demonstrato in fidei et morum rebus definiendis errare non posse. Tantae rei condigna accuratione exponendae tempus non suppetit; insuper eam, quae maxime desideranda foret, Antistitum concordiam scriptis praeparari quidem non autem ad finem perduci posse existimo. Igitur necessarias censeo collationes, quas epistola 13. huius mensis die ad Eminentissimos Praesides data cum nonnullis variarum nationum Patribus multorum nomine postulavi. *Morae impatientes coram Deo perpendant, quaestionem versari circa decreta, quae cum retractari non possint, usque ad finem mundi duratura sint.* Hominibus notum est, me nihil, quod in me esset, omisisse, ut Apostolicae Sedi obedientia ei debita ab omnibus praestetur; Deus scit, animum meum refugere a difficultatibus, quae definitioni a tot Antistitibus desideratae obstare mihi videntur, asserendis et explicandis, sed ne ea silentio premam, impedit pastorale, quo gregi meo obstringor, officium. A sapientioribus meliora edoceri paratus sum; attamen haud fiat, ut in Concilio oecumenico diligentissima decernendorum consideratio et inquisitio declinetur!“

---

2. **Rmus Pater, qui secundo loco est,** *ita disserit:* 1. Generatim mea facio principia cap. XI; mallem tamen, ut integrum caput reformetur ad sensum libelli mei „de sancta Ecclesia catholica“, quem nuper exhibui; 2. Propono, ut schema

novum removeatur; 3. Pro casu emergente *postulo Scripturarum, traditionis et omnium historiae ecclesiasticae monumentorum huc pertinentium discussionem, omnibus numeris absolutam;* 4. Denique *postulo pro decreto definitivo moralem Patrum unanimitatem. Rationes:* Ad 1. Omnia longe simplicius, clarius et aptius, ideoque etiam efficacius dici posse. Dicendi modum in hoc Schemate adhibitum sinistras et erroneas interpretationes provocare. Ad 2. Definitionem *a)* iusto fundamento destitui *b)* plurimum nocivam esse, *c)* speratum effectum non habituram. Ad 3. Non sufficere, hanc doctrinam alacri animo amplecti, sed necessarium esse, ut Patres Concilii rationem de ea sibi reddant accuratissimam. Ad 4. Nulla afferetur huius postulati ratio, sed pro veri nominis crimine contra Ecclesiam patrato habetur, si definitio alio modo fiat.

3. **Rmus Pater, qui tertio loco est,** *accedit ad sententiam Rmi Patris, qui secundo loco disseruit.*

4. **Rmus Pater, qui quarto loco est,** *ex conscientiae suae persuasione et quidem pro bono universalis Ecclesiae compellitur ad talem definitionem omnimode dissuadendam hisce ex causis: a)* „Quia eiusmodi *definitio inutilis est,* quoniam in praxi ab ecclesia usitata nihil immutatur aut melioratur, quum Sanctae Sedis Apostolicae decretis et definitionibus in rebus fidei et morum hucusque omnimoda et sincera obedientia incunctanter fuerit praestita, quae quidem obedientia non fuit unquam maior aut pronior quam praesenti tempore, quo, sicut antea forsan nunquam, omnes totius orbis episcopi cum Sancta Sede Apostolica, quam firmiter fideliterque amplectuntur, intime sunt coniuncti. *b)* quia eiusmodi *definitio est nociva,* quippe quae in omnibus fere terris et dioecesibus adeo iam excitaverit animos atque commoverit, ut plurimorum fidelium a Sancta ecclesia catholica defectio vehementer sit timenda. Sanctae vero matris Ecclesiae, quae unamquamque animam diligit, sicuti mater filium unigenitum, id etiam incumbit officii, ut talia pericula, quamdiu fieri potest, caveat,

imminentia vero declinet. *c*) quia *eiusmodi definitione innumera Christifidelium corda Sanctissimo Patri, quem hucusque flagranti prorsus amplectebantur amore, alienantur,* quorum si erga s. Ecclesiam confidentia concussa fuerit, conatibus periculosis patriarchales nationalesve inducendi et instituendi ecclesias (qui etiam proh dolor! in *theologorum quorundam* deliciis sunt et desideriis) nova praebentur fomenta. *d)* quia *per eiusmodi definitionem iis, qui opinantur vel potius somniant, in Ecclesia catholica omnium fidelium mentes quasi catenis iacere vinctas omnemque inquirendi libertatem penitus supprimi,* id quod protestantes necnon catholici quidam non bene contenti tam libenter solent calumniari, *nova praestatur novarum querelarum causa, et materia. e)* quia *per eiusmodi definitionem acatholicis, inter quos haud pauci iique optimi hisce praesertim temporibus firmum fidei fundamentum desiderant, ad Ecclesiam reditus redditur difficilis, immo impossibilis. f*) quia *per eiusmodi definitionem Orientales uniti multifariis iisque delicatis traduntur seductionibus,* quibus timendum est, ne ad deficiendum ab Ecclesia forsan permoveantur, ideoque ad vinculum illud, quo adhuc Ecclesiae uniuntur, disrumpendum perducantur. *g*) quia *per eiusmodi definitionem Ecclesiam inter et saecularia gubernia relatio pluribus adhuc maioribusque implicatur difficultatibus.* Illa enim gubernia fere omnia erga Ecclesiam quavis destituuntur benevolentia; neque dubium est, quin episcopi in sacro suo munere fungendo inque Ecclesiae iuribus strenue defendendis impediantur deinceps et coerceantur vexationibus paene intolerabilibus. *h*) quia *definitio doctrinae de infallibilitate Romani Pontificis valde difficilis est propter difficultates et dogmaticas et historicas,* ad quas confutandas superandasque, etiamsi res alioquin bene procedant, longo temporis spatio opus est multisque scientificis studiis; quare priora Concilia ab hocce dogmate definiendo semper destiterunt. Sin autem nihilominus haec definitio decreta fuerit, instantissime postulandum, quemadmodum iam ab Episcopis quibusdam Fuldae congregatis petitum fuerit, ut, priusquam procedatur ad definiendum, diligentissima huius rei inquisitio adhibeatur. Tandem idem Rmus Pater summa cum reverentia iterum precatur,

ut in hocce Concilio Vaticano definitiones in rebus fidei non tam numericam, quam moralem sequantur votorum maioritatem, sicut semper factum esse constat in prioribus synodis oecumenicis."

5. **Alius Rmus Pater** *accedit ad sententiam Patris, qui tertio loco fuit.*

6. **Rmus alius Pater** *(Ketteler* Moguntinus) *ita disserit:* Quamvis ego ipse *sententiam de infallibilitate Romani Pontificis ut fidei proximam* agnoscam, atque ut agendi rationem normamque semper secutus sim et sequar, et ut ii, qui curae meae subditi sunt, eam sequantur, mihi summopere cordi sit: nihilominus gravissimas dubitationes ratione propositae nobis dogmaticae definitionis exprimere conscientia mea cogor: 1. Huiusmodi *dogmaticam definitionem necessariam iudicare non possum.* Catholici passim, paene sine exceptione, summa devotione, sincerissimo amore cum Ssmo Patre nostro et S. Sede Apostolica coniuncti sunt hoc tempore magis quam per plurima fortasse saecula praeterlapsa; Catholici parati sunt ad vere et plane obediendum non solum decretis in rebus fidei et morum a S. Sede emissis sine ulla practica distinctione, sine ulla quaestione, utrum „e Cathedra „vel" pro auctoritate" emissa sint nec ne; sed excipiunt Catholici etiam summa reverentia et obedientia decreta cuiuscumque generis e ss. Congregationibus Curiae Romanae emissa. Vellent quidem ii ipsi, qui agitationem et exacerbationem quandam nuperrime tandem primi, ut notissimum est, excitarunt, nunc ex agitatione hac necessitatem definitionis dogmaticae demonstrare. Sic facile possent, qui vellent, consilio et cogitatu dogmaticas definitiones a Conciliis evocare. Nunc adhuc facillimum esset agitationi causam subtrahere et tranquillitatem revocare. Est autem norma a Patribus nostris et a Conciliis sancita, ut eae tantum definitiones dogmaticae emittantur, quas urgens necessitas expostulaverit. 2. *Etiam emissa* hac, quam Schema continet, *dogmatica definitione subterfugia et causae simulatae iis,*

qui malae voluntatis sunt, non deerunt. Disceptabunt, num Papa, *personaliter infallibilis*, etiam personaliter, ipse per se exempli gratia librum hunc vel illum damnatum integrum legerit, linguam eius bene intellexerit; num Papa personaliter hanc vel illam dogmaticam quaestionem perlustraverit; num „pro auctoritate“ (ut Schema dicit) definierit, num „supremi omnium Christianorum Doctoris munere“ revera functus fuerit; num ad hoc vel illud speciale obiectum infallibilitas extendatur etc. 3. *In multis regionibus doctrina de infallibilitate Papae populo christiano paene aut prorsus ignota hucusque est.* In permultis Catechismis pro pueris, pro populo conditis, imo etiam in ipso Catechismo Romano *pro parochis* a s. Pio V. ex decreto Concilii Tridentini edito haec doctrina non legitur. In controversiis cum haereticis nostri temporis fere semper id solum asserebatur, id urgebatur: Catholicos obligatos esse ad ea credenda, quae infallibilis Ecclesia credenda proponit. Et cum saepenumero Lutherani, Calviniani, alii opponerent, Catholicos obligatos esse ad id etiam, ut soli Pontifici Romano docenti credant, haec haereticorum assertio passim ut calumnia verbis et scriptis tractabatur. Itaque *non sunt satis praeparatae mentes, non sunt praeparata corda ad excipiendam hanc dogmaticam definitionem in multis regionibus, in magnis dioecesibus.* Tempus saltem concedi deberet, quo fideles ad excipiendam definitionem praepararentur. Hoc tempore non concesso, magnae et luctuosissimae animarum et rerum perturbationes, quantum humana fragilitas nosse sinit, praevideri possunt. Haeretici e. gr. in Germania iam speculantur, non timent (ut multi vane putant) hanc definitionem, sed (quantum ego quidem observare potui) malevolentissimi eam et catholicorum perturbationes subsequentes expectant, et quasi communi signo dato agent in perniciem infirmorum Catholicorum. Multi Catholicorum, semieruditi, ut ita dicam, qui multa legerunt sed in fide non satis fundati sunt, hoc indifferentismi tempore infallibilitatem Romani Pontificis non excipient corde credentes, attamen in Ecclesia remanebunt ad ipsius Ecclesiae magnum detrimentum. 4. *Adducuntur contra hanc dogmaticam definitionem difficultates e factis historiae ecclesiasticae, e dictis Patrum et Conciliorum, e collocatione,*

dignitate, functione Conciliorum oecumenicorum in sancta Dei Ecclesia ortae. Est revera res gravissima et dolorosissima Episcopis, abscindere membra a Corpore Ecclesiae et (quod tremendum!) a spe salutis aeternae. Necessarium est, ut priusquam hoc officium Episcopi in se suscipiant, hae seriae difficultates in congregationibus *theologorum* expendantur, rationes *pro* et *contra* sine partium studio, imo sine ira et studio funditus eruantur et ponderentur, ut fontes difficultatum adeantur et e fontibus solutiones *verae* et efficaces hauriantur, quod ab Episcopis in Congregationibus Generalibus Concilii fieri omnino non potest. 5. Attendendum demum est, *quod decisiones in rebus fidei ab omnibus Conciliis oecumenicis hucusque habitis, ne uno quidem Concilio excepto, non simplici votorum maioritate, sed unanimi* (saepe absolute, semper moraliter) *Patrum consensu factae sunt.* Ut haec norma ab omnibus ss. Conciliis sancita in nostro Vaticano sarta tecta maneat, non postulo, quia non dubito, quin observetur."

---

7. Accedit **alius Rmus Pater,** (AEppus Olomucensis *Fürstenberg) qui ita disserit:* Ut mentem meam candide aperiam, nil haesitans censeo, *nullum omnino de hoc argumento edendum esse in praesenti Synodo decretum, nullum plane novum fidei iugum imponendum. Primo* quidem *hucusque mihi minime persuadere potui doctrinam hanc de personali Romani Pontificis infallibilitate, talibus universalitatis, antiquitatis et consensionis**) *argumentis innixam esse, ut illam cum securitate omnibus numeris absoluta ceu verum et proprium fidei catholicae depositum depraedicare liceat.* „In ipsa nimirum catholica ecclesia monente Vincentio Lirinensi (Commonit. cap. 3.) magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est." Hac profecto certissima fidei regula ductis Patribus in sacrosancto Concilio Tridentino congregatis, cum hanc quoque de inerrantia Summi Pontificis materiam matura deli-

---

*) Cf. Commonit. Vinc. Lirin. cap. 3.

beratione ponderaverint, nullam de eadem re definitionem dogmaticam, nullum edere decretum in Spiritu Sancto visum est. Quantum porro ponderis unanimi Patrum in Synodis congregatorum consensui tribuendum sit, felicis memoriae Summus Pontifex Pius P. P. IV. luculentissime testatus est, cum quippe praesidentes in Synodo praefata legatos suos monuerit, ne deficiente unanimi Patrum consensu neque de potestate Romani Pontificis quaepiam statuantur. *Secundo.* Praesens in hac sacra Synodo, ut ex munere episcopali verum et iustum fidei testimonium perhibeam, *coram Deo et Synodi Patribus salva conscientia non possum contestari, doctrinam in additamento de Romani Pontificis infallibilitate propositam obiectum esse vigentis in amplissima mea archidioecesi universalis fidei, adeo ut in hac professione et Clerus et populus mihi concreditus conveniat.* E contrario potius de luculentissimis sequelis e dogmatica huius argumenti definitione pro re catholica in *Moravia* eventuris intime persuasus contremisco, praevidens, ut plurimi fideles novelli dogmatis inductione non tantum gravissimum scandalum patiantur, sed apertissimo etiam circa fidem naufragio exponantur. Haud temere enim vereor, ne resuscitati in *Bohemia* proh dolor! hisce diebus *Hussitismi* asseclae, qui usquemodo quidem in vicino Moravorum fideli populo suas politicas tantum doctrinas destructivas propagare conantur, passim, ut in Bohemia nunc iam tentare non erubescunt, etiam in Moravia omnia moveant, ut coetus catholicos in perniciosi Schismatis abyssum seducant. Acatholicorum vero plurimi in coetibus fidelium dispersi a pio redeundi ad Ecclesiam proposito avertuntur. Et prout minime sperandum est, fore ut constituto de infallibilitate Papae decreto synodali levior paretur Schismaticis in Oriente reditus ad Ecclesiam romano-catholicam; ita speciatim in finitima meae Archidioecesi *Galiciae* provincia, cuius relationes et indigentiae religiosae mihi bene compertae sunt, summo exponentur periculo Graeci uniti, redeundi in vias calamitosi Schismatis. Ne alia et plura in specie commemorem argumenta et iam ab aliis omni cum scientia et pietate exposita repetam, quae omnino dissuadent, ut dogmatica condatur definitio de inerrantia Summi Pontificis, *provoco tantummodo ad animadversiones*

historico-dogmaticas, quas de hac materia duo Patres (89. 116) *sacro concilio exhibuerunt, quibus totus adstipulari non dubito, prout quoque illis, et tantum illis animadversionum ab alio Patre* (2) *exhibitarum consentio argumentis, quibus commonstrare nititur, minime esse opportunum, ut dogmaticum de infallibilitate Summi Pontificis sanciatur Decretum.*"

---

8. **Alius Rmus Pater** (*Hefele* Rottenburgensis) I. *Iis omnibus, quae a) contra opportunitatem declarationis illius et de gravibus periculis et damnis Ecclesiae inde orituris, et b) de necessitate consensus unanimis seu moraliter unanimis Patrum, si de rebus fidei definiendis agitur, ab alio Patre sub numero secundo animadversionibus suis ad hoc schema tam egregie et ingenue dicta sunt, ex intimo corde accedo.* Sed et alia quaedam addere conscientia cogor. Etsi enim *a)* quaestionis de opportunitate nulla ratio esset habenda, simulque *b)* quodsi pericula et damna Ecclesiae minime essent timenda-sed proh dolor! revera maxima sunt et maximi facienda, attamen a declaratione infallibilitatis Papae abstinendum esset, ex sequentibus causis: 1. Prae cunctis *eiusmodi declaratione caput a corpore, Papa ab ecclesia, praesertim a Magisterio seiungitur*, et si primarius error Gallicanorum in eo constitit, quod in cogitationibus suis ecclesiam a Papa separaverint eamque huic opposuerint, simili modo etiam in schemate nostro Papa a Magisterio et ab Ecclesia seiungitur eique quodammodo oppouitur. Nos autem Catholici, ut credo, nec Ecclesiam sine Papa, nec Papam sine Ecclesia cogitare possumus. 2. *In capite IX. schematis de Ecclesia merito docetur, Magisterium ecclesiasticum subiectum esse infallibilitatis, in novo illo schemate nostro autem aliud subiectum infallibilitatis nobis proponitur, singularis nempe persona Papae.* Sed nullibi ad difficultates tollendas docetur, quomodo haec duo subiecta copulari possint, quare unum alterum non excludat, non superfluum reddat etc. 3. *Testimonia illa biblica, quae pro infallibilitate Papae afferri solent, meo iudicio aut infallibilitatem Magisterii, aut Primatum, non vero infallibilitatem Primatis testantur.*

Infallibilitas *Magisterii* directe in S. Scriptura asseritur, infallibilitas *Papae* autem nullibi, nec apud Luc. 22. 32. directe et indicativo modo exprimitur. 4. *Patrum testimonia, quae de infallibilitate Ecclesiae* (in toto), *aut de infallibilitate ecclesiae Romanae* (in specie) *aut nonnisi de Primatu Romani Pontificis agunt, arte quadam non laudabili a multis pro infallibilitate singularis personae Romani Pontificis producuntur.* Ut breviter dicam: doctrina de infallibilitate Romani Pontificis nec in Scriptura sacra, nec in traditione ecclesiastica fundata mihi videtur. 5. Imo *contrariam*, ni fallor, *christiana antiquitas tenuit doctrinam*, et non pauca dubia contra declarationem novi dogmatis ex historia ecclesiastica et ex dictis sanctorum Patrum emergunt: *a)* Si in veteri Ecclesia contentiones et dubia de fide orta erant, *„prolatis atque collatis veterum magistrorum concordantibus sibimet sententiis“* lis componebatur, ut Vincentius Lirinensis in Commonitorio c. 39. testatur. Praesertim requirebatur, quid in *apostolicis* ecclesiis: Romana, Alexandrina, Antiochena etc. de ea re semper creditum fuerit, et requisitione hac instituta id, *„quod ubique, quod semper, quod ab omnibus* creditum erat“, decisione et declaratione dogmatica fidelibus tenendum proponebatur. *Nemo unquam veterum cogitavit, infallibilem alicuius controversiae decisionem breviori via apud singularem aliquam personam esse quaerendam:* e contrario Vincentius Lirinensis dicit (loc. cit. cap. 3): *„Sequamur UNIVERSITATEM, antiquitatem, CONSENSIONEM.“ b) Celeberrima S. Leonis I. epistola ad Flavianum, in Conc. oecum. IV. praelecta, non ideo ab omnibus subito recepta est et approbata, quia ab infallibili Papa processisset, sed quia doctrinam apostolicam contineret.* Ceterum in secunda Sessione huius Concilii episcopi Palaestinae et Illyrici dubia quaedam contra orthodoxiam huius epistolae moverunt eique non antea subscripserunt, priusquam illa dubia per explicationem epistolae sublata et dissipata erant. Quaero, num *principaliter* infallibilitatem Patres illi praesumpserint? *c) Dogmatica epistola Agathonis Papae in Concilio oecum. VI. praelecta, num cum doctrina patrum concordaret, in Sessione VIII. diiudicata, et tunc demum approbata est. d)*

Varia et sibi invicem contraria iudicia et decreta dogmatica Vigilii Papae in causa trium Capitulorum, nec minus e) Varia et sibi invicem contraria iudicia et declarationes plurium Paparum de valore ordinationum illicitarum, praesertim in causis Formosi et Photii infallibilitati papali contradicere videntur; similiter *f) tota historia Honorii Papae et eius diiudicatio et condemnatio a Concilio oecumenico VI., multa et magna in hac re dubia movere et excitare poterit. g) Varia* autem *Patrum, tum latinorum tum graecorum, dicta, quae infallibilitati* illi *minime favent,* omnibus nota sunt. II. Quod denique formulam illam in Concilio oecumenico VIII. a Patribus subscriptam et in schemate nostro (pag. 2.) laudatam attinet, ea 1. non *Hormisdae,* sed *Adriani Papae II.* erat, etsi Adrianus nonnulla verba Hormisdae, sed eius nomine tecto, mutuatus sit. Loquitur haec formula inter alia de Photio, de Papa Nicolao I. et aliis viris saeculi IX, qui plus quam trecentis annis post Hormisdam vixerunt (Hormisdas enim iam a 523 mortuus est). 2. Formulae illi omnes Graeci episcopi, qui antea a partibus Photii steterant, subscribere debuerunt, antequam ad Concilium admitterentur. Sed postea eos poenituit subscripsisse et subscriptionis chartam furati sunt. Num eiusmodi subscriptio magnam vim probativam pro infallibilitate Papae habeat, nescio."

9. *Ita statuit* **alius Rmus Pater:** (Card. Pragensis *Schwarzenberg*) „*Decretum, quod Concilio definiendum proponitur, sive rei argumentum, sive gravissimas Ecclesiae et temporis necessitates, sive formulam propositam considero, omnino et penitus descrendum atque removendum censere cogor officio muneris mei coram Deo et Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos.* I. Ut aliquid fide divina credendum proponi atque iniungi possit, constet necesse est, illud vel in sacris literis vel in constanti et divina Ecclesiae traditione, Patrum praesertim testimoniis vel saltem Ecclesiae factis et praxi ceu revelatum, a Christo Sanctoque Spiritu profectum monstrari. Non enim domini sacri sermonis, sed ministri Petrus et Apostoli eorumque successores consti-

tuti fuerunt. Iam vero *doctrina,* sicut proponitur, *Romanum Pontificem absque Episcopis* (de his enim ne verbum quidem dicitur) *in rebus fidei et morum definiendis errare non posse, has proprietates, quae ad dogma definiendum requiruntur, non habet: neque in sacris literis, neque in divina Ecclesiae traditione ita exhibetur, sicut ad definitionem dogmaticam indubie exigitur.* Loci *sacrae scripturae,* qui in schemate adferuntur, et plures alii, qui in hanc rem adferri solent, a catholicis et celeberrimis exegetis ad primatum quidem Romani Pontificis demonstrandum stricte et vere adhibentur, non excepto ipso primatu doctrinae, sed ad infallibilitatem eius, qui solus docet, comprobandam minus sufficiunt, prout revera a non paucis et probatis interpretibus non de infallibilitate Summorum Pontificum exponuntur. E. g. ipse Bellarminus (de Summo Pontifice l. IV. c. 2) verba: *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* „de privilegio, Apostolo Petro impetrato, quod ad successores transiisse dubitat vel asserere non audet, intelligendum esse censet. *Testimonia sanctorum Patrum* efficacissime quidem Romani Pontificis primatum etiam in fidei quaestionibus, supremam auctoritatem Sanctae Sedis in controversiis fidei, porro amplissimam Romanae Ecclesiae praerogativam in fidei puritate servanda tuentur: ast infallibilitatem Papae, quam vocant personalem, vel absque Episcoporum concursu, non docent. Tenebant enim Christi verbum omnibus Apostolis dictum: Ecce ego *Vobiscum* sum (in docendis gentibus) usque ad consummationem saeculi. *Doctrina et praxis Ecclesiae, atque ipsorum Pontificum, ea non fuit, ut fidei salutaris doctrina in solo Petrino Magisterio custodita crederetur, et sine erroris labe haurienda secure confideretur,* sed potius in Petro-Apostolico Magisterio, i. e. Summi Pontificis cum Episcopis coniuncti. Episcoporum auctoritas Summi Pontificis sententiam aut praeibat, aut sequebatur: fulcrum fide agnoscebatur mutuum esse. Id in ipsis locis, qui in schemate adferuntur, edicitur, si verba non manca, sed plene allata fuissent. Indecorum est, testimoniis inniti detruncatis. *Hormisdas* Papa in loco citato pariter haec habet: *Prima salus rectae fidei regulam custodire et a PATRUM traditione nullatenus deviare.* (Iuxta

Baronium). Quod fidei confessionem attinet, a Graecis in Conc. Lugdun. II. prolatam, duo ex verbis citatis eruuntur: primum, quod Ecclesia Romana debeat *prae ceteris* fidem defendere, alterum, quod subortae de fide *quaestiones* suo debeant iudicio *definiri* vel terminari. Iam vero haec duo enuntiantur tanquam consectaria vel applicationes principii, quod anteponitur et sic audit: „*pleni Primatus*“ vel ut postea dicitur „*plenitudinis potestatis*“. Hisce positis ipsa confessio Graecorum explicat, quomodo haec plenitudinis potestas ad Romanam Ecclesiam *consistat*, vel immobilis et irrefragabilis sit, dicens: „*Ad hanc autem SIC potestatis plenitudo CONSISTIT, QUOD Ecclesias ceteras ad partem sollicitudinis admittit.*“ Haec verba quae ad praesentem quaestionem essentialia sunt, in manca citatione omittuntur. Luculentius mentem Sanctae Sedis Hadrianus II exprimit, qui ad Ignatium Patr. Const. de Concilio VIII scribit: *Ergo Fraternitas Tua curet necesse est, ut sententiarum Capitula, quae synodice in Ecclesia Dei, ubi sanctum corpus Apostolorum principis Petri requiescit, pro abolendis profanis conciliis, Constantinopoli a Photio tam adversus Sedis Apostolicae reverentiam, quam adversus sanctimoniam tuam congregatis, COMMUNI CONSONANTIA promulgavimus, apud vos in Synodo (VIII) cunctorum subscriptione ROBORENTUR* (apud Nat. Alex. tom. VI. p. 356). Ceterum obliviscendum non est, confessionem fidei quae a Graecis in Synodo Lugdunensi offerebatur, et a Synodo admissa est, non esse definitionem ipsius Concilii oecumenici Lugdunensis. E contrario *tam Summorum Pontificum, quam Conciliorum generalium dicta et facta afferri possunt non pauca, quae Pontificem, si absque Episcoporum concursu de fide publice pronuntiet, errare posse demonstrant.* Pontificum litteras dogmaticas ipsa Concilia diiudicarunt, aut per approbationem et receptionem, aut, ut triste exemplum extat, per condemnationem. Sicut Patres Chalcedonenses celeberrimam Leonis M. ad Flavianum epistolam summis plausibus honorarunt, et B. Petri doctrinam esse proclamarunt: ita Concilium oecumenicum sextum dogmaticas Papae *Honorii* ad Sergium litteras condemnavit his verbis: *has invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus*

et a definitionibus sanctorum Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omni modo abiicimus et tamquam animae noxias exsecramus; vel alio loco, *quod impia Sergii dogmata, eius mentem in omnibus sequens, confirmavit.* Quodsi Ecclesia infallibiliter scripta haeretica diiudicat, quodsi Concilium oecumenicum assistentibus et sequentibus ipsis Pontificibus publicam alicuius Papae doctrinam *(haec nobiscum praedicet Fraternitas vestra* ait Honorius) ceu hereticam condemnavit: quomodo Concilium Vaticanum infallibilitatem Papae publice docentis pronuntiare poterit, aut si id modo proposito fecerit, quomodo fidem fidelium in Ecclesiae infallibilitatem non destruet? *Ius canonicum* denique *universali consensu exhibet, Papam haereticum deponi posse, imo per ipsam haeresim a Papatu excidere.* Non intelligi potest, nisi externa haeresis (de internis enim non iudicat praetor): atque iuris doctores insuper non de occulto sed publice haeretico Papa, vel verae doctrinae pertinaciter et palam resistente exponunt, quo non privatam Papae personam, sed Papam qua talem agentem intelligunt. Decretum itaque, quod proponitur, catholicam doctrinam, prout semper, ubique et ab omnibus credita est, continet minime.

II. Praeterea *gravissimae, quas Ecclesia hodiedum patitur, necessitates, definitionem huiusmodi dissuadent.* Bona, quae fors ex ista sperantur, modica erunt, et vix non frustra expectata: summis autem et vere terribilibus malis, quae attenta rerum consideratio timere cogit, certe superabuntur. Fidelium praesertim imbecilliorum animi insolita re turbabuntur, plurimisque, qui ubique reperiuntur, catholicae fidei et Ecclesiae inimicis opportuna praebebitur occasio vacillantes ab avito orthodoxae fidei tramite seducendi. Peculiare seductionis periculum fidelibus in *Bohemia* apertissime imminet, quibus quippe pristinus *Hussitismus*, tum politico-nationalis, tum religiosus ab Ecclesiae inimicis non commendatur tantum, sed de die in diem iniquissimo ephemeridum, librorum et publicorum spectaculorum praeconio incredibili audacia inculcatur. Commotionis huiusmodi auctores, duces et fautores maxime Sanctam Sedem populo odiosam reddere, eique persuadere nituntur, bohemicae nationis libertatem et salutem politico-religiosam

nonnisi excusso communionis cum Sede Romana iugo esse acquirendam. Nulli profecto dubio subest, hos seductores impiissimo desiderio novelli dogmatis de pontificia infallibilitate publicationem praestolari, ut mox plebem ad apostasiam a fide tanto certius seducere et schismaticam ecclesiam, quam nationalem appellant, condere queant. Pari modo facile praevideri potest, fore ut ex proposito papalis inerrantiae argumento potestates Ecclesiae infensae opportunissimam accipiant occasionem limitandi libertatem Ecclesiae debitam, eiusque iura vehementius aggrediendi; bona praesertim temporalia Ecclesiae, ubi adhuc supersunt, praesentissimo periculo exponi, extra omne dubium est. Auctam hanc et exacerbatam pugnam Sancta Sedes per protestationes, quae potius infensiori quam antea odio recipientur, vel decreta, quae effectu carebunt, non definiet; dioecesium et provinciarum Antistites eam sustinere debebunt, quorum auctoritas per propositum decretum humiliata et conculcata fuisse palam feretur. Quanto magis expediret, Sanctae Sedis et Episcoporum coniunctam missionem, auctoritatem, fidei custodiam et muneris impletionem per Concilium Vaticanum edicere et confirmare! *Christianae charitati et sapientiae repugnat, lapides offensionis multiplicando fidelibus, quae portare minus valent, imponere, hostes Ecclesiae ultro provocare et exacerbare.* Utut intentio proponentium Schema optima fuerit, illi tamen, qui sine columbae simplicitate, quae avitam fidem sine novitatibus servat, et sine serpentum prudentia, quae pericula et damna praecavet, doctrinam istam Concilio immiserunt, aeterno iudici de malis, quae secutura non difficulter praevidentur, si ad definitionem nihilominus procederetur, respondebunt. III. *Formula proposita* denique *naevis laborat, quos tangere potius quam exponere iuvat.* Super argumentis, quae rem non evincunt, super Conciliorum vel Pontificum textibus, qui non plene citantur, exstruitur definitio, quae incertitudinum plena est: etenim gravissima momenta, quando Papa ceu christianorum omnium doctor loquatur, quando pro auctoritate definiat, in decreto frustra quaesieris: et obiectum pontificiae infallibilitatis, quod illi infallibilitatis Ecclesiae aequiparatur, eo magis controversias suscitabit, quo obscurius de

hac re Caput IX. locutum est. Dissensiones, quae exinde Theologorum ut minimum exorientur, rationes illas, quae a proposito decreto desistere gravissime monent, non modice confortant."

10. *Dicit* **alius**: *„Minime Schemati infallibilitatis Summi Pontificis assentire se posse, atque summopere desiderare, uti propositio ulterius non urgeatur, nec affirmetur, nec negetur.* Ratio adiecta est haec: Certissimum ipsi esse, fore, ut infallibilitate ista dogmatice definita, in dioecesi sua, in qua ne vestigium quidem traditionis de infallibilitate Summi Pontificis, hucusque inveniatur, et in aliis regionibus multi, et quidem non solum minoris, sed etiam optimae notae, a fide deficiant, et Ecclesia summum detrimentum capiat. Praeterea Reverendissimum Patrem rem etiam in se agnoscere non posse.

---

11. **Alius** *ita disserit: „Solida Primatus et supremae in eo auctoritatis expositione facta, non est, cur doctrina de personali Romani Pontificis infallibilitate decretum Concilii ingrediatur; finem enim illum, in quem definitione dogmatis talis nefors intenditur, Sancta Christi Ecclesia tum infallibilitate sua, tum suprema Romanorum Pontificum auctoritate plene assequi potest. Abunde suffecerunt haec saeculis fere novemdecim ad conservandam et vindicandam fidei puritatem, sufficient eo magis deinceps quoque, quum certe post definitas iam refutandis erroribus lapsu saeculorum emergentibus requisitas veritates vix multae novae in rebus fidei definitiones necessariae sunt evasurae; quumve mediis communicationis, tum litteralis, tum personalis, mire multiplicatis et perfectis, facillimum iam nunc sit, consensum Episcoporum universae Ecclesiae, in occurrentibus requisitae definitionis casibus, rogare et rescire, imo, si id secus necessarium videretur, ipsos universi orbis Episcopos in Concilium oecumenicum cogere.* Quum igitur Ecclesia solenne habeat dogmaticam formam certis doctrinis nonnisi tunc indere, dum nesessitas id faciendi urget: in casu nostro, ubi nulla talis necessitas subversatur, nec dogmaticae talis definitionis ratio superest. Ut non dicamus, qualicumque demum

tentata definitione id, quod optatur, assequendum haud fore. Nam omnes, quae in doctrina de Ecclesiae infallibilitate se praesentant difficultates, in hacce quoque recurrunt. Definitio scilicet illa, et circumscriptio, quae de infallibilitate Ecclesiae Capite IX Schematis nostri datur, est adeo vaga et ambigua, adeo confundendis, commiscendisque diversissimis rebus eo non spectantibus idonea, ut illi subscribere nullatenus possimus. Hinc sicut definitionem hanc non necessariam: ita in tali forma plane damnosam putamus. Provocatur autem in additamento nostro ad hanc infallibilitatem, ceu quacum eamdem extensionem habeat infallibilitas Romani Pontificis. Sed et aliae praeterea ambiguitates circa infallibilitatis Pontificiae conditiones, quomodocunque demum definitio eius fiat, superessent, quae plurimis et continuis intra gremium Ecclesiae disceptationibus darent occasionem, iis autem, qui ex adverso stant, argumenta, modumque ad quaerenda et invenienda effugia suppeditarent. Vel isthoc igitur titulo ingens obstabit accuratae definitioni difficultas. Haec tamen licet magna, non est adhuc omnium maxima. Est hacce maior illa, quae e defectu sufficientium positivorum argumentorum, rem ex asse demonstrantium, et copia contrariorum, quae obstant, factorum, dictorum, rationum derivatur. Quae nunc indigitasse sufficiat. Expositioni illorum utique tempus, quod reflexionibus his faciendis assignatum fuit, non sufficit. Accedit denique, merito nos vereri, ne definitione tali emanata scindatur mysticum Christi corpus, pax et charitas inter fideles turbetur, amor ille ingenuus, quo orbis catholicus erga Sedem Apostolicam ferri gestit, passim debilitetur, imo suffocetur, in ipsumque Concilium gravis suspicio redundet, quasi procurandorum secundariorum finium ergo in unum collectum fuerit. Quae cum ita sint, quum *nulla prorsus necessitas* sit *doctrinae huius dogmatis natura vestiendae*, quum vix superabiles obsistant difficultates, gravesque instent sequelae: non intelligimus, quidnam thesis huius fautores impulerit tum ad ingentem illam animorum commotionem provocandam, quae iam adusque in orbe catholico quaquaversus observatur, tum ad scindendum corpus Christi, quod in fide et charitate nunquam magis unitum fuerat ac recte diebus nostris, tum ad scandala suscitanda,

quae iam hucdum timoratis conscientiis data sunt, magis vero deinceps dabuntur, tum denique ad perdendas animas, quae tali doctrina stabilita Ecclesiae pessum ire praevidentur; nescimus, cur petram Ecclesiae, quae summo populorum amore et adhaesione ornabatur, et, prouti adusque fuerat, solidissimum Ecclesiae fundamentum, unitatis servandae medium constituerat, in petram scandali et perditionis pro plurimis animabus transformare voluerint. Sufficit videre et audire, quam anhelis votis Ecclesiae in cunctis Europae oris inimici definitionem talis dogmatis exoptent, ceu pravis suis contra divinum illud institutum directis intentionibus quam maxime faventem. *Optamus* igitur, *ut circa argumentum additamenti nostri nulla conciliaris determinatio emanet. Si tamen his non obstantibus inconsulto insisteretur, ut ad talem procedatur, sequentia postulamus:* 1. *Quum hanc ingentis indaginis et amplae extensionis materiam, quae ipsam regulam fidei essentialiter tangit, tractatum iri, nonnisi post nostrum Romam adventum intellexerimus; quum toto praesentis nostrae in Urbe commorationis tempore semper aliis conciliaribus agendis sat superque distenti, thesi huic ex asse examinandae debite vacare non potuerimus; quum, antequam in re fidei conciliari iure nostro utamur et populis fide divina aliquid credendum proponamus vel propositum reiiciamus, intenso studio argumentum dogmaticae decisionis examinare Episcopalis muneris, conscientiaeque nostrae, magno secus piaculo gravandae, ratio deposcat: plane necesse est, ut sufficiens et materiae gravitati commensuratum tempus nobis pro praeparatione praebeatur.* 2. Eminentissimum Praesidium in enunciationibus Patrum exaudiendis eam rationem sectetur, ut *a)* membra Concilii, quae alius cum Oratore opinionis sunt, ab indebitis interruptionibus eadem ratione prohibeat, quemadmodum certos Patres ab applausibus Oratori sibi placenti impensis prohibuit, omnium vero minime ab intolerabili quorumdam Patrum contra Oratorem se gerendi ratione ansam et rationem suae procedendi rationis sumat. *b)* Dum plures Oratores, extra rhombum Schematis tractati divagantes ab Oratione prohibiti non fuerunt, aequum sane est, ut nec alii, alius opinionis Patres sphaeram discussionis haud

excedentes, libertate dicendi priventur. 3. Ut in decernendo negotio ea consensus Ecclesiarum, proin et unanimitatis ratio habeatur, quae Concilii veritatem et oecumenicum characterem in tuto locet, dubiis eatenus oriri queuntibus viam praecludat."

---

12. **Alius** *(Melchers* Colon. AEppus) *vero sic censet:* „Quod spectat ad appendicem de infallibilitate Summi Pontificis definienda, equidem *omnino sum propensus credere, quod Deus numquam permittet Vicarium suum in terris, qui supremum habet officium et potestatem docendi et regendi Ecclesiam, a veritatis tramite aberrare*, quoties munere suo fungens Ecclesiam edocet universalem de rebus fidei et morum, nec non lubentissime agnosco et concedo, Summi Pontificis eiusmodi decretis atque iudiciis omnes fideles veram et sinceram debere obedientiam. Attamen *propositae definitioni de infallibilitate Summi Pontificis diversis ex rationibus assentire nequeo et quidem primo, quia persuasum mihi non est, eandem esse necessariam.* Sacrae Sedis enim Apostolicae numquam maior fuit auctoritas in docendo et iudicando de rebus fidei et morum, quam moderno tempore. Absque necessitate autem novas definitiones dogmaticas condere hucusque in Ecclesia catholica non consuevit neque expedit. *Deinde de infallibilitate Summi Pontificis inter theologos adhuc controvertitur, multique viri docti et orthodoxi istam definitionem dogmaticam impossibilem esse censent tum propter graves difficultates obstantes ex variis factis historicis et compluribus SS. Patrum effatis, quae probare videntur, consensum unanimem et universalem de hac sententia numquam fuisse in Ecclesia, tum propter difficultatem eandem ita definiendi, ut non remaneat locus plurimis dubiis et controversiis circa interpretationem et applicationem ipsius ad singulos casus tam praeteritos quam futuros.* Exinde multi etiam inter eos, qui propensi existunt ad amplectendam sententiam de infallibilitate Summi Pontificis, carent tam firma ac certa convictione, quali opus esset, ut eandem tanquam credendam sub praeiudicio damnationis aeternae omnibus fidelibus praescribere et imponere absque gravi culpa possent.

Minime igitur sperare licet, fore ut unanimi Patrum consensu ista definitio statuatur; e contra omnino dubitari non potest, quominus magnus Episcoporum numerus definitioni propositae contradicat. Hucusque autem in Ecclesia Dei numquam consuevit nec fas esse visum est, novas definitiones dogmaticas condere sine unanimi — moraliter saltem — consensu omnium Episcoporum in Concilio sedentium. Propterea censeo atque enixe peto, ut ab hac sententia discutienda in praesenti Concilio omnino abstrahatur, ne per discussionem magnus inter Patres dissensus manifestetur, nec inde auctoritati Concilii Vaticani grave detrimentum afferatur. *Denique maxime inopportunam quoque definitionem de infallibilitate S. P. tempore praesenti esse censeo* sequentes ob causas: 1. quia multis fidelibus, praecipue in regionibus mixtae confessionis tam Orientis quam Occidentis, in quibus ista sententia hucusque non fuit recepta, immo ignota, per eiusdem definitionem dogmaticam *gravissima pericula schismatis vel defectus a fide* pararentur, quippe qui in ea religionis immutationem atque ipsius fundamenti alterationem conspicere existimarent. 2. quia innumeris Christicolis adhuc ab Ecclesia separatis sed ad eam reverti cupientibus inde *gravis perturbatio et aversio ab Ecclesia* oriretur ita, ut magis quam unquam ab ea removerentur. 3. quia in multorum fidelium animis *huiusmodi definitio dogmatica charitatem et devotionem erga Sacram Sedem*, qua nunc affecti sunt, minime augeret sed potius *minueret et debilitaret*. Istae sunt rationes, quare peto ac postulo, ut a discussione et definitione infallibilitatis S. P. abstrahatur omnino, aut si hoc non placuerit, *nonnulli viri doctissimi* tam ex iis, qui favent, quam qui contradicunt huic definitioni, *eligantur et deputentur ad quaestionem, de qua agitur, ex utraque parte accuratissime funditus inquirendam et dilucidandam atque ad argumenta et documenta integre exponenda*, quatenus veritatis cognitio omnibus fiat perspicua, atque deinde sive in proximo Concilio, sive futuro tempore, si praesens Concilium tamdiu perduraverit, eadem quaestio denuo proponatur. Cum vero novissimo tempore per iniustos et immoderatos quorundam professorum nec non Ephemeridum multarum impetus in Sacrae Sedis auctoritatem aliqua refraenatio

atque cautela iam postulari videatur, equidem *desidero, ut ad cap. XI loco congruo assumatur additamentum vel condatur canon, quo definiatur: Summi Pontificis auctoritatem docendi et iudicandi de rebus fidei et morum esse supremam, eiusque decretis atque iudiciis omnes fideles veram et sinceram debere obedientiam.*"

---

13. *Accedit* **alius,** *qui existimat:* Gravissimam Ecclesiae calamitatem habendam esse, si *haec quaestio* utpote *nova, inutilis ac periculi plena* in Concilio tractaretur; magnumque nomen Pii IX nunc periclitari propter praeposterum zelum eorum, qui quaestionem hanc importune agitantes male consulunt verae existimationi Summi Pontificis, pessime Ecclesiae. *Flagitandum* igitur, *ut Papa motu proprio quaestionem de medio tollat. (Rationes ulteriores non sunt adiectae.)*

---

14. *Statuit* **alius** *sic:* „Ad caput XI. de Rom. Pontificis primatu in Ecclesia novum Caput supperaddendum proponitur, scil. de Eiusdem in rebus fidei et morum definiendis inerrantia. Profecto res ardua et difficultatibus haud exiguis obsepta, si ad rerum adiuncta attendatur, in quibus versamur. Licet enim *ab ipsa re quaestionis in se spectata, quantum memetipsum attinet, minime alienus* sim, quandoquidem effatis supremi Pastoris, cum ut talis aliquid ad divina fide credendum Ecclesiae proponit, semper non externum tantum, sed verum et sincerum animi obsequium praestari debere et didici, et usque ad extremum vitae halitum praestare Dei gratia paratissimus sum, nihilominus, *si de hoc addititio Capite, quo definitio formalis et dogmatica de personali infallibilitate Rom. Pontificis in rebus fidei et morum definiendis proponitur, sententiam eloqui oportet, illud mihi haud probari ingenue fateor.* Et quidem 1. iam in universum *vel ipsum consilium procedendi ad formalem inerrantiae definitionem per ipsam auctoritatem Ecclesiae non mihi arridet,* prout in nuper a me porrectis animadversionibus de Ecclesiae infallibilitate iam observavi. Ut enim ipsum subiectum infallibi-

litatis, qualecumque demum illud sit, hanc praerogativam expressis verbis de se praedicet et sub anathematis poena credendam iniungat, rei naturae haud convenire, nec sine *petitione principii,* ut dici solet, fieri posse existimaverim. Id de Pontificis inerrantia definienda non minus ac de illa Ecclesiae in universum valet, eo quidem certius, quod Decreta huius Concilii Vaticani nomine et auctoritate Sanctissimi Domini emittantur. 2. Porro *non video sufficientem rationem, quae urgeat eiusmodi formalem inerrantiae Pontificiae definitionem·* Ecclesia nempe in rebus fidei dogmatice definiendis, sicut in symbolis redigendis sapientissimam semper oeconomiae legem secuta est, ita ut nunquam vere urgentis necessitatis terminos excederet, ad exemplum ab ipsis Apostolis in synodo Hierosolymitana servatum: „Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec *necessaria*" (Act. 15, 18.) Iam vero licet exercitium infallibilis auctoritatis nulla aetate in Ecclesia defuit, ipsa tamen nunquam suam aut Pontificis inerrantiam expressis verbis definire et ut articulum fidei credendum proponere per 18 saecula necessarium iudicavit. Abstinuit semper a theoretica eiusmodi definitione, acquiescens postulato practico, ut suis decretis, etiam per sacratissimum Caput suum et supremum Pastorem enuntiatis, verum obsequium fidei ab omnibus praestetur. Hoc postulato irrefragabili cautum est totum, quod Ecclesiae hac ex parte interesse potest, ut itaque nec nostra aetate ulterius procedere necesse videatur. Neque enim alia anteriori historiae ecclesiasticae periodo tanta erat Rom. Pontificis etiam circa res fidei auctoritas et fidelium obtemperatio, quam in praesenti, et si — quod sane maximopere dolendum est — novissimo tempore in quorumdam animis labefactata sit, ansam omnino dedisse dignoscitur mota illa de personali infallibilitate Pontificis quaestio, a qua proinde parum lucri pro roboranda pontificia auctoritate sperandum est. Eo certius autem 3. *haud levia damna in rem ecclesiae et S. Sedis inde redundabunt.* Quemadmodum hucusque iam experientia docuit, haec quaestio, et quod inde ortum duxit, definitionis dogmaticae postulatum, uberrimus fons existit dissensionum et fomentum sinistrarum interpretationum tum extra Concilii limites tum in ipso gremio Patrum.

Quid si ad ipsam definitionem procedatur? num sedabuntur fluctus dissensionum? an nihil patietur integritas fidei in tot infirmis et vacillantibus, quorum virtus constantia non est? Id sperare non ausim de mundo utplurimum modicae fidei et tardo ad credendum, qui affectuum commotione facile abreptus, aut externis impulsibus cedens, corruptus insuper ephemeridum pessimarum lue atque adulterinis principiis seductus, decisionem *personalis* inerrantiae magna ex parte excipiet animo diffidente in Ecclesiam et suspicioso in Concilium, quasi particularibus inserviat commodis. Quid quod vel ipse filialis et piissimus amor, quo hactenus in Beatissimum Patrem fertur fidelium confertissima multitudo, imo et inaudita fere, qua iustissime etiam apud exteros Ipse fruitur, existimatio imminutionis discrimen exinde subire posset, id quod non satis deplorandum foret. Denique sunt, qui inter consectaria exitiosa inde imminentia 4. serio etiam *externas secessiones* metuant aut *defectiones ab ecclesia* in populis quibusdam cum ecclesia romana catholica hactenus communionem servantibus, cuius tamen suspicionis illi ex Rmis Patribus rationem reddant, qui in eiusmodi ambiguis et ominosis rerum circumstantiis constituti competentiori iudicio testimonium ferre poterunt. Id tamen dubio carere opinor 5. *spem laetam*, quam ex paterna invitatione Acatholicorum ad Concilium quondam conceperamus, scilicet fore, *ut fratres nostri errantes ex Protestantismo et Orientali schismate tandem aliquando in ecclesiae catholicae portum sint reversuri, vix non omnino irritam reddi simul ac sententia de personali Rom. Pontificis infallibilitate, antequam animi ad eam amplectendam pedetentim fuerint praeparati et procliviores redditi, simpliciter omnibus ut fidei articulus sub anathematis sanctione iniungeretur.* Hactenus enim vel ipse iam personalis primatus Romani Pontificis tum a Protestantibus, quum ab orientalibus schismaticis inter maxima et vix superabilia unionis et conversionis impedimenta habetur. Quae quum ita sint, a me impetrare non possum, rempublicam catholicam vere quidquam inde lucrari, si postulato definitionis dogmaticae satisfiat, quandoquidem tantum abest, ut illa necessitate se commendet, aut utcumque utilem se exhibeat, ut potius uberem malorum scaturiginem fore

omnia haud dubie portendant. Inter haec autem mala maximum esset scissio inter Concilii Patres atque dissolutio felicis unanimitatis, quae nullo non tempore, maxime vero in praesenti, palladium esse debet ecclesiasticae auctoritatis. Quare, *nisi consultius videatur ab eiusmodi definitione theoretica omnino abstinere, talis saltem formula investigetur, in quam spes sit moralem Patrum unanimitatem posse conciliari. Frustra autem videtur id expectandum esse, donec inventa fuerit formula, qua Pontifici inerrantia in rebus fidei et morum definiendis ita adiudicetur, ut non omnino disparuisse videantur partes episcopatui tribuendae.* Caeterum arbitror, practicam formulam esse praeferendam eo citato sensu, quo supra (sub init.) meam de hac materia persuasionem subiectivam in universum adumbravi. Temporis angustia arctatus, uberiori rationum expositioni supersedeo, hanc perexiguam symbolam sapientissimo iudicio Excelsae Deputationis commendans atque subiiciens."

---

15. *Ita* **alius** *scribit:* „*Formulam hanc de infallibilitate Romani Pontificis non solum propter inopportunitatem talis definitionis dogmaticae, sed etiam ob internas i. e. in re ipsa definienda sitas difficultates subscribere non valeo*". *(Breviter attinguntur argumenta illa omnibus nota, quae contra opportunitatem definitionis nec non contra ipsum dogma afferri solent. Nova et graviora non promuntur.)*

---

16. **Alius Rmus Pater** *postulat:* ut abstineatur a *quaestione de infallibilitate:* quia est *nova et hucusque inaudita;* quia est *intellectu difficilis;* quia *scatet difficultatibus summis historicis*, quibus non solutis, definitio fieri nequit; quia *periculosa tam pro fidelibus, quam pro haereticis aut schismaticis* qui novo dogmati difficilius acquiescunt; quia *inutilis,* cum hoc tempore facile convenire possint episcopi ad concilium generale, si forte quis novus insurrexerit error; praesertim

cum ita veritates omnes fuerint definitae, ut vix excogitari possit nova haeresis quae iam ab Ecclesia non fuerit damnata.

---

17. **Alius** *improbat ipsammet quaestionem de infallibilitate, quasi ex ea pericula sint timenda a gubernis,* quae putabunt hanc declarationem plenam in omnia potestatem deferre Romano Pontifici; in cuius probationem allegat interrogationem olim factam in Anglia Episcopis catholicis, utrum admitterent infallibilitatem. Item affert incommoda, quae exinde tam haereticis quam catholicis creabuntur; cum primi ab Ecclesia hoc novo dogmate removebuntur; alteri scandalum patientur, si doctrinam, quam olim didicerunt de infallibilitate Ecclesiae, iam negatam viderint, ut in eius locum inducatur doctrina de Pontifice Romano infallibili.

---

18. **Alius** *multis verbis pugnat contra definitionem infallibilitatis.* 1. *Contra opportunitatem:* nova dogmata non esse definienda sine manifesta necessitate, quae ab omnibus ut talis habeatur. Nunc autem in praxi habetur quidquid per definitam infallibilitatem sperandum est, siquidem omnes obediunt voci Romani Pontificis. Hanc definitionem nocivam potius quam utilem Sanctae Sedi, ob insidias, et dissidia exorta ob hanc quaestionem inter Episcopos, Presbyteros et Fideles. Praeterea magnas difficultates creabit definitio, praesertim in America septentrionali, propter odium inveteratum in omnem speciem monarchiae absolutae. *A quaestione de opportunitate, transit* 2. *ad quaestionem de ipsa rei veritate.* Nam, ex professione fidei Pii IV, regula interpretandi Scripturas est sensus Patrum et Conciliorum *in prioribus saeculis.* Porro neque Patres, neque concilia priorum saeculorum ullum verbum habent de infallibilitate, sed tantum de Primatu Romani Pontificis. Imo ex his constat a tempore Apostolorum necessariam fuisse ad dogma definiendum *„conquisitionem et cooperationem episcoporum antequam novi quidquid definitive statuatur.“* Textus Concilii Lugdunensis qui afferri solet in favorem infallibilitatis, probat quidem primatum, non vero in-

fallibilitatem. Nam quando dicitur Romanam Ecclesiam esse matrem omnium Ecclesiarum, et eius iudicio omnes causas esse definiendas, his verbis significatur „principatus Romanae Ecclesiae quatenus est patriarchatus occidentalis, et contendunt (verba citata) ipsius Ecclesiae, quae omnium mater est et magistra, iudicio definiri debere quaestiones de fide quae suboriuntur; quatenus scilicet traditio veritatis universae Ecclesiae a Christo factae, in hac primatiali Sede praecipue servatur. Iudicium igitur Ecclesiae Romanae, scilicet Occidentalis, habetur conforme iudicio Ecclesiae universalis. Quodsi nonnulli in aliqua doctrina aliquid sentiant quod differat a iudicio Ecclesiae universalis, haec discrepantia dirimitur iudicio Ecclesiae matris et primatialis, in qua servata fuit recta apostolica traditio. At videndum est, utrum iudicium solius Pontificis Romani sit conforme traditionali iudicio Ecclesiae universae: qua de re iudicare proprium est totius Ecclesiae vel in Concilium collectae, vel etiam dispersae.“ *(Et in confirmatione affert testimonium Theodori Studitae, e quo sequeretur penes quinque patriarchas esse iudicare de fide.:)* Ad Scripturarum testimonia apud Matthaeum: Petra super quam fundatur Ecclesia non est Petrus, sed aut „Christus, aut fides in eum. Quapropter Matthaei testimonium nullatenus probare dicendum est infallibilitatem Pontificis, sed dumtaxat eius externam auctoritatem. Infallibilitas promissa est Ecclesiae, quatenus summus eius sacerdos qui manet in aeternum, Christus Dominus, est lapis angularis et petra fundamentalis, ex qua profluunt Ecclesiae dotes supernaturales, adeoque eius infallibilitas. Infallibilitas autem in hoc sita est quod scilicet membra docentis Ecclesiae coadunata visibili capiti Petro in nomine Christi, et promissa a Christo divina assistentia, ab errore simul immunia sint, cum ea quae fidei ac morum sunt communi iudicio decernunt; licet autem unum aut alterum ex his membris etiam praestantissimis quandoque errent, tamen Ecclesia errare non potest, quia non in homine quodam peculiari, neque in hominibus quibuscumque, sed in ipso summo angulari lapide Christo Iesu est aedificata. . *Formula Hormisdae* tantum historice demonstrat pontifices per sex saecula non errasse; postea vero ideo retenta fuit, quia error pontificum, nominatim *Honorii*, non infecit

ipsam Romanam Ecclesiam. Verba Christi apud Lucam: *Rogavi pro te,* personalia erant Petro, neque respiciebant eius successores: quod si Agatho ea ad Sedem Romanam retulit, intendit tantum ipsam Ecclesiam urbis Romae nunquam defecturam a fide. (*Conatur deinde demonstrare, Honorium fuisse vere damnatum ut haereticum proprii nominis in definitione ex cathedra:* ac proinde non posse definiri infallibilitatem Romani Pontificis, quin contradicatur tribus conciliis oecumenicis quae illum damnarunt.)

---

19. **Rmus Pater** *gaudet multum de imminenti definitione, quam semper desideravit.* Tria inquirenda: *utrum infallibilitas sit veritas revelata et definibilis; utrum huius definitio sit opportuna; an bona sit formula proposita?* De priori quaestione nullum dubium apud catholicos; Scripturae (Matth. XVI, et Luc. XXII) clare hanc testantur; unanimi suffragio Patres etiam antiquiores et Concilia generalia, cum Pontifici docenti in omnibus acquiescendum docerent. Non solum opportuna sed necessaria definitio, quia veritati tanti momenti errores oppositi ubique grassantur, et ad praxim reducuntur, cum multi, nominetenus catholici, iudiciis S. Sedis obedire detrectent, eo quod non constet de eius infallibilitate. Quodsi non definiatur in Concilio, erit scandalum, et multi reputabunt id non factum esse quia non satis de veritate constaret. *(Probat omnino formulam propositam, eo quod et inerrantiam Romani Pontificis definiat, et ostendat eam non esse aliam ac infallibilitatem ipsius Ecclesiae.)*

---

20. **Alius** *contra enixe postulat ut removeatur quaestio de infallibilitate:* 1. *Incommoda definitionis ex parte* eorum, qui sententiam (fallibilis Pontificis) tenuerunt aut etiam tenent, non tantum in Gallia, sed etiam in Allemania, in Austro-Hungaria, in Hibernia, in Austria, in Portugallia, in Statibus unitis etc. Praeterea omnes olim fere Galliae episcopi hanc eandem sententiam docuere, nec contra illam stat ulla damnatio. „Ut videre est in decisione S. Poenitentiariae,

die 27 Sept. 1820, qua constat *declarationem* quidem cleri gallicani anni 1682 damnatam fuisse, doctrinam istius nulla censurae nota attactam fuisse.“ Porro in talibus adiunctis, numquam definitionem tulit Ecclesia, praesertim cum illa futura esset tanto dedecori Episcopis, qui pro unione cum Ecclesia Romana nuper usque ad sanguinis effusionem pugnarunt. 2. Ex parte eorum quibus novum dogma credendum proponeretur: *Timet Rmus Episcopus, ne per hoc decretum fideles multi in schisma trahantur; ne reditus ad Ecclesiam schismaticis et haereticis praecludatur.* Et hoc, ut statuatur opinio, cui hucusque liberum fuit adhaerere vel dissentiri. 3. Ex parte definitionis ipsius quae fieri nequit nisi solutis intricatissimis difficultatibus historicis et theologicis, quae non fuerunt solutae *peremptorie.* Sic opus illud, quod certe laudibus meis non effero, cui titulus *Ianus,* refutationem absolutiorem provocare debet, ita ut allegata monumenta, textus laudati, plenius discutiantur et redarguantur. Denique deberent statim definiri conditiones Pontificis loquentis *ex cathedra:* de quibus silet schema, quasi voluisset tantum quaestionem illam introducere, ne eam quidem delineando. *(Quae plura dicenda, si sinistrae, quas habet non fallantur praesumptiones, ad oralem discussionem remittit.)*

---

21. **Alius** *valde probat praeparatam definitionem. Illam vult absolutam, non conditionatam, nec putat Patrum esse assignare, quanam conditione adsit Spiritus Sanctus Romano Pontifici iudicanti,* sed statuendum firmiter: omnem definitionem fidei a Papa factam eo ipso sortiri effectum suum; assignare vero conditiones esse periculosum, quia haeretici exinde occasionem perpetuo arriperent reiiciendi pontificias constitutiones. Quare Concilia, quae de suprema in iudicando potestate Romani Pontificis egerunt, nunquam de his conditionibus mentionem habuere. Quoad formam, vellet ut aeque in hac definitione ac in aliis adhiberetur consueta forma Canonis: *si quis .. anathema sit.*

---

22. **Alius** 1. *desiderat valde ut non tractetur haec de infallibilitate quaestio in Concilio*; 2. ut antequam de ipsa infallibilitate fieret sermo, *inquireretur de opportunitate;* non quidem numerando, sed ponderando suffragia, eo sensu, quod ratio potior haberetur de iis episcopis, qui multa reformidanda haberent pro suis subditis, v. g. Anglis, Germanis, Gallis, Americanis, quam eorum, quibus haec definitio nullum impedimentum afferet, ut v. g. Episcopis Sinarum, Oceaniae etc. 3. *Quaestio tanti momenti, et tantae difficultatis, intra breve tempus decem dierum sufficienter tractari non potest.* Quare longam in Concilio disputationem postulabit, quam concedendam non dubitat Ill. Praesul. 4. *Excutiuntur probationes in schemate allatae ad adstruendam infallibilitatem Romani Pontificis.* Prima est professio fidei a Graecis edita in Concilio Lugdunensi II. Verum haec professio fidei non est edita a Concilio, sed facta a Clemente IV., et a Graecis recitata coram Concilio quod sese passive habuit. Praeterea nihil in illa formula favet doctrinae de infallibilitate. Dicitur ibi non de Pontifice, sed *de Sancta Romana Ecclesia* quod „*sicut prae caeteris* tenetur fidei veritatem defendere, SIC ET si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri." Nam haec verba primatum quidem, non supremam auctoritatem in fide independenter ab episcoporum concursu, statuunt. Insuper notentur verba: *sicut prae caeteris ... sic et* si quae etc. Unde sensus est: sicut *prae caeteris* defendere fidem, sic et illam *prae caeteris* definire debet, — *prae caeteris* autem non idem est ac *seorsim independenter* ab aliis. Tandem agitur de *Sede Romana*, non de *Romani Pontificis persona* ... 5. De formula Hormisdae, admissa authenticitate omnium eius partium, quae tamen in controversiam vocatur a multis, nihil ex illa ad rem praesentem conficitur: nam primo agitur de Romana Sede, non de Romano Pontifice. Secundo, enunciatur simplex factum, non errasse Sanctam Sedem, quod verum esset etiamsi errasset unus aut alter pontifex in definienda fide. 6. Verba Christi. *Tu es Petrus ... Et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* — adversum eam, *id est: Ecclesiam*, non: *petram.* Promittitur ergo soli Ecclesiae stabilitas inconcussa: quae non vocatur in discrimen etiamsi

erret Pontifex; ipsi enim „*resisteret Romana Ecclesia; resisteret universalis Ecclesia, resisteret episcoporum invincibilis fides;* et sic error mox penitus excluderetur. — Nam Ecclesia habet pro fundamento non tantum Petrum, sed primario Christum, et secundario Apostolos *in suis successoribus semper viventes.* — Numquam equidem deficiet successio pontificum Petro succedentium in Sede Romana: quod si unus cadat, *statim per ipsam suam Sedem, et per universalem Ecclesiam, adunato si opus esset Concilio, vel monitus, corrigeretur, vel si contumax fieret, amoveretur.* 7. *Ego rogavi pro te..* Haec verba ad solum Petrum, et non ad successores spectant, et quidem ad solam eius fidem internam in tempore passionis. 8. In formula definitionis sunt *evidentissima vitia* et sequuntur *formidanda pericula.* Nam formula non determinat conditiones infallibilitatis. Quibusnam signis sciemus utrum Papa fungatur munere doctoris: Per bullam, per breve, in allocutionibus etc.? Nec clarior per incisum: *cum pro auctoritate definit.* Eadem est difficultas. *Cum definit quid ab universa Ecclesia in rebus fidei et morum tenendum sit.* Cur *ab universa Ecclesia?* Potest-ne fieri decretum fidei pro una parte fidelium? Quid *res morum?* Sunt res morales revelatae, aliae evidentes, aliae obscurae, quae ad solam philosophiam pertinent. Ubinam cessabit infallibilitas Pontificis? Quoad obiectum: *ad idem obiectum ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.* Haec sunt vaga nimis; sicut est vagum obiectum infallibilitatis Ecclesiae in Cap. IX. Concedere ita indefinite infallibilitatem Romano Pontifici est quid periculi plenum, nam poterit, admissa tali definitione, statuere de dominio temporali, de eius mensura, de potestate deponendi reges, de usu coercendi haereticos etc. 9. Exinde infallibilitas promissa corpori pastorum et quae non potest exerceri sine magna deliberatione, inutilis evadet, si Pontifici eadem tribuatur, qui possit uno verbo omnes lites de fide componere; *sine tantis cautionibus, per suam voluntatem et iudicium;* et *nonnunquam in materiis forsan, de quibus ambigi poterit utrum ad hoc se protendat nec ne privilegium infallibilitatis. Quot inde et quanta Ecclesiae et paci Christianae reipublicae pericula emergere possint, nemo non videt.* 10. Praeterea

modus dicendi schematis supponit existere in Ecclesia duplicem infallibilitatem: ipsius Ecclesiae et Romani Pontificis. Quod est absurdum et inauditum. Unica illa est. Unde si tribuatur Pontifici, Episcopi etiam in Conciliis, *infallibilitatem passivam,* nullo vero modo *activam* habent. Unde non iam dicenda est *infallibilitas Ecclesiae,* sed *Papae.* 11. Tandem si definiatur infallibilitas personalis, eo ipso definitur in globo, quidquid per diplomata apostolica huc usque definitum est. Hoc autem Concilium non potest facere nisi praemittat omnium illorum examen. Compendio: 1. *Non demonstratur privilegium personale infallibilitatis Romani Pontificis.* 2. *non determinantur conditiones et extensio eius, in quibus sunt gravissima pericula.* 3. *praemitti debet definitioni examen omnium diplomatum apostolicorum circa fidem et mores.*

---

23. **Alius** *improbat quaestionem de infallibilitate:* quia 1. *non expedit;* 2. quia *non decet;* 3. quia *non potest definiri.* 1. *Non expedit.* Ita censent multi episcopi „qui ecclesias regunt, sicque verum dioecesum statum noscunt". Timent ne ex hac definitione nascantur dissidia et schismata; impiorum reformidant „blasphemias, doctorum irrisiones, dissidentium insanabilia odia, perturbationes in societatibus civilibus, statuum catholicorum ab Ecclesia separationem, et forsan pro dominio temporali Sanctae Sedis formidanda pericula." Subiungit pericula ne removeantur a vera fide haeretici et schismatici. 2. *Non decet.* Nam lex conciliorum fuit ut non fieret nova definitio absque necessitate, quae nulla est in quaestione praesenti. Ecclesia per decem et octo saecula, *antiqua regula fidei* contenta, id est *infallibilitate Ecclesiae,* omnes debellavit haereses; *cur nova regula credendi daretur?* Praeterea summus est amor fidelium et Episcoporum erga S. Sedem; qui non augebitur, sed minuetur per hanc definitionem. „Insuper posthac impossibilia fient concilia generalia, quia episcopi non ut veri et proprii fidei iudices, sed ut meri Summi Pontificis consiliarii sessuri essent". 3. *Non potest definiri.* Nam textus allati ex Scripturis, ex formula Hormisdae et ex professione fidei Lugdunensis Synodi primatum tantum, non vero infalli-

bilitatem demonstrant. Insuper ex traditione oporteret ostendere, hanc fuisse perpetuam Ecclesiarum fidem: quod non potest dici de infallibilitate Pontificis. Imo Patres cum saepe contra haereticos debuerint statuere veram fidei regulam, numquam de infallibilitate Ecclesiae loquuntur. Pariter Concilia, quae sententias Pontificum retractarunt, et ipsi Pontifices, quos ex actibus eorum constat „finalem dubiorum solutionem suorumque decretorum irretractabilem firmitatem ab ecclesiarum consensione expectasse; suorum praedecessorum et etiam sua propria iudicia revocasse; imo non est certum quosdam eorum in graves errores solemniter definientes non incidisse". Unde ex consensu Ecclesiarum, id est episcoporum, ut docet Bellarminus, pendent definitiones fidei; quia nec caput sine membris aliquid potest. Imo „ipsa concilia possent non bene procedere, et sic invalida decreta edere. Recte processisse concilium probat ergo Ecclesiae consensio. Quod Conciliis oecumenicis contingere potest, nonne potest contingere Summis Pontificibus?" Necessarium ergo esset ad definiendam infallibilitatem Pontificis, eius assignare conditiones, quod a nemine unquam factum est. Concludit postulando rem tanti momenti non praecipitanter tractari: „et ne aliunde concilii libertas et validitas ipsius decretorum possint in dubium vocari (quod Deus avertat), praeter tempus sufficiens ad tam gravem quaestionem perscrutandam et discutiendam, necesse videtur, ut definiatur non maioritate numerica suffragiorum, sed communi Patrum consensu. Communis Patrum consensus in definiendis dogmatibus catholicis fuit lex constans et quidem necessaria conciliorum. Quanto magis haec lex constans et necessaria sequenda erit, quando agitur de nova regula fidei imponenda?"

---

24. *Ab* **alio Rmo Patre** proponuntur: Tria consideranda: 1. *doctrina definienda;* 2. *eius definitionis opportunitas;* 3. *forma definitionis.* 1. *Utilis doctrina contra Iansenianorum errores, aliosque nunc grassantes.* Hac porro doctrina nulla alia clarior et magis expressa in sacris litteris et in traditione ecclesiae. Est enim veritas *necessaria*, a qua pendet ipsa Ecclesiae infallibilitas; est veritas *praecellens*, quia Petro

prius, quam Ecclesiae, Christus promisit assistentiam. Eius est enim fratres confirmare, non e contra ab iis confirmari; pascere oves, non vero pasci . . quare promissiones factae sunt aliis nonnisi post promissiones Petro factas . . Est veritas *inconcussa,* adeo ut, testante D. Thoma: „quamvis aliae ecclesiae vituperari possint per haereticos, Ecclesia tamen Romana non fuerit haereticis depravata, quia super petram erat fundata. Unde in Constantinopoli fuerunt haeretici, et labor apostolorum amissus erat; sola Petri ecclesia inviolata permansit. Unde Luc. XXII. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et hoc non solum refertur ad Ecclesiam Petri, sed (nota) ad fidem Petri". (In Cap. VI Matth.) Tam certa est haec doctrina ut qui definitioni repugnant, solum opportunitatem impugnent. 2. *Illud opportunum est quod est necessarium, atqui post tot impugnationes, necessaria est definitio infallibilitatis;* hac enim omissa, putabunt multi eam non esse adeo certam. Unde diplomata apostolica trium ultimorum saeculorum, in causa Iansenii et aliis, et recens Syllabus a SS. Pontifice Pio IX editus, vi sua carebunt. Quod malum summum esset, quo nullum maius a guberniis timendum esset, etsi vera essent, quae timenda ab illis quidam dicunt, si fiat definitio. De caetero quaestio de opportunitate non pertinet ad quemlibet Episcopum, sed ad Illum qui toti Ecclesiae invigilandi munus habet. 3. *Forma definitionis est aequivoca. Dicatur ergo clare*: „Romanum Pontificem, Ecclesiae caput et B. Petri principis Apostolorum successorem, esse per se, nullo etiam praecedente vel consequente Ecclesiae consensu, doctorem et iudicem ex Dei promissione et institutione infallibilem, quando de rebus fidei et morum ex munere suo iudicat et definit; eiusque iudicia ac definitiones non modo ab Ecclesia sive dispersa, sive congregata, nullatenus reformari posse; sed revelationi divinae plane conformia ab omnibus credenda esse, ac fideliter custodienda." Praeterea *addatur Canon, ut plenius veritas credenda proponatur,* et non videatur res tanti momenti inferioris notae ac aliae veritates. Si addatur haec definitio Capiti XI, illud dividatur in tres partes, quarum tertia sit de infallibilitate. Sed *satius videretur Rmis Episcopis, fieri Constitutionem peculiarem de*

Romani Pontificis primatu et infallibilitate, quae teneret primum locum inter decreta Concilii, quasi esset eorum fundamentum, quemadmodum fecit Christus, qui sermones de Ecclesia exorsus est a promissionibus, quas Petro fecit.

---

25. *Per* **alium Rmum Patrem**: *definienda omnino est infallibilitas Romani Pontificis.* At *in decreto proposito* 1. *Prima pars, quae est introductio ad definitionem, melius propriis quam alienis verbis conficeretur;* 2. *Primatus Romani Episcopi non iterum asserendus, sed supponendus;* 3. *De eius magisterio in universam Ecclesiam fusius et enucleatius loquendum,* expensis verbis Domini: *pasces agnos meos, pasces oves meas, etc.;* 4. *Breviter ostendendum, magisterium in Ecclesia esse ab errore immune,* secundum promissiones Christi; et exinde. 5. procedendum ad definitionem: *Sacro approbante Concilio* etc.

---

26. **Alius** censet: Melius doctrina de infallibilitate poneretur circa finem Cap. IX ubi de magisterio infallibili agitur; vel in capite XI, pag. 21. Ante haec verba: *Haec est catholicae veritatis doctrina..* Proponitur formula sequens: „Insuper, attentis rerum circumstantiis, renovantes, ac fusius explicantes quod iam de Romana Ecclesia et de Summo Pontifice a Patribus Concilii Lugdunensis II sancitum est, nempe: *Si quae de fide subortae fuerint quaestiones, debent suo iudicio definiri;* profitemur ac declaramus Summum Pontificem, in definiendis rebus, quae pertinent ad revelationis depositum, ab errore prorsus esse immunem, cum loquitur ad Ecclesiam tanquam doctor universalis, et quid sit credendum vel reiiciendum, solemni decreto praecipit. Haec est catholicae veritatis doctrina etc.“ Praeterea ad cavillationes *Iansenistarum* eludendas, qui dicebant decretis Pontificum solum deberi externum obsequium, nisi firmarentur consensu Episcoporum, ad pag. 22. post haec verba: *tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare,* addatur: „Similiter et damnamus errorem illorum qui tenent apostolicas constitutiones

non valere in se ante consensum Ecclesiarum particularium; aut dicere audent, externum quidem obsequium, non autem internum mentis et cordis assensum Romani Pontificis decretis esse praestandum.“ Si decretum infallibilitatis in capite peculiari reponatur, servata uti est prima schematis parte; altera in hunc modum mutetur: „Hinc, sacro approbante Concilio, docemus, et ad fidem catholicam pertinere decernimus, Romanum Pontificem, cui in persona B. Petri dictum est a Christo D. N. *Ego rogavi, ut non deficiat fides tua;* ita, per divinam assistentiam, ab omni errore esse immunem, cum, supremi omnium christianorum doctoris munere fungens, pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia sit tenendum, ut valeant in se apostolicae constitutiones, etiam ante consensum ecclesiarum particularium; illisque omnino debeatur internus mentis et cordis assensus. Haec vero Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativa, ad idem obiectum ac ipsamet Ecclesiae infallibilitas extenditur.“ Haec formula hoc commodi habere videtur: 1. ut claris verbis doctrinam catholicam de infallibilitate Romani Pontificis referat; 2. ut plenius vim et irreformabilem auctoritatem constitutionum apostolicarum significet, una cum assensus interni necessitate; 3. ut mitiori forma concepta, multos ad dogma definiendum adducat, ita ut paucissimi dissentiant.

27. Advertit **alius**: *non posse seiungi quaestionem de infallibilitate a quaestione de primatu*, cum qua ex rerum natura conserta est: ne tamen nimis crescat caput XI, proponit, ut dividatur in tria capita, iuxta divisionem propositam in indice Schematum, quibus sequentes praeponerentur tituli: *A)* „Iesus Christus Ecclesiae suae primatum B. Petro contulit.“ *B)* „Iesus Christus in B. Petro primatum instituit perpetuum, in eius scilicet perdurantem successoribus, qui sunt Romani Pontifices. *C)* Huius primatus divinitus instituti ea est natura, ut Romanus Pontifex ordinaria et immediata iurisdictione sit in universa Christi Ecclesia doctor infallibilis, iudex inappellabilis, rector supremus ac independens.“ *A)* Hoc caput comprehendit schema ab initio usque ad finem pag. 19. *Delatum*

fuisse: ab initio: *instituit perpetuum utriusque* etc. tollatur vox *Perpetuum*, quia de perpetuitate alibi agendum. In medio pag. 19: unde *condemnamus:* condemnatio fit in canonibus; non fiat in capite, et mutetur forma in hunc modum: „*Unde patet* reiiciendam omnino tamquam contrariam huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, quemadmodum ab Ecclesia Catholica semper intellecta est, eorum sententiam qui etc.“ *B)* Caput 2. a summa pagina 20. usque ad verba: *verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput.* — in pag. 21 — ubi addatur nota quae legitur ad imum paginae eiusdem. In hoc capite exponendum esset quo sensu in canone respondente, dicatur Romanum Episcopum succedere Petro *iure divino.* — Ex *iure divino* Petrus habet successorem in primatu: *ex iure divino* sedem habuit aliquam, secus eius successio fuisset incerta; *ex iure divino* qui ecclesiam particularem, a Petro electam regendam suscipit, est successor in primatu. Sed non *ex iure divino* Petrus elegit ecclesiam Romanam: est tantum factum, a quo dependet successio. — Ut autem praecaveatur dicendi modus, qui factum Petri cum *iure divino* confunderet, in pag. 20, versus medium, ad verba: *semper enim in suis successoribus, episcopis Sanctae* etc. dicatur: *Successoribus, QUI SUNT episcopi Sanctae* etc. — Et paulo post, ad verba: *Is, iuxta Christi ipsius institutionem:* — addatur: *adeoque divino. C)* Tertium Caput complectitur tum reliquam partem capitis XI, tum caput additionale: quae modo sequenti coordinari deberent: „Eadem innovantes decreta, easdemque in omnibus sequentes definitiones, docemus praeterea Romano Pontifici in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse, ac proinde eumdem Romanum Pontificem omnium Christianorum Patrem, doctorem, iudicem, ac gubernatorem supremum existere. Quod si Romanus Pontifex Christianorum omnium supremus doctor et iudex existit, eum et infallibilem doctorem et iudicem inappellabilem existere clarissime patet. Sane utrumque semper professa est Ecclesia, quemadmodum et ipsi Graeci protestati sunt, non solum in Concilio Florentino, sed etiam in professione fidei edita in Concilio Lugdunensi, ubi de sede apostolica, quae cum sedente in ipsa Romano Pontifice, non

potest non identificari, dicitur: *Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum* etc. Post formulam S. Hormisdae, addatur: „Cum vero haec apostolica Ecclesia, teste B. Agathone Papa (Ep. lecta in act. IV. Concil. Oecum. VI.), numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexerit, adnitente praesidio Petri, cuius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia, universales Synodi amplectentes, in cunctis secutae sunt, hinc, sacro approbante Concilio etc.", integro relato textu Lucae XXII. Rogavi etc. Omittantur ultimae lineae: *Si quis autem* etc. Haec ad canones remittenda; et addatur: „non modo pascendi, sed et regendi ac gubernandi universam Ecclesiam plenam potestatem a Christo Iesu in persona Petri accepit Romanus Pontifex, et haec, quae propria est iurisdictionis potestas, est simul potestas ordinaria et immediata erga quam particularium ecclesiarum etc." ut in schemate, p. 21. Post verba: *obedientia obstringuntur:* (Eadem pagina) „Officio hierarchicae subordinationis et verae obedientiae obstringuntur non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in rebus, quae ad disciplinam ac regimen Ecclesiae pertinent; ut custodita etc." Ibid. ad finem paginae 21. Tollatur *damnatio*, et dicatur: „Quare discedunt a fide illi, qui attendentes spiritibus etc. — Et pag. 22. — Loco verborum *quare damnamus*, dicatur: quare catholicae de Romani Pontificis primatu doctrinae contradicunt perniciosae illorum sententiae, qui hanc supremi capitis etc." Si non additur canon specialis de infallibilitate, in fine capitis servetur formula: *si quis autem* etc. Proponitur sequens Canon: „Si quis dixerit Romanum Pontificem, cum ipse supremi omnium Christianorum doctoris munere fungens, pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare posse; aut hanc Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum non porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur; a. s.

---

28. **Alius** scribit: „Si quis dixerit Romanum Pontificem n rebus fidei et morum infallibilem non esse *ex cathedra* lo-

quentem, seu cum supremi omnium Christianorum doctoris munere fungens, auctoritative declarat ac definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit vel reiiciendum, et hanc Romani Pontificis infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum non porrigi, ad quod Ecclesiae infallibilitas extenditur; anathema sit."

---

29. **Alii Rmi Patres** ita censent: „Cum una eademque sit infallibilitas Petro et Ecclesiae promissa, unusque et similis inerrantiae huius ambitus, satius videtur, ut simul una de utraque definiatur in Cap. IX. *sub* titulo *de Ecclesiae et Romani Pontificis infallibilitate.* Sufficere autem, ut in praedicto Cap. dicatur ad haec verba *ideoque ab omni erroris falsitatisque periculo*, TAM IN SE QUAM IN VISIBILI CAPITE ROMANO PONTIFICE, CHRISTI VICARIO, *libera et immunis.* Et infra: *Adeoque praerogativam infallibilitatis qua Christi Ecclesia pollet* TAM IN SE, QUAM IN ROMANO PONTIFICE. Tandem in fine capitis, post textus allegatos addantur illi, qui ad Petrum speciatim diriguntur. *Tu es Petrus* et *Ego rogavi pro te.* Duplex inconveniens sic vitari videtur, 1. Ne aliqua videatur esse separatio possibilis inter Caput et corpus Ecclesiae, quae nec potest sine capite esse, nec consensu suo posteriori Capitis auctoritatem firmat. 2. Ne relinquatur locus quaestioni: utrum praerogativa infallibilitatis respiciat Ecclesiam Romanam individuam, vel Pontificem Romanae Ecclesiae, qui prout talis, est Petri Successor in Primatu.

---

30. **Alius** proponit: *Tanquam fidei dogma definimus, per divinam assistentiam fieri, ut sicut Ecclesia Christi* ERRARE NON POTEST IN REBUS FIDEI ET MORUM, *ita Romanus Pontifex, cum in persona Petri .. munere fungens* EX CATHEDRA *definit* DOCTRINAM ECCLESIAE *in iisdem rebus fidei et morum, errare non possit. Si quis huic ..* Adduntur verba SICUT ECCLESIA .. et *doctrinam Ecclesiae* ut clarius pateat, Sum. Pontificem, quum ex Ca-

thedra definit, esse et loqui *ut os Ecclesiae*, id est, non ex se, ut persona privata, et consultis quantum fieri potest Episcopis, qui una cum ipso et sub eius auctoritate missi sunt, ut doceant omnes gentes. Substituitur vox *ex Cathedra* verbo *pro auctoritate*, ut clarior et usu melius determinata. Omittitur incisum: *Et hanc Romani Pontificis* .. ut inutile et de caetero ambiguum, scrupulos timoratis ingerere valens, et inimicis Ecclesiae inexhaustum iniuriarum thema.

---

31. Censet **alius**: 1. omnes textus Scrip. S. in unum colligendos, hoc modo: *Et quia non possunt D. N. I. C. praetermitti verba dicentis: Tu es Petrus* .. *et in coelis* (Matth. XVI. 18. 19.) *Ego rogavi pro te* .. *fratres tuos.* (Luc. XXII. 32.) *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* (Ioan. XXI. 15.) *haec quae dicta sunt* .. etc. 2. Definitionem his verbis concipit: *Hinc Sacro approbante Concilio docemus et tanquam dogma fidei definimus, promissionum divinarum virtute, Romanum Pontificem, cum supremi omnium Christianorum doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quod in rebus fidei et morum, ab universa Ecclesiae tenendum sit, per assistentiam divinam errare non posse.* 3. Post verbum *praerogativam* dicendum: *eadem obiecta complecti, ad quae infallibilitas Ecclesiae extenditur.* 4. Loco verborum *Si quis autem* .. proponit formulam paulo ampliorem ex Bulla definitionis Immac. Concept. B. M. V. desumptam.

32. **Alius** *magna laetitia suscepit Schema de infallib. S. Pont. definienda;* notat tamen: 1. In prima verba (ex Concil. Lugd. desumpta): scopum decreti directum non esse debere dignitatem Ecclesiae Romanae, sed infallibilitatem Sum. Pont. ideoque non directe de illa et oblique de Summo Pontifice esse loquendum. Item: praerogativam primatus et infallibilitatis esse collatam a Christo personae Petri, quod non satis clare asseritur, dum dicitur Ecclesiam Romanam accepisse in B. Petro primatum super universam Ecclesiam. Insuper

praetereundum non putat, Ecclesiae Romanae principalitatem non ex solo oraculo Christi, Petro primatum conferentis, processisse, sed simul ex facto, quod Petrus Romae sedit et mortuus est, quod autem hoc fecerit de mandato Christi, nec revelatio docet, nec plene constat. 2. In verba sequentia: *Et sicut prae caeteris* .. (Ex eodem Concilio). Ius tuendi fidem, quod ibi tribuitur Ecclesiae Romanae, non toti societati fidelium, sed personae Supremi pontificis Romani proprium dici debet. Porro sermonis contextus non patitur, ut hic sub nomine Ecclesiae Romanae intelligatur persona Supremi Pontificis, siquidem mox dicebatur, eam Ecclesiam, in Romano Pontifice Petri Successore accepisse primatum. Exhibetur igitur ut distincta, aut datur amphibologia in contextu. 3. In verba sequentia: „Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia .." pro voce *praetermitti*, clarius: *Et quia plenissima efficacia carere nequit* .. Conclusio: *In Sede Apostolica immaculata est semper servata religio:* non videtur respondere praedictis praerogativis defendendi fidem et quaestiones fidei dirimendi, quia *Ecclesia Romana* magis patet quam *Sedes Apostolica* — quia et aliae Ecclesiae immaculatam religionem servaverunt, — quia nihil indigitat curam Romanorum Pontificum, in fide tuenda et augenda. 4. Licet in monumentis traditionis catholicae saepissime *Sedes Apostolica*, et *Ecclesia Romana* usurpentur ad exprimendum Supremam Romani Pontificis auctoritatem et infallibile magisterium, tamen his ultimis temporibus, adversarii veritatis ex his loquendi modis praetextum sumpsere errores insinuandi, distinguendo inter Sedem et Sedentem, inter seriem Summorum Pontificum, et individuas personas Summorum Pontificum (v. g. Bossuet.), hoc praetextu negantes Sum. Pontifici regnanti auctoritatem et infallibilitatem, quam Sedi adiudicare videbantur. Hinc *putat dilucide esse exprimendum: 1. Petri et eius successorum personae infallibilitatem a Christo fuisse collatam. 2. Sedem seu Cathedram exprimere Pontificis in ea sedentis auctoritatem et infallibile magisterium. 3. Ecclesiam Romanam, ideo, quia ipso Summo Pontifice utitur Episcopo, semper servasse veram fidem, et hac de causa ad illam omnes alias Ecclesias debuisse convenire.* (Vide Perrone: de loc. theol. p.

I. sect. 2. c. 4. n. 758. in nota.) Hinc proponitur sequens formula decreti et Canonum: „*Iesus Christus,* qui *Petrum* constituit *petram inconcussam*, super quam suam aedificaret Ecclesiam, et eidem Petro missionem contulit pascendi agnos suos, et oves suas, *supremum* hoc ipso *magisterium caelestis veritatis illi commisit.* Ne autem humanae infirmitatis causa totius Ecclesiae fides periclitaretur, *idem divinus Redemptor Petrum singularissima infallibilitatis praerogativa ditavit* inquiens „Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos". Haec incarnatae divinae sapientiae verba ita ad Petrum individualiter directa sunt, ut nullum relinquant dubitandi locum, quod personae Petri Principis Apostolorum privilegium infallibilitatis concesserit. Cum vero et Primatus in universae Ecclesiae regimine, et omnia, quae inde sequuntur, iura ita fuerint Petro a Christo Domino concredita, ut ad sacros transirent Pontifices, qui post eum erant legitime ipsius cathedram occupaturi, ita etiam *infallibilitatem in veritatibus fidei morumque definiendis Summi Pontifices Romani a Petro haereditarunt.* Superallatae precationis Iesu Christi efficaciam, quae ne uno temporis momento deesse poterat, rerum probavit eventus. *Romani* quidem *Pontifices indesinenter divina protectione freti veritatem catholicam suis decretis ac definitionibus inappellabili auctoritate promulgatis intemeratam semper custodierunt. Hinc factum est, quod ab Apostolica Sede regula fidei integerrima iugiter praeberetur, et Ecclesia Romana speciali successorum Divi Petri curae pastorali concredita inaccessa haereticali perfidiae, atque caeterarum ecclesiarum caput et magistra merito habita semper fuerit.* Hoc quod usque ad praesens evenisse miramur, certissime et in posterum usque ad saeculorum finem perseverabit. Nam sicut vera Ecclesia, testante impraeteribili divini sui fundatoris oraculo, firma usque ad mundi consummationem stabit, ita et Romani Pontifices tum primatus auctoritate, tum magisterii infallibilitate, semper erunt pro omnibus hominibus supernae doctrinae columna et firmamentum. Hinc sacro approbante Concilio docemus etc. Demum ut magis expositae doctrinae *canones* respondeant, *decimus quartus*, *decimus quintus*, et *decimus sextus*, sequenti modo reformari

possent: Si quis dixerit, *Beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium Principem, et totius Ecclesiae militantis visibile caput, et infallibilem doctorem*, vel eum tantum honoris etc. Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, *ut Beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut Romanum Pontificem in cathedra Petri legitime sedentem, non esse iure divino Petri in eodem primatu et magisterio infallibili successorem*, anathema sit. Si quis dixerit, *Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis ac directionis, non autem infallibile magisterium et plenam supremamque potestatem* etc.

---

33. **Alius** I. *definitionem infallibilitatis non putat necessariam sed nocivam. Non necessariam;* nunquam enim fuerunt populus et Clerus magis addicti et obedientes Sum. Pont. nulla pericula hoc novum dogma ut remedium postulant. *Nocivam:* haec enim definitio multos Catholicos certissime a Sancta Sede alienatura est, imo in Schisma apertum propellet. — Protestantibus Ecclesiae propinquantibus novas quaestiones et difficultates creabit. — Liberalismi Gallicani fautores, hodie paucissimos, in Anglia multiplicabit, hique novum onus sibi impositum recusare conabuntur. II. *Si videatur Patribus definienda infallibilitas S. P. forma proposita videtur reiicienda, utpote nimis larga, ita ut extra limites, quos Theologi probatissimi ponunt, libere vagetur*, et ex qua conclusiones erui possunt doctrinae semper in Ecclesia traditae contrariae: facile suadebitur, Sum. Pontificem potestatem sibi vindicare, omnia ad suum arbitrium opportune importune definire, sine ullo Episcoporum consensu. Cavendum etiam, ne suspicio fiat alicuius Schismatis inter Caput et membra Ecclesiae. Ideo *magis probandum censet Schema sequens:* „Haec Catholica et Apostolica Ecclesia foecunda Sanctorum Mater, cui utriusque T. scriptura testimonium reddit, quae super Columnis Episcoporum consistens, super fundamento Romani Pontificis aedificata, ipsi lapidi angulari Christo Iesu, auctori omnis vitae salutaris innititur, divinum sibi commissum docendi omnes

gentes munus exercet; sive cum in Oecumenicis Synodis sub auctoritate Romani Pontificis res fidei et morum definit; sive cum per universum orbem diffusa eamdem cum Romana Ecclesia, quae omnium Ecclesiarum est Mater et Magistra, doctrinam promulgat; sive cum per suum caput, ad quod necesse est convenire omnem Ecclesiam, quodque eodem cum universo corpore spiritu veritatis vivit, quaenam sit Apostolica traditio, et Ecclesiastica praedicatio, Christianos populos edocet."

---

34. **Alius** *definitionem omnino necessariam habet ad destruendam illam novitatem, ausam in dubium revocare hanc doctrinam ab omnibus antea admissam, et in praxim a Sum. Pontificibus semper deductam,* dum semper errores contra fidem et mores, sua auctoritate suprema confixerunt. *Hinc vult clare exprimi in decreto:* 1. *Ecclesiae fuisse necessariam auctoritatem infallibilem ipsi praesidentem, et eam fuisse a Christo collatam Petro et eius successoribus,* qui ea semper et fideliter usi sunt. 2. *Quod Summi Pontifices eam auctoritatem infallibilem semper exercuerunt, sive ipsi soli, sive cum Episcopis in Concilio Oecumenico, cum ipsis coniudicibus, ita tamen ut eiusmodi Concilia totam suam vitam christianam, si ita loqui fas est, ab auctoritate R. Pontificis confirmantis illa sortiti sint, quae aliter sine robore permansissent.* Et ut constet Ecclesiam hoc declarando non novam doctrinam promere, sed antiquam explicare, vult adduci auctoritates Patrum et Conciliorum, quae asseruerunt tam necessariam veritatem. Ideoque *ipse formulam proposuit, quae sibi magis explicita videtur:* „Cum Ecclesia a Christo Domino instituta columna et firmamentum sit veritatis, eiusque perduratio ad finem usque saeculi protrahenda sit, clare evincitur, eamdem, iuxta ipsius Fundatoris promissionem, Spiritus Sancti non interrupta assistentia praeditam esse debere, quae ipsius animam informet, eamque, quatenus visibilis societas est, conservet et dirigat. Ad hanc autem societatem ab omni errore, ab omni macula et ruga immunem servandam, *unus inter alios discipulos fuit electus, cui prae coeteris tam credendorum quam agendorum depositum incorruptum cu-*

stodiendi munus specialiter commisit; et quamvis omnes docendi in universo mundo veritates ab ipso Deo revelatas ministerium susceperint, *pro Petro* tamen *rogavit Patrem, ut numquam a fide deficeret, eique fratres suos in eadem fide confirmandi missionem dedit.* Hinc honor ille primatialis Petri Apostolorum Principis, capitisque universalis et indefectibilis Ecclesiae, adversus quam portae inferi non praevalebunt, quoniam super petram fundata est ab ipso Christo electam et firmatam; unde merito a Conciliis, Patribus et Doctoribus hanc nostrae religionis veritatem cognoscentibus dictum est cum S. Ioanne Chrysostomo [1]) quod „Romanus Pontifex, Petri successor est firmamentum fidei et orbis terrarum Magister- [2]) qui catholico nomine gloriantur, necessarium esse sciant diligenter inquirere, quid Rectores Romanae Ecclesiae iudicaverint, quoniam omnibus est tenendum quod Romana, id est, catholica sentit ac servat Ecclesia: - [3]) Romanus enim Pontifex, sicut prae coeteris tenetur fidei veritatem decidere, sic et si quae de fide fuerint subortae quaestiones, suo debent iudicio definiri.“ *Ut tamen ipsius Petri, necnon et eius in Primatu successorum definitiones obligandi vim non exteriorem tantum, verum etiam interiorem haberent, veritatisque lumen in hac Christi Ecclesia sine periculo occasus indesinenter effulgeret, ut morum integritas incolumis servaretur, et columna veritatis dimoveri numquam posset, ipsi Supremi ac vigilantis Pastoris munus exercentes, Spiritus Sancti assistentia fuere specialiter protecti, eruntque in posterum,* ut suam missionem adimplere depositumque fidei integrum conservare pergant; Hinc Sacro approbante Ecclesiae (ut sequitur in ipso cap.)

---

[1]) S. Ioan. Chrysost. homilia 66.

[2]) S. Prop. lib. praeterit. Sedis Apost. Episcop. auctorit. Patrolog. tom. 15. cap. 3. item. S. Fulg. et coet. Episcop. exules in Sardinia ep. 15. Patrolog. tom. 58; S. Tom. I. post. quaest. 1. art. 10. Concil. Ephes. et Trident. sess. 14. al.

[3]) Ex profes. fidei edita a Graecis in Conc. Lugd. 2.

35. **Alius Rmus Pater** ita statuit: 1. *Prima periodus eo modo esset concinnanda, ut non videretur cum Romani Pontificis tum Ecclesiae Romanae primatui eadem tribui institutio.* Petro enim et eius Successoribus *directe* et *immediate* a Christo fuit traditus, Ecclesiae vero Romanae nonnisi *mediate* et *consequenter*, quatenus nempe Petrus Romae et non alibi sedit. 2. Non apparet nexus eorum quae subiunguntur: *Et sicut .... prae coeteris.....* Neque satis manifesta est consequentia, qua hinc ad definiendam infallibilitatem Rom. Pontificis fit gradus. 3. Verba, quibus concipitur formula definitionis, eam directe cadere faciunt in *causam* et *rationem* infallibilitatis, sc. *divinam assistentiam*, non vero in ipsam *infallibilitatem*, quae est *obiectum* definitionis. Rectius verba *per divinam assistentiam*, ut simplex incisum ponerentur. 4. Superfluum videtur quod adiungitur: *Et hanc Romani Pontificis .....* sine quo definitio est completa, et locum potest praebere dubiis et quaestionibus. 5. Item voces *pro Auctoritate* inutiles et aptae ad cavillationes faciendas, an non ex Cathedra Summus Pontifex sit locutus. 6. Concludit hanc definitionem adeo necessariam hac methodo exprimendam esse: „1. Allegando in primis materiam huius Capitis cum praecedentibus connecti, S. Evangelii afferantur testimonia promissiones Christi exprimentia, deinde traditio et universalis Ecclesiae sensus, quae semper hanc veritatem tenuit; mox facti probatio, quo constat *„in Sede Apostolica immaculatam semper catholicam servatam esse religionem.“* Ultimo definiatur his aut similibus verbis: *„Definimus Romanum Pontificem, per divinam assistentiam, cum, ut supremus omnium christianorum pastor, doctor, et iudex, universam Ecclesiam docet, ac proponit aliquid tamquam de fide credendum esse, aut tanquam fidei contrarium reiiciendum, errare non posse. Si quis autem. . . .*

---

36. **Alius** *schema omnino probat, nec in aliquo emendandum arbitratur.* Maxime ne eliminentur, ut nonnullis arridet, verba: *tanquam dogma fidei*, aut ultima, nempe: *Sciat se a veritate fidei . . , defecisse.* Et qui existimant his me-

diis terminis posse conciliari animos et unanimitatem obtineri, prorsus errant. Si aliquibus placeret transpositio, et adiunctio huius definitionis alteri de infallibilitate Ecclesiae, non contradiceret in re levissimi momenti.

---

37. **Alius** *suppliciter rogat, ut Schema et quaestio de medio tollatur, nec novum dogma definiatur inutiliter*, siquidem omnes Episcopi volunt obedire Papae etiam ex cathedra non loquenti, et tantum ad satisfaciendum vanitati Editorum quorumdam diariorum. Non putavit eam quaestionem movendam esse, utpote non indicatam in Bulla Convocationis; alioquin ei studuisset, et libros atque membranas secum attulisset, sine quibus tanta quaestio elucidari non potest. *Ne detur spectaculum Concilii alii Concilio contradicentis*, cum luce clarius sit epistolas dogmaticas *Honorii* in VI Concilio fuisse damnatas. Porro consueverunt recentiora omnia tenere, quae fuerunt acta in prioribus Conciliis. *Protestantibus*, qui nobis adeo exprobrant devotionem et obedientiam nostram erga *Summos Pontifices*, e quibus plures ab historia exhibentur ut facinorosi, *respondere nobis licuit eos non esse infallibiles, sicut nec impeccabiles.* Iamvero facta definitione difficilior erit responsio, et fortius concludent, caecos Papistas Papam colere ut Deum, sicut caeci Pagani Indiarum. *Ne recedatur ab ea agendi ratione, qua abstinet Ecclesia a definiendis quaestionibus in schola libere agitatis.* Porro talis est illa quaestio, prout semper visum est opinanti olim theologiae professori. Alia quippe est schola Italiana et Bellarmini, alia Gallica et Bossuetii, quae a duobus saeculis, imo et a tempore Concilii Constantiensis, libere de praerogativis Summi Pontificis disputat. Et *si actus irregulares et semi-schismatici caetus Episcoporum anni 1682 fuere reprobati, et a clero Gallicano retractati, nihilominus Opiniones illae immunes remansere, et liberae.* Nec nocuerunt Ecclesiae et clero Galliae, qui adeo mirabilis visus est, in regularitate, in zelo missionum, in adhaesione Summo Pontifici usque ad Sanguinis effusionem etc. Nec dicatur multos in Gallia hanc definitionem petere. Etsi zelus ille et devotio erga S. Sedem sit laudabilis,

non tamen est secundum scientiam et ad sobrietatem. Unde dicere posset Sum. Pontifex, ut aiebat ille: Salva me Domine non iam ab inimicis, sed ab amicis meis. *Schola Gallica fortiter propugnat unionis cum Papa necessitatem et indefectibilitatem Sedis Apostolicae, licet admittat possibilitatem erroris transitorii, ut in Honorio, aut Vigilio, aut Ioanne XXII, aut Nicolao I.* quia tunc papa aut morietur, aut recantabit, et error eius non erit nocivus. Plenissime autem confitetur Papam esse superiorem Episcopis, et ipsi obedientiam deberi, etsi non infallibili, qui enim exigeret infallibilitatem in superiore ad obedientiam praestandam, non responsionem mereretur sed alapam. Opinionis *Bossuetii* gravitas ex eo patet, quod *Bellarminus* ad eam confutandam percurrat quadraginta casus allegatos erroris in Summis Pontificibus, usque ad tempus suum (non computatis casibus Galilei, falsarum decretalium etc.). Porro, quidquid sit de aliis, pro casu Honorii, non aliud effugium habet nisi dicere Concilium Sextum esse vitiatum, et vitiatas litteras Leonis II, et exinde decepta alia Concilia et Summos Pontifices. Iamvero ista responsio, adeo absona, exemplum praebet eius demonstrationis quae dicitur: *reductio ad absurdum.* Ad absurda reducitur Bellarminus, dum vult tueri sententiam suam et subvertit omnem historicam certitudinem; quae si nutet, omnia Concilia et Evangelia simul nutant, et victores evadunt *Renan* et alii increduli, et omnia monumenta christiana non sunt nisi congeries fabularum. *Videant* iam *Sancta Sedes et Concilium si haec non sufficiunt ad non condemnandos catholicos cum periculo Schismatis et amissionis dominii temporalis S. Sedis.* Si persistant Patres, haec addenda requiruntur: „Declaramus autem nos in numero infallibilium decretorum non ponere ea, quae a Summo Pontifice per physicam vel moralem violentiam obtinerentur. Praeterea per praesentem definitionem non intendimus inculcare, Summum Pontificem in semetipso invenire Fidem quam definit, vel circa ipsam recipere a Deo specialem inspirationem. Siquidem eruitur fides ex consensu Ecclesiae, quem consensum exquirere tenetur Papa per consilium, lectionem, orationem et alia media naturalia et supernaturalia. Insuper absit, quin aliquis per praesens decretum existimet in-

iuriam fieri sacrosanctae sextae Synodo, quae intacta remanet cum omnibus decretis et anathematibus ibi contentis, etiam contra Honorium, qui fuerat Papa antiquae Romae. Absit etiam, quin aliquis praesumat defendere sententiam inter recentiorum Iansenistarum errores proscriptam, nempe Ecclesiam errare posse in factis dogmaticis. Quinimo omnino reprobamus temerariam aliquorum theologorum sententiam, qui acta Concilii VI Oecumenici adulterationis et interpolationis accusaverunt in sententiis a Synodo latis. Tandem declaramus, quod per praesens nostrum decretum nulla vis tribuitur Bullis aevorum praeteritorum excommunicantibus reges, et principes, ad probandum: Pontificem Romanum aliquod ius sive directum sive indirectum habere in temporalia regum." *Infallibilitatis definitionem requirentibus incumbit onus probandi.* Aliis sufficit diluere argumenta proposita. Hinc controversia, in qua iure suo plenissime uti opinans intendit. Etsi probatur opinio affirmans *nunc* extrinsece probabilior, quae temporibus Conciliorum Sexti et Constantiensis visa fuit minus acceptata, non ideo posset fieri definitio, quae requirit unanimitatem moralem, iuxta illud Lirinensis: *Quod ab omnibus, quod ubique, quod semper. Argumenta in schemate adducta nihil probant.* Non textus: *Tu es Petrus* — qui, si probet primatum, non ideo infallibilitatem: nec magis in *recte* docendo quam in *recte* gubernando. Non textus: *Rogavi pro te* . . . nam omnes admittent fidem non deficere in Sede Apostolica, errore momentaneo mox correcto; et verba quae sequuntur: *Et tu conversus* . . . ostendunt sicut Petrum, ita et successores eius posse errare et converti. Non verba Concilii Lugdunensis. Non enim dicitur: *Suo debent iudicio definiri INFALLIBILITER.* Seu *IRREFORMABILITER.* Nec dicitur, non esse prius consulendos Episcopos. Nec formula in VIII Concilio subscripta, quia et gallicani tenent: *in Sede Apostolica semper viguisse et vigere veram doctrinam*, quia, si sedens erret accidentaliter, mox errore correcto, nulla erit realis interruptio in Sedis Apostolicae immaculata puritate. Et in eadem octava Synodo inveniuntur sequentia: „Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Praesulibus iudicasse legimus, de eo vero quemquam iudicasse non legimus. Licet enim Honorio ab orientalibus

post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus libere respuere etc.“ (Verba Hadriani II. ad Synodum VIII.) Unde: si papa sit infallibilis, ecce Papa infallibiliter declarans Romanum Pontificem posse accusari et anathemate plecti propter haeresim! Vide etiam Can. 21. huius Conc. *In definiendo articulo fidei nihil potest et debet influere nisi clara cognitio sit, factam esse de eo revelationem a Deo, quando nempe certo constat illum contineri in Scriptura Sacra aut traditione. Episcopus peccaret mortaliter votum dando tantum ex pia affectione erga Sanctam Sedem,* alioquin non minus definienda veniret impeccabilitas quam infallibilitas. *Traditio nedum videatur constans pro infallibilitate, videtur e contra pro altera sententia stare ex innumeris monumentis et factis.* S. Augustinus specialiter est clarus, et videtur totaliter novum dogma ignorasse. Non potuisset, stante ea traditione, approbari liber Bossuetii: Expositio etc. in quo solus primatus memoratur. Nec in Catechismo Card. Patrizi, dici posset, agendo de Ecclesia docente: *Intendo il Sommo Pontefice, . . . ed insieme tutti i Vescovi che sono a lui uniti.* Ioannes XXII dicitur voluisse definire, iustos non frui visione beatifica ante ultimum iudicium. Non fecit: sed quomodo constabit istud non posse evenire? posset errare Papa ignarus, pertinax, superbus, volens aliquid definire contra omnes suos Cardinales, posset fieri insanus, melancholicus, prae senio deficiens . . . . casus absoni possent evenire! Tandem *protestatur, ne maioritas votantium minoritati os occludat, et tyrannicum imperium in eam exerceat, libertatem tollendo, quae si negatur, auctoritas concilii postea denegari posset.* Sed ea impossibilia esse confidit in Concilio directo a Spiritu Sancto.

---

38. **Alius Pater** *profitetur se firmiter tenere Rom. Pontificem, quoties „ex cathedra“ docet universalem Ecclesiam, esse infallibilem. Tamen definitio proposita videtur esse prorsus inopportuna:* inimici enim eam flocci facient, catholici vero quam plurimi occasionem inde capient deficiendi

a fide. *Consultius existimat Rmus Pater decretum Concilii Florentini, additis etiam declarationibus confirmare.*

---

39. Praemittunt **alii** professionem summae reverentiae et amoris erga Rom. Pont., cuius definitiones dogmaticas et morales tanquam divina oracula venerantur. Agnoscunt eum accepisse a Christo Domino munus confirmandi in fide et pascendi etiam Episcopos, ideoque habuisse donum infallibilitatis. Post haec tamen *declarant se non probare propositam definitionem.* Rationes, quibus moventur, sunt: 1. *Scissura inter Patres* cui plaudent inimici. 2. *Ansa, quam inde sument haeretici, insurgendi vehementius contra Rom. Pont. cuius fallibilitatem nitentur demonstrare argumentis historicis, quibus non facile respondetur.* 3. *Nulla utilitas vel necessitas huius definitionis,* sine qua per novemdecim saecula Rom. Pontifices Ecclesiam gubernarunt et immaculatam custodierunt. Adde nullo unquam tempore tantam fuisse unionem totius Episcopatus cum suo Capite quantam nunc videmus. 4. Gravissima mala, scilicet disruptio unitatis et concordiae in Episcopatu, ruina plurimarum animarum, quas Ecclesia hac sua definitione ab unitate separabit. 5. *Sententia contraria plurium et gravium theologorum.*

---

40. *Testatur* **alius** *inprimis doctrinam de infallibilitate Rom. Pontificis viguisse semper in sua dioecesi,* et ita sperat futurum in posterum. Deinde necessarium omnino existimat, ut in schemate exhibeatur norma, qua *perspicue* et *uniformiter* intelligi possit, quando Rom. Pontifex dicendus sit loqui ut supremus doctor omnium Christianorum, ne arbitrio fidelium vel etiam Episcoporum relinquatur, quando eius doctrina ut omnino infallibilis habenda sit. Arbitratur per illa verba *Hanc R. P. inerrantiae. . . . . Ecclesiae extenditur* non satis excludi omnem realem distinctionem inter R. Pontificem et Ecclesiam. Tandem *declarat, se animo fluctuare, an expediat nunc temporis proposita definitio:* etsi in eius veritate plenissime acquiescat. *Veretur inobedientiae pericu-*

lum, veretur scissuras in Clero et Episcopatu, veretur ne in ferendis suffragiis unanimitas desit. Suam hanc trepidationem vult notam fieri Beatissimo Patri, cuius iudicio penitus se remittit.

---

41. **Alius** *novam formulam proponit* secundae partis capitis propositi quod est de infallibilitate R. Pontificis. Hinc sacro approbante Concilio. . . . Hac nova formula videtur magis directe definita infallibilitas; et praecluditur locus cavillationibus illorum theologorum, qui praevium requirunt Ecclesiae consensum, ut Pontificiae Constitutiones vim habeant obligandi. Restituatur ordo verborum ut est in Evangelio *Ego rogavi pro te.* Tandem addatur Canon de infallibilitate R. Pont. „Si quis dixerit, Romanum Pontificem quum pro supremo Doctoris munere et auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia sit credendum, non esse per divinam assistentiam ab errore immunem, anathema sit.“

---

42. **Alius** *gratulatur summopere de schemate proposito, et multiplici argumento probat necessitatem et maximam utilitatem definiendi infallibilitatem Romani Pontificis: quae adeo cum eius primatu connectitur, ut ipse primatus in ordine ad veritatem non sit nisi inerrantia. Optat, ut in definitione triplex adversariorum subtilitas conficiatur:* qua nimirum nomine *Sedis Romanae* intelligi volunt vel *universalem Ecclesiam,* vel peculiarem Clero ac populo romano constantem, vel tandem integram Rom. Pontificum seriem. Itaque approbat quidem primam partem schematis, sed 1. addenda putat verba Concilii Florentini *Oecumenici* quae habentur in Schemate de Ecclesia pag. 21. 2. vult totam orationem ita concinnari, ut omnino tripartita illa inanis distinctio evacuetur.

---

43. Doctrinam de infallibilitate Rom. Pontif. adnectendam **alius** censet capiti XI. et novum schema proponit pro hac hypothesi.

---

44. Postquam in capite undecimo doctrina de Romani Pontificis infallibilitate exposita fuerit, peropportunum putat **alius** quaedam addere de obligationibus, quibus fideles erga Pontificem obstringuntur. Schema eorum, quae addenda sunt, tradit Rmus Pater.

---

45. **Alius cum 25 episcopis** *censet occludendam esse ianuam distinctioni invectae a Gallicanis inter Romanam Sedem, et Romanum Pontificem.* Iam vero ex illis, quae praemittuntur definitioni, sequitur quidem Romanae Sedi competere inerrantiam: at non praecluditur adversariorum effugium. 2. *Post formulam S. Hormisdae expedit adiicere verba S. Agathonis Papae* in epistola lecta in Act. IV. Conc. Constantinop. III. nempe. „Haec est vera fidei regula, quam vivaciter et in prosperis et in adversis tenuit ac defendit. . . . . Apostolica Christi Ecclesia; quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur nec haereticis novitatibus depravata succubuit.“ Haec additio perutilis est etiam pro defensione Honorii. 3. Ad vitandas omnes inposterum cavillationes, *in definitione disertis verbis significetur, infallibilitatem Romani Pontificis non pendere ab Ecclesiae acceptatione.* 4. Melius foret fortasse doctrinam de infallibilitate Rom. Pontificis adnectere capiti de eius primatu, et in fine peculiarem canonem de hac doctrina subiungere.

---

46. **Alius** novum caput de infallibilitate Romani Pontificis, adiecto etiam Canone, concinnat et tradit.

---

47. Necesse omnino est iuxta **alium** omnia effugia adversariis praecludere. Quapropter *diserte asserendum* 1. *De-*

creta R. Pontificis habenda esse ut infallibilia etiam ante Episcoporum consensum; 2. eis praestandum internum mentis assensum; 3. huiusmodi assensum debere esse absolutum non suspensivum. Hinc post verba illa *Ecclesiae . . . . . extenditur*, haec alia addenda sunt. „Ex quo sponte fluit, ab omnibus et singulis Christifidelibus ubique terrarum degentibus, cumprimum eiusdem suprema iudicia ipsis innotuerint, non solum externum obsequium sed et internum mentis cordisque assensum cum plena et absoluta fidei obedientia praestandum."

---

48. In capite de infallibilitate R. P. *non satis praeclusum videtur* **pluribus Patribus** *effugium recentiorum gallicanorum, qui inter alias conditiones requisitas, ut Pontifex dicatur loquutus fuisse ex cathedra, recensent assensum saltem tacitum Episcoporum.* Existimant etiam Rmi Patres textum illum *Ego rogavi* etc. integrum esse citandum usque ad *fratres tuos.* Hinc novum schema proponunt huius capitis, additis etiam tribus canonibus.

---

49. Non sine cautione iuxta **alium** allegari debuissent verba Concilii Lugdunensis: sunt enim quidam abutentes distinctione inter *Sedem* et sedentem. Praeterea, *cum Ecclesia sit infallibilis per Christi Vicarium infallibilem, non est danda infallibilitas Ecclesiae ut typus et norma infallibilitatis Vicarii.*

---

50. Apertissima verba apponi necesse est, ait **alius,** ut appareat nexus inter infallibilitatem *Sedis* et *Sedentis in ea.*

---

51. **Alius** *sentit verba non satis praecisa haberi hoc capite.* Nam 1. Historice loquendo primatum Romana Ecclesia *ab ipso Domino* non videtur accepisse: quamvis verissimum sit Deum ex ineffabili sua providentia primatum et arcem Re-

ligionis in Romana Ecclesia constituisse ac iugiter firmasse. 2. Sententia deducta ex Conc. Lugdunensi ad rem non facit: nam ex ea non constat R. Pontificem *etiam solum* quaestiones de fide dirimere posse, et quae de fide tenenda sunt proponere. Praeterea verba illa *pro auctoritate* redundare videntur: et illa alia *hanc R. Pontificis . . . . ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur* dubium excitant utrum duplex sit infallibilitas, alia Ecclesiae, alia R. Pontificis. Doctrina de infallibilitate R. Pontificis optime exponitur hac formula „Rom. Pontifex, cum uti supremus omnium Christianorum Pastor et Magister universam Ecclesiam docet, ac proponit aliquid tamquam de fide recipiendum, aut tamquam fidei contrarium reiiciendum, errare non potest.“ *An* vero *haec doctrina sit proponenda ut dogma fidei in Concilio Vaticano, ignorat adhuc Rmus Pater.*

---

52. Novum schema de infallibilitate Rom. Pontificis proponit **alius Rmus Pater** subnectendum statim post verba ultima definitionis Concilii Florentini *plenam potestatem traditam esse* cap. 11. pag. 21. lin. 14. Addit etiam Canonem quo contraria doctrina damnatur.

---

53. **Alius** novum caput et canonem de infallibilitate R. Pontificis exhibet. Et in fine addit opportunum sibi videri ut Summus Pontifex in suis decretis declaret modum quo loquitur, et partes determinet quae obiectum definitionis constituunt.

---

54. Ratione habita tricarum et cavillationum quibus *Iansenistae* utuntur, inquit **alius Pater**, definitio infallibilitatis R. Pontificis verbis quibus fieri potest clarioribus facienda est; potissimum praecludi debet effugium quod inimici habere putant in distinctione inter Sedem et Sedentem. Hinc caput integrum emendatum proponit.

---

55. Novum prorsus schema capitis de primatu et infallibilitate R. Pontificis proponunt **plures alii Patres.**

---

56. *Dirimendam putant* **alii Patres** *notissimam controversiam diu agitatam, et oportere, ut paucis luculentisque verbis ostendatur ex ordinata collatione, et legitima interpretatione locorum Evangelii, praerogativam infallibilitatis concessam fuisse Ecclesiae mediante Petro, non autem viceversa.* Canonem etiam putant subiungendum: „Si quis dixerit Rom. Pontificem uti supremum Ecclesiae Caput in definiendis iis, quae ad fidem et mores pertinent aut falli aut fallere posse; an. sit.“ Postquam animadverterunt debuisse fieri aliquam distinctionem inter promissionem infallibilitatis per verba illa Christi *Ego rogavi pro te* etc. et praeceptum Petro datum per sequentia *Et tu aliquando conversus* etc.: ex qua distinctione subvertuntur penitus nonnullae difficultates historicae adversus hanc R. Pontificis praerogativam, addunt necessarium omnino videri sibi: 1. Ut accuratius et distinctius definiatur obiectum infallibilitatis. 2. Ut caracteres constitutionum seu definitionum dogmaticarum certis firmisque formulis constituantur. Volunt etiam formulam Hormisdae ipsissimis verbis et distinctionis signis referri; et verbis illis Christi *Ego rogavi pro te* etc. primum et praecipuum locum tribui in hoc *capite.*

---

57. **Plures** *qui unanimiter amplectuntur doctrinam de infallibilitate R. Pontificis, tamen diversa proponunt emendanda.* Media eorum pars schema capitis quale nunc est adprobat animadvertendo dumtaxat restituendum esse ordinem verborum Christi *Ego rogavi pro te* etc. Caeteri novum caput de hac doctrina condiderunt. Duo autem ex eis haec addi in capite volunt . . . „ut Romanus Pontifex . . . munere fungens propria auctoritate definit . . . non possit . . . ita ut iudicium ipsius sit per se irreformabile et obligatorium, etiam ante consensum Ecclesiae vel dispersae vel in Concilium congregatae; et haec Romani etc. Plerique optarent in Schemate

aliquam capitum interversionem hoc modo: Caput VIII De Ecclesiae indefectibilitate, IX De Eccl. Potestate, X De R. Pont. primatu, XI De Eccl. Infallibilitate; ubi de infallibilitate R. P. agendum esset. Unus tandem adoptans novam formam Capitis a praecedentibus Patribus propositam, post illa huiusce formulae verba *Episcopis antea consultis, vel etiam inconsultis* haec addit „Cognita eorum fide, meliori quo ipse iudicaverit modo. Saepius enim nec facile nec opportune in Concilium adunarentur Episcopi, et tamen Ecclesia nunquam potest controversiarum iudice destitui."

---

58. **Alius** ad praecavendas difficultates fortasse suborituras optat pauca verba addi huic capiti: scilicet . . . „munere fungens per se propria auctoritate definit quid . . . . tenendum sit, etiamsi nullus accesserit consensus Ecclesiae vel dispersae vel unitae, errare non possit."

---

59. *Protestatur* **alius** *se abhorrere a consiliis eorum, qui Papae primatum et hanc petram fundamentalem Ecclesiae vel tantillulum concutere vellent. Censet nihilominus nihil omnino in hoc Concilio dicendum de praeeminentia R. Pontificis supra totam Ecclesiam et Concilium generale, nihil de eius infallibilitate.* Quod spectat ad illam praeeminentiam, citat sententiam aliquorum Doctorum infallibilitati Papae faventium, qui docent eum posse in certis quibusdam casibus a Concilio iudicari. Ita Caietanus ap. Bellarminum, et Dall'Occa qui t. 1. pag. 194. suae Theologiae, asserit id certum esse apud omnes. Addit ex eiusdem theologi auctoritate Graecos in Concilio Florentino noluisse hanc praeeminentiam admittere; addit Cardinalem Lotharingium in Tridentino hanc praeeminentiam aperte negasse, ut constat ex Pallavicino lib. 19. et concludit verbis eiusdem Cardinalis ad Pium IV. „Verum servitium Sedis Apostolicae non esse in uno vel duobus verbis ad eius praerogativas expressius indicandas, sed in obedientia provinciarum et pace Christianitatis." Quod vero pertinet ad infallibilitatem, dicit huiusmodi definitionem, si fiat, novorum

scandalorum occasionem praebituram, et in perniciem plurimarum animarum cessuram. Commemorat auctores doctrina et pietate insignes, qui contrarium senserunt; monumenta saltem dubia historiae Ecclesiasticae, obscuritatem traditionis, difficultates ex sacris litteris. Addit, argumenta in schemate invocata non esse irrefragabilia. Rogat propterea SS. D. N. Pium IX, ut hac de re quaestionem omnem interdicat, et concludit satius esse in hoc Concilio Decretum Concilii Florentini simpliciter renovare.

---

60. *In decreto proposito de infallibilitate Rom. Pontificis*, inquit **alius**, *adiudicatur Papae infallibilitas absoluta*, scilicet absque ulla conditione, *separata*, scilicet nullo supposito episcoporum assensu, *personalis*, scilicet eiusmodi ut a sola Pontificis voluntate pendeat condere decretum infallibile. *Iam vero infallibilitas pontificia hoc sensu intellecta nec opportune nec licite potest definiri:* non opportune propter innumera mala animarum et Religionis quae inde emergent: non licite 1. quia nullis certis argumentis vel ex scriptura depromptis vel ex traditione Patrum vel ex Conciliis hoc privilegium comprobatur. 2. quia per hanc definitionem immutaretur constitutio quam Christus Ecclesiae suae impertitus est.

---

61. **Duo alii Patres** *profitentur se admittere ut veram doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis. Sed propter ea, quae huic doctrinae obiiciuntur ex aliquibus Patribus et historia, praesertim ex Conc. oecumenico VI; necnon propter mala, quae ex hac definitione sequerentur* praesertim in nonnullis regionibus, *censet non esse opportunum, ut haec doctrina definiatur.* Vel certe non ante definienda est quam omnes difficultates adversus eam propositae penitus dissolvantur.

---

62. **Plures Patres** *multis argumentis ostendunt non modo opportunitatem sed etiam necessitatem definiendi, quo*

citius fieri potest in Concilio, infallibilitatem R. Pontificis. Turbae, quas movent adversarii, et mala, quae minantur, sunt et ipsa argumenta pro necessitate huius definitionis. Tantum esse putant huiusmodi necessitatem, ut si forte ab hac definitione Concilium abstineat, detrimentum magis quam emolumentum causa fidei ex eo habitura sit. Adde, quod, palam iamdiu proposita controversia, Fideles ius habent ediscendi ab Ecclesia congregata, quid tandem credendum sit de hac re; adde, quod omissio definitionis in rerum adiunctis, in quibus versamur, efficiet certissime, ut in futurum non theoretice tantum sed etiam practice veritas ipsa reiiciatur, maximo animarum et Ecclesiae totius detrimento. Plura prosequuntur Rmi Patres, ex quibus coniiciunt Patres Concilii Vaticani suo officio Iudicum, Custodum, et Testium revelationis graviter defuturos, si infallibilitatem R. P. renuant definire. Solvunt deinde difficultates opponi solitas contra opportunitatem, et in fine suae dissertationis nonnulla attingunt de veritate rei definiendae, quam dicunt esse cum Primatu Papae coniunctissimam, et ab eo prorsus inseparabilem.

---

63. **Alius** censet secundam partem definitionis latius patere quam primam, et formulam eligendam huiusmodi esse debere, qua una pars definitionis cum altera apprime concordet. Indicat insuper propositam formulam aliquem adhuc locum relinquere forte cavillatoribus .... quare sequentem mallet: „Ut Romanus Pontifex .... definit, quid ab Ecclesia credendum vel tenendum sit, etiam ante assensum Ecclesiae vel dispersae vel in Concilium congregatae, errare non possit et hanc etc.

---

64. Optaret **alius** aliquam declarationem, qua, quid per vocem illam *morum* intelligendum sit, clarius constaret.

---

65. Lin. 11. post verbum *recognoscit,* addendum **plures** putant: *quod et universalis Ecclesia profitetur.* Ratio: tum ut veritas clarius patescat, tum ne dicatur veritatem, de qua definitio statuenda est, principio inniti ab ipsa sola Romana Ecclesia admisso. In definitione ad tollendum omne dubium, an quae definiuntur, de fide tenenda sint, addendum proponerent, lin. 8. post: *munere fungens, declarat se pro auctoritate definire* etc. vel: cum declarans se supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungi, pro auctoritate definit etc. *Optarent, ut vel in hoc capite vel in Cap. IX aliquid adiiceretur de infallibilitate Summi Pontificis una cum Episcopis definientis,* idque eo vel magis quod nullibi de hoc expresse verba fiant.

---

66. **Alius** sequentem redactionem proponit: Ex doctrina superius a nobis declarata et definita[1]) colligitur Sanctam Rom. Ecclesiam, quae a beatissimo Apostolorum Principe fundata, Christi promissionem illis verbis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*[2]), nempe orbis totius praefecturam et Ecclesiae fundamentum[3]) ab Eodem accepit, super universam Ecclesiam Catholicam summum et plenum primatum et principatum obtinere[4]). Siquidem Petrus, qui primus Apostolorum ex caelesti revelatione fidem divinitatis D. N. I. C. concepit et professus est[5]), Romanis Pontificibus Successoribus suis fidei firmitatem qua fratres suos Episcopos confirment[6]), Ecclesiae episcopatum ex clavium regni coelorum traditione[7]) et pascendi universos Christifideles, tam oves quam agnos[8]) auctoritatem reliquit. Ideo in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio et sancta celebrata doctrina[9]). Et sicut Romanus Pontifex prae caeteris tenetur

[1]) Cap. XI. — [2]) Math. XVI. 18. — [3]) S. Chrys. in „*hoc scitote*“ oper. t. 6. p. 124. 273. 282. — [4]) Professio fidei Graecorum in Conc. Oecum. Lugdun. 2. — [5]) Matt. 16. 16. — [6]) Luc. 22. 32. — [7]) Matt. 16. 19. — [8]) Ioan. XXI. 15. 16. 16. — [9]) Formula S. Hormisdae Papae, subscript. a Patrib. Concil. VIII.

fidei veritatem defendere, sic et quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri[1]). Hinc sacro approbante etc.

---

67. **Alius** ita statuit: *Ad definiendum, de fide esse infallibilitatem S. Pontificis, deberet constare de eius definibilitate: porro constare non videtur.* Professio fidei edita a Graecis in Conc. Lugd. 2. non est actus conciliaris; formula S. Hormisdae probat tantum indefectibilitatem in Sede Romana: textus: *ut non deficiat fides tua* agit de virtute fidei, quae virtus non exigit ab omni errore praeservationem, et praeterea oratio Christi, propter libertatem humanam, non effectum semper obtinuit v. g. *ut omnes unum sint;* textus *et super hanc Petram* non probat, cum super hanc Petram aedificanda sit Ecclesia adversus quam errores non praevalent. Aliunde nec textus supra citati nec monumenta praelaudata lucem claram in hac quaestione, per tot saecula, unquam attulerunt, cum nihilominus et Florentina et Tridentina Synodus ab omni super hanc definitione abstinuerint. Quare iudicat: *caput additum de infallibilitate Summi Pontificis, nunc melius relinquendum inter scholarum opiniones,* prae difficultatibus theologicis et historicis, prae omnimodis periculis in definiendo, nullamque iacturam inde emergere posse sive pro salute animarum sive pro auctoritate plena Summi Pontificis, dum aliter et animabus et societati et ipsimet Summo Pontifici, quiddam detrimenti — quod Deus avertat et totis ipse viribus vellet elongare — accidere posset.

---

68. **Alius Rmus Pater** censet, quod *uberior desideratur doctrinae,* quae traditur, *expositio.* Quaecumque demum sit definitionis formula, quam prae ceteris aliqua forte prudentiae ratio adhibendam suadeat, id efficiendum est, ut, quae docentur, manca non videantur, nullusque cavillationis (quantum fieri potest) relinquatur locus. 2. *Primatus et infalli-*

[1]) Profess. Fidei in Conc. Lugdun. 2.

bilitas Summi Pontificis arctissimo vinculo inter se coho rent, cum ipsius primatus in Ecclesia divinitus instituti u et ratio postulent, ut Romanus Pontifex absque erroris fo midine catholicam veritatem edocere, eique repugnantes e rores damnare valeat. Si tamen, mutata locutione semp adhibita in superiori capite, hic dicatur *Romanae Ecclesi* non *Romani Pontificis* primatus, etsi non mutentur nisi verl nexus inter unum et alterum caput, prout iacent prima a dendi capitis verba, primo intuitu non videtur satis es perspicuus.

---

69. **Alius Rmus Pater** haec breviter significat: „Ha praetereundo omnino argumenta ab intrinseco, rationes ab trinseco praecipue desumptas adversus novum schema de fallibilitate Romani Pontificis, Sacro Concilio proponere vol

---

70. **Alius Rmus Pater:** Cum inter Patres Vaticani C cilii sit sententiarum varietas, et aliis proposita formula ceat, aliis autem non; credit posse exarari formulam, quae omnibus acceptetur. Ipse *novam formulam cudit, quae omnibus et singulis exactissime eadem est ac in schem proposita praeter has duas verborum adiunctiones;* scil post verba Lucae: *Ego pro te rogavi ut non deficiat fe tua* addit, *et tu aliquando conversus confirma fratres tu* Item loco illius incisi, *cum supremi omnium Christiano Doctoris munere fungens* etc. hoc aliud substituit, *cum c firmans doctrinam Episcoporum, ac supremi omnium Ch stianorum Doctoris munere fungens* etc. Inter varias ratio quas ad persuadendam hanc modificationem adducere po unam affert tantum; nempe quod SSmus Dnus Noster in niendo Dogmate Immaculatae Conceptionis prius Episcope sententias rogavit, dein eas supremo, ac infallibili suo iud confirmavit. Hoc exemplar sequens Summus Pontifex, qua de rebus fidei, ac morum definit, Apostolicae Sedi obsequi Ecclesiae unitatem, pacem, et tranquilitatem obtinebit.

---

71. **Alius Rmus Pater** ita scribit: ad evidentiorem probationem veritatis in hoc Decreto contentae, praeter allatas, vellem, *ut insererentur aliae probationes depromptae ex vetusta, et perpetua ecclesiastica traditione, nec non ex constanti Romanorum Pontificum praxi.* Unde pag. 2. lin. 1. statim post notam (1) mallem adiici sequentia: „Ac revera solemne nunquam non fuit Ecclesiae Patribus, Romanam Petri Cathedram Romanumque Pontificem Apostolorum Principis in ea Successorem totius revelatae veritatis doctorem indefectibilem, ac vindicem praedicare; sicut et constantissime extitit per omnia saecula eorumdem Romanorum Pontificum praxis, suborientes undique errores auctoritate propria irrefragabiliter profligandi, quae sane luculentissima sunt testimonia universalis, ac perpetuae doctrinae de suprema atque infallibili Romani Pontificis auctoritate in controversiis de fide, et moribus definiendis. Sed cum recentiori aevo nec despiciendae, nec sine catholicae ipsiusmet unitatis discrimine in eam doctrinam excitatae fuerint contradictiones, ideo ut revelati depositi integritati, et Ecclesiae incolumitati undequaque pro viribus prospiciamus, sacro approbante etc.“ Insuper vellet, ut huic Decreto analogus canon adiiciatur.

---

72. **Alius Rmus Pater** observat 1. In Concilii Lugd. II. textu, qui citatur, post verba *in beato Petro Apostolorum principe,* haberi haec alia duo *sive vertice;* ea retineri mallet in schemate. 2. In formula S. Hormisdae citata, loco verbi *servata Religio* habetur *reservata.* 3. *Ad praecavendas omnes Gallicanorum cavillationes mallet in Decreto declarari, definitiones Romani Pontificis ex Cathedra loquentis infallibiles, ac irreformabiles esse ante omnem tacitum, vel expressum, praevium vel subsequentem Ecclesiae, Episcoporumve consensum.* 4. Ut Canon fidei, prout in aliis materiis actum est, Decreto adiiciatur. 5. *Ut Decretum de infallibilitate Summi Pontificis primo loco ponatur, ante quascumque definitiones fidei a Concilio Vaticano edendas.* Item ipse sequentem Canonem adiiciendum putat: (Si quis dixerit Romanum Pontificem in rebus fidei et morum definiendis in-

fallibilitatis praerogativa non gaudere, nec eius irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit; aut hanc eius infallibilitatem ambitu suo ad eadem omnia non patere, ad quae ipsa Ecclesiae infallibilitas extenditur, anathema sit.)

---

73. **Alius Rmus Pater** notat: cum prior periodus formulae ex superiori de Romani Pontificis primatu suapte natura oriatur, videtur cum superioribus coniungenda per particulam *Itaque*, vel consimilem. — Item ne forte duri ad credendum dicant, Papam potius quam Concilium definitionem infallibilitatis sollicitasse, addendum puto, *sacro postulante, et adprobante Concilio.* Demum desiderarem Decreto Canonem explicitum adnecti.

---

74. **Alius Rmus Pater** duo observanda, et mutanda proponit. 1. pag. 2. verba *pro auctoritate definit* non satis clara videntur, possent forte mutari in ista alia *iudicando, atque obligando definit.* 2. Phrasim, quae pag. 2. lin. 1. incipit *hinc sacro* ita mutandam proponit: „Hinc sacro adprobante Concilio, docemus, et tamquam dogma fidei definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cui in persona beati Petri dictum est ab eodem Domino nostro Iesu Christo: *ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua*, errare non possit, cum Supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens iudicando, atque obligando definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia sit tenendum, et hanc Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod ipsius Ecclesiae infallibilitas extenditur.“

---

75. **Alius Rmus Pater** *prae gaudio gestiens, ambabus ulnis Decretum amplectitur, adprobat, et novis rationibus magis, ac magis confirmat; concluditque se vehementer ex-*

optare, ut quam citius Romani Pontificis infallibilitas ab Oecumenico Concilio Vaticano definiatur.

---

76. **Alii duo Rmi Patres** *omnimode adprobant Decretum:* vellent, ut post verba *ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur* subiungerentur haec alia *et omnino coincidere; adeo ut qui unam repudiare vellet, alteram quoque negare necessario sequeretur.*

---

77. **Alius Rmus Pater** *postquam longa oratione plurimas, aeque graves rationes attulerat, quibus ipsi videtur plane demonstrari necessitas, et opportunitas definiendi in Concilio Vaticano infallibilitatem Romani Pontificis, novum schema Capitis XI, et adiectum canonem proponit: „Auctoritatem Summi Pontificis in rebus fidei et morum definiendis esse supremam nec errare posse.* Cum autem non desint, qui promissiones a Christo factas B. Petro et eius successoribus non recte accipientes, posthabita universali et perpetua Ecclesiae traditione, constitutionibus SS. Pontificum dogmaticis, quae scilicet de doctrina fidei et morum ab omnibus tenenda decernunt; contendere ausi sunt, vim non inesse propriam et absolutam ad obligandos omnes fideles ipsosque particularium Ecclesiarum pastores, quousque non fuerint acceptatae ab omnibus Episcopis sive dispersis sive in Concilium generale congregatis; Attentis specialibus et periculosissimis huius praesentis temporis conditionibus ubi fides christiana omnimodo impetitur et in tam multis vel pravis vel incautis deficit: Confidentes huic tam pestifero malo non aptius et efficacius remedium afferri posse, quam si tandem ab hoc Concilio ipso generali Vaticano declaretur, quo sensu verba promissionis Christi B. Petro et eius successoribus factae semper, ab initio usque nunc, fuerint intellecta et promulgata sive a Sancta Sede Apostolica, ab omnibus scilicet SS. Pontificibus in decursu saeculorum, sive a Conciliis tum generalibus tum etiam particularibus, sive ab Episcopis universi orbis catholici, sive tandem ab universis fidelibus; Considerantes praeterea

regulam fidei supremam et ultimam debere esse semper subsistentem, perpetuam et nunquam in sua existentia interruptam, qua statim omnes errores oborientes profligari possint, ne ultra progrediantur et gregem Domini inficiant; *simulque et visibilem* sicut et visibilis est ipsamet Ecclesia, ut ab omnibus conspici et audiri valeat, et populorum seu simplicium nempe omnium captui etiam rudiorum plenissime accommodatam; Considerantes insuper quod si Constitutiones apostolicae non essent de se et per se omnino certae et fidem ab omnibus tenendam absque ullo errandi periculo declarantes, fides populorum maneret dubia et suspensa, quousque vel ab aliquo Concilio generali, vel saltem ab Ecclesia, ut aiunt, dispersa fuissent receptae et confirmatae; quod certe repugnare tum ipsius Christi verbis, qui promisit se futurum esse et cum Petro et cum Apostolis et cum tota Ecclesia *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, tum etiam fidei ipsius naturae et essentiae, imo rectae rationi contradicere manifestum est; Habentes praeterea prae oculis professionem fidei a Graecis editam in Concilio generali Lugdunensi II. in qua dicitur: „Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri." Atque his concordat formula S. Hormisdae Papae a Patribus Concilii oecumenici VIII, Constantinop. IV, quae sic habet: „Quia non potest Domini Nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio et sancta celebrata doctrina." Neque hic omittendum est, *de fide esse: Ecclesiam Urbis Romae non posse errare circa fidem, nec ideo proprium eius Episcopum, qui est S. Pontifex*, unde sequitur, fidem omnium Ecclesiarum particularium et seorsim et simul necessario debere eandem semper esse, quam fidem Ecclesiae urbis Romae romanique

ipsius Pontificis: Hinc sacro approbante Concilio docemus et tamquam fidei dogma definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cui in persona B. Petri dictum est ab eodem Domino Nostro Iesu Christo: „Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua“, cum supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quod in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit et semper creditum fuit, errare non possit; nec unquam in definitionibus suis potestatis, quam accepit a Christo, limites excedere queat. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat) praesumpserit, sciat se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse. *Pro Canone post Canonem XVI.* Si quis dixerit, Constitutiones dogmaticas Summorum Pontificum de credendis et agendis ad salutem consequendam necessariis non esse per se firmas et ab omni errore immunes, aut fidem non facere, antequam ab universali Ecclesia illas fuisse acceptatas palam innotuerit, sciat se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse.

---

78. **Alius Rmus Pater** haec expressis verbis habet „Monito obediens, quod nobis diebus 25 Februarii et 6 Martii traditum fuit, 1. circa decem prima Capita schematis de Ecclesia, nihil in contrarium habeo. 2. XVI. primos Canones eiusdem adprobo. 3. *ardenter desidero et supplico pro mea propria, omniumque Sancti Patris Brunonis filiorum consolatione, ut Dogma de infallibilitate Summi Pontificis promulgetur, in quod ab infantia credidi, quod in Theologico Seminario Avenionensi, a sapientibus S. Sulpitii Sacerdotibus melius didici, quodque inter Cartusianos, tum in Italia, tum in Gallia per triginta et quinque annos, nemine contradicente constanter docui.*“

---

79. **Alius Rmus Pater** postquam rogaverat Concilii Secretarium, ut Patribus in Congregatione Generali congregatis patefaciat decretum *Concilii Provincialis Quitensis* anni proxime elapsi, *quo statutum est, ut Archiepiscopus nomine to-*

tius synodi ad S. Romanim Sedem humillimam petitionem mitteret, qua postularetur definitio dogmatica de infallibilitate Summi Pontificis a Concilio Vaticano facienda: Quoad schema propositum vellet 1. Ut in condendo praefatae definitionis decreto, Sacrosanctum Oecumenicum Concilium stricte mandaret, *ut in formula fidei omnibus Praelatis Canonicis, Doctoribus, ac Magistris a Pio Papa IV. praescripta, haec veritas Pontificiae indefectibilitatis adderetur profitenda.* 2. Quod in schemate infallibilitatis Romani Pontificis, sicut et in alio de infallibilitate Ecclesiae; declaretur hanc infallibilitatem respicere etiam facta dogmatica.

---

80. **Alius Rmus Pater** peractis gratiis Summo Pontifici, et Commissionis Patribus, ex eo, quod schema de infallibilitate Summi Pontificis examinandum propositum sit; in illud tamen observat; *schema non praecise loqui de Romani Pontificis personali infallibilitate;* quod ipsi necessarium videtur; hinc ipse *Caput de infallibilitate Summi Pontificis de novo cudit, et illi quinque Canones adiungit.* „Pro sua autem infinita sapientia Dominus et Salvator noster *Iesus Christus voluit, ut hoc in catholica fide et communione unitatis principium in persona unius beati Petri Apostolorum Principis, eiusque in Romano Pontificatu successoribus ab ipso institutum, universis et singulis omnem firmissimae certitudinis securitatem praeberet. Quamobrem supremam omnes agnos, ovesque omnes regendi ac docendi eisdem concessam auctoritatem peculiari gratiae suae dono constituit infallibilem.* Cuius catholicae veritatis certissimum argumentum iam satis apparet ex eo, quod Petrum inconcutibile Ecclesiae fundamentum, et visibile caput, ac summum fidelium omnium pastorem, iudicem, et doctorem oecumenicum, et ante passionem et mortem, et post resurrectionem suam Christus Dominus instituerit. Secus enim portae inferi praevalerent adversus Ecclesiam, et eius fundamenti petram; non aeterna vita sed mors aeterna a capite in omnia venerandae catholicae communionis membra dimanaret; et Ecclesia Christi, a qua tota Petri sententia firmiter teneri debet (Cf. D. Th. 2. 2. q. I. a. 10. O.), errorem

a fallibili Petro edoctum, universaliter profiteri teneretur. Atque ita fidei depositum, quod ei custodiendum traditum fuit, et Religio Christiana, qua sola utpote universa, debitus Deo cultus exhibetur in spiritu et veritate, ac sola via est salvationis aeternae, vel contra Christi voluntatem et promissiones, eo ipso ore deficerent, quod Deus ab antiquis diebus in Apostolis et senioribus elegit per illud audire gentes verbum Evangelii, et credere (Act. App. XV. vv. 6. 7.); vel fundamentum sustineretur ab aedificio, caput regeretur a membris, supremi doctoris iudicia reformarentur a discentibus, et prima Sedes, quae a nemine iudicari debet, a iudicandis diiudicaretur. *Etsi vero haec Petri eiusque successorum inerrantiae praerogativa ex Pontificalium iurium munerumque natura, ac ex his, quae ab eius inficiatione sequuntur absurda et simul blasphemiae in divinam sapientiam, teneri et credi deberet; tamen Redemptor noster*, qui dives est in misericordia, pro nimia charitate sua, qua venerat salvare quod perierat, ut omnes contra fallaces doctorum prurientium auribus artes securius muniret, ac ab omni dubitationis specie liberaret; ut omnes doceret non hominibus sed ipsi Deo in assentiendo et obtemperando Petro et Romanis Pontificibus, se mentis et cordis liberum praestare obsequium; ut omnes propterea facilius et suavius, quantum in ipso erat, in quo tantum est auxilium Israel, salvi fierent, et ad agnitionem veritatis venirent; *hoc personalis Romanorum Pontificum inerrantiae privilegium, quod est totius Ecclesiae unitatis et infallibilitatis fundamentum et causa, expresso aeternae veritatis suae oraculo edocuit, Petro dicens*: „Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (Luc. XXII. vv. 31. 32.) Ex quibus Christi Domini verbis profecto patet, quod utique commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitabat, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur; tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo

munitur; et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur". (S. Leo M. Serm. III. Assumpt. suae ad Pontificatum). Quia vero nullo modo possunt Domini Nostri Iesu Christi praetermitti sententiae, ideo „haec quae dicta sunt, probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio, et sancta declarata doctrina". (Ex formula S. Hormisdae etc. Vid. Angelicum Opus. VI. in Symbol. App.) Ideo haec semper fuit sanctorum Patrum doctrina et traditio, ibi esse Ecclesiam, ubi est Petrus, ac idem esse cum Romano Pontifice communicare, et communicare cum Ecclesia Catholica (Cf. Ambr. Enarr. in Ps. XL. n. 30. et Cypr. Epist. LII. ad Antonian. Episcop.) Ideo omnes fideles divinam hanc de personali Romanorum Pontificum infallibilitate doctrinam constanti fide tenuerunt, ac ita professi sunt, ut qui eorum dogmaticis ordinationibus pertinaciter repugnarent, eos a communione catholica prorsus alienos tenerent. Hinc solemnis illa Venerabilium Concilii Chalcedonensis Patrum huius veritatis professio: „Petrus per Leonem ita loquutus est. Qui non consentit Epistolae Sanctissimi Episcopi Leonis, haereticus est." „Quapropter hoc Sacro approbante Concilio oecumenico, *hanc Romanorum Pontificum ex divina promissione et adsistentia personalem infallibilitatem tanquam fidei dogma definientes*, reprobamus et damnamus eorum sententias, qui negant Romanum Pontificem esse infallibilem, dum Summi sui Pontificatus munere fungens, aliquid definit et ordinat in rebus fidei et morum, aut circa ea, quae in divinae revelationis deposito sive scripto sive tradito continentur, vel directe requiruntur, ut hoc depositum integrum custodiatur et conservetur: aut eius definitionibus et ordinationibus absolutam et ex animo deberi adhaesionem antequam constet, eisdem accessisse universalis Ecclesiae consensum: vel affirmant Romanum Pontificem errare posse praerogativae seu potestatis suae obiectum vel limites excedendo, et eius iudicia esse reformabilia donec accesserit universalis Ecclesiae adhaesio; aut eiusdem definitiones et ordinationes non posse per se solas definitivas et obligatorias evadere; eo quod non constet certo eundem Pontificem ut universae Ecclesiae pastorem et doctorem pronuntiasse." En

Canones, quibus hi erunt aptandi numeri, qui ad eos spectabunt in serie illorum qui in schemate extant. 1. Si quis dixerit Romanum Pontificem errare posse cum Supremi sui Pontificatus munere fungens aliquid definit et ordinat in rebus fidei et morum, aut circa ea quae in divinae revelationis deposito sive scripto sive tradito continentur, vel directe aut indirecte requiruntur ut hoc revelationis depositum integrum conservetur, anathema sit. 2. Si quis dixerit Romani Pontificis definitionibus et ordinationibus huiusmodi non deberi absolutam et internam ex motivo fidei adhaesionem, nisi constiterit iisdem accessisse universae Ecclesiae consensum, anathema sit. 3. Si quis dixerit Romanum Pontificem in dictis definitionibus et ordinationibus errare posse praerogativae aut potestatis suae obiectum seu limites excedendo, anathema sit. 4. Si quis dixerit Romani Pontificis definitiones et iudicia reformabilia esse, donec eisdem adhaeserit generalis, vel saltem notabilis Episcoporum pars, anathema sit. 5. Si quis dixerit dubium esse, an Romanus Pontifex uti supremus Ecclesiae pastor et doctor loquutus sit, quum id ipse affirmet in suis decretis, aut ex aliis circumstantiis appareat, anathema sit."

---

81. **Quatuor Rmi Patres** (ex Hungaria): *prolixa oratione petunt, et probare curant, ne a Vat. Conc. aliquid circa doctrinam in hoc Decreto contentam definiatur;* hoc enim Decretum nullo sub respectu est *necessarium,* imo inspectis circumstantiis, *inopportunum* prorsus est. Nam 1. quae dicuntur in Cap. XI de Romano Pontifice ad fidem declarandam, et auctoritatem summi Pontificis defendendam, et roborandam, abunde sufficiunt. 2. Ecclesia per 18 saeculorum decursum sine enuntiatione huius dogmatis vixit et viguit. 3. Quia ex dispositione animorum, in qua versantur infideles, haeretici, mali christiani, *multa mala ex hac definitione praevideri possunt, et lugubre schisma; praesertim in Hungaria;* quae mala facile contemni possent, si ageretur de articulo fidei ad salutem necessario, et ab omnibus tamquam revelato in Ecclesia habito; sed hic agitur de elevanda ad dogma fidei doctrina a quibusdam piis et doctis viris tamquam *mo-*

raliter certa habita; et quam maiores nostri, licet non habuerunt prout fidei articulum, salvi tamen facti sunt. 4. *Numquam fuit Ecclesiae ratio agendi, ut se vocatam crederet ad perlustrandum syllabum opinionum Theologorum, ut aliquas ex eis, quae placuerint, ad dignitatem dogmatis elevaret.* Praeterea hoc Decretum magis dicit, quam dicunt Theologi, qui hanc opinionem tuebantur; nam isti volebant Pontificem esse infallibilem *ex cathedra* loquentem; et huic expressioni *ex cathedra* varias essentiales adiiecerunt conditiones. Decretum vero illa verba *ex cathedra* praetereundo, nullam dat explicationem de verbis quae in ipso inveniuntur; quando scilicet Pontifex censendus sit *fungi officio supremi Doctoris.* Imo *si infallibilitas Summi Pontificis eo se extendit, quo Ecclesiae infallibilitas,* iuxta sensum in Cap. XI. contentum, *vix erit ullum Pontificis decretum quod ad obiectum infallibilitatis referri nequeat. Haec autem doctrina in Hungaria apud clerum et populum est prorsus inaudita.* Insuper doctrina haec infallibilitatis Summi Pontificis etiam hic Romae non habebatur nisi *moraliter certa;* (vid. Perrone de locis Theol. 773) quomodo igitur nunc evasit absolutae certitudinis, et revelata? in deposito Ecclesiae Romanae haec revelatio non erat, aliter theologos Romanos id latere non potuisset, quomodo ergo quod non est in revelatione, dogma fidei declarabitur? Adde quod haec doctrina de infallibilitate personali Summi Pontificis multis adhuc est difficultatibus implexa, quae licet operosis effugiis tegi aliquantum possint, penitus tamen ita auferri vix possunt, ut haec doctrina ad dignitatem Dogmatis fidei elevetur (praetermissa controversia de lapsu Hormisdae, Zosimi, Gregorii II, Stephani II, Nicolai I, Sergii III, Paschalis II, et Liberii, accuratius oratio memorat lapsum Honorii). Praeter difficultates ex historia petitas observandum, quod sensus locorum sacrae scripturae, qui in confirmatione huius doctrinae afferuntur, non est ita expeditus, ut inde invictum robur pro sententia, de qua est quaestio, erui possit; et in eis interpretandis textibus, excepta quaestione Primatus, unanimis Patrum consensus desiderari videtur, ut nemo ignorat.

82. **Alius Rmus Pater** *tria postulat:* 1. *ut schema suppletorium de infallibilitate Romani Pontificis penitus removeatur et ad synodalem pertractationem non inducatur.* 2. *In casum obversum, ut Scripturarum, traditionis et omnium Historiae, Ecclesiaeque documentorum huc pertinentium accuratissima et liberrima discussio praemittatur.* 3. *Ut Decretum definitivum nonnisi cum unanimi Patrum consensu feratur.* Ad probandum primum punctum eadem fere argumenta affert ac superius allata fuere ab aliis 4 Episcopis. Ad probationem secundi, et tertii praecipue affert consuetudinem, et modum agendi antiquorum Conciliorum, praesertim Tridentini. Prolixam suam orationem ita concludit: „Verum non solum hoc requiritur, ut definitioni huic (si proponenda est) diligentissima, liberrima, et exactissima inquisitio praemittatur, sed etiam ut moralis Patrum unanimitas in illam doctrinam libere, sine partium studio consentiat, et ne quodam modo consilium capiatur, hanc quaestionem per vota maiora decidendi. Si istud fieri eveniret, non observatis his, quas praemisi conditionibus, cum docto huius Concilii Patre ego quoque dicere deberem, quod Concilium Vaticanum, neglecto sive accuratissimo examine, sive unanimitatis non habita ratione, notam haud effugeret inexcusabilis temeritatis, ignominiaeque non amplius delendae macula conspergeretur."

---

83. **Alius Rmus Pater** sic perorat: *Licet a triginta annis doctrina infallibilitatis Romani Pontificis in scholis* **Hiberniae** *doceatur, et ipse Illmus per 15 annos hanc doctrinam, quo potuit zelo, Ecclesiasticam iuventutem ei commissam docuerit, attamen cum per 200 annos semper docebatur in scholis, decreta Romani Pontificis non esse irreformabilia nisi accedente consensu vel expresso, vel tacito Episcopatus, haec doctrina de infallibilitate personali Romani Pontificis non potuit ad populum pervenire, et animos fidelium laicorum imbuere.* Praeterea in controversiis omnibus cum Acatholicis cum quaestio movetur, quid Catholici credere tenentur, semper respondetur, id quod docet Ecclesia, scilicet Papa coniunctim cum Episcopis. Haec eadem responsio data fuit ab Episcopis interrogatis a

gubernio civili Britannico; haec vero doctrina ad hunc usque diem nulla censura, nulla nota theologica notata fuit. Ex alia parte *doctrina infallibilitatis Romani Pontificis in nullo Catechismo apud Hibernos docetur, numquam a Parochis praedicatur*, sed semper praedicatur *infallibilitas Ecclesiae*, per *Ecclesiam* autem populus intelligit Episcopos, seu corpus docens, cum Papa consentientes. Proinde si doctrina infallibilitatis Summi Pontificis a conditione sententiae liberae in dogma fidei sub dispendio salutis credendum, nulla facta praeparatione, nulla adhibita cautela, statim erigatur, reiicietur a plurimis ut novitas inaudita, putabitur mutata, ac proinde falsa Ecclesiae doctrina; ruet auctoritas Papae non solum, sed et Conciliorum Oecumenicorum, et late grassabitur de veritate Christianae Religionis nefanda incredulitas. *Ob has, et alias rationes credit doctrinam de infallibilitate Papae, quae suo iudicio non est de fide definibilis, nullo modo expedire ut Concilio Vaticano proponatur.* Omisso igitur Decreto de infallibilitate, totum Caput XI retinendum censet, et ad auctoritatem Papae magis confirmandam post Canonem XVI adderet alium his verbis conceptum: „Si quis dixerit Sanctam Sedem Apostolicam Romanam, in qua vera fides numquam deficiet, non esse centrum unitatis, et communionis omnium Ecclesiarum, ita ut nonnisi unitae cum illa una fiant Ecclesia; aut non teneri omnes Christifideles cum Romano Pontifice in eiusdem fidei professione coniungi, et eidem in his, quae ad Ecclesiae regimen pertinent, obedire, anathema sit.“ Demum, *si haec quaestio tractanda est, oporteret,* sicut mos fuit in anteactis Conciliis, *colligere, et Patribus communicare testimonia omnia sive ex Scriptura, sive Conciliis, et Patribus, quibus infallibilitas Summi Pontificis asseritur. Deinde etiam communicari deberent alia, quae videntur difficultatem aliquam facessere posse*, quorum forte sequentia sunt praecipua: — *Locus Philosophumenon de S. Callisto — Litterae Ss. Cypriani et Firmiliani de rebaptizatione — Testimonia de PP. Liberio, Honorio I. — Epistola secunda S. Columbani ad Bonifacium IV de schismate superioris Italiae — Responsa aliquot Pontificum adversa unitati, et indissolubilitati matrimonii collecta a Christiano Lupo — Excerpta ex libris*

Carolinis adversus Concilium Nicaenum secundum missum a Romano Pontifice ad episcopos Galliae, et Germaniae — Concilium Rhemense sub Eugenio III. in causa Gilberti Poretani — Sententia plurium Pontificum de paupertate Franciscanorum — Monumenta de Ioanne XXII de visione beatifica — Epistola Bellarmini ad Clementem VIII super controversia de auxiliis — Locus Benedicti XIV de doctrina Sixti V in Consistorio proposita super infallibilitate Romanorum Pontificum in canonizandis Sanctis — Approbatio per Pium VI iudicii doctrinalis Card. Arch. de Franckenberg, in quo ut probabilis proponitur doctrina dicentium, Principes Christianos statuere posse valide impedimenta dirimentia matrimonium.

---

84. **Alius Rmus Pater** *stupet, ac miratur Decretum de Infallibilitate Pontificis fuisse propositum ad plurimorum Episcoporum instantiam, quin facta fuerit mentio petitionis oblatae inter ceteros a pluribus Episcopis Italiae ditioni subiectis,* quibus ipse per suam subscriptionem consenserat, *qua petitione quaerebatur, ut attento praesenti effervescentium populorum statu pro bono pacis super hac quaestione silentium imponeretur. Insuper declarat petitionem Episcoporum quaerentium, ut Decretum de infallibilitate proponeretur, non fuisse regularem,* „nam non per scrutatores in aula Conciliari, *sed per singulos factionis Episcopos, vel eorum emissarios Cappellanos clanculum et importunis precibus ab incuriosis Patribus subscriptiones habitae fuere.*“ Hisce declaratis Illmus ad rem veniens, sentit definitionem infallibilitatis Summi Pontificis nedum non necessariam, sed periculi plenam, et plurium malorum faecundam esse. Non necessariam: quia per 18 secula Ecclesia ea caruit; malorum foecundam: quia „non solum haeresis reatus multiplicarentur, sed etiam dira vindicta, et truculenta omnia usque ad internecionem singulorum Patrum locum haberent. Quod Deus avertat!“

---

85 **Alius Rmus Pater**: credit aliquibus verbis, quae addenda proponit capiti XI. satis consultum iri auctoritati Summi Pontificis; hinc reputat hoc caput additum et definitionem explicitam infallibilitatis Summi Pontificis non esse necessariam, imo omnino inopportunam, quia ea definitione retardaretur conversio haereticorum, schismaticorum, Gubernia fierent magis hostilia Ecclesiae, tepidi Christiani se proiicerent in schisma etc.

---

86. **Alius Rmus Pater** (Eppus Budvicensis): *Coram Deo et Patribus in Conc. Vat. congregatis, salva reverentia et subiectione canonica erga SS. Papam et Petri Cathedram, protestatur, et ultro profitetur se „minime persuasum esse, doctrinam de Romani Pontificis personali infallibilitate,* prout in communicato schemate proponitur, *vel liquidis et irrefragabilibus sacrae Scripturae testimoniis, vel divina et continua Ecclesiae traditione, vel certissimis Ecclesiae factis et indubia praxi ceu divinitus revelatam probari, et vindicari posse* adeo ut *necessaria securitate* dogmatice definiri, atque monstrari possit, hoc ipsum fidei argumentum *semper, ubique, et ab omnibus creditum fuisse,* et proinde *vere et proprie catholicam esse,* seu *essentialem divini depositi partem.* Insuper hanc definitionem omnino *inopportunam* et noxiam credit ob rationes allatas ab aliis Reverendissimis Patribus, quibus ipse subscribit, quibus ipse insuper aliam addit, calamitatem nempe, quae ex huiusmodi novelli dogmatis inductione superventura est fidelibus *Bohemiae,* qui undequaque, et modis omnibus tentantur ab *Hussitis,* ut a Pontifice se separent, et cum ipsis Ecclesiam nationalem efforment. Quam luctuosam praevidens minantem animarum ruinam, mori potius cupit, quam decreti Synodalis argumento patrocinari.

---

87. **Alius Rmus Pater** quoad schema infallibilitatis Summi Pontificis, nihil habet dicendum; *postulavit, ut haec quaestio non introduceretur; in sua sententia perseverat*

ob damna, quae evenire possent, quae damna iam ab aliis notata fuere.

---

88. **Sexdecim simul Rmi Patres** *primum laetitia gestientes, et exultantes in cordibus suis excipiunt schema de infallibilitate Romani Pontificis* eo, quod doctrinam illam, quam omnia familiae S. Dominici luminaria constanter, et numquam interrupta traditione semper firmissime asseruerunt, et adversus denegantes quoslibet invicte vindicarunt, modo confidunt (quod in totius Praedicatorum Ordinis votis erat) de fide divina tandem, Deo dante, esse definiendam. In ea vero opinione sunt, vocem *infallibilitas*, seu *inerrantia* esse a Decreto expungendam. Quod ad vocem *inerrantia* spectat, eam minus latinam esse omnibus compertum est, nec ulla ratio subest ad eam, ut ita dicamus, de novo cudendam, sicut in aliquibus dogmatibus definiendis ab Ecclesia alias factum est, cum per latinas voces, quae verum rei sensum reddant, dogma istud possit definiri. Vox etiam *infallibilitas* nobis parum apta esse videtur doctrinae asserendae. Et in primis sensum nimis latum et indeterminatum vox ista sonat in communi hominum acceptione hisce nostris praesertim diebus, adeoque variis et falsis interpretationibus locum dare posset. Deinde cum vox ista, hodie praecipue, ut neminem latet, tot timores, licet fateamur infundatos, et turbationes, ne dicamus odia suscitet, animosque infeliciter scindat, paci et charitati melius absque dubio providebitur, si supprimatur. Adeoque, *nos exemplum etiam secuti Angelici Praeceptoris nostri Sancti Thomae, qui in supra citato articulo, licet aperte et invicte hanc non errandi praerogativam in Summo Pontifice defendat, hac tamen voce usus nullimode est, proponimus praetercundam et supprimendam in Decreto, et ipsius loco subiicimus inserendas in Capite XI. locis inferius indicatis sequentes formulas*, quae, nisi nostra nos fallit opinio, omnia ad infallibilitatem Romani Pontificis asserendam, ac in tuto ponendam necessaria continent, effugium quodlibet tollunt contrarium sentientibus, magis paci ac charitati consulunt, sensus vel pravos vel minus rectos excludunt, et paucis mutatis, vel additis,

iisdem pene verbis, quibus schema, redactae sunt. Proponimus itaque inserenda in Capite XI. Schematis de *Ecclesia Christi* pag. 21. post lineam 9., et praecise post verba illa et *iudicem supremum existere*, sequentia: „Cui in persona *Beati Petri* dictum est ab eodem Domino nostro Iesu Christo: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ideoque docemus et tamquam fidei dogma definimus: *Ipsum virtute divinae assistentiae sibi promissae ab omni omnino errore esse immunem*, cum supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens, aliquid ab universa Ecclesia tamquam de fide tenendum, aut reiiciendum definit, et hanc Romani Pontificis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod ipsius Ecclesiae infallibilitas extenditur, cum ad Christi Vicarii auctoritatem pertineat, quaestiones fidei finaliter determinare.“ Et postea pag. 22. linea 7. post verba *successores habere*, haec alia: „Aut dicere audent, *Apostolicas Constitutiones vim supremam non obtinere, nisi ex Ecclesiarum particularium consensu, aut etiam contendunt licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad futurum generale Concilium appellare, aut eiusmodi iudiciis solummodo deberi obsequiosum silentium, vel conditionatam tantum adhaesionem,* non autem internum et absolutum mentis et cordis assensum requiri. Similiter damnamus errorem illorum, qui affirmant Romanorum Pontificum iurisdictionem ordinariam et immediatam non esse tam in omnes simul, quam in singulas seorsum particularium pastorum Ecclesias.“

---

89. **Alius Rmus Pater**: ob rationes saepius supra ab aliis Patribus allatas (divisio inter Pastores, difficultas conversionis haereticorum, exasperatio guberniorum) credit omittendum omnino caput de Romani Pontificis infallibilitate; cuius loco sufficiunt aliqua verba Capiti XI. interiecta.

---

90. **Alius Rmus Pater**: *Caput de infallibilitate, prout iacet, libentissime amplectitur;* nihil immutandum, nisi quod cuperet ut loco verborum *sciat se a veritate* etc. simpliciter

diceretur *anathema sit;* cum enim hoc verbum in ceteris definitionibus inveniatur, nulla est ratio, cur hic supprimatur.

---

91. **Alius Rmus Pater** omissa opportunitate definitionis, licet eam inopportunam omnino credat, et omissa etiam ratione, quod impossibile sit de hac gravissima controversia intra tam breve tempus tractare, eo magis quod illa in publica et libera actione tractari deberet ubi *verba oratorum audiri possent et intelligi;* observat: *Omnem quaestionem de iuribus et infallibilitate Summi Pontificis, non videri posse solvi, quin antea prorsus noscatur vera et essentialis Ecclesiae Christi Constitutio.* Verum enimvero Petrus et eius successor, Pontifex Romanus primatum honoris et iurisdictionis in Ecclesia obtinet, cui dictum fuit: *Tu es Petrus et super hanc.. Rogavi pro te.. Pasce agnos meos et oves meas.* Hinc tamen non sequitur soli Petro et eius successoribus datam fuisse totam divinam potestatem gubernandi et docendi, cum divino infallibilitatis privilegio, cum etiam dixerit Christus omnibus apostolis una cum Petro iunctim, nec non eorumdem successoribus aeque coniunctim; *omnis potestas.. euntes ergo docete.. Rogabo Patrem.. alium paraclitum dabit.. accipite Spiritum Sanctum..* Quis affirmare auderet per haec verba Apostolos et eorum successores nihil accepisse? quis non videt immediate et coniunctim omnibus traditam fuisse totam potestatem Christi? Porro illa potestas, quae in se una est, tota et absoluta, non potest esse simul penes unum singulariter et plures coniunctim. Et hoc evidens patet: si enim pluribus tradita fuit illa tota et una potestas, non est uni; si vero uni, non pluribus. Verumtamen huiusce totius potestatis pluribus communicatae parte maiori unus frui potest quam alii, iuxta voluntatem dantis. Sed ille iure potior, non inde solus totam et absolutam potestatem haberet, sin minus alii nihil omnino haberent. Et id ex natura ipsa potestatis cuiuscumque clare patescit, adeoque impossibile est potestatem sive temporalem sive spiritualem esse simul monarchiam absolutam, et monarchiam temperatam, quod manifestam includeret contradictionem. Ergo, *cum Episcopi Apostolorum*

successores, immediate a Christo suam et certam auctoritatis partem receperint in Ecclesiae regimine et magisterio, non potest admitti penes Papam solum esse potestatem totam et absolutam regendi et docendi, cum infallibilitatis privilegio. Sed illa potestas, in se una, tota et absoluta tantummodo in Summo Pontifice et in Episcopis Petri et apostolorum successoribus, debet coniunctim residere. Ad Summum Pontificem romanum primatus iure, nihilominus pertinet huius divinae regendi et docendi potestatis pars principalis et quam maxima, sed, quantacumque sit, est tamen essentialiter limitata iuribus aeque divinis episcoporum et non absoluta. Quae quidem nostra conclusio confirmari videtur scriptura sacra et patrum ac conciliorum verbis et decretis, nec non historiae ecclesiasticae factis. Omnes scripturae textus, si studiose perpendantur et inter se conferantur, probant sane Petri eiusque successorum primatum et sanctae indefectibilitatem Sedis, sed nunquam palam facere poterunt penes Petrum eiusque successores esse totam et absolutam potestatem a Christo traditam nec non donum infallibilitatis. Pro certo habemus nullum, in primis praesertim quinque Ecclesiae saeculis afferri posse argumentum quod illam Papae omnipotentiam et infallibilitatem stabilire queat. Nec in interpretationibus verborum Christi apud veteres Patres, nec in eorumdem patrum scriptis authenticis, nil tale etiam supponitur. Credebant profecto omnes Papam esse Petri successorem, ecclesiae fundamentum et caput, et romanam Ecclesiam omnium aliarum Ecclesiarum matrem esse et magistram, nunquam tamen Papae soli, sed Episcopis omnibus cum Papa iunctis, agnoscebant et adiudicabant omnem et absolutam potestatem regendi et docendi cum divino infallibilitatis privilegio. Et haec est universalis fides omnibus priorum saeculorum monumentis innixa, quae profecto nobis sufficit, quin subsequentia tempora moremur. Quid ergo? Si nihil unquam sit definiendum nisi *quod semper, quod ubique quod ab omnibus creditum est,* quousque iure istam Papae omnipotentiam et infallibilitatem definiremus?

92. **Alius Rmus Pater** ait: *Nihil infausto hocce proposito excogitari potuit funestius, nihil Ecclesiae et Sedis Apostolicae auctoritati exitialius.* — Dum de infallibilitatis praerogativa agitur, neque Caput a corpore, neque corpus a Capite separari fas est. *Toti Ecclesiae corpori infallibilitatem addicimus; plane inane est quaerere, in qua eiusdem corporis parte resideat.* Corpus hominis est animatum, hoc scimus: at insolutum remanet, in qua corporis parte sedem suam anima fixerit. — *Infinitae, ac plene insolubiles huic decreto difficultates obstant. — Sequelae huius definitionis pessimae et exitiales.* — Sperandum igitur SSmum Dominum Nostrum hanc quaestionem discordiarum causam sponte sua sepositurum. Insuper „multi iique gravissimi Concilii Vaticani Patres plane persuasi sunt, humilitatis et abnegationis exemplum difficillimis Ecclesiae temporibus a Summo Pontifice datum, praecipuum in manibus divinis monumentum fore, ut S. Sedis Apostolicae auctoritas plurimum exaltetur, et nomen Pii IX. gloriosissimum in annalibus Ecclesiae remaneat."

93. **Alius Rmus Pater** ait: *Prout in schemate proponitur hoc Caput, non apparet satis connexum cum praecedenti, neque ex eo fluere, scriberem potius:* „Iamvero quisque videt, *Romanum Pontificem non posse defungi munere suo pascendi et regendi Ecclesiam, quae est columna et firmamentum veritatis, nisi ipse per singularem adsistentiam Spiritus Sancti, quum Ecclesiam universalem docet, quae credenda vel agenda sunt, sit ab omni errore immunis.* Certe falli non potest sententia Domini Nostri Iesu Christi dicentis: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Si portae inferi, scilicet omnes potestates satanae, omnesque spiritus mendacii et erroris nunquam poterunt praevalere contra Ecclesiam, neque etiam poterunt praevalere contra Romanum Pontificem, supra cuius primatum Ecclesia est fundata; quia secus, attrito fundamento, rueret quoque Ecclesia. Et quidem in hac Romana Sede Apostolica, quae prae ceteris debet fidei veritatem iugiter asserere et tueri; et cuius iudicio definiendae

sunt quaestiones, quae de fide suboriantur, immaculata semper servata est catholica religio, et doctrina sancta celebrata. Quare, sacro approbante Concilio tamquam fidei dogma definimus, Romanum Pontificem, cui in persona Beati Petri dictum fuit a Christo: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, quum supremi omnium christianorum Doctoris munere defungens, pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, ex peculiari Dei assistentia errare non posse, et hoc suae infallibilitatis privilegium tam late patere, quam ipsius Ecclesiae infallibilitatem."

---

94. **Alius Rmus Pater** *decreto de infallibilitate Summi Pontificis, cui plenissime adhaeret, hunc sequentem Canonem adiungi vellet.* „Si quis dixerit Romanum Pontificem omnium Christianorum Patrem et Doctorem, dum ex plenitudine potestatis a Christo Domino sibi traditae, definit, quid in rebus fidei, et morum ab universa Ecclesia sit tenendum, errare posse: atque eius iudicium non esse habendum uti irreformabile et infallibile, donec constet, a maiori saltem Ecclesiae parte fuisse acceptatum, anathema sit."

---

95. **Alius Rmus Pater** ait: *si antea de opportunitate, et necessitate huiusmodi definitionis dubium oriri poterat, nunc praecipue post tot disceptationes, contentiones et scripta edita et promulgata, necessarium omnino est, ut haec veritas aliunde catholice certa, quamque nefas esset negare, per formalem Oecumenici Concilii Definitionem dogma esse de fide credendum promulgetur.* Haec autem definitio fieri debet clara et prout ex sacris litteris, et traditione eruitur, nec quavis de causa, etiam ad evitandas maiores contrarietates omittendum est omne id, quod ad maiorem explicationem huius dogmatis conducit. Unde post *verba in schemate notata: UT NON deficiat fides tua* ita scriberem: cum Supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens pro auctoritate definit *aut declarat,* quid in rebus fidei et morum ab

universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit, *quamvis etiam interpellatio aut consensus quicumque Episcoporum nec praecedat, nec subsequatur; uni enim Petro eiusque successori Romano Pontifici a D. N. Iesu Christo commissum fuit munus confirmandi fratres in fide;* et hanc eiusdem Romani Pontificis inerrantiae. etc: *Canon.* Si quis dixerit Romanum Pontificem, cum Supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens, pro auctoritate definit aut declarat, quid in rebus fidei et morum tenendum sit, errori obnoxium esse posse, vel saltem aliqua praecedenti aut subsequenti Episcoporum interpellatione aut consensu, ut definitio aut declaratio infallibilis sit habenda, indigere; et hanc Romani Pontificis inerrantiae et infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum non porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur, anathema sit.

---

96. **Alius Rmus Pater** scribit: *Exultantes gratias agimus Sanctissimo et amantissimo Domino Nostro Pio, simulque Reverendissimis Patribus Consultoribus ex eo, quod plurimorum Episcoporum petitione decretum de Infallibilitate Summi Pontificis propositum fuerit.* Duo autem adhuc quaerimus: 1. *Ut in parte prooemiali, aliqua addantur, ex quibus refulgeat evidenter et incontrovertibiliter, sermonem esse de infallibilitate personali Summi Pontificis sedentis super Cathedram Petri, et non solum Sanctae Sedis* et *Romanae Ecclesiae*, quod postremum facile admitterent veritatis definiendae adversarii. 2. *Ut specialis Canon constans verbis aequiparibus doctrinae expositae decreto adiiciatur, et suo anathemate firmetur.*

---

97. **Alius Rmus Pater** *(Clifford)* ait: *a)* quod saepius dixi nunc repeto, *definitio huius sententiae tamquam de fide maximum erit impedimentum conversionibus in locis Protestantium: quin et erit petra scandali non paucis catholicis.* Contra vero quid boni sit inde expectandum non video. *b)* In *Anglia* aliud magnum est damnum, quod antequam catholici

ab legibus poenalibus liberarentur, et ad plenam libertatem et civilem aequalitatem cum suis concivibus admitterentur, *Episcopi et theologi, publice a Parlamento interrogati fuerunt, utrum Catholici Angliae tenerent, Papam posse definitiones relate ad fidem et mores populis imponere absque omni consensu expresso vel tacito Ecclesiae. Omnes Episcopi* (inter quos duo praedecessores Emi Cardinalis Dublinensis) *et theologi responderunt, Catholicos hoc non tenere.* Ita in actis publicis Parlamenti typis mandatum est. Hisce responsionibus confisum Parlamentum Angliae Catholicos admisit ad participationem iurium civilium. Quis protestantibus persuadebit, Catholicos contra honorem et bonam fidem non agere, qui quando agebatur de iuribus sibi acquirendis, publice professi sunt ad fidem catholicam non pertinere doctrinam infallibilitatis Romani Pontificis, statim autem ac obtinuerint quod volebant, a professione publice facta recedunt et contrarium affirmant? *c)* Difficultates, quae occurrunt contra doctrinam infallibilitatis Romani Pontificis per se agentis, tales sunt, ut antequam diluantur, pia haec sententia non possit inter veritates a Deo certe revelatas numerari. *d)* In proposito schemate definitio deducitur a duabus praemissis; ponitur enim *hinc* sacro approbante concilio etc. Sed consequens ex illis praemissis non sequitur. Primum enim deducitur ex eo, quod in professione fidei quam Gregorius X. misit ad Graecos, quamque ipsi professi sunt in Concilio Lugdunensi II, dicitur, quod quaestiones fidei debent iudicio Romani Pontificis definiri. Sed ipse Gregorius X. eo ipso tempore, quo talem declarationem a Graecis repetiit, cum definire voluit Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, hoc fecit in Concilio generali. Quo facto ostendit, quod quando dicit, quaestiones fidei debere a Romano Pontifice terminari, non exclusit, Pontificem hoc facere debere consentientibus ecclesiis, sed solum exclusit, quod Graeci volebant, iudicium Romani Pontificis non esse necessarium ad quaestiones fidei terminandas. Non recte ergo concluditur *ex iis verbis* Romanum Pontificem, sive agat cum Ecclesia, sive agat sine Ecclesia, semper esse infallibilem. Secundo, deducitur infallibilitas Romani Pontificis ex verbis formulae subscriptae a Patribus Conc. Oecum. VIII. quibus as-

seritur, quod in „Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio.“ Sed quoniam ad ea usque tempora Sedes Apostolica res pro universa Ecclesia non definiverat nisi consentientibus Ecclesiis, non bene concluditur, quod catholica religio eodem modo intacta servata fuisset, si Romani Pontifices secus egissent. Quid enim vetat credere, quod haec ipsa cura, quam Romani Pontifices habuerunt convocandi Concilia generalia, et consensum ecclesiarum exquirendi. fuerit unum ex mediis, quibus fides immaculata custodita fuerit in Apostolica Sede, et verba Christi praetermissa non fuerint. Conclusio in schemate latius patet, quam praemissae. *e)* Cur in nota verba illa „*Et quia non potest etc.*“ dicuntur sumpta ex formula *S. Hormisdae Papae* subscripta a Patribus Conc. Oecum. VIII? In actis Conciliorum inter Epistolas S. Hormisdae, inveni (ex collectione Isidori) „Libellum fidei Ioannis Episc. Constantinopolitani directum ad S. Hormisdam Papam.“ Non inveni eum scriptum fuisse a S. Hormisda. In eo libello verba citata habentur quidem ex integro in formula missa ad Graecos per Papam Hadrianum II et ab ipsis subscripta in Concilio Lugd. II. sed de hac formula Anastasius Bibliothecarius, qui interfuit Concilio, scribit. „Notandum est et memoriae commendandum, quoniam libelli huius tenorem beatae recordationis Nicolaus Papa exposuit, sed quia tunc a praevaricatoribus non est admissus, rursus ab Hadriano SSmo Papa, mutato nomine Pontificio, Constantinopolim est transmissus. (In actis Concil. Lugd. II.)

---

98. **Alius Rmus Pater** in Decreto infallibilitatis voci, *praetermitti* ex formula S. Hormisdae, vellet, adderentur hae aliae *seu irrita haberi.*

---

99. **Alius Rmus** dicit: *novum caput* ponerem hoc titulo „*De infallibili magisterio Romani Pontificis.*“ Supremi Catholicae Ecclesiae Pastoris ac Doctoris officium, quod cum potestatis plenitudine in Beato Petro Apostolorum Principe Romano Pontifici pro tempore eius Successori D. N. Iesum Chri-

stum contulisse manifesta sacrarum Scripturarum oracula, et perpetua ac universalis ipsius Ecclesiae traditio testantur, id profecto postulat, ut Apostolica Romana Ecclesia sicut prae ceteris .. (ut in schemate) post verba vero *celebrata doctrina* adderem „numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, omnis Catholica Ecclesia, et universales Synodi fideliter amplectentes in omnibus secutae sunt“ (Ex Epist. S. Agaton: Papae ad Imp: Const. Pogon: inscripta in actis Concil. VI. Oecum: Constantinop: III). Ut igitur indubitatam hanc Romani Pontificis auctoritatem in rebus fidei definiendis nemo vanis cavillationibus infirmare audeat, Sacro approbante Concilio .. (ut in schemate).

---

100. **Alius Rmus Pater** *(Purcell) sentit definitionem hanc de infallibilitate Summi Pontificiis inopportunam omnino esse, et noxiam;* si edatur, omnis progressus conversionum *in Provinciis Foederatis Americae* funditus extinguetur. Episcopi et Sacerdotes in disputationibus cum Protestantibus quid respondere possent non haberent; nam isti dicent: huc usque haec doctrina a vobis tamquam libera opinio in Ecclesia praedicata est; nunc illam dogma fidei asseritis; ergo aut antea mentiti estis; aut doctrina Ecclesiae variata est; quid nobis *nostras variationes* exprobratis? Insuper ex hac definitione quae bona provenire possunt, quae mala certe eventura longe superant? Profecto nullum bonum ex hac definitione provenire potest sive quoad catholicos, sive quoad Protestantes, sive quoad incredulos; nam 1. Catholici, si boni sunt, hac definitione non egent, ipsi enim Pontifici tamquam infallibili obediunt; si mali, cum sint debiles in fide, peiores fiunt. 2. Quoad haereticos, qui nec Ecclesiae infallibilitati credere volunt, quomodo credent infallibilitati personali Romani Pontificis, quod valde obscurum, et multis difficultatibus plenum etiam doctissimis inter Catholicos videtur? Murum, hac definitione, faciemus inter nos et haereticos impenetrabilem. 3. Quoad incredulos, hi cum derisione et contemptu decisionem accipient, nam iste novus fidei articulus nova etiam arma, et

novas vires ad fidem oppugnandam suppeditabit, et debellandam, et proh! dolor cum novo successu. Addo, quod doctrina de infallibilitate summi Pontificis non est omnino certa, et insuper auctoritates multae, supra quas illa doctrina nitebatur, decursu temporis examine, et criterio adhibito, quaedam falsae et spuriae inventae sunt, et aliae non vero sensu interpretatae.

101. **Alius Rmus Pater** dicit: verba formulae S. Hormisdae citata in Decreto probant pro praeterito, et *quaestionem facti* dirimunt; ad dirimendam *quaestionem iuris* vellem, ut adderentur verba, quae circa finem eiusdem formulae reperiuntur; nimirum *in qua* (Sede Apostolica) *est integra et vera Christianae religionis SOLIDITAS.* Et paulo infra etiam haec: *Promittentes* (Patres Concil. Oecum. VII.) *etiam sequestratos a Communione Ecclesiae Catholicae*; *idest non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda mysteria.* S. Lucas non dicit: *ego pro te rogavi,* sicut in schemate habetur; sed *ego autem rogavi pro te.* Verbo *definit* in formula adiungerem: *et praecipit universae Ecclesiae.*

102. **Alius Rmus Pater** ait: *decretum de infallibilitate, prout iacet, omnino retinendum est.* Non audiendi, si qui sunt, qui vellent infallibilitatem Pontificis *ex cathedra* loquentis non absolute, sed conditionate definiendam esse „Neminem latet Roman: Pontificem in exercendo suae infallibilitatis dono agere modo humano; nostrum tamen non est Ei designare ea, quae servanda sunt cum *ex cathedra* definit; nam nullus melius, quam ipse Romanus Pontifex scit, quid in re tam magni momenti iuxta rerum, et temporum circumstantias sit agendum, et insuper ex Sacra Scriptura, et Patrum traditione nobis clarissime constat de infallibilitatis dono B. Petro, et eius successoribus a Christo Domino collato, at de conditionibus, quas aliqui imponere volunt, non nisi altum silentium.“ Vellem, ut Decretum voce *anathema sit* firmaretur.

103. **Alius Rmus Pater** *de infallibilitate Romani Pontificis rem adprobat omnino, sed forma ei displicet.* Cum vero Illmus totum schema de Ecclesia de novo octo capitibus comprehensum cudit; hic subiicitur caput octavum, in quo de infallibilitate est sermo, subiiciuntur etiam quinque canones huic capiti correspondentes. Cap. VIII. *Prima et fundamentalis praerogativa divinae Iurisdictionis Episcoporum est gratia infallibilitatis in declarando et definiendo Verbo fidei, quae dependenter a divina potestate ordinis et legitima eis facta missione, singulis eorum a Deo datur ad mensuram dignitatis Cathedrae Episcopalis; Romano Episcopo integra et plena, ceteris autem cum essentiali subiectione ad verbum oris B. Petri.*)* Quod olim Deus omnipotens promisit per Ieremiam: „Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina" (Ier. 3, 15), id ipse plenissime adimplevit per Apostolos et Apostolorum successores Episcopos, qui gratiam Spiritus Sancti acceptam habent ad fungendum auctoritate et ministerio unius summi veri ac boni Pastoris Iesu Domini Nostri. Iis enim a Christo Salvatore omnium dictum est, „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra, euntes ergo, docete omnes Gentes, baptisantes eo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem saeculi" (Matth. 28, 18, 20). Quamobrem, etiam antequam in coelos ascenderet „convescens, praecepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris; et accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos; et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae!" (Act. 1, 4, 8). Haec autem non ad solos Apostolos expectasse, sed eadem quoque ad eorum Successores Episcopos Catholicos expectare ac pertinere certissimum, tum ex ipso Verbo Dei scripto, tum tradito, atque ex

*) Censeo esse modum congruentiorem in definienda infallibilitate Romani Pontificis, eam ex sua origine declarare, et cum comparatione ad ceteros Episcopos, ut eius Principatus elucescat sicut sol inter stellas.

perpetua et universali fide, quam semper et ubique terrarum, Ecclesia firmissime retinuit. *Non omnibus tamen Apostolis, eorumque Successoribus Episcopis gratia et dos Magisterii infallibilis divinae Iurisdictionis ad docendum et declarandum, et definiendum verbum Dei data fuit ex aequo:* sed cum ordinatissimo discrimine *ad divisiones ministrationum* atque *operationum* dantur a Spiritu Sancto *divisiones* gratiarum, singulis ad utilitatem totius corporis Ecclesiae, in qua sunt multa membra, *unum* tamen *corpus*, sicut et *unus* Christus, et *unus* atque idem Spiritus dividens singulis prout vult, secundum statum a Deo Patre in Regno Filii eius Iesu Christi, permanentem Hierarchiae ordinem et potestatem. (S. Cor. 2, 4, SS). *Triplex* enim *discerni et credi debet in Hierarchia gratia et dos Magisterii ac Apostolatus infallibilis. Prima est, quae ex aequo, a Christo Domino data fuit solis Apostolis, testibus praeordinatis a Deo,* nobis, ut inquit B. Petrus, „qui manducavimus et bibimus cum illo post resurrectionem a mortuis, et praecepit nobis praedicare populo, et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo Iudex vivorum et mortuorum „(Act. 10, 41. 42). Hac divina dote Apostolorum propria *Infallibilitatis* statutum et definitum fuit in Ecclesia verbum aeterni Foederis, cui nihil addi, nihil subtrahi potest, et fideles omnes „Cives Sanctorum et Domestici Dei; superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum Sanctum in Domino." (Ephe. 2, 20. 21). *Altera dos et praerogativa Apostolatus et Magisterii Infallibilis Verbi Dei donata fuit a Deo uni soli B. Petro, ut super eum tamquam Vicarium Christi, et visibilem in aeternum Petram divinam Fidei verae indeficientis, incorruptibilis atque infallibilis aedificaretur Ecclesia Christi, atque super Eam omnis aedificatio constructa numquam, et nuspiam dilaberetur et corrueret, sed firma et solida cresceret in templum sanctum in Domino;* adeoque „portae inferi non praevalebunt adversus eam" (Math. 16, 18). Voluit namque Deus, ut *uni* ac *soli* B. Petri *Cathedrae, uni* ac *soli* B. Petro, eiusque successori in B. Petri Cathedra, uni ac soli Episcopo Romano ea communicaretur a Spiritu Sancto

plena et integra dos divina et praerogativa *Infallibilitatis in docendo,* et *declarando, et definiendo* Verbo Fidei, ut Gentes universae in decursu saeculorum convertendae *ad ovile Unum et verum Pastoris unius ac veri,* per os eius acciperent Verbum Evangelii et crederent (Act. 15. 7). Et quoniam praescivit Christus Deus plures, ipso permittente, futuras in saeculorum nostrae peregrinationis delapsu procellosas tempestates, et fallacissimorum Sapientium huius saeculi nequam et superbi inventiones errorum ad aedificium Fidei divinae funditus evertendum; ideo, Ipse eas praedixit, et Patrem rogavit pro apostolis et eorum Successoribus, „quibus Ipse dedit sermonem Patris praedicandum populo et Gentibus, ut sanctificaret eos in veritate," nec solum pro eis rogavit, sed etiam pro „eis qui crediturі essent per verbum eorum in *Ipsum.*" (Ioann. 17, 14—20.) speciali tamen oratione, ad omnes Apostolos in *unum* secum uniendos, rogavit pro Apostolo, quem delegerat firmam Petram totius aedificii Regni sui in terris, ut Magisterium fidei in ore eius numquam posset corrumpi aut mutari ex carne et sanguine, sed maneret iugiter amodo et in sempiternum sanctificatum in veritate ex revelatione Dei Patris et praesentia perenni Spiritus Sancti. „Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas, expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos" (Luc. 22, 31—32.) Unde constat duas esse proprietates divinae huius uni B. Petro donatae a Deo in aeternum praerogativae et dotis *Infallibilitatis* in Verbo fidei; alteram quidem, quae servet *ipsum* semper *integrum, incorruptibile, indeficiens,* atque *immutabile,* id est, ut B. Petrus fallatur numquam; alteram vero, ut idem Fidei Verbum *edoceat Fratres,* quin eos umquam fallat. Ea est enim vis vocis illius; „et tu conversus confirma"; ut gravissimum ostendat et officium, et praeceptum impositum B. Petro, quo is tenetur ostendere maiorem prae ceteris Apostolis dilectionem in Christum. Quemadmodum enim Iesus, Bonus Pastor, illum singulari praerogativa donatum voluit, qua fides ei commissa indeficiens atque incorruptibilis et firma perseveraret contra omnes et quascumque Satanae callidissimi versutias; ita *vicissim* teneretur ipse *Petrus confirmare* in eiusdem verae

Fidei soliditate omnes Fratres suos. Non enim illustre ac praeclarum donum Infallibilitatis ei dabatur, ut cum sola persona sua occultum et latens maneret, aut cum persona sua deficeret, sed ut manifestaretur et communicaretur iugiter fratribus; *et tu conversus,* et tu vicissim *confirma fratres tuos.* A quo divino Iurisdictionis Primatus divini officio, numquam per decem et novem saecula aberrarunt Romani Episcopi, B. Petri Successores. *Tertia denique gratia et dos Magisterii Infallibilis in declarando et definiendo verbo Fidei communis est omnibus Episcopis ratione supremi Gradus Hierarchiae in Ecclesia a Deo institutae. Attamen, ex divina ordinatione duae requiruntur conditiones ad huiusmodi praerogativam fundamentalem Iurisdictionis Episcopalis vere habendam. Prima conditio est, ut a Romano Episcopo detur eis legitima missio et Cathedra, in qua sedeant Magistri et Iudices portionis Gregis* ab illis pascendae vero verbo Fidei divinae. *Altera conditio est, ut Episcopi numquam aures suas avertant ab ore et magisterio B. Petri, cuius officium est confirmare Fratres suos.* Nam, si hanc negligant, superbi conditione, Satanas decipiet eos verbo malitiae et astutiae erroris. Quam ob rem S. Dionysius Episcopus et Patriarcha Alexandrinus, grassante per Orientem nequam doctrina Sabellii, conversus ad Sixtum Episcopum Romanum exposcebat humiliter, ut vellet eum Apostolico ore confirmare in fide vera et catholica. „Nam profecto opus habeo, Frater, Consilio tuo et sententiam tuam expecto, ne forte halluciner, tali ad me negotio delato.“ (Ep. apud Euseb. H. E. Lib. VII. a. 9.) Eamdem rem edocuit semper divina et Apostolica traditio. Hoc autem divini iuris expleto, Episcopi potentes efficiuntur Spiritu Domini ad docendum, ad arguendum, cum omni Imperio. Et sicut repugnat, ex divina gratia et dote analogae huius *Infallibilitatis*, ut omnes Episcopi separent se ab ore et Fide Cathedrae Apostolicae Romanae; ita quoque repugnat, ut Episcopi adunati legitime in Concilio Oecumenico possint errare in declarando et definiendo verbo Dei: sunt enim divino iure veri Magistri et Iudices Evangelii Christi Domini Nostri; cui laus et imperium in aeternum. *Canones* I. Si quis ergo dixerit, *Episcopalem Cathedram Romanae Ecclesiae non esse ipsam*

veram et realem cathedram infallibilem B. Petri, sive ipsam divinitus a Deo electam totius Christianae Ecclesiae Petram solidissimam, indefectibilem, et incorruptibilem; anathema sit. II. Si quis dixerit, *existere in terris distinctam, et separatam a Cathedra B. Petri, aliam Cathedram infallibilem veritatis evangelii Christi Domini*: anathema sit. III. Si quis negaverit, *divinum magisterium Cathedrae B. Petri esse omnibus hominibus, sive infidelibus, sive fidelibus, sive laicis, sive Episcopis ad veram viam salutis aeternae necessarium*: anathema sit. IV. Si quis dixerit, *singulos Pontifices Romanos, legitime electos, non esse iure divino successores B. Petri in dono etiam infallibilis magisterii; negaveritque cuilibet eorum praerogativam infallibilitatis ad docendam Ecclesiam purum ab omni corruptione ac errore verbum fidei*: anathema sit. V. Si quis dixerit, *concilia oecumenica esse in Ecclesia a Deo positam potestatem pascendi divinum gregem in verbo Fidei, superiorem Romano Pontifice, aut illi aequalem, aut necessariam ex divina institutione, ut Magisterium Episcopi Romani evadat infallibile:* anathema sit.

---

104. **Quinque Rmi Patres** *censent non satis in decreto de infallibilitate doctrinam verbo Dei scripto, ac tradito confirmari. Insuper non bene comparari infallibilitatem Pontificis Romani cum infallibilitate Ecclesiae, ac si altera, idest Caput a Corpore separetur. Hinc novum schema huius capitis subiiciunt:* De Romani Pontificis in rebus fidei definiendis infallibilitate. *Cum non honoris tantum, sed et iurisdictionis in universam Ecclesiam primatum habeat Romanus Pontifex; hunc etiam, pro huius iurisdictionis plenitudine, supremam habere in causis fidei definiendis auctoritatem, fides Ecclesiae est.* Petrus enim a Christo Domino Ecclesiae suae fundamentum, quod nulla unquam vi labefactari poterit, his verbis constitutus est: *Tu es Petrus*, etc.. Unde sic S. Ambrosius: „Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Sed et simili quoque Salvator noster appellatione pri-

mum suum discipulum honestandum duxit, nominans *Fidei Petram.* Per Petrum ergo, verum ac fidelem Doctorem effectum, ecclesiarum stabilis inflexaque firmitas consistit.“ *Neque etiam negari potest, esse iudicia Petri irreformabilia,* quae in caelo, ex his Christi verbis confirmantur: „*Quodcumque ligaveris super terram* etc..“; nec potest unquam fides Petri deficere, postquam sic rogavit Christus, ut non deficeret; „*Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*“ Denique, cum Petro mandavit Christus ut universum suum pasceret gregem, dicens: „*Pasces agnos meos, pasces oves meas*“; totius Ecclesiae illum instituit supremum Pastorem et Doctorem, ut eam pasceret verbo veritatis. At vero *omnes Petri praerogativae ad successores eius, Romanos scilicet Pontifices, transierunt. Semper in ipsis vivit Petrus et Petri vices gerunt; sunt, sicut Petrus, Ecclesiae fundamentum; illorum, sicut Petri, iudicia irreformabilia, nec magis potest eorum, quam Petri fides deficere; imo illi, sicut Petrus, confirmare debent fratres suos.* Huic doctrinae omnino consentanea est constans ac unanimis Ecclesiae traditio et praxis; huic consentiunt sententiae Patrum, et Conciliorum sive particularium sive etiam generalium inprimis Lugdunensis II et Florentini definitiones. Definivit enim Concilium Lugdunense Romanam Ecclesiam, sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, ita et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debere iudicio definiri. Et factis quidem confirmatur ius: hac enim potestate definiendi quae ad fidem vel ad morum regulam pertinent, Summi Pontifices semper usi sunt, semperque illorum definitiones ab Ecclesia cum summa obedientia ac reverentia receptae sunt, vel etiam instanter expostulatae; nec unquam de illis disceptatum aut conquestum est, nisi inter novatores; denique ut verbis utamur B. Papae Hormisdae Concilii generalis VIII suffragio comprobatis: „Quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus* etc.. Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio, et sancta celebrata doctrina.“ Quapropter, Sacro approbante Concilio, docemus et tanquam fidei dogma definimus: Romanum Pontificem, cum supremi Ecclesiae Doctoris munere fungens,

pro auctoritate sua, definit, quod in rebus fidei et morum ab Ecclesia tenendum sit, per divinam assistentiam errare non posse; atque hanc Romani Pontificis infallibilitatis praerogativam ad ea omnia se extendere, ad quae Conciliorum generalium infallibilitas extenditur. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat!) praesumpserit, sciat se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse. Vel, ne forte inferioris momenti, quam aliae, haec definitio videatur, post Canonem XVII, poneretur sequens: Si quis dixerit, Romanum Pontificem, quando ut supremus Ecclesiae Doctor definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare posse; aut definitiones eius dogmaticas non obligare conscientiam, nisi expresso vel saltem tacito Episcoporum consensu acceptatae fuerint; anathema sit. Quod si peculiaris Canon de infallibilitate Pontificia non conficitur, addendum aliquid Canoni XIV, quo Petri ideoque Summi Pontificis, supremi regiminis et infallibilis Magisterii principatus rite exprimeretur, v. g: Si quis dixerit, beatum Petrum Apostolum a Christo Domino non esse Apostolorum omnium principem constitutum et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eum tantum honoris, non autem verae propriaeque iurisdictionis, hoc est, supremi regiminis et infallibilis magisterii primatum accepisse; anathema sit.

---

105. **Alius Rmus Pater** *censet definitionem infallibilitatis nedum esse opportunam verum esse omnino necessariam ad fulciendam reverentiam, ac obedientiam erga legitimam auctoritatem, et ad pacem publicam restaurandam ex systematica rebellione fere ubique perturbatam.* Vellet etiam, ut Decreto sequens Canon adiiceretur: „Si quis dixerit Romanum Pontificem non esse infallibilem, dum loquitur ex cathedra, seu dum definit in rebus fidei et morum, et in rebus cum fide connexis; aut etiam iudicium eius non esse irreformabile, antequam accedat consensus Ecclesiae; anathema sit.“

---

106. **Alii Rmo Patri** *non arridet caput de infallibilitate personali Summi Pontificis*, quia non videtur haec praerogativa his fulciri testimoniis certis, et indubiis verbi Dei scripti et traditi, quae illam demonstrat. *Nihilominus si auctoritas Concilii Oecumenici illam definiat, rem definitam* (ait) *acclamabo:* Duo tamen ipse desiderat in hoc casu: 1. *ut definitio fiat per decretum sine anathemate:* 2. *ut clare statuantur conditiones, sub quibus Summus Pontifex Constitutiones proponens censendus est personaliter infallibilis.*

---

107. **Alius Rmus Pater** *censet capiti huic praefigendum esse titulum, qui perspicue omne significet, quod ipso decreto definiendum est:* scilicet „Romanum Pontificem in rebus fidei et morum ex cathedra definiendis errare non posse, et obiectum magisterii infallibilis, idem esse Romani Pontificis, atque Ecclesiae.“ Decreti prooemio *definitionem Synodi Florentinae* addi expedit. quia hac ipsa definitione vix non absoluta haec de Romani Pontificis infallibilitate controversia videri potest; imo *gravissimi, ac doctissimi viri asserere non dubitant, Pontificis Romani praerogativam inerrantiae a Synodo Florentina iam definitam esse.* Si autem placuerit hanc definitionem decreto de Infallibilitate Pontificis Romani praemitti, mutanda erit ea pars decreti de primatu eiusdem (pag. 20—21) quae ex ipsis definitionis Florentinae verbis exaratur. *Addendam etiam puto partem epistolae cleri gallicani ad Innoc. X. anno 1652 scriptae;* scilicet verba sequentia: „Ideo maiores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiae mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro iure suo postulet.“

---

108. Postulat **alius Rmus Pater,** *ut nonnisi expresso tanquam necessario assensu corporis Episcoporum, definiatur infallibilitas Pontificia;* aiendo v. g. „cum Doctoris munere fungens *ordine divinitus instituto,* pro auctoritate definit etc.“ Ad id movetur eo, quod munus docendi usque ad finem saeculorum cum adsistentia indeficiente ipsius filii Dei com-

missum fuerit Episcopis in persona Apostolorum, ut constat ex pluribus scripturae locis Matth. XXVIII. 19. 20, et IV. 19. — I. ad Timoth. VI. 20, II. ad Timoth. I. 13. 14. — Porro *privilegium collegio universo prius concessum, uni Apostolo deinceps indefinite et independenter a collegio tradi non potuit.* — Praeterea animadvertit propositionem „quae ad veritatem fidei sublevanda est, tali debere inniti certitudini, ut similis certitudini metaphysicae videatur et sit.“ Iam vero eiusmodi characterem in infallibilitate personali Pontificis non reperit, quod quidem ostendit expendendo et ad crisim revocando varios textus Scripturae, qui in gratiam privilegii Pontificii allegantur, simulque demonstrando sensum eorum planum et obvium esse, si de infallibilitate, in cuius partem veniant Episcopi, dubium autem et incertum, si de infallibilitate personali, separata et ab Episcopis independente intelligantur.

---

109. Censet **alius** *definitionem infallibilitatis Pontificiae* 1. *minime componi posse cum doctrina capitis IX, in quo infallibilitas Ecclesiae inesse tanquam subiecto definitur magisterio perpetuo Apostolorum, id est, Episcoporum;* 2. *non esse necessariam, imo superfluam,* quia neque ad id convocatum est Concilium Vaticanum, neque desunt media Romano Pontifici, quibus sine ea de custodiendo Fidei deposito provideat; nempe, vel renovando definitiones Conciliorum anteriorum, ut factum est contra Iansenistas, vel consulendo Episcopos, ut factum est quoad dogma Immaculatae Virginis Conceptionis; — 3. *esse inopportunam propter deplorandas divisiones, quibus eius occasione separantur Catholici, et ipsimet Concilii Patres;* 4. *nocivam, propterea quod eruditorum theologorum Catholicorum praesertim in Germania, Austria et Hungaria defectionem et apostasiam a fide forte provocabit; Haereticorum et Schismaticorum animos a nobis avertet; ansam praebebit guberniis liberalibus vexandi Ecclesiam et Episcopos, exigendique quoad omnia Sedis Apostolicae decreta placetum regium;* 5. *a Sanct. Sua Pio IX. maxime omittendam esse, quia contra illam, quam sibi apud omnes comparavit, venerationem, ac filialem devotio-*

nem, magnum praeiudicium crearet, seipsum proclamando absolutum doctrinae catholicae interpretem et arbitrum. Si tamen, his non obstantibus, discutiatur decretum, commendat ut id fiat exactissime, et regulam observando Conciliorum Generalium, nominatim Tridentini, iuxta quam, in definitionibus dogmaticis praeparandis plures menses impenduntur. — Praeterea, *si nequeat obtineri consensus unanimis, saltem moralis, quaestio in medio relinquenda erit, et debebit indecisa manere.*

---

110. **Alius Rmus Pater** *summopere desiderat ut infallibilitas Romani Pontificis definiatur clare et explicite cum adiecto canone et anathemate contra negantes.* Verum omnino necesse est, ut nullus tergiversandi locus relinquatur inimicis Ecclesiae, qui hanc definitionem reformidant, quia sciunt ex ea innumeros errores conterendos esse. Caput igitur addendum sic mutari posse videtur: „Quum his nostris temporibus non sine fidelis populi scandalo, et ecclesiasticae unitatis praeiudicio, multa perverse scripta et dicta fuerint contra Sedem Apostolicam, seu Romanum Pontificem; *Nos prae oculis habentes sacra eloquia:* Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam . . . Quodcumque ligaveris . . . Ego rogavi pro te . . . confirma fratres tuos . . . . Pasce agnos meos, pasce oves meas . . . . *considerantes quia in sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio, et sancta celebrata doctrina* (ex formula Hormisdae); *et quod sicut Summus Pontifex prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri; inhaerentes sententiis Patrum et Conciliorum definitionibus*, Sacro approbante Concilio, docemus et tanquam fidei dogma definimus per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, Beati Petri successor etc. . . . . ."

---

111. Optat **alius Pater** *ut huius capitis discussio et decisio, posthabitis etiam caeterorum Schematum discussio-*

nibus, quamprimum habeatur. Postrema verba (scilicet ab illis: „Si quis autem etc.“ ad finem) omittantur, et sub forma canonis post canonem XVI inserantur.

---

112. **Alius** *proponit, ne duae videantur esse in Ecclesia infallibilitates,* (cum duo tantum modi sint, quibus una et eadem infallibilitas exercetur) *ut invertatur ordo capitum,* hoc modo: Cap. IX. de Ecclesiae potestate; Cap. X. de Romani Pontificis primatu; Cap. XI. de Ecclesiae infallibilitate; et vel in hoc ultimo capite, vel in XII. immediate sequenti, agatur de infallibilitate S. Pontificis. Si in hoc ultimo, addi posset in fine: „Porro *tantum infallibilitatis privilegium Ecclesiae concessum duplici modo exercetur, scilicet: in Concilio Oecumenico rite convocato et celebrato, ac tandem a S. Pontifice approbato; vel extra Concilium, cum ipsemet Pontifex, supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens, pro auctoritate sibi soli propria, definit,* quid in rebus fidei et morum tenendum sit, ita ut omnes Christifideles assensu interno credere debeant, et Pontificis iudicium sit irreformabile priusquam ecclesiae consensus accesserit. Haec docemus et definimus, tanquam de fide catholica. Si quis autem huic nostrae definitioni circa infallibilitatem Ecclesiae vel S. Pontificis contradicere etc.“ Si e contra peculiari capite res tractanda videatur, haec addantur formulae propositae; „cum Supremi Christianorum Doctoris munere fungens, pro auctoritate *sibi soli propria* definit, *sive in Concilio, sive extra Concilium et antequam Episcoporum consensus accesserit,* quid in rebus fidei etc.“ Caeterum ad leniendos quorumdam animos expungi possent haec verba: „tanquam fidei dogma“ quae necessaria non sunt: aut dici tantum: „docemus et definimus de fide esse, per divinam assistentiam etc. . . .“

---

113. **Alius Pater** *libenter adhaeret sententiae Ill. Fenelonii Arch. Cameracensis, at non credit eam ita esse certam, ut possit definiri tanquam dogma fidei.* Ratio est 1. quia plerique textus, quibus eam comprobant, etiam melioris

notae Theologi, quos ultramontanos vocant, mutilati sunt, falsificati, interpolati, circumtruncati, spurii, in sensum alienum detorti, ut ipse se comperisse testatur apud Bellarminum, Ballerini, Muzzarelli, Orsi, D. Gueranger, ac praesertim apud P. Weninger, cuius opus, inquit, scatet falsificationibus vel alterationibus textuum. — 2. quia ab iisdem Theologis suppressa fuere contraria et opposita asserta praestantissimorum fidei testium, Augustini, Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Athanasii, Gregorii M., Ferrandi diaconi etc. — 3. quia evidentissima praxis Conc. Oecumenicorum, decem primis Ecclesiae saeculis, haec fuit, ut si quando in iis antecedentium Conciliorum definitiones recitarentur, statim confirmarentur sine ullo examine; si autem proferrentur Epistolae SS. Pontificum, nunquam admitterentur *simpliciter et sine inquisitione*, sed tunc solummodo cum *rectae fidei Sanctorum Patrum consonare DEMONSTRATAE FUERANT.* Haec, inquit, sunt ipsissima verba Conc. II. Constantinopolitani, ut videre est apud Labbe t. 5. „p. 541. E. 563. A. B. C. — 567. B. C. — censet autem haec omnia dubia ante omnem definitionem discutienda esse. Praeterea animadvertit verba professionis Graecorum in Schemate citata, lecta quidem fuisse in Concilio Lugdunensi II. non autem ab eo approbata, nec proinde Conciliare esse decretum. Alterius vero professionis fidei (scil. Hormisdae), quae subscripta est in Conc. Gen. VIII, textus Graecus substantialiter differt a textu Latino. Vellet igitur, *ut haec quaestio in Concilio penitus omitteretur:* si tamen aliquid decernendum videatur, duo optat: 1. *ut nihil statuatur tanquam dogma fidei;* 2. *ut ex sequentibus* Bellarmini et S. Antonini *verbis proponendum conficiatur decretum:* — Bellarm. „Definitiones de fide praecipue pendent ex traditione Apostolica, et consensu ecclesiarum. (De Rom. Pont. l. IV. c. VII) — S. Anton. „Dicendum, quod, licet ut persona singularis ex motu proprio agens Papa errare possit in fide, tamen utens consilio, et requirens adiutorium Ecclesiae universalis, Deo ordinante, non potest errare; nec potest esse, quod universalis Ecclesia accipiat aliquid tanquam Catholicum, quod est haereticum.“ (Summa 3. p. tit. 23. c. 3. n. 4.) Sic caput non separatur a corpore, et non statuitur infallibilitas illa

Pontificia ab Ecclesia separata, quam plurimi Concilii Patres nullatenus intelligunt, contrariamque credunt traditioni primitivae Ecclesiae, et actis Conciliorum generalium.

---

114. *Argumenta in Schemate proposita, nec sat perspicua, nec sat firma* **alteri Patri** *videntur ad stabiliendam dogmaticam definitionem infallibilitatis Pontificiae.* Etenim: Primum argumentum desumitur ex professione fidei edita a Graecis in Concilio Lugd. II. Atqui. 1. haec professio lecta est, non autem approbata in Concilio, adeoque non est Conciliare decretum; 2. dicitur in eadem professione, Pontificis esse, ut „prae caeteris", non autem ut *solus*, aut *unico suo iudicio*, aut *perfecte et ultimo definiat* dogmata fidei; 3. asseritur, eum „*sicut* prae caeteris tenetur veritatem fidei defendere: *sic* . . . eam debere suo iudicio definire": Sed non solus et sine aliis potest aut debet fidem defendere, ergo neque solus et sine episcopis eam definire. Secundum argumentum desumitur ex formula Hormisdae. Iamvero 1. dicitur in formula: Patrum fidem semper fuisse in Sede Apostolica servatam non autem a Sede Apostolica *sola* ortum habere, aut ab ea *sola* fuisse custoditam; 2. quid nomine Sedis Apostolicae intelligendum sit, disputant viri docti; 3. temporibus, quibus in usu fuit haec formula, de ipsis Rom. Pontificum iudiciis quaesitum aut etiam iudicatum est, ut in causa Honorii, et in quaestione excitata de *Uno Trinitatis crucifixo.* Tertium argumentum desumitur ex verbis Christi: „Ego rogavi pro te . . ." sed illa verba, si in seipsis considerentur, ad personam potius privatam Petri videntur referenda, si explicentur ex traditione Ecclesiae, diversas recipiunt interpretationes, cum unanimem non esse hac de re consensum Patrum facile constet. De formula autem ipsa definitionis simpliciter adnotat: 1. Eam verae fidei definitionis indolem et formam praeseferre; 2. Duplex obiectum habere: aliud minus extensum, nempe quod Rom. Pontifex in rebus fidei et morum errare non possit; alterum, illam praerogativam inerrantiae *ad idem obiectum* porrigi, *ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur:* 3. Aliam proinde subiective esse infallibilitatem Ec-

clesiae, aliam Romani Pontificis infallibilitatem, si verba premamus; 4. Nullas conditiones in hacce formula expressas esse, quibus certo dignoscatur, quandonam „supremi Doctoris munere fungens pro auctoritate definiat. . . .“ Denique ne minima vox profertur super huiusce definitionis necessitate et opportunitate.

---

115. Videtur **pluribus Patribus,** *loco definitionis, potius renovandam esse Florentinam declarationem, praetermisso anathemate,* quo propositum Schema concluditur. — Ipsum antem Schema eis non placet, propter rationes easdem, quas exposuit praecedens Rmus Pater.

---

116. **Alius,** ubi legitur: „hinc sacro approbante Concilio“ potius diceret: *hinc huius Sacrosancti Vaticani Concilii Patribus liberrime iudicantibus, ac nobiscum sedentibus, docemus et uti fidei dogma definimus . . . . ; quia cum agatur de maxima Rom. Pontificis praerogativa, a diabolo totis viribus hodie impetita, valde opportunum est, ut ostendatur, Episcopos praecipuam habuisse partem in hac definitione promovenda.*

---

117. Proponit **alius Rmus Pater,** ut post haec verba: „Cum supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens“ addatur: „et Ecclesiam universalem solemniter docens ex cathedra, pro auctoritate definit. . . .“ Vox enim *ex cathedra* longo usu scholarum consecrata, sensum habet fixum et determinatum, quem probatissimi auctores (Bellarminus, S. Alphonsus Lig. Gregorius XVI. etc.) explicant. Neque dicatur diversas esse eorum sententias, nam in substantia summe inter se conveniunt; et de caetero, cum definitionis formula, quaecumque demum illa sit, aliquando debeat a Theologis discuti et omni ex parte agitari, melius est, ut illam adhibeamus, de qua iam disceptatum est, et disceptationes prae manibus habemus, quam si novam introducamus nondum satis scholari

disputatione exploratam. Tria inde commoda reportabimus: 1. ut quantum fieri potest, a definitione nostra omnis ambiguitas, adeoque omnis obscuritas removeatur, et novarum saltem quaestionum movendarum circa eius significationem praecidatur occasio; 2. ut qui inter catholicos angustiis premuntur, quasi inauditum quid ac portentosum hacce definitione proponatur, facilius quietentur, videndo eam fieri secundum formam iampridem usitatam atque in libris theologicis explicatam; 3. ut ii, quibus in Ecclesia munus committitur docendi, in promptu habeant unde et novum dogma securius explicent, et eius adversarios, haereticos aut schismaticos, fortius redarguant. Praeterea *ne maneat incerta quaestio de hac praerogativa infallibilitatis toti Ecclesiae inhaerente atque de eius exercitio, Sancta Sede vacante, vel pluribus Sanctam Sedem sibi vindicantibus,* proponit, ut post verba ista: „ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur" haec aut alia eiusmodi adiungantur: „*Sede autem Apostolica vacante, infallibilitas Ecclesiae minime cessat*, dicente Domino: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; *sed manet in universali Episcoporum collegio Ecclesiae Romanae coniuncto.*

---

118. Ab **alio** dicitur: *Haec Ecclesiae infallibilitas..... Magisterio inest, quod Christus in Ecclesia sua perpetuum instituit etc.* — Quomodo iam posset asseri: *Caput Ecclesiae . . . . esse infallibile*, ita tamen, ut et Ecclesia sine illo perinde maneat infallibilis? An non tali ratione (a) Ecclesia separatur aut saltem separata cogitatur a suo Capite? (b) quomodo Ecclesia absque capite possit dici infallibilis? — Itaque hoc novum additamentum, si pro salute Ecclesiae necessarium esse iudicatur, aut aliter conscribatur, ex. gr. *Ecclesiae* voci haec addendo: *suo capiti unitae aut coniunctae*; aut vero assertum Capitis IX. contra clarissima Christi Domini verba supprimatur.

---

119. Ita censet **alius**: *Schema de Infallibilitate Romani Pontificis, aetate nostra tam necessarium, placet valde, et procul dubio universali plausu excipietur. Nihilominus velim, etiam canon de re hac habeatur.* Fortasse sic conscribendus „Can. XVII. Si quis dixerit, decreta dogmatica a Romanis Pontificibus edita vel edenda non adstringere in conscientia Christifideles, nisi vel in Concilio generali fuerint exarata, vel antequam accesserit Ecclesiae consensus; aut etiam Romanum Pont. cum magister totam Ecclesiam docet in his quae ad fidem et mores pertinent, errare posse: anathema sit."

---

120. **Alius** ait: *ne in cassum unquam recidat tam necessaria definitio, et ut omnes praecludantur aditus miserrimis tricis* (spectatur praesertim distinctio a Bossuet invecta inter Romanum Pontificem et Sanctam Sedem; nec non quod Gallicani contendunt, Papam infallibilem esse, dummodo saltem adsit consensus Ecclesiae subsequens) *supplex oro, ut sequentes fiant additiones.* Post verba, *ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur*, „Et esse propriam non tantum Sedis Apostololicae Romanae, sed et cuiuslibet Romani Pontificis, etiam extra quodcunque Concilium vel Synodum docentis, quin nullimode necesse sit ad eius definitionem amplectendam, ut adsit tanquam conditio praevius vel subsequens consensus Ecclesiae: quae potius immediate amplecti debet ac profiteri tenetur et ore et corde, quidquid Romanus Pont. auctoritate sua definivit."

---

121. **Alius** dicit: I. Integre afferatur textus celeberrimus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* II. Non sufficienter exprimitur, praerogativam infallibilitatis ita esse Petri Successori propriam, ut non dependeat a consensu reliquorum pastorum. Opportune verbo *pro auctoritate* adderetur: *sibi propria.* III. Dicitur infallibilitatis praerogativam *ad idem obiectum porrigi* etc. Displicet iste dicendi modus, eo quod duplex subiectum infallibilis magisterii fere constituatur. Op-

portunior videtur sequens, aut alia eiusmodi formula: „Definimus Romanum Pontificem, cui in persona B. Petri dictum est a D. N. I. C. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* accepisse supremum magisterium in Ecclesia, una cum divina promissione assistentiae qua in eiusdem exercitio magisterii, immunis ab errore servatur. Quotiescumque igitur Summi Christianorum Doctoris munere fungens pro auctoritate sibi propria, definit, quid in rebus fidei et morum, ab omni Ecclesia sit tenendum, vel supremo suo et irreformabili iudicio errores veritati catholicae adversantes damnat, pro infallibili ab omnibus habendus est, et eius sententiae plena et interna obedientia omnes statim acquiescere tenentur, quin aliorum Pastorum assensum expectare debeant. Si quis autem etc.“

---

122. **Alius** 1. Adiiciendum censet: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* 2. Subiiciendum dicit secundum articulum his vel similibus verbis: „Quemadmodum autem una eademque est Ecclesiae infallibilitas, sive in eius capite, quod ne cogitatione quidem ab illa separare licet, sive in universo magisterio spectetur; ita suprema eiusmodi Romani Pontificis de rebus fidei et morum decreta seu iudicia, ab omnibus Christifidelibus, cumprimum eis certo innotuerint, interno mentis assensu plenoque fidei obsequio suscipi et teneri docemus.“ Ratio: *Prima huius art. parte praeposteros de Romani Pontificis infallibilitate conceptus corrigi, altera vero Iansenistarum atque Gallicanorum subterfugia apertius excludi putarim.*

---

123. **Alius** vult: *ut, quoad eius fieri possit, infallibilitatem ex Primatu manare pateat.* 2. *Ut nonnisi necessitate Concilium ad eam definiendam devenisse appareat.* 3. *Ut generatim recenseantur rationes, quibus definitio fulcitur, et novi nihil definiri monstretur:* 4. *ne ultra, quam necessitas postularit, factum esse patescat.* Eapropter schema reformatum, perpendendum exhibet. „Romanum Pontificem Beati

Petri successorem esse, et verum iurisdictionis primatum in universam Ecclesiam obtinere dogma fidei est, pluries ab Ecclesia ipsa in oecumenicis Conciliis definitum, a quo absque propriae salutis aeternae piaculo nemo recedere potest. Verum nonnulli homines perversi exstiterunt, qui has Ecclesiae definitiones despicientes, sacras Scripturas perperam intelligentes, et veterum Sanctorum Patrum vestigia deserentes, ipsum Primatum in discrimen adducere, vel ita attenuare conati sunt, ut vix consistere possit. Quare ut veritas catholica contra illorum insanas doctrinas omnibus pateat et intemerata semper servetur; iterum docemus Christum Dominum, ad Fidei catholicae et communionis unitatem, quam pluries in sanctis Evangeliis nobis commendavit, in Ecclesia sua iugiter conservandam, in beato Petro Apostolo instituisse perpetuum utriusque unitatis principium et visibile fundamentum, cum ipsi beato Petro prae omnibus aliis Apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul verum et proprium iurisdictionis primatum in universam Ecclesiam suam immediate ac directe promisit et contulit, minime vero Ecclesiae, a qua illi, uti suo ministro, delatus sit. Ad unum namque Petrum idem Christus Filius Dei vivi dixit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis. Eidem quoque uni Simoni Petro Iesus post resurrectionem suam in totum suum ovile summi pastoris et rectoris iurisdictionem contulit, dicens: Pasce agnos meos, pasce oves meas. Atque hanc esse veram praedictorum Sacrae Scripturae locorum intelligentiam, quam semper Ecclesia tenuit atque tenet, declaramus, reprobantes qui aliter ea intelligere et explicare praesumeret *). Docemus etiam huiusmodi primatum, eo quod in perpetuam salutem ac perenne Ecclesiae bonum institutus est, immo non aliter quam supra petram ipsa fundata usque ad finem saeculorum firmiter stare debet, iugiter in eadem permansurum; ac beatum Petrum, qui suscepta Ecclesiae gubernacula non

*) Expositio, quae sequitur, videtur brevior et clarior.

reliquit, semper in suis Successoribus sanctae Romanae Sedis Episcopis, ab ipso primum fundatae suoque cruore consecratae, vivere et praesidere et iudicium exercere; quare quicumque in hac Cathedra Petro succedit, iuxta ipsius Christi institutionem Petri primatum in universam Ecclesiam obtinere fatendum est. Hinc *) in omnibus sequentes praecedentium Conciliorum generalium definitiones et praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum decreta, iterum declaramus, tanquam fidei caput, hanc sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum Patrem, Doctorem et supremum iudicem existere, et ipsi in beato Petro pascendi regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; hanc vero, quae propria est iurisdictionis potestas, ordinariam esse et immediatam, complectentem **) et iure divino ad parendum obstringentem omnes et singulas Ecclesias, pastores quoque atque fideles tam seorsum singulos, quam simul omnes; quin unquam fas sit a iudiciis Romanorum Pontificum ad futurum generale Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare. Et *quia nonnulli incredibili audacia eorumdem Romanorum Pontificum circa fidem et mores decreta parvi fieri eisque obedientiam denegari iure posse affirmare haud erubescunt, freti praetextu, quod irreformabilia et erroris expertia non sunt, atque ita ad damnatas doctrinas tuendas et vulgandas viam sibi sternunt; ut omne effugium eis in posterum amputetur, sacro approbante Concilio, inhaerentes inprimis Sacris Scripturis, praesertim praecepto, Petro eiusque Successoribus a Salvatore iniuncto, confirmandi in fide omnes et singulos fratres suos et fideles, ac perpetua Ecclesiae catholicae doctrina, atque praeterea perpendentes, ut in*

*) Verbum *innovantes* omittendum videtur, quod enim semel de fide constitutum est, semper et ubique vim obtinet. Prius Conciliorum fidei definitiones quam Romanorum Pontificum decreta recensenda videntur. — **) Haec expositio maiorem sermonis unitatem refert.

sacrorum Conciliorum gestis continetur, quod in hac Apostolica Sede est integra et vera Christianae religionis soliditas, et immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina, quod ab huius ergo fide et doctrina nemo se separare debet, sed in omnibus Sedem Apostolicam sequens et omnia eius constituta observans sperare potest, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereatur, atque ideo semper nonnisi fidei veritatem ab ipsa quaerentibus praestari; declaramus et definimus Romanum Pontificem, cum supremi omnium christianorum Doctoris munere fungens circa fidem et mores aliquid pro auctoritate definit, errare non posse, eiusque iudicia in rebus fidei et morum aliisque quoquo modo huc spectantibus, uti supra, prolata irreformabilia esse et ab errore immunia; ac mandamus ut fideles omnes omni mentis obsequio et cordis affectu illa suscipiant sub poenis in haereticos latis. Et quia demum summae et supremae potestatis exercitium Romano Pontifici vi primatus, uti praemisimus, competentis, quidam irritum reddere tentarunt, effutientes impediri posse eiusdem Romani Pontificis communicationem cum pastoribus et gregibus, vel illius potestatem civili auctoritati esse obnoxiam, adeo ut quae ab Apostolica Sede, vel eius auctoritate, ad Ecclesiae regimen constituuntur, nullam vim habeant, nisi potestatis saecularis placito confirmentur, ideo declaramus etiam ius inesse eidem Romano Pontifici libere communicandi iure divino cum omnibus, qui sunt undique totius Ecclesiae Pastoribus et fidelibus in iis omnibus, quae ad religionem pertinent, atque eodem iure libere et independenter a quavis civili potestate constituendi ubique, quae pro Ecclesiae bono et fidelium expedire ipsi in Domino videbuntur.“ Sequuntur *Canones*. Canon XV. reformandus mihi videtur, et clarius exponendus ac forma minus discrepante ab illis, quae in sacris canonibus usuveniunt, hoc scilicet modo: „Si quis dixerit ex ipsius Christi Domini institutione Beatum Petrum non habere in primatu super universam Ecclesiam perpetuos successores; aut etc.“

124. **Alius** scribit: misso, quod *summe inopportunum iudicamus, de doctrina Infallibilitatis Pontificiae*, hisce praesertim temporibus, *in Concilio pertractari, aperte fatemur hanc esse nostram sententiam, scilicet praedictam doctrinam non posse dogmatice definiri.*

---

125. **Alius** (Eppus Varmiensis **Krementz**) sic loquitur: Verbis Syn. Florentinae, integre tamen laudandis, addatur monitum Clem. XI. (Bulla *Vinea Domini*), idest, non tacendo solum sed et interius vera obedientia obediendum esse iudicio Sum. Pontificis. Unde pro iis quae leguntur pag. 21. lin. 22. seq. . . . . hanc aut similem proponere ausim formulam, „*ut custodiatur cum Roman. Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei unitas.* Huius enim unitatis inconcussa firmitas in illa imprimis stabilitur petra Apostolica, super quam Dominus Ecclesiam suam fundavit, in qua precibus Domini fulcita et roborata nunquam deficit fides, sed immaculata est semper catholica servata religio et sancta celebrata doctrina: hinc, sacro approbante Concilio, *docemus et tanquam certissimam fidelibus agendi normam statuimus, Romano Pontifici, quum supremi omnium Christianorum doctoris munere fungens pro auctoritatate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, veram et sinceram ab omnibus obedientiam exhibendam esse*“ (Matth. 16, 18. et 19.) Item pag. 22. linea 17. addendum censuerim: „Aut denique dicere non erubuerunt, obedientiae, quae Apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso silentio satisfieri, et non opus esse, ut id quod supremus Ecclesiae iudex improbat et damnat, non solum externo habitu vel ore sed etiam mente et corde reiiciatur, et id quod docet et praecipit vera et interna animi subiectione teneatur.“ Rationes vero ob quas eiusmodi addenda putarim sunt: 1. *Definitio illa, quae in schemate continetur, necessaria nullatenus esse videtur;* tantum enim abest, ut Sedis Apostolicae iura a Catholicis hodie in dubium vocentur, ut nesciam an ulla unquam fuerit aetas qua Ecclesiae filii Rom. Pontifici alacrius quam hodie fiat obtemperarint. . . . . 2. *Non desunt viri Ecclesiae Cath. addictissimi, qui defi-*

nitionem eiusmodi ex causis tum dogmaticis tum historicis impossibilem esse putant. Revera graves etiam hodie supersunt difficultates. Quis enim nescit, ut trita solummodo tangamus, litem de causa *Honorii* minime hac aetate ita se habere, ut doctrinam praedictam tamquam a Deo revelatam proponendam patiatur? Neque patet, quomodo infallibilitate soli Summo Pontifici attributa, Synodorum Oecumenicarum et Episcoporum iura inviolata manere possint. Accedit quod de veritate, modo, sensu, ambitu huius definitionis, non solum inter Theologos, sed etiam inter ipsos Concilii Vaticani Patres est controversia; ita ut vix fieri possit, quin pro omnium consensu (qui ad res fidei definiendas, ex maiorum traditione et Conciliorum Oecumenicorum historia, necessarius esse cognoscitur) aut numerico aut saltem morali, magna habeatur votorum dissensio. 3. Adde, *quod Infallibilitatis Pontificiae definitio perniciosa quodammodo appareat.* Etenim: (a) *multorum Praesulum testimonio constat, in variis Germaniae, Galliae, Bohemiae, Hungariae, Transilvaniae, et aliarum regionum Dioecesibus, hanc doctrinam populo catholico ne nomine quidem notam esse.* Neque tacere hic possum, *in Varmiensi Dioecesi, doctrinam de qua agitur, in catechesibus quidem et sermonibus nunquam tradi, ex scholis autem theologicis iamdudum exulasse.* Timendum est, ne in regionibus hisce Catholici ob definitionem praedictam turbentur, ac si nunc demum fundamentum Ecclesiae et verae doctrinae stabiliendum sit. In aliis autem regionibus, quae mihi notae sunt, et ubi catholici cum heterodoxis mixti degunt, multo maiora pericula infirmis imminent: (b) Immemores esse non debemus, Ecclesiae Anatolicae a Petra Romana separatae, traditiones saeculum octavum aerae christianae non excedere; et haereses protestanticas Pontificem Romanum summopere respuere. Unde facile apparet, unionem cum acatholicis tantopere exoptatam, dogmate de infallibilitate Rom. Pontificis declarato, non tam promoveri quam impediri. (c) Infideles qui in religionem a Christo revelatam, tanquam commentum humano generi exitiale, consurgunt, novarum calumniarum materiam, dogmate hoc declarato, quodammodo lucrari in aprico est. (d) Quin imo ii, quibuscum equidem collocutus sum, variarum regionum Episcopi, ad unum fere

omnes mecum in hoc consentientes reperi, hanc definitionem pro eo, qui nunc est, rerum politicarum, in Europa saltem, statu, multis etiam Guberniis causam praebituram, aut ad minimum ansam, iura Ecclesiae magis magisque invadendi.

---

126. **Alii plures Rmi Patres** proponunt *novum schema* pro Infallibilitate S. Pontificis PRACTICE definienda: („In Capite ipso XI. de R. Pontificis Primatu, ad lineam 27. post verba *Summo Pastore*, haec addi possunt; in distincto tamen paragrapho, quae videntur pro hoc argumento sufficere.) „Statuimus igitur et definimus, *Romanum Pontificem*, cui in persona Petri a Christo Domino dictum est: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua etc. Confirma fratres tuos, (Lucas XXII, 32, 5) *ne in deposito fidei sibi specialiter commisso in errorem circa fidem moresve labatur, Ecclesiamque Christi sponsam in errorem pertrahat, specialem habere promissam sibi Spiritus Sancti assistentiam*: ideoque Supremi eiusdem Pontificis Iudiciis, quibus tanquam Doctor Universalis ac veluti Os Ecclesiae cum auctoritate definit, quid in rebus ad fidem moresque spectantibus ab universa Ecclesia sit tenendum vel reiiciendum, ab omnibus et singulis Christifidelibus ubique terrarum degentibus, cumprimum eadem iudicia ipsis innotuerint, non solum externum obsequium, sed internum etiam mentis cordisque assensum, cum plena fidei obedientia, esse praestandum."

---

127. **Alius** *definitionis huiusce nullam videt necessitatem, quia si qua fuisset, decem et octo saecula non essent elapsa, quin in uno vel altero Conciliorum, definitio haec edita esset.* Nec ulla apparet eiusdem utilitas, quia emolumenta omnia, quae talis definitio auctoritati Pontificis addere potest, ea sunt, quibus in praxi iam fruimur. Qui vero Ecclesiam audire nolunt, hi nec Papam audient. Interim charitas et pax inter Pastores et fideles turbantur per lamentabilem hac de re discussionem in ephemeridibus. Cui bono? Nec malo finis per inerrantiae definitionem. Ob discussionem iam sae-

vientem, curiositas maligna, et spiritus inquisitionis, in dies augentur. Multa historiae gesta, quae oblivioni tradi praestitisset, pervulgabuntur. Haec quoad opportunitatem. Sed quid dicendum, si doctrina talis definitionis inveniatur non bene fundata? *Infrascriptus Episcopus* die 6. Ianuarii elapsi iuravit numquam Scripturas sacras *nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipere et interpretari.* Porro cum antehac semper interpretatus esset textum *Ego rogavi pro te* etc. in sensu infallibilitatis Papae, *incoepto propter Concilium examine, invenit, quod ferme omnia excerpta ex Patribus antiquioribus, quae in manualibus Theologiae legerat in favorem infallibilitatis,* (in operibus P. Perrone, S. Alphonsi, et aliorum) *vel minus accurate, vel ex operibus commentitiis* (Isidori Mercatoris etc.) *citabantur.* Omnia ex Patribus antiquioribus excerpta, quousque indagare potuit, probant sane primatum Romani Pont. sed infallibilitatem non probant.

---

128. Quamplurima, ait **alius**, tum e Scripturis tum e Conciliis tum e Patribus deprompta, mihi recogitanti se exhibent, quibus dignitas et potestas Summi Pontificis per saecula effulget. Ast dum quaeritur, utrum propositio per additamentum Schemati Ecclesiae exhibita, sub canonis forma reduci debeat icto anathemate: seriosius pensandum quam prima fronte visum. Nam *definitio Concilii esse debet non praevalenti votorum numero imposita, sed persuasione mentis inducta.* In Concilio Trid. tanta observantia in parvum dissidentium sociorum numerum Patres caeteri usi sunt, ut e. g. in definiendo, an residentia Episcoporum sit de iure divino nec ne, ideo per aliquot annos iudicium distulerint, quod triginta septem ex Patribus in communem caeterorum opinionem concurrere renuebant; et tunc solummodo iterum proposita et resoluta quaestio, quum ex renuentibus caeterorum sententiam viginti septem omnino, novem autem mutationibus nonnullis propositis amplexi sunt; et unus dumtaxat in adversa persistebat sententia. Sciant igitur omnes, *nonnullos ex una et totidem ex altera parte electos Concilii Patres, qui sub omni aspectu, propositum Schema de infallibilitate Summi Pon-*

tificis serio examini subiiciant. Convenientibus fratribus in unum, illico astus omnis, si quis est, auferetur. Tali pacto duo maxima sane sequentur bona. Patres ad plenam argumenti agnitionem vocabuntur; et inde omnimoda exurget animorum consensio.

---

129. **Alius** ita statuit de Cap. 12. „Mutationem propono, et ea forma doctrinam de *inerrantia* asserendam volo, qua magis dissidentibus arrideat, hoc nempe modo: Pastor vere bonus ab Apostolis visibili sua praesentia discessurus, non turbetur, dixit, cor vestrum.... Non relinquam vos orphanos.... Paraclitus Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis. Et pari erga omnes omnium temporum homines amore, ut facilius et fidenter crederent, Apostolis mandans: Euntes docete omnes gentes, declaravit, vel addidit: Ego vobiscum sum omnibus diebus. Quinimo ad promptiorem omnibus veritatis ostensionem et simul ad unitatem Ecclesiae firmandam, et Petro dixit: Rogavi pro *Te*, ut fides Tua non deficiat.... Confirma fratres. Non ergo mirum est, quod Sacrosanctum *Concilium Lugdunense II.* doctrinam SS. Scripturarum, SS. Patrum et totius traditionis Ecclesiasticae, enuntians, de Sede Petri, sc. Sancta Ecclesia Romana iam dixerit: Summum et plenum etc. (detur Decretum)... suo debeat iudicio definiri. Pariterque *Synodus* Sacrosancta *Florentina* testata est: Romanum Pontificem etc. (Romanum Pontificem etc. (inseratur Decretum).... traditam esse. *Quorum Conciliorum Generalium Nos doctrinis fideliter adhaerentes, quorumque verba cum praeclaris S. Scripturae Testimoniis de Unitate perfecta Corporis, Christi, de primatu auctoritatis etc. doctrinae, de „petra“ in fundamentum posita, de fide Petri indefectibili, de continua „omnibus diebus“ praesentia et directione, iterum atque iterum comparantes, necnon et cum tota Ecclesiasticae traditionis serie conferentes, docemus et declaramus: iudicium quo de fide subortae quaestiones debent definiri, irreformabile prorsus habendum esse:* Doctrinamque pariter sive de fide sive de moribus qua totus grex

Domini pascendus est, quamque proinde et divino mandato obsequentes sumere omnes sive oves sive agni tenentur, vi promissionis divinae et virtute adsistentiae Dei, ab omni erroris veneno esse necessario immunem. *Et hanc Rom. Pontificis inerrantiae praerogativam, quando Supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab Universa Ecclesia tenendum sit, ad idem obiectum porrigi, ad quod Infallibilitas Ecclesiae extenditur, declaramus.* Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat) praesumpserit, sciat se a veritate fidei Catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse.“ Haec porro forma decreti his commendatur rationibus. 1. Doctrina decreti adnectitur iam clare *edoctis in Conciliis Generalibus praecedentibus.* 2. Quasi Corollarium deducitur ex iis quae iam a multis saeculis *definita* sunt. 3. Novitatis nota sic refellitur; etenim ut quid evolutum proclamatur, non quid novi edoctum. 4. Necessaria prorsus doctrina exhibetur, nisi quis, post iam decreta ab Ecclesia, admittere velit pro pabulo venenum erroris, et divino quidem mandato, servandum esse. 5. Discussionem non solum admissibilem enuntiat (et sic scandala forsan controversiae iam coram populo habitae sustollit) sed et amplissime factam supponit seu declarat. 6. Agitatis valde mentibus hominum de hac doctrina, boni pastoris est eam sic omnibus patefacere quo modo minus offendat, magis se omnium rationi commendet, iisdem Spiritus S. praesentia et influxu ab omni errore conservanda videatur Sedes Petri, quibus Ecclesia ipsa munita est. Ut consuleretur quodammodo opinioni publicae conciliandae, reieci verbum *Infallibilitas.* Sicut etiam propter difficultates oriundas et controversias iam ortas, de quaestione silendum olim iudicavi. Nec quidem ita menti meae satisfactum est de difficultatibus historicis quod omnino hucusque firma sit de hac re convictio. Hoc, ne fiat illusio, agnoscendum putavi.

---

130. **Alius** sic loquitur: Illud tantum de fide habeatur, *quod semper quod ubique quod ab omnibus est acceptatum.* Porro *praxis Ecclesiae usque ad decimum saeculum contra-*

riam infallibilitati sententiam adumbravit. Vix unus invenitur Patrum textus genuinus, quo doctrina in Schemate proposita dilucide exprimatur. Nonne mirum est, textus Scripturae Sacrae, hodie ad thesim Schematis evincendam citatos, fere nullibi in tali sensu a Patribus explicari? Quid dicam de *Honorio* haereseos nota damnato a Conc. VI? Scio post saec. XII plures theologos partem infallibilitatis amplexos esse; sed adhuc incertum est hanc fuisse tuuc et in saeculis subsequentibus doctrinam communem. Hodie non desunt auctores graves in Germania, in Gallia, in Anglia, et in America, qui non verentur asserere, hanc doctrinam nullimode ad fidem spectare. Hoc declararunt coram Senatu Brittanniae Archiepiscopi et Episcopi Hiberniae. In regionibus nostris Pastores animarum in concionibus, et Scriptores in libris, nunquam de re hac dicere consueverunt nisi fortasse: *Quaestio est inter theologos* etc. *Definitionis necessitatem nullam penitus deprehendo.* Nam vix unquam magis quam hodie splenduit devotio in Sanctam Sedem, nec unus citatur casus, quantum scio, in quo Summi Pontificis auctoritas repudiata sit, si Italos excipias. Insuper multorum animos ad huiusmodi definitionem acceptandam minime paratos esse non dubito. Praeterea: nihil faciendum quo Christifidelium compassio in Summum Pontificem undique hostibus obsitum, et subsidia minuantur. Timeo ne id mali paritura sit definitio, ob dissidia quae ex eadem inter Catholicos ortum iri continget. Tandem *a multis non dabitur Romani Pontificis dictis et scriptis nisi ille assensus qui sub poena aeternae damnationis exigitur. Hodie oracula eius omnia quasi sine distinctione ab omnibus acceptantur.* Tunc omnes actus eius publici et dicta in examen revocabuntur, et omne, quod non certo ex Cathedra erit, reiicietur. Tunc, ut ait Illmus et Rmus Spalding, Arch. Baltimorensis, violentius forsan erumpent huiusmodi quaestiones „(quae spectant sc. personam Pontificis docentis publicam et privatam, veram locutionis ex cathedra significationem)“ et longe maiori animi contentione pertractabuntur; „tunc iuxta eumdem, cavillandi locos adhibebunt theologi etc.“ et quod supra notavi, posterior S. Sedis conditio peior erit priori. Adde sequentia: 1. Scopus Concilii est, *societati infirmae remedia praebere*

efficacia, non de Pontificis infallibilitate tractare; 2. *infallibilitatis quaestione impedimenta quammaxima illis obiicimus, quibus Summus Pontifex, Concilii convocatione, ad regressum in Ecclesiae gremium auxiliari constituit.* 3. A more servato in dogmatibus definiendis recedimus, cum tot Episcopi definitioni obsistant. 4. *Nec cogitare quidem videmur de malis politicis,* quae ex hac definitione forsan sequentur, 5. *Consectaria religiosa pessima* ob hanc definitionem timenda. Cuiusmodi sunt *a)* cum huiusmodi definitione ad fidem nemo trahetur, tum multorum conversio impedietur: *b)* In regionibus, ubi multi sunt haeretici, progressui religionis haec definitio impedimento erit, et forsan calamitatibus aliis causam praebebit: *c)* Timeo, ne definitio infallibilitatis, malum incredulitatis, quod late diffunditur inter iuvenes in locis illis, ubi doctrina Schemate proposita magis ostentatur, etiam in nostras regiones invehat: *d)* satis fuerit incommoda meminisse quae ex *Syllabo* orta sunt: *e)* Scio plures Catholicos vel definitionis expectatione turbari iam atque torqueri. His omnibus motus hortor, ut huiuscemodi rei tractationem penitus dimittamus.

---

131. **Alius** scribit: „*Placent quae in Schemate de Ecclesia Capite XI continentur: placet item, ut Decretum addatur, quo declaretur Rom. Pontificem in rebus fidei et morum definiendis errare non posse:* attamen circa propositum hac de re schema nonnulla animadvertenda censeo. Difficultates occurrunt tum circa primam partem, quae conficitur ex verbis Concilii Lugdunensis et Pontificis Hormisdae, tum circa alteram, quae magis directe definitionem continet. Ad primam quod spectat, licet maximi ponderis sint ea testimonia ac forte allegari possint, tamen generatim animadverto, haud facile ob diversas locutionum formulas antiquiora testimonia ad verbum in novis definitionibus apte adhiberi. 1. Ad Lugdunense comma quod speciatim pertinet, cum Canone 13 Schematis huius, Ecclesia Romana sumatur pro universali: paulo post in hoc capite sumeretur pro particulari, quod non bene congrueret. 2. Nec videtur Ecclesia Romana bene seiungi ab Ecclesia Universali, cum istius illa sit pars, princeps qui-

dem atque eminentior. 3. Licet in frequenti usu sit, auctoritatem de *Sede* vel *Ecclesia* praedicare, attamen cum de definitione agatur, attentis notissimis aequivocationibus, melius est ad Pontifices illam referre, quam ipsi proprie ac directe obtinent utpote B. Petri in Cathedra Romana successores, quemadmodum in integro capite XI. iam praestitum est. 4. Comma illud *cum potestatis plenitudine,* licet facile innotescat qua ratione proferatur, calumniis renovandis occasionem dare posset. 5. Onus item veritatis defendendae ex aliis item aliquo modo pendet: hinc Athanasius veluti praecipuus Catholicae Fidei defensor adversus Arianam haeresim habetur. 6. Illa etiam *suo debent iudicio definiri* videri possent adhibita ad excludendum quod saltem in Oecumenicis Conciliis Episcopi definientes diiudicent. Quod vero ad Hormisdae textum pertinet, animadverto 1. Haud satis patere sensum commatis *non potest praetermitti:* proprie significaret *non potest omitti, est commemorandum:* sed forte ibi indigitat ex mente Hormisdae, *non potest effectu carere. Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus* — forte aliquis argueret haec referri ad ea, quae Hormisdas praemiserat, et quae hic omittuntur, nec posse accommodari ad ea, quae deinde per Concilium Lugdunense erant dicenda, quaeque in schemate proponuntur. Haec vero dicta sint non ad minuendam vim horum documentorum, sed ad evincendum non expedire ut ex his verbis definitio conflетur. Ad secundam schematis partem, qua definitio concluditur, *generatim animadverto schema nimis sapere scholam.* 1. Proinde nec placeret *tamquam fidei dogma* cum praesertim neque in aliis Concilio propositis definitionibus id prolatum fuerit, quae certe vim eamdem essent habiturae. 2. Non placet illud *per Divinam assistentiam fieri* quo videtur definitio referri potius ad modum quam ad rem ipsam. 3. Unice definitio refertur ad illud testimonium *Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua,* licet censeam hoc sensu prolata fuisse verba illa, tamen haud latet varietatem aliquam occurrere in illorum interpretatione: alicui videri posset ex aliis testimoniis si minus verbotenus, fortius tamen re ipsa hanc erui veritatem, et certe ex illorum complexu invictissimum exurgere revelatae huius veritatis documentum: haud putarem rem eo

testimonio coarctandam, sed maxima amplitudine exhibendam, Ecclesiastico item more. 4. Demum scholam etiam sapere videtur illud ad *idem obiectum*, quod etiam clarius esset enunciandum. His attentis, censerem *schema esse reformandum* ut sequitur addendum capiti XI: vel ipsum caput XI. in tres partes dividendum adeo ut caput XI. titulum habeat *De S. Petri Apostolorum Principis Primatu* et complectatur integrum articulum *Pastor aeternus* usque *delatum fuisse.* Caput XII. *De Romani Pontificis in eiusdem Primatum successione:* efformetur vero ex sequenti articulo *Quod autem* usque ad finem. Caput vero XIII. ex his, quae mox exhibentur. Quae a Christo Domino Fidei auctore et consummatore, Apostolorum Principi B. Petro, atque in illo Romanis Pontificibus successoribus promissa ac delegata fuerunt, primo ac potissimum spectant ac diriguntur, ut Fidei unitas ac vera Christi ipsius doctrina, reiectis erroribus in Ecclesia servetur ac iugiter tradatur. Id siquidem apertissime profluit ex nativa vi sententiarum, quae superius laudabantur, quibus accedit solemne illud: Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua; apprime autem consonat traditionis testimonium. Enimvero ipsi Romani Pontifices ab antiquiori aetate veraciter atque humiliter simul muneris sui potestatem eiusmodi perpetuo agnoverunt, atque illa in Fidei controversiis dirimendis usi sunt. Patres item et Concilia praeclarissimis accedunt documentis et sua agendi ratione, quoties de Fidei controversiis per hanc Apostolicam sedem definitiones prolatae sunt. Ad avertenda autem mala, quae oriri possent, si catholica huiusmodi doctrina in dubium revocaretur, his etiam inhaerentes, quae alias solemnibus Decretis praesertim Hormisdae Pontificis et Conciliorum Lugdunensis et Florentini tradita sunt; sacro approbante Concilio *docemus ac definimus: per ea Christi verba, in persona B. Petri eiusmodi auctoritatem esse collatam atque assistentiam promissam Romano Pontifici in Ecclesiae Primatu Successori, ut, cum ex Cathedra, supremi nempe omnium Christianorum Doctoris munere fungens, pro auctoritate definit, quid in rebus Fidei et morum ab universa Ecclesia sit tenendum, errare non possit,* et hanc Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad ea extendi, ad

quae ipsius Ecclesiae infallibilitas pertinet. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat) praesumpserit, sciat se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse. Cum vero rebus in Capite XI. iam exhibitis tres respondeant Canones, videtur quartus addendus, prout sequitur, iuxta novum additamentum. Si quis dixerit, Romanum Pontificem B. Petri in Ecclesiae Primatu Successorem, cum supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens, pro auctoritate, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia sit tenendum, definit, errare posse, et praerogativam inerrantiae seu infallibilitatis ad ea non extendi, ad quae ipsius Ecclesiae infallibilitas pertinet, anathema sit."

---

132. **Alius** exponit: In monito diei 6 Martii scriptum legitur *plurimos Episcopos petiisse:* alios e contra, centum quinquaginta circiter, expostulasse, ut non proponeretur, haud ignotum est. Schemati praefixus est titulus *Constitutionis;* formula novi capitis nunc inserendi, loquitur de *Decreto. Haud bene intelligo infallibilitatem personalem Romani Pontificis seiuncti a membris Ecclesiae docentis. In Ecclesia non est nisi una infallibilitas. Uti fidei dogma infallibilitatem personalem Papae adiudicare, Sacrae Scripturae et SS. Patribus repugnare videtur.* Necessariam hanc definitionem non esse patet ex eo, quod nullo forsan tempore, ut hac nostra aetate, Antistites et Catholici omnes Papae obsequuti sint. Opportunam vero non esse, satis demonstrat testimonium Antistitum, qui cum inter heterodoxos vitam agunt, tum in negotiis Ecclesiastico-politicis multum intelligunt.

---

133. **Alius Rmus Pater** sic ait: *doctrina potuisset expressionibus minus abstractis et mitioribus tradi.* Obiectum infallibilitatis Ecclesiae definitur Cap. IX. p. 16. verbis, quae graves difficultates suscitare possunt. Velim igitur expungantur verba *ad idem obiectum porrigi* etc. *Declarationem de infallibilitate Romani Pontificis mihi videtur ab adversariis nostris ut novam et inauditam traduci non posse, si eam*

complectatur Caput XI, et quidem ut sequitur: „Et cum circa sensum praecitati Decreti Florentini nonnullae, praesertim hisce temporibus, exortae sunt controversiae, ut iam non detur ambigendi locus, *docemus ac declaramus: Romanum Pontificem esse ab omni errore immunem, quando in rebus fidei et morum aliquid definit tanquam a Deo revelatum, et illud proponit omnibus Christifidelibus ad credendum vel faciendum tanquam Dogma fidei, et hanc, quae propria est iurisdictionis potestas*, et reliqua."

---

134. **Alius** statuit: *Non Petro sed Apostolis tantum eorumque successoribus, qui Ecclesiam cum B. Petro eorum capite docentem constituunt, Spiritus Sancti adsistentiam sine ambage Christus adseruit.* Tametsi aedificii petra angularis sit Petrus ut Christi Vicarius, attamen *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum erecta fuit Ecclesia.* Aliunde Episcopi, eiusdem columnae sunt. Equidem verba Christi sunt; *Ego pro te rogavi* etc. sed in primis *aliud est Christum rogasse, ne Petrus ut homo caderet, aliud est rogasse, ut qua magister inerranter doceret.* Deinde etiam pro Apostolis rogavit Christus *Ego pro eis rogavi;* quorum nemo profecto nisi solus Petrus, eum ter negavit. Nuspiam dictum est Petro *Ego tecum sum*, sed dictum est *ubi duo vel tres congregati* etc. et *ego vobiscum sum* etc. et *alium Paraclitum dabo vobis,* et huiusmodi alia. Re sane vera nonnisi omnibus Apostolis collective clavium potestatem dedit, cum dixit *Quorum remiseritis* etc. Unde S. Thomas: (1. 3. q. 72 sic.) *Papa habet in Ecclesia plenitudinem potestatis. Episcopi obtinent in Ecclesia summam potestatem.* Et S. Antoninus: *una igitur potestas*, (nempe Ecclesiae cum capite) *una utriusque potestas. Infallibilitatis* ergo *definitio esset Ecclesiae veluti suicidium.* Non me latet, ad formulam Pontificis ex Cathedra definientis recurri; sed quisnam unquam potuit claram huiusce formulae definitionem exhibere? Nec duo quidem theologi invicem in ea tradenda consentiunt; nec consentient unquam. Sceptica, inquiunt, tempora fluunt. Sed in primis; quid si ob infallibilitatis definitionem plures Catholici ab

Ecclesiae unitate recederent, et Heterodoxi irrevocabiliter ei valedicerent? Ex Oriente et Occidente protestationes insurgunt contra praefatam definitionem. Puseystae eam aversantur. *Ex anglicanis sunt, qui sex ab hinc mensibus ad catholicam unitatem venerant, atque mox ut improvidae epistolae pastoralis de infallibilitate ab Archiepiscopo Westmonasteriensi conscriptae notitiam nacti sunt, absque mora ad Anglicanismum redierunt.* Accedunt iurgia et clamores ubique iam excitati, non sine comminatione ecclesias nationales constituendi. Tandem: an non paterna Episcoporum auctoritas et sapientia Christifidelibus satis fuerit? Ecquis facile poterit Pontificem summum adire, ut in fide vel moribus illustretur vel erigatur? Non desunt Ephemerides paratae ad bellum in Ecclesiam indicendum, mox ut infallibilitatis appareat definitio. Obiicient e. c. Honorium damnatum ut Haereticum: Liberium Arii complicem, Zosimum Pelagianorum erroribus implicatum; Gregorium II. bigamiam quodammodo sancientem, Nicolaum I. quem errasse fertur in quaestionibus de Baptismate; Alexandrum VI. etc. Adiicient falsa Decretalium Pseudo-Isidori inventa, adulterationes ac mutilationes librorum liturgicorum, et infinita alia per fraudem, ut aiunt, vel etiam ex bona fide, inventa ad infallibilitatem Rom. Pontificis tuendam.

---

135. **Alius** scribit: *Non placet schema propositum* 1. quia sic exponitur doctrina, ut nullam habere videatur connexionem cum capite praecedenti. 2. Inspectis verbis, dure iunguntur duo simul assuta membra, quibus constat. 3. Frustranea futura videtur definitio quoad Gallicanos, qui *Sedis* quidem non vero *Sedentis* infallibilitatem fatentur. 4. Errores oppositi non memorantur. Canones saltem in eos condendi sunt. *Proponitur* itaque *novum schema: „Inter insignia* huius *Primatus, quem Christus Dominus Beato Petro eiusque Successoribus contulit*, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, *prae ceteris refulget auctoritas docendi Ecclesiam universam, et fidei morumque controversias in casibus obvenientibus dirimendi. Hanc porro docendi et iudicandi potestatem ita supremam esse declaramus, ut definitiones a*

Rom. Pontific. Petri successoribus circa res fidei et morum editae vim perpetuam, atque omnimodam efficaciam habeant per se ipsas, independenter a quovis Ecclesiae vel Episcop. consensu, omnes Christifideles tum quoad externum obsequium tum quoad mentis assensum indiscriminatim obligandi. Cum tamen huiusmodi vis atque obligatio in indefectibili Ecclesia Dei concipi nullatenus valeat, si dogmaticis Romanorum summorum Pontificum decretis, et iudiciis error aliquis subesse possit: iccirco *in Ecclesia stabilienda Christus Dominus nedum promisit assistentiam suam Apostolorum Collegio, sed eamdem insuper etiam soli Petro pollicitus est, cum videlicet hunc constituit firmissimum Ecclesiae fundamentum, totius fidelium ovilis Pastorem elegit, et eidem confirmandi fratres munus attribuens dixit „Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Et quoniam non possunt Domini Nostri Iesu Christi verba praeteriri; hinc Ecclesiastica Traditione testante rerum ostendit eventus, Romanos Pontifices Petri successores, dum supremi magistri munus obirent, nunquam in errorem deflexisse, sed per ipsos in Sede Apostolica immaculatam semper Catholicam servatam Religionem, et sanctam fuisse celebratam doctrinam. Atque ideo sancti Ecclesiae Patres et Doctores, nec non generalia et particularia Concilia nil frequentius, et antiquius habuere, quam solemniter edicere atque inculcare, Romani pro tempore Pontificis magisterio firmiter inhaerendum esse, ut ex eo tanquam e veritatis fonte purissimo, hauriri ab omnibus debeant quae credenda vel agenda sunt, quaeque respuere vel fugere oporteat. Quare sacro approbante Concilio, *reiicimus, et tamquam haereticas damnamus sententias eorum, qui asserunt, decreta vel iudicia lata a Romanis Pontificibus circa res fidei et morum pro universa Ecclesia, vim obligandi non habere, nisi fuerint in Generali Concilio edita: vel saltem vim hanc non obtinere nisi accedente Ecclesiae consensu: tum eorum, qui dicere audent, praefatis Romanorum Pontificum decretis et iudiciis externum quidem obsequium, non autem mentis internum assensum necessario esse praestandum: tum denique aliorum, qui tenent, posse Concilium Generale eadem dogmatica Romanorum Pontificum decreta reformare. Do-*

cemus autem, et tanquam fidei dogma definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cum supremi omnium Christianorum Doctoris officio fungens, pro auctoritate definit, quid in rebus fidei ac morum ab universa Ecclesia tenendum sit, nunquam errare possit, et hanc Romani Pontificis inerrantiae, sive infalibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur. Si quis autem huic nostrae Definitioni contradicere (quod Deus avertat) praesumpserit, sciat se a veritate fidei Catolicae, et ab unitate Ecclesiae defecisse. Schematis sic exarati rationes sunt. 1. Vi Primatus Romanus Pontifex habet potestatem docendi: 2. Haec potestas est suprema. 3. Talis esse nequit, si non sit infallibilis in docendo. 4. Revera hanc infallibilitatem Christus B. Petro eiusque successoribus triplici praesertim Evangelii loco promisit. 5. Promissis respondet factum, Romanos nempe Pontifices nunquam errasse. 6. Patres et Concilia id docuere et inculcarunt. His positis damnatur 1. error contra numerum primum, nempe eorum qui potestatem hanc docendi negant Romano Pontifici, et non concedunt nisi in Concilio Generali, vel nisi accedente Ecclesiae consensu. Deinde 2. damnatur error duplex contra doctrinam expositam numero secundo et tertio, nempe leges Pontificis de fide non obligare in conscientia quoad mentis assensum, et posse a Concilio Generali ad examen revocari et immutari. Tandem post haec definitur dogma explicite, quod iam per damnationem errorum dici poterat definitum implicite. Hac ratione salva tectaque manet firmitas legum dogmaticarum Romani Pontificis, nec nisi manifeste haereticus poterit earumdem vim et obligationem declinare."

---

136. **Alius** *infallibilitatis definitionem inopportunam et non necessariam omnino tenet;* quia nunquam antehac Christifideles omnes Pontifici summo obsequentes se praebuerunt ut hac nostra aetate. Insuper eiusmodi definitio vel expectata dissidiis et scandalis ortum praebet. Tandem infallibilitatem hanc nec in Conciliorum Oecumenicorum Actis depre-

hendere potui. Quin imo tria generalia Concilia Honorium ut haereticum condemnasse certa res est.

---

137. **Alius** dicit: Episcopi, qui de hac quaestione sententiam suam aperuere, in tres partes distribui possunt. Alii infallibilitatis donum non solum Ecclesiae, sed etiam soli Petro promissum fuisse propugnant. Alii animadvertunt, Petrum, post sibi promissum eiusmodi donum, ter Christum negasse, et in quaestione de ritibus Mosaicis errasse. Unde ait Paulus, *reprehensibilis erat.* Insuper neminem fugit Honorium I. a tribus Oecumenicis Syn. haereseos nota damnatum fuisse, eamque damnationem Summos Pont. saec. 7, 8, 9. ratam plane habuisse. Unde multi alii Episcopi in eam sententiam abierunt, ut Summum Pontificem habeant quidem infallibilem, si de fide aut de moribus definitiones proferat una cum Episcopis, qui soli testari possunt, num definita veritas *semper ubique et ab omnibus* credita fuerit an non; neutiquam vero, si eas pronunciet absque ullo Episcoporum interventu atque consensu. Hinc facile est praevidere, quam aegre laturi sint Episcopi isti de re hac discussionem; quanta animi firmitate infallibilitatem, de qua agitur, sint impugnaturi; quam difficile futurum sit, ut definitioni contra ipsos prolatae acquiescant. Plane verendum ne definitio, si edatur, morali illa unanimitate careat, quae in definiendis fidei et morum quaestionibus veluti necessaria semper habita fuit. Accedit invidia et fortasse ira Principum, qui Episcopos, quin definitionem promulgent, impedient. Equidem 140 Episcopi, qui maiori Fidelium numero praesunt, a Summo Pont. expostularunt, ut a quaestionis huiusmodi discussione prorsus abstineat. Sed tardius forte quam par fuisset. Interim novi Schematis propositio nedum Episcopos hosce, plurimos etiam Laicorum, qui ingenio doctrina et auctoritate praestant, ita turbavit, ut via quaepiam ad calamitates, quae ex ea re certo imminent, avertendas, plane ineunda sit. Quae sane in eo esse videtur, ut Pontifex Summus non solum a praefata definitione, sed, ne maior suffragiorum numerus minori succenseat, a colligendis suffragiis abstineat, ac insuper prudens omnibus de re hac

silentium imponat. Sane simili huic prudentia sese gesserunt tum Pius IV. cum PP. Tridentinae Syn. prohibuit, quominus quaestionem de personali Pontificis iurisdictione dirimerent, decima Patrum parte a reliquis dissidente; tum Sixtus IV. et Pius V. qui rati, margaritam in pacato mari facilius quam in procelloso deprehendendam, de Virginis Mariae conceptione silentium utriusque sententiae patronis indixere. Atque ex hac ratione id etiam emolumenti obventurum, ut et detractoribus illis, qui Concilium vel ad personalem Pontificis inerrantiam, vel ad temporale S. Sedis dominium in tuto ponendum, coactum effutiunt, os obstruatur; et Concilii PP. ab intricatissima hac quaestione expediti, toti in eo sint, ut studio vacent eximii illius illuminationis et pacificationis operis, quod Bulla convocationis pollicita est.

---

138. **Alius** ait: *Satius duxerim in uno eodemque capite de Ecclesiae infallibilitate et de Pontificis Summi inerrantia sermonem haberi, ut pateat, Concilium ideo de hac sententiam tulisse, quod aliter haud satis de illa disserere potuisset.* „Sic igitur ordinari posset Caput de Infallibilitate Ecclesiae: versus medium paginae 16 diceretur, ut in schemate proposito, *haec autem Infallibilitas cuius finis* etc. (aut magis lucide ut nobis videtur) cuius munimine in fidelium societate doctrina fidei et morum intemerata servatur, magisterio inest, *quod videlicet ex Romano Pontifice, post Beatum Petrum totius Ecclesiae Supremo Pastore, et universis Episcopis Apostolorum successoribus coalescens, Christus in Ecclesia sua perpetuum instituit*, et caetera ut in schemate proposito. Per addita verba, quae supra notavimus, distinctim explicaretur, quodnam est subiectum infallibilitatis, seu *Ecclesiae Magisterium*, sicque rursum obviaretur quibusdam adversariorum definitionis improperiis, et quod utilissimum est, via sterneretur ad ea, quae inferius de Summi Pontificis praerogativa erunt evolvenda. 2. Absolutis verbis, quae in finem Capitis noni, de Infallibilitate includuntur, ulterius procederetur: Ecclesia vero Catholica etc. Iam proponitur Formula addenda Capiti cui titulus *de Infallibilitate Ecclesiae*

pag. 16 versus medium in Schemate de Ecclesia: Haec autem infallibilitas, cuius munimine in fidelium societate doctrina fidei et morum intemerata servatur, magisterio inest, quod videlicet ex Romano Pontifice, post Beatum Petrum totius Ecclesiae Supremo Pastore, et universis Episcopis Apostolorum Successoribus coalescens, Christus in Ecclesia sua perpetuum instituit, cum ad Apostolos dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Et eisdem promisit Christus veritatis suae spiritum, qui maneret cum eis in aeternum, in eis esset, eosque omnem veritatem doceret. *Ecclesia vero Catholica semper credidit et docuit, istud infallibilitatis privilegium a Christo Ecclesiae suae Magisterio concessum, praecipue et plenarie residere in eius capite Romano Pontifice, sive decernat in Concilio universali cum Episcopis secum sedentibus et iudicantibus, sive extra concilium, ipsis antea consultis, vel etiam, si non necesse habuerit, non consultis, cognita eorum fide opportuniori quo Ipse iudicaverit modo.* (Iuxta mentem S. Francisci Salesii). Saepius enim nec facile, nec opportune in concilium advocarentur Episcopi, nec tamen Ecclesia potest unquam Supremo controversiarum iudice destitui. Igitur sicut prae caeteris tenetur Romanus Pontifex fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Et quia non potest Domini Nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio, et sancta celebrata doctrina. Hinc sacro approbante concilio *decernimus et definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cui in persona beati Petri dictum est ab eodem Domino Nostro Iesu Christo:* Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, *cum supremi Doctoris munere fungens, pro summa qua pollet auctoritate, definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit;* ipsique taliter decernenti ab

omnibus deberi plenum et immediatum cordis et oris obsequium. *Haec autem Romani Pontificis inerrantiae praerogativa ipsi concessa est, non ad nova et recentius adinventa dogmata constituenda, ut falso obtrectant imperiti, sed ad ea omnia, quae necessaria sunt pro tradito Ecclesiae fidei deposito fideliter et intemerate custodiendo ac tuendo, et, in quantum opus est, exponendo et evolvendo.* Haec vera et catholica doctrina, quam omnes intimo corde et ore profiteri tenentur." Decretum sic exaratum, tum nihil novi hac in re definiri, tum Pontificis infallibilitatem non esse nisi ipsammet Ecclesiae inerrantiam, tum denique suam in Episcopis esse inerrantiae participationem, quando scilicet una cum Rom. Pontifice coniudices sunt, Christifideles doceret. Insuper haud omissa Conciliorum Oecumenicorum commemoratione, quod sane plerisque grata res fuerit, necessitas tamen Pontificiae praerogativae extra Concilium et Episcoporum consultationem, ad mentem S. Francisci Salesii, cuius maxima est, penes Gallos praesertim, auctoritas, palam fieret. Verba, *pro summa qua pollet auctoritate* clariora videntur aliis, *pro auctoritate definit* etc. Item: incisum illud: *Ipsique taliter decernenti* etc. nec non verba illa *Episcopis antea consultis* etc. ideo attexuimus, ut obviam iremus quorumdam subtilitatibus vim definitionis imminuere molientium. Tandem verba illa: *ad ea omnia quae necessaria sunt* etc. clarius pressius et cum minori adversariorum offensione, infallibilitatis obiectum declarare videntur, quam ea quibus propositum schema obiectum ipsum designat.

---

139. **Alius Rmus Pater** *(Petrus Richardus Kenrick,* AEppus S. Ludovici) ita ad verbum scribit: *Sententia, Romanum Pontificem, se solo, nullo interveniente Episcoporum consensu, esse infallibilem, non est adeo certa, ut tanquam fidei Catholicae dogma possit definiri: et aliter si esset, non expedit, a praesente Concilio definiri tanquam articulum fidei.* I. Contra propositam definitionem obiicio, *doctrinam inibi expressam carere auctoritate tum Sacrae Scripturae tum Ecclesiasticae traditionis, prout ista in libris Patrum*

et Historiae Ecclesiasticae monumentis continetur. 1. Nullum clarum et indubium sententiae istius testimoninm in Sacra Scriptura habetur. Tria praecipue loca allegare consueverunt eius patroni a) verba a Christo ad Petrum directa (Matth. XVI. 17—19.) b) Ioannis XXI. 15—17.) c) Lucae XXII. 11. 12.) a) Verba Christi: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversam eam“: — ostendunt quidem Petro, prae caeteris apostolis, privilegium Christum contulisse, ut ecclesiae primarium fundamentum esset; id quod ecclesia in eius primatu tum honoris tum iurisdictionis semper agnovit. Eum autem, aut eius successores, a fide non posse deficere, minime probant verba citata, cum omnes apostoli eodem titulo „fundamenti“ cohonestentur (Ep. II. 20. Apoc. XI. 12), quin unquam ulli in mentem venerit, eos, eorumque successores, vi istius appellationis, infallibilitatis donum accepisse. Ex verbis Christi ad omnes apostolos directis (Matth. XVIII.) eruitur, eis omnibus, Petro cum eis connumerato, quatenus collegium, seu corpus morale, constituerent, divinam promissam fuisse assistentiam, qua possent munus eis demandatum adimplere. Haec conclusio, non ex metaphorica locutione, sed ex simplicibus verbis Christi deducta, ostendit quantum inter se differant, probatio Ecclesiae Infallibilitatis, et ea, quam ex figurata loquendi ratione educere conantur Pontificiae inerrantiae assertores. Si autem dicatur, aedificii firmitatem in se continere fundamenti, cui inaedificetur, stabilitatem, facilis est responsio: Christum utrisque, simul iunctis, non autem a se invicem distinctis, providisse; proindeque eos errare, qui quos Deus coniunxisset separare attentent, non autem eos, qui utriusque iura et privilegia, absque alterutrius detrimento, tutari conentur. b) Verba Christi ad Petrum (Ioann. XXI. 15—17.) quibus ei agnos et oves pascendos concredidit; ostendunt quidem ei collatum fuisse pastorale munus, quod ad universum Christi gregem sese extenderet, quin tamen exinde sequatur, ei magis quam caeteris apostolis, eodem pascendi gregem munere auctis, promissum fuisse inerrantiae donum; cum Christus ecclesiae suae indefectibilitati aliter provisurus esset. Quod nonnulli per „agnos“ populum fidelem, per „oves“ pastores, nempe

episcopos, intellexerint, et inde erui posse argumentum contenderint, episcopos aeque ac simplices fideles Petri eiusque successorum curae pastorali concreditos fuisse, caret fundamento, cum in Graeco textu utraque vox, „agnos“ et „oves,“ eodem prorsus vocabulo, *προβατια*, exprimatur. Quaenam autem sint partes Petri caeterorumque apostolorum, eorumque successorum, in pascendo grege Christi; non ex huiusmodi argutiis, sed ex verbis Domini claris et inaequivocis, inter se collatis, colligere debemus. Huic interpretationi adiungenda est ea, quam historia ecclesiastica priorum saeculorum praebet, quae nobis exhibet sensum, quem his verbis inesse agnovit antiquitas, traditionis apostolicae fidelis custos. c) Nec magis valent ad probandam Pontificiam inerrantiam verba Christi ad Petrum (Lucae XXII. 11, 12.) in quibus palmare argumentum invenisse se putant eius sententiae advocati. Habita ratione rerum adiunctorum, in quibus Christus ea protulit, et verborum, quae deinde ad omnes apostolos direxit, non videtur munus aliquod ad ecclesiae regimen pertinens, tunc Petro collatum aut promissum fuisse; multominus donum inerrantiae in eo gerendo ei esse intimatum. Monitum erat, quo ad imminens discrimen, cui obiiciendus esset, superandum hortaretur, simulque intimatio, eum post lapsum conversum iri, et caeteros apostolos confirmaturum. Rogavit igitur Christus pro Petro, qui, ut prae caeteris apostolis munere distinguebatur, prae caeteris etiam a Satana cribrandus petebatur, et prae caeteris defecturus praevidebatur. Rogavit Christus, ut non deficeret fides eius, id est, ut fiduciam, qua Christo hucusque adhaeserat, omnino aut in perpetuum non amitteret; et post lapsum, in se reversum, id est, conversum, caeteris animos additurum. Hoc praestitit Petrus post Domini Resurrectionem, cum eam caeteris discipulis annuntiavit, ut ex verbis (Lucae XXIV.) constat: Resurrexit Dominus vere et apparuit Petro. Non igitur de fide, tanquam doctrinae corpore, in quo sensu nunquam a Domino vox ista adhibita videtur; nec etiam de fide, virtute nempe theologica, qua Deo credimus, in quo sensu semel et iterum tantum in Eius dictis occurrit; sed de fiducia, qua Ei tanquam Magistro hucusque adhaeserat, verba Christi accipi debent. Quodsi nonnulli inter veteres, et turba recentiorum in-

terpretum, ea verba aliter intellexerint; in iisque munus Petro impositum, fratres, id est, caeteros apostolos eorumque successores, episcopos nempe, in fide confirmandi, invenerint, id aliis nullam imponit necessitatem a simplici et literali eorum significatione recedendi. Si autem Christus, contra ac sentio, de fide, sensu pontificiae infallibilitatis advocatorum accepta, locutus sit, non statim concludi posset, donum inerrantiae Petro eiusque successoribus collatum iri, quamvis id etiam Dominus rogaverit Patrem. Ex precibus, quas pro omnibus discipulis eadem nocte protulit (Ioann. XVII. 11. 12. 20.), ut nullos nempe ex iis, quos Pater ei dedisset, amitteret; et ut omnes, non tantum apostoli, sed qui per eos crediturі in eum essent, unum essent, ex his, cum rerum eventu collatis, satis liquet non omnem Christi precem exauditam fuisse, alioquin nec reprobi nec haeretici inter eos, qui semel credidissent in Eum, invenirentur. Praeterea, quando primatum Petro dedit, et munus Evangelium annuntiandi omnibus apostolis imposuit, id praestitit, non supplicantis speciem indutus, sed divinam quam exercebat potestatem loquendi modo manifestans. Ex his omnibus concludere licet, Pontificiam inerrantiam, sensu in canone nobis proposito acceptam, nullum habere testimonium in textibus, quos ad eam probandam adducere solent eius fautores. 2. In tradita Ecciesiae doctrina, prout illa, in scriptis Patrum et Conciliorum generalium actis, sese nobis offert, nedum habeat Pontificiae infallibilitatis sententia clara et indubia testimonia, plura occurrunt quae ei adversari videantur. Textus utriusque fontis traditionis ecclesiae, qui ab assertoribus istius sententiae allegari consueverunt, singillatim expendere in praesens est impossibile; cum nec tempus suppetat, nec rerum adiuncta id sinant. Optaverim quidem deputationem sex vel decem patrum, ex utraque parte seligendorum posse constitui, quibus praedicti textus, ex suis ipsorum fontibus sumpti, examini subiiciendi traderentur. Ex iis autem, quae ab aliis episcopis, in hoc concilio praesentibus, audivi, quaeque propria mea experientia aliquatenus confirmavit, credo asserere posse, magnam saltem partem locorum citatorum aut non probare thesim Pontificiae infallibilitatis, quamvis Romani Pontificis primatum ostendant; aut cum ex genuinis veterum

libris desumantur, sensum quem eis inesse contendunt adversarii, habita ratione locorum . unde sumpti sint, minime exhibere. *In textuum examen* proinde *non descendam; sed tria tantum facta, ab omnibus admissa, quae cum Pontificia Infallibilitate componi nequeunt, in propatulo ponere propono.* a) Cum *Cyprianus Carthaginensis episcopus* errorem de haereticis conversis iterum baptizandis tuitus fuisset, et eum contra Stephanum Romanum Pontificem acrius defendisset, Augustinus eum excusandum habuit, quod res de qua quaestio erat, auctoritate Concilii plenarii nondum esset eliquata; nulla habita ratione Romani Pontificis sententiae, qua iste error iam damnatus erat, et qua, iuxta adversarios, infallibili iudicio controversia iam sopita esset, aut esse deberet. *Augustinum* ergo *latuit Pontificiae infallibilitatis doctrina; qua admissa, Cyprianus non notam acrioris erroris defensionis tantum, sed etiam haereseos contraxisset.* b) *Controversiae de rebus fidei summis, post pacem Ecclesiae datam, ortae, conciliorum generalium auctoritate, non autem Romanorum Pontificum sententiis, sopitae sunt.* Ipsi Romani Pontifices conciliorum celebrationem tanquam medium aptissimum, quo irretractabile de doctrina iudicium efformaretur, habebant; eamque cum res id exigeret, promovebant. Hinc in litteris suis ad Patres Chalcedone congregatos Leo Magnus dixit: „Sed quae nostro prius ministerio (celebri nempe ad Flavianum epistola) definierat (Christus nempe) universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu: ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede firmatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset.“ (Leo Ep. 93 al. 63, c. 1.) Quamvis, lecta epistola ad Flavianum, patres Chalcedonenses in vocem proruperint: „Petrus locutus est per Leonem: ita omnes credimus,“ haec tamen non plus significant, quam doctrinam Leonis cum ea, quam ipsi tenebant, concordare; ideoque Petri esse, cuius haeres Leo erat, eo prorsus modo, quo ipsi doctrinam, ab apostolis aut apostolicis viris, earum ecclesiarum fundatoribus, traditam, conservaverunt. Id inde patet, quod cum nonnulli inter eos postea de ista epistola dubium moverent, an accipienda esset nec ne, facta est eis licentia patrum testimonia conferendi cum iis, quae in ista

epistola tradebantur. Idem etiam contigit, cum litterae Agathonis ad episcopos Constantinopoli in sexta synodo congregatos a legatis eius afferrentur, quae minime receptae sunt statim atque productae essent, ut innuere videtur scriptor articuli de *Honorio* in libello periodico, cui *Civilta Cattolica* nomen, hoc ipso mense in lucem edito; ex quo habetur *suppressio veri* quae assertioni falsi aequivalet, sed post examen, ut ex actis Concilii, quae ipsa mea manu exscripsi, et hic subiungo, patebit. In actione quarta litterae Agathonis productae sunt a legatis, sed nil de his hac vice factum est. In Actione septima, die 13 Februarii habita, legati sic Imperatorem, qui praesidebat, allocuti sunt: „Petimus a Deo firmatam vestram fortitudinem interrogari Georgium, sanctissimum archiepiscopum huius a Deo conservandae regiae urbis, *et subiacentem ei synodum;* necnon et Macarium, archiepiscopum Antiochiae civitatis, et *subiectos ei episcopos,* si convenit ei tenor relectarum duarum suggestionum, id est, Agathonis sanctissimi papae apostolicae Sedis antiquae Romae, et *concilii ei subiacentis.*" „Georgius sanctissimus archiepiscopus Constantinopoleos, et Macarius sanctissimus Antiochiae, et *qui cum* eis erant, dixerunt: Piissime Domine, petimus, ut exemplaria praedictarum suggestionum percipiamus. Recurrentes namque et conferentes testimonia, quae in eis, sanctorum probabilium patrum, cum codicibus huius venerabilis patriarchii, in subsequenti dabimus responsionem." Id fieri debere annuit Imperator; et litterae, ex utraque parte sigillis munitae, Archiepiscopis Georgio et Macario traditae sunt. In octava sessione subsequenti, die 7 Martii habita, „Georgius sanctissimus archiepiscopus Constantinopoleos dixit: „Inspiciens, Pie Domine! omnem virtutem suggestionum directarum ad vestram piissimam fortitudinem, tam ab Agathone Sanctissimo Papa Romae, quam *ab eius Synodo*, et scrutans libros sanctorum et probabilium patrum, qui repositi sunt in venerabili meo patriarchio, inveni cuncta testimonia sanctorum ac probabilium patrum, quae in iisdem suggestionibus continentur, consonantia, et in nullo discrepantia a sanctis ac probabilibus patribus, et consentio eis, et sic profiteor, et credo (Labbe et Mansi, Tom. XI. pp. 331. 338. Ed. Venetiis 1767.).

Haec manifestum faciunt, litteras Agathonis non antea acceptas fuisse, quam per collationem testimoniorum in iis allatorum cum patrum scriptis, unde sumpta essent, constitit, earum doctrinam cum ea, quam patres tenebant, concordare; ideoque receptae sunt, non autem quod ab Agathone prodiissent. Nec est praetereundum, litteras istas non Agathonis solius, sed *subiacentis ei synodi*, fuisse; id, quod de omnibus huiuscemodi epistolis a Romanis Pontificis ad Concilia Orientalia directis, etiam dicendum est. c) Celebris Scriptor, *Vincentius Lerinensis*, in aureo illo libello, cui *Commonitorium* nomen, qui per quatuordecim secula usque ad hodiernum diem magni semper habitus est, ex quo etiam in schemate de fide Catholica reformato testimonium desumitur, regulam tradit fidei Catholicae, qua simplex fidelis in conflictu sententiarum inter episcopos se dirigere debeat, cum tunc deficeret regula, quam aliter tenendam docuit; nempe nil de fide Catholica habendum esse *quod semper quod ubique quod ab omnibus* non fuerit admissum. Deficiente consensu episcoporum, sequendam esse *antiquitatem* et *universitatem* docet Vincentius, ne verbum quidem faciens de Romano Pontifice, cuius sententia, iuxta Pontificios, omnes de rebus fidei controversiae statim sopirentur. Eam sententiam certe ignoravit Lerinensis; et cum eo omnes qui tunc temporis regulam ab eo traditam suis suffragiis probavere. *Ante Vincentium Irenaeus et Tertullianus ad consensionem ecclesiarum, tamquam ad tesseram fidei Catholicae, appellavere; nec unquam alterutri in mentem venisse videtur, ad Romani Pontificis, tanquam supremi controversiarum iudicis, auctoritatem errantes referre.* Celebris etiam locus Irenaei (De Haer. lib. III.), in quo ad Romanam Ecclesiam provocat, tanquam ad principalem, cum qua omnes convenire debeant, non est aliud quam argumenti ex consensione Ecclesiarum deducti applicatio; ad eam siquidem refert, cum ad omnes referre longius esset, et eam omnium faciem referre asserit. *Tria haec facta, de quibus nemo dubitat, ostendunt, antiquos patres Ecclesiae Romani Pontificis auctoritatem, tanquam infallibilis controversiarum iudicis, ignorasse.* 3. *Accedit ad improbandam Pontificiae infallibilitatis sententiam, quod distinctio, quam statuunt eius*

defensores inter iudicia quae pronuntiet, tanquam alia privati doctoris, alia supremi Pastoris habenda sint, fundamento caret et inutilis evadit. Ista distinctio potius ad difficultates amovendas aut praecavendas excogitata esse videtur, et nullum habet fundamentum in Scripturis aut libris Patrum, ex quibus, si aliqualis probatio Pontificiae inerrantiae erui possit, eum docendo semper esse infallibilem concludere necesse esset. De iis, in quibus ista distinctio consistat, non est concors sententia; nec in ulla aliquid habetur quo effata utriusque generis a se invicem certe et in praxi distingui possent. Ex voluntate Pontificis pendebit media, quae necessaria ad iudicium *ex cathedra* constituendum essent, adhibere; aut, iis omissis forma verborum uti, quae ista adhibita fuisse innueret, quin tamen ea adhibuisset. Fidelibus nunquam certe constare poterit, ea revera adhibita fuisse; et proinde semper incerti esse poterunt de vi Pontificii decreti, an irretractabile sit nec ne. Si dicatur Deum non permissurum, ut Pontifex iudicium *ex cathedra* ferat, quin omnes ad id conditiones ab eo positae fuissent; eiusmodi responsio rem in controversiam deductam supponit, id quod negant contrariae sententiae advocati, nempe, Deum revera Pontifici Romano tale donum contulisse. Ex mox dicendis patebit Ecclesiae infallibilitatem huiusmodi difficultati non esse obnoxiam, cum in ipsa constitutione Ecclesiae fundata sit, et aliunde Divinae ab omnibus Catholicis agnitam assistentiae promissionem acceperit. 4. *Ecclesiae infallibilitas ex ipsa eius constitutione oritur, et Christi promissione firmatur, quin tamen miraculosa dici debeat, qualis Pontificia inerrantia esset.* In consensione enim ecclesiarum, ad quam, tanquam ad fidei regulam certissimam, semper appellavere antiqui fidei defensores, inter quos Irenaeus et Tertullianus, habetur medium certum, quo doctrina sanctis tradita conservetur, eiusque concordantia cum ea, quam tradidere Apostoli aut viri apostolici earum Ecclesiarum fundatores, demonstrari possit. Istae enim ecclesiae, per totum orbem diffusae, et non tantum situ sed moribus institutisque eorum, qui ad eas pertineant, diversae, in una fide tamen concordes, ostendunt eam ab earum auctoribus traditam fuisse, celebri argumento quo usus est Tertullianus in libro *De Praescriptionibus.* Quod unum est

apud omnes, non est inventum sed traditum ; si enim erratum fuisset ab antiquitus tradità doctrina, idem error apud omnes non inveniretur. Huic certo principio innixi antiqui Patres errores contra fidem ipsa eorum novitate et ecclesiarum consensione refellerunt. Perraro supernaturale inerrantiae donum a Christo Ecclesiae concessum allegarunt ; sed antiquorum patrum dicta tanquam fidei testimonia irrefragabilia adducere non destitere. Huic naturali, ut dici possit, Ecclesiae inerrantiae, ex ipsius principio constitutivo, de non innovando, et ex universali eius extensione derivato, accedit quidem Christi promissio, se cum Ecclesia perpetuo futurum esse ; et sic ecclesiae infallibilitas naturalis, ad ordinem supernaturalem evecta est, quin tamen conditiones a quibus pendeat negligere debeat, aut sua iudicia in rebus fidei Divini Spiritus afflatui potius quam Assistentiae tribuenda censeat. Quantopere differat istud inerrantiae donum ab infallibilitate, quam Romano Pontifici vindicare canon propositus videtur, nemo est, qui non videat. Isthaec, tanquam unius hominis, perpetuam miraculorum seriem in ordine tam morali quam intellectuali exigeret ; siquidem in eo haberi nequeat ecclesiae infallibilitatis fundamentum, consensio nempe ecclesiarum. 5. *Neque haec infirmantur argumento, quod afferre solent Pontificiae inerrantiae advocati, nempe, in ecclesia semper adesse debere magisterium in rebus fidei infallibile, quod, cum in conciliis generalibus haberi nequeat, in Pontifice Romano agnoscere oportet.* Ecclesia quidem infallibile magisterium semper exercet non quod semper iudicia fidei irretractabilia edat ; sed quod publica eius fides, in symbolis apostolorum et conciliorum, et praxi fidelium manifestata, et vivo episcoporum magisterio explicata, regulam semper suppeditat, qua errores, qui ei *contradicant.* statim refelli possint. Insuper remedium ad gravem aliquam controversiam sopiendam, si de rebus fidei inter ipsos episcopos ea orta fuerit, in concilii generalis celebratione. Quodsi concilium statim convocari nequeat, interim errori novitio obviam fieri poterit conciliorum particularium celebratione, et Romanorum Pontificum auctoritate, usquedum Concilium generale convocari possit. Quae extra Concilium infallibilitas Ecclesiae propria est, dici potest *passiva*, cum errores qui fidei

contradicant, Ecclesia, iuxta Augustinum, non toleret. In Conciliis generalibus Ecclesia exercet suam infallibilitatem, quae sic *activa* dici poterit; siquidem in iis tantum habetur totius Ecclesiae repraesentatio, et in iis tantum adimpletur conditio, a qua pendet Divinae Assistentiae promissio: „ubi duo aut tres in nomine meo *congregati* fuerint, ego ero in medio eorum", ex quibus verbis deducere solent theologi conciliorum generalium inerrantiam. Magisterium igitur infallibile, pro diversis rerum adiunctis, diverso modo, quamvis eadem semper auctoritate exercet Ecclesia; filiisque nunquam destitit esse „columna et firmamentum veritatis". Sic in antiqua Ecclesia factum est, felici prorsus exitu; cum errores contra Divinam Salvatoris Naturam exorti essent, conciliorum priorum quatuor auctoritate sopiti sunt. Eorum effata non veritus est Gregorius Magnus dictis etiam Evangelicis aequiparare; id quod certe de nulla alia Ecclesiasticae auctoritatis sententia ausus esset asserere. Et sic forsan erroribus recentioribus citius et felicius occursum fuisset, quam solius Pontificis auctoritate, accedente etiam Ecclesiae dispersae assensu, suo saltem silentio, probato; de quo tamen nonnisi difficillime constare possit, et qui proinde novatoribus ansam praebere possit contra Pontificis Romani sententiam excipiendi. Mora autem in conciliorum celebratione necessario eventura; et, omnium consensu, summa eorum auctoritas, magis aptae videntur, novatores eorumque asseclas ad tramitem veritatis revocare, quam decretum Pontificis, forsan praepropere editum, quod, utpote unius hominis, quamvis supremum locum in Ecclesia tenentis, cavillationibus adversantium obnoxium videri possit. Non desunt igitur, qui putant graviora mala, quae Ecclesia per ultima quatuor saecula perpessa sit, aut non tam late pervasisse aut tam diu perdurasse potuisse, si Romani Pontifices crebrius et expeditius conciliorum generalium celebrationem promovissent. 6. *In proposito Pontificiae auctoritatis canone duplex distinguitur infallibilitas, Ecclesiae nempe et Romani Pontificis, quae utraque parem extensionem habere dicitur.* Contulit ergo Christus veritatis assequendae et tutandae duo media, aliud simplex et perpetuum, Pontificis infallibilitatem; aliud autem neque simplex neque perpetuum, conciliorum inerrantiam. *Quis haec*

sibi persuadere possit? Si Pontificis infallibilitas eadem sit cum Ecclesiae inerrantia, a qua proinde, neque actu neque conceptu separari possit, *omnes idem dicimus, et controversia haec exasperans nonnisi lusus verborum est. Si autem ab ea numero, quod indicat praefatus canon, quamvis non specie distinguatur, adeo ut Pontifex Ecclesiae suam communicet infallibilitatem, aut ab Ecclesia suam ipsius recipiat, hinc dicendum est; Christum in Ecclesia aliquid inutile et supervacaneum constituisse.* Sic sapiens Ille Divinus Architectus domus suae firmitati et animorum consensioni nedum providerit, utrique nocuisse videretur. Testimonia autem supra allata ostendunt, Christum perpetuo cum Apostolis eorumque successoribus affuturum, et ab hac promissione derivari Ecclesiae infallibilitatem; adeo ut neque Pontificem Ecclesiae, neque Ecclesiam Pontifici eam communicare dici possit. 7. *Suprema* autem *auctoritas, quam in Romano Pontifice agnovit Ecclesia, secum non trahit eiusdem Pontificis infallibilitatem;* ut autumarunt celebris nimis petitionis, seu postulati, auctores, qui huic tristi controversiae in Concilio locum dederunt. *Soli Christi Ecclesiae supremam in rebus fidei vindicamus auctoritatem.* Ea suprema auctoritas ab ipsa Ecclesia nonnisi in Conciliis generalibus, praesidente Romano Pontifice, exercetur; ut ex verbis Christi, de Ecclesia ad apostolos loquentis, ubi duo aut tres in meo nomine *congregati* fuerint, ego in medio eorum ero, (Matth. XVIII), colligere solent theologi. Ludunt ergo verbis, qui ex primatu honoris et iurisdictionis Romani Pontificis, qui suprema auctoritas vocari usuvenit, infallibilem etiam eiusdem auctoritatem in rebus fidei educere conantur. 8. Asserunt Pontificiae infallibilitatis patroni, eam sententiam adeo in Ecclesia praevaluisse ab antiquis temporibus, et etiam nunc praevalere, et tam strenue, saltem a longe maiore theologorum schola, propugnatam fuisse, ut eam negare idem fere esset ac dicere Ecclesiam ipsam errasse. Adiiciunt, nonnisi defectu dogmaticae definitionis, quam ferendam invocant, adversarios eius sententiae notam haereseos non effugere. Agnosco, sententiam, quam oppugno, a maiore theologorum numero, inter quos plures sunt altarium honoribus aucti, et a quatuor praecipue seculis in Ecclesia defensam

fuisse, et adhuc defendi. Nec ideo censeo eos, qui huic sententiae adversantur, statim tanquam fidei suspectae haberi oportere. Omnes norunt aliud esse, sententiam in Ecclesia communem esse, aliud eam suam Ecclesiam fecisse, id quod nonnisi Concilii generalis decreto fieri posse contendo. Quae contra fidem moresque sint, Ecclesia quidem neque tolerat neque probat. Sed negari nequit, plures sententias, quae fidem quidem attingant, quin ei *contradicant*, in Ecclesia per plura saecula praevaluisse; quas utpote fidei non *contradictorias*, id quod ad haeresim constituendam requiritur, Ecclesia toleravit. Sic per plura saecula viguit sententia, ab omnibus, aut a fere omnibus, admissa, Christum Petro eiusque successoribus supremam auctoritatem in rebus temporalibus aeque ac in spiritualibus contulisse. Eam duplicem potestatem duobus gladiis, quos Petrus Domino sub passionis divinae tempus obtulit, significatam fuisse, nimis callida verborum Eius interpretatione, pro certo habuerunt sententiae istius advocati. Nec intra scholas constitit sententia. Ei adhaerentes Romani Pontifices reges deponere, regnaque eorum transferre, et supremam rerum temporalium auctoritatem in alienis ditionibus exercere attentarunt. Extra forsan Romanum Clerum, in cuius Proprio officio, nempe S. Zachariae Papae, hodie legi „eum *auctoritate APOSTOLICA* regnum Francorum in Pipinum transtulisse," quis hodiedum haec non respuat, non deploret, non conetur, aut in malitia temporum, aut in constitutione Romani Imperii, aut in tacito consensu orbis Christiani, aliqualem horum excusationem invenire. Ipsi tamen Romani Pontifices eam potestatem Divinae Ordinationi acceptam constanter retulerunt. Idem dicendum est de sententia Pontificiae Infallibilitatis. Sed *quemadmodum sententia de potestate Pontificis in regna, ex ficta Constantini donatione orta, aut saltem confirmata, omnium fere animos pervasit, sic ea quae nunc obtinet Pontificiae infallibilitatis sententia, tribuenda est, magna saltem ex parte, confictis antiquiorum Patrum, praecipue Pontificum Romanorum, libris et decretis, qui a viris doctis piisque, nil doli suspicantibus pro genuinis habiti sunt.* A quibus istae fraudes prodierint incertum; quibus bono fuerint, minime dubium. Sic factum est, ut illi faciem Eccle-

siae ab antiquo multo dissimilem fuisse crediderint ab ea, quam genuina historiae monumenta exhibent. Praeterea, quamvis per quatuor quinqueve posteriora saecula, haec sententia multos advocatos habuerit, nunquam tamen adversantibus caruit; et per decem priora ecclesiae saecula ignota fuisse videtur. Insuper observandum, quod ex iis, qui eam tueri videntur, plures Pontificiam infallibilitatem cum ea, quam in Ecclesia omnes agnoverunt, confundebant, et ita a nostra sententia verbis, non re, dissentiebant. 9. *Definitio Immaculatae Conceptionis B. V. M., tanquam fidei dogmatis, adducitur in exemplum quo ostendatur per definitionem Pontificiae Infallibilitatis nil novi quaeri, nil quod fidei regulae adversetur, optari. Inter utramque tamen magnum est discrimen. Quae de B. M. immaculate concepta fides a catholicis habetur, in Eius honorem, et sic in Domini honorem, cedit, et nullum incommodum secum trahit. Novum dogma non tantum iura Episcoporum laedet, sed fidelibus imponet necessitatem credendi, Romanos Pontifices in fide nunquam errasse, id quod historiae indubia monumenta improbare videntur;* et nunquam in posterum erraturos, id quod speramus, sed credere fidei divinae certitudine minime valemus. Praeterea in ista Immaculatae Conceptionis definitione, non sibi assumpsit Pontifex omnes partes; sed, sententiis orbis catholici prius exquisitis per litteras ad omnes Episcopos directas, ad eam definiendam processit. Nunc autem vult infallibilitatem suam ipsius a Concilio Vaticano definiri, quod ad id praecipue convocatum fuisse videtur; quamvis multi episcopi, ecclesias principaliores orbis christiani repraesentantes, eam, nec in se nec in rerum adiunctis, fieri probent. Salvo pio affectu, quem erga Matrem Domini semper tenui, et erga egregium hoc Eius privilegium, quod foveo, et inter cuius definiendae auctores fui; salva etiam reverentia Sanctae Sedi debita, nequeo tacere sententiam, quam proposita nova definitio suggerit, et quam plena libertate episcopali exponam. Per istam definitionem videtur ab antiqua Ecclesiae regula et consuetudine recessum fuisse. Regula est: nihil in Ecclesia innovari posse: nil fidelibus credendum proponi, quod ab omnibus, ubique et semper creditum non fuerit. Consuetudo: ut definitiones fidei Catholicae nonnisi

contra novos errores fidei *contradictorios*, veterem fidem novis forsan vocibus, exprimendo novatorum effugiis et artibus obviam fieret. Per Bullam *Ineffabilis Deus*, cui tamen minime repugno, quamvis vim eius theologice expendere ausim, utrisque tum regulae tum consuetudini derogatum fuisse videri possit. Sententia, quae nullum certum et indubium testimonium Sacrae Scripturae neque in Patrum libris, habere videtur ; quae necessariam connexionem cum mysterio Incarnationis Dominicae, unde scholasticae argumentationis adminiculo eruitur, quamvis cum isto mysterio nonnisi secundario, ut ita dicam, connectatur, adeo ut eius negatio non induceret Incarnationis negationem ; quae a tam multis et tam sanctis Ecclesiae doctoribus, seu theologis, impugnata fuit ; quam ipsi Pontifices in scholis impugnari permiserant, pietatis potius impulsu quam alicuius necessitatis causa, ad dogma fidei catholicae evecta est. Si eam negare nunc haeresis sit, eam semper haeresim materialem fuisse agnoscere oportebit, quum tamen Augustinus dicat, Ecclesiam nil contra fidem tolerare posse. Hinc factum est, ut argumentum, quod maxime valebat cum de Ecclesia cum haereticis disputabant theologi, nempe, nil innovari in Ecclesia, magna ex parte infirmatum sit ; cum ista definitio os eis occludere videatur. Has, quas enumeravi difficultates, quas eo solo fine enumerandas censui, ne eae nova definitione augeantur, senserunt plures Catholici, praecipue ex iis, qui ad fidem conversi sunt. De nonnullis asserere possum, eos magno discrimini fidem amittendi expositum iri, si nova definitio Pontificiae Infallibilitatis fiat. Haec omnia mihi videntur probare, sententiam, quam definiri a Concilio Vaticano plures episcopi rogarunt, non adeo certam esse, ut definiri possit. Quae si non omnibus probantur, gradum facio ad secundum caput huius meae dissertatiunculae, quo eam definiri, etiamsi vera esset, a Concilio praesenti ostendere conabor minime expedire.

II. *Pontificiam infallibilitatem definiri a Concilio Vaticano non expedire videtur.* 1. Etiamsi vera esset sententia, quam oppugnandam suscepi, eam ad gradum dogmatis Catholicae Fidei evehere minime expedit. Ut nihil dicam de pluribus incommodis, seu potius gravissimis periculis, quibus fideles, praecipue in regionibus ubi mixtim cum protestantibus et aliis

acatholicis vivunt, quae adeo gravia futura esse praevideo, ut exercitium pastoralis muneris admodum difficile et ingratum certe reddant, *Ecclesia Ipsa maximo discrimini obiicietur, ne, occasione istius definitionis, auctoritas Concilii in dubium vocetur, cum discordiarum augmento, si non schismatis etiam periculo.* Certe non desunt, qui legitimas adesse causas Concilii in dubium vocandi censeant. Has causas recensendas duxi, ut periculum indicatum evitari possit. *Duplici ex capite videtur oecumenicitatem Concilii controversiis expositum iri; nempe ex eius compositione, et ex defectu plenae libertatis.* 2. Qui in Concilio adsunt Patres ad quinque classes revocari possunt: 1. *Episcopi titulares, qui sedes proprias habent, quas regunt ordinaria auctoritate episcopali.* 2. Episcopi annulares, qui, episcopali charactere insigniti, nec sedes nec greges habent, et paucis demptis, in Curia Romana munia exercent. 3. Episcopi alii *in partibus*, qui nomine Vicariorum Apostolicorum, missionibus praeficiuntur; qui omnes a Sancta Sede immediate pendent, adeo ut ad nutum Pontificis Romani amoveri possint. 4. Cardinales qui non sunt episcopali charactere insigniti, aut non sint titulares. 5. Abbates et Superiores Ordinum Religiosorum. Ex his quinque classibus *ii soli, qui ad primam pertinent, ius certum et ab omnibus agnitum habent in rebus fidei iudicium ferendi.* De iure episcoporum mere annularium inter theologos disputatur. De Vicariis Apostolicis, episcopali Charactere insignitis, dubium quoque moveri potest; non tantum quia Sedes proprias non habent, sed quia a Sede Apostolica immediate pendent, ad nutum Pontificis amovibiles. De iis, qui in duabus ultimis classibus enumerantur, nullum dubium moveri posset; cum omnes agnoscant eos nullum ius de rebus fidei iudicium ferendi, nisi ex consuetudine habere. In praesenti Concilio agetur de adversis iuribus Pontificis Romani et Episcoporum. *Si Papa se solo infallibilis sit, iudicium nullum exercent episcopi, et in Concilio nonnisi eius consiliarii sunt.* Hinc non ad Pontificem solum, sed Concilium ex episcopis titularibus, Praesidente Pontifice, pertinere debet statuere, quodnam ius caeteris in quatuor ultimis classibus enumeratis compete-

ret, cum aliter Pontifex Concilio dominari videri posset. 3. Praeterea, in Bulla Convocationis ad Concilium, onus impositum est episcopis, qui ei interesse non potuerint, procuratores eorum nomine, et debitis instrumentis instructos, ad Concilium mittendi. Initio Concilii quadraginta procuratores episcoporum absentium aderant, quibus tamen ingressus in Concilium denegatus est. Cum autem titulares episcopi, iustam causam absentiae habentes, procuratores, qui eorum locum in Conciliis occupent, mittendi, ius strictum habere videantur; id quod in rei natura fundatum, in Conciliis antiquioribus agnitum est, eorum a Concilio Vaticano exclusio, sola Pontificis auctoritate, videtur oecumenicitati Concilii praeiudicium ferre. Si id iuris dubium esset, pertinuisset certe ad Concilium de iis, sicut de caeteris, de quibus supra, statuere; sed ob causam mox referendam sententiam Concilii exquirere non est permissum. Quod in Tridentino Concilio procuratores ad vocem decisivam non fuerint admissi, id factum est, tum ob conatum Viceregis Neapolitani episcopos istius regni, ad centum circiter, per deputationem quatuor repraesentari facere; tum ob metum, cuius iustae causae aderant, ne episcopi plures, missis eorum nomine procuratoribus, Concilio interessendi munus declinarent. Et tamen potius legatorum Pontificiorum auctoritate quam ipsius Pontificis, ut ex historia Concilii constat, ius illud episcopis nonnullis Allemaniae negatum est. 4. Ex alia etiam parte videtur auctoritas Concilii in dubium vocari posse. Summus Pontifex per Constitutionem *Multiplices inter* patrum iura aliquatenus imminuisse nonnullis videtur. In ea ius proponendi in Concilio sibi soli competere asserit; et quamvis episcopis potestatem fecerit, aliqualem hac in re libertatem, eam tamen tum Deputationi Praesulum a Se constitutae, absque ulla omni Concilii cooperatione, tum sibi ipsi ligatam et obstrictam concessit. Per hanc Constitutionem videtur derogatum fuisse iuri, quod episcopis inesse Concilium Tridentinum agnovit (Sess. XXIV. *De ref.* cap. XXI.). Inde factum est; ut cum plures patres vellent Concilii sententiam de iure procuratorum absentium praesulum exquirere, et nil intentatum reliquerint, ut id efficere possent, nil efficere potuere. Plura omitto quae Con-

cilii auctoritatem minuere apta videntur, et quae in publicum iam evaserunt; adeo ut silentio ea premere non amplius locus sit. Haec commemoravi, non animo ut minas intentem, ut aliquibus videri possit, sed ut magnum adesse periculum commoneam, si definitio Pontificiae Infallibilitatis, ex se tot periculis circumscripta, Concilii Generalis nomine prodeat, id quod potius discordiis augendis quam paci fovendae, cum ipsius Pontificis dedecore et Episcoporum iurium imminutione, inserviturum mihi persuasum est.

1941.

Eppi Moguntini (L. B. Ketteler) schema de Ecclesia, signanter Romani Pontificis Primatu et infallibilitate.

— — *Cap. 5. Omnibus Apostolis Christus Petrum praefecit.* Licet Christus Dominus eandem Apostolis ordinis potestatem concesserit, non tamen aequalem cunctis iurisdictionis docendique auctoritatem attribuit, sed *Petrum omnibus praefecit, eique plenam ad pascendam, regendam et gubernandam universam Ecclesiam potestatem contulit;* ut in tanta per terrarum orbem Evangelii diffusione ordo et unitas religionis servaretur, et *Ecclesia super Petrae soliditate firmata nullis tempestatibus labefactari posset.* Non enim alio modo intelligenda sunt verba illa divini Architecti Ecclesiae: Tu es Petrus etc. (Matth. XVI. 18. 19.) et illa alia: Ego autem rogavi etc. (Luc. XXII. 32.) ac demum verba, quibus iterum ac tertio Salvator noster Simoni Petro dixit: Pasce etc. (Ioan. XXI. 15. ss.) nisi quemadmodum Ecclesia per totum orbem ubique diffusa semper intellexit.

— — *Cap. 10. De Apostolorum successione.* Ut Ecclesia usque ad finem seculi duraret, divina ordinatione statutum est, ut commissa Apostolis pascendi gregis auctoritas successoribus demandaretur, et *Petrus in suis successoribus perpetuo viveret.* Non enim Ecclesia Dei consistere posset Pastoribus privata, qui illam gubernarent, et *aeternum aedificium aeternum habeat fundamentum necesse est.*

Cap. 11. De Episcopis. — Ecclesia semper credidit, Eppos canonice electos consecratos et assumtos in Apostolorum locum succedere, triplicis illius potestatis haeredes, quam Apostoli ad pascendum gregem Dei a Christo Domino acceperant. De ipsis ait Apostolus: a Spiritu S. positos esse Eppos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sangvine suo. (Act. 20, 28.) Ipsi sunt primi ordinis in Ecclesia sacerdotes, speculatores civitatis Dei, pastores gregis dominici, columnae domus summi Regis, magistri populorum, legitimi rerum fidei et morum iudices, qui *sub Romano Pontifice, visibili Pastorum Principe*, divina potestate commissam sibi regant et moderentur Ecclesiam.

Cap. 12. De Romano Pontifice, B. Petri principis App. successore. Cum Petrus Romanam Ecclesiam rexisset et glorioso cruore consecrasset, factum est, *ut Romani Eppi agnoscerentur ac essent veri et legitimi successores Petri, in quos tota illa Primatus potestas transmittitur, quam Petrus ad pascendum universum dominicum ovile a Christo Domino acceperat.* Ideo Ecclesia Catholica apostolicis traditionibus instructa et a Spiritu S. edocta semper et ubique grato animo agnovit et inconcussa fide credidit, *S. Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totius Ecclesiae Caput et omnium christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi regendi et gubernandi universam Ecclesiam a Domino Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecum. Conciliorum et in sacris Canonibus continetur.* Haec est illa antiquissima, beatissima et glorio-

sissima *Romana Ecclesia*, cui duo Apostolorum principes totam cum sangvine doctrinam profuderunt, *quam Deus constituit columnam, arcem et propugnaculum fidei, in qua est vera et plena christianae religionis soliditas, quaeque immaculatam semper conservavit illam doctrinam, quam a suis fundatoribus accepit.*

Cap. 13. De exercitio divini Ecclesiae magisterii. Haec catholica et apostolica Ecclesia, foecunda Sanctorum mater, cui utriusque foederis Scriptura testimonium reddit, quae super columnis Epporum consistens, *super fundamento Romani Pontificis aedificata*, ipsi angulari lapidi Christo Iesu, auctori omnis vitae salutaris, innititur, *divinum sibi commissum docendi omnes gentes munus exercet: sive cum in Oecumenicis Synodis sub auctoritate Romani Pontificis res fidei et morum definit, sive cum per universum orbem diffusa eandem cum Romana Ecclesia, quae omnium Ecclesiarum est mater et magistra, doctrinam promulgat, sive cum per suum Caput, ad quod omnia membra conveniant necesse est* (vel: ad quod necesse est convenire omnem Ecclesiam, quodque eodem cum universo corpore spiritu veritatis vivit), *quaenam sit apostolica traditio et ecclesiastica praedicatio, christianos populos edocet. — (***Friedrich** *Documenta ad illustrandum Conc. Vatic.* II. 404. ss. (extractive.)

1942.

Eppi Calvensis et Theanensis (Barthol. d' Avanzo) votum de Schemate super infallibilitate R. P. 1870.

Laetentur coeli et exultet terra, gaudeat etiam S. Mater Ecclesia, quia *parvus fons,* qui *crevit in fluvium* maximum, ac diebus nostris in *aquas plurimas redundavit,* iam convertitur *in lucem,* ut cum Scripturis loquar, et mox ex gratia D. N. I. C. *in solem* omnino accrescet. (Esth. 10, 6. 11, 10.) Nimirum fons ille parvus dubitationum circa Papae inerrantiam, quem *Cancellarius* quondam *Sorbonae*, transversae prorsus ac deviae mentis vir, *Gerson*, occasione schismatis Occidentis in *Concilio Constantiensi* Sec. XV noviter effodit, qui tamen ferme exsiccatus daemone discordiarum insufflante Sec. XVII crevit in fluvium maximum divisum in quatuor capita, *Gallicanismum* scilicet, *Iansenismum*, *Febronianismum*, *Caesarismum*, diebus hisce nostris ex inopinato in aquas plurimas redundavit, quae intraverunt usque ad animam Ecclesiae, quam I. C. D. N. acquisivit sangvine suo pretiosissimo. Sed iterum dico, laetentur coeli et gaudeat S. Mater Ecclesia, nam aquae ipsae redundantes iam convertuntur in lucem: *orta* enim *est aurora veritatis in distributo Schemate de Romani Pontificis inerrantia*, atque aurora isthaec Christo duce atque opifice mox in lucem solemque vertetur. Gaudeamus in Domino et nos, Supremi Pastoris, Christi Vicarii, oves et agni! *De qua* enim *re agitur, cum de Romani Pontificis infallibilitate agitur? Uno verbo dicam, de summa totius rei Christianae.* Re sane vera Ecclesiam esse Regnum a I. C. D. N. in terris fundatum plenum, independens, atque adeo omni perfecta humana societate perfectius, ecquisnam Catholicorum ibit

inficias? Iamvero quemadmodum in ordine causalitatis necessum est, ponatur causa quae producit et non producatur; in ordine cognitionum notio aliqua quae explicat et non explicetur; in omni aedificio fundamentum quod sustinet et non sustineatur: ita *in omni perfecta, independenti societate potestas requiritur adeo suprema, ut in gubernatione, in administratione, in legibus tum ferendis tum interpretandis, in iudiciis, in cunctis rebus praesit omnibus et subsit nemini. Cum itaque suprema isthaec potestas in Ecclesia sub Primatus nomine veniat, quem Romano Pontifici competere ex Catholicis dubium nemini, sequitur, quod Romanus Pontifex in Ecclesia Primatum gerens in omnibus gubernet et non gubernetur, iudicet et non iudicetur, mittat sed non mittatur; tantummodo ergo carebit primatu in ordine ad veritatem, ita ut non doceat sed doceatur?* Vel ergo Primatus, h. e. suprema potestas in Ecclesia non est, adeoque non est perfecta societas; vel, qui Primatum gerit, Romanus Pontifex, est infallibilis; *primatus* enim *in ordine ad veritatem nihil est quam inerrantia.* Rursum in omni humana perfecta societate Primatus iste in ordine ad veritatem, h. e. inerrantia saltem extrinsece praesumitur; ex quo enim suprema potestas posset in erroris vel iniustitiae suspicionem venire, omne ius ad obedientiam subditorum amitteret, cum nemo erranti parere teneatur; at in Ecclesia, societate spirituali, Primatus iste est prorsus fundamentalis intrinsecus. Equidem intellectus hominis veritatem sitit, adeoque nil unquam vere spiritui imperat, nisi veritas; cum ergo inerrantia sive infallibilitas sit certa sponsio pro veritate, ipsa sublata aufertur etiam unica illa ratio, propter quam spiritus Primatui ex conscientia obedire tenentur, atque adeo perfectum Ecclesiae Regnum radicitus dissolvetur.

Sed iam ut propius accedamus, *in Ecclesiae regno Veritas non est aliqua idea, sed persona divina*: „Ego sum veritas“; scilicet Dei Verbum caro factum, quod habitavit in nobis, ut viam vitae manifestius demonstraret, doctrinam humano generi tribuens salutarem. (C. Later. IV. Cap. Firmiter.) Qui profecturus ex hoc mundo ad Patrem, venturus iterum ad iudicandum, temporariae huic personali et visibili absentiae suae abunde providit in *Petro*, quem *Petram* constituit ad

fundamentum regni sui, h. e. Ecclesiae, atque vices et voces suas illi tradidit in hoc regno suo sub symbolo clavium, ita, ut quodcunque solverit in terra vel ligaverit, ab ipso Christo solutum vel ligatum foret in coelis. (Matth. XVI. 18. 19.) Quare cum Petrus pascit oves et agnos, Christus pascit; cum Petrus solvit vel ligat, Christus solvit vel ligat; cum Petrus iudicat, Christus iudicat; cum Petrus docet, Christus docet; cum Petrus confirmat fratres, Christus confirmat. *Non aliunde* ergo *Petri inerrantia derivat, nisi ex ipsa substantiali Veritate, quae voluit, ut infallibile magisterium, Ecclesiae societati spirituali tam intrinsecus essentiale, cunctis diebus semper vivens esset in supremo Capite Petro, tam in docendo quam in confirmando Pastores et fideles*, oves et agnos. (Ioan. 21, 17. Luc. 22, 32.) Atque inde admirabilis illa oeconomia comprehenditur, quam in institutione Ecclesiae suae Auctor fidei nostrae ac consummator Christus adhibuit. Nimirum de aeternali isto admirando aedificio, quod est Ecclesia, extollendo cogitans, prius de fundamento fuit sollicitus; quare sicut ad Abram dixit olim: tu vocaberis Abraham, ut in mutatione nominis iugiter novae suae missionis atque officii recordaretur; ita ad Simonem inquit: tu vocaberis *Petra*, quia super te aedificabo Ecclesiam meam; fundamento autem constituto iam de aedificanda Ecclesia cogitat, dicens ad Apostolos: Euntes docete. Itaque ne diceretur Ecclesia fundata supra seipsam, *prius designatur fundamentum Petrus, in fundamento primario Christo immediate fundatus:* „Ego dabo tibi, ego rogavi pro te"; *postea convocantur aedificatores Ecclesiae, h. e. Apostoli sub Petro Capite, qui eos doceat et confirmet, ita, ut Petrus ad aedificationem Corporis Christi in omnibus ab Apostolis quidem accipiat adiutorium, sed firmitatem in fide docenda, h. e. inerrantiam nonnisi immediate a Christo;* sicut iam prima vice in confitenda divina illius filiatione non caro et sangvis revelavit illi, sed Pater ipse coelestis manifestavit. Quae omnia velut per lancem saturam delibata iam abunde conficiunt, *quod dubium super Petri inerrantia sit dubium super ipsa existentia Ecclesiae*, quae idcirco gaudet modo super Schemate proposito, quod sit velut aurora; sed et gaudebit, cum aurora isthaec

per dogmaticam definitionem crescet in lucem atque in solem convertetur; quando enim oritur sol, omnes bestiae silvae rugientes contra ipsam in cubilibus suis collocabuntur, scilicet discordiarum daemones in infernum detrudentur cruciandi. (Ps. 103, 24.)*) — Datum Romae ex S. Dorothea die 17 Mart. 1870. — (**Acta officialia Conc. M. Vatic.** Taurini. 1871. II. 206.)

1943.

AEppi Baltimorensis proiectum de infallibilitate R. P.

Schema pro infallibilitate R. P. ex principiis iam ab Ecclesia universa receptis logice clareque definienda. In ipso Capite de Romano Pontifice damnatis primo loco erroribus contra eius Primatum, haec vel similia adiungi poterunt: 1. *Omnino reprobamus eorum temeritatem, qui a Summi Pontificis supremis iudiciis ad Concilium Oec. appellare audent.* 2. Deinde *prorsus damnamus perversas eorum cavillationes, qui dicere audent, externum quidem obsequium, non autem internum mentis cordisque assensum Rom. Pontificis iudiciis esse praestandum.* 3. Insuper *omnino improbamus eorum loquendi et docendi rationem, qui temeraria quadam et praepostera divisione inter coetum Epporum et Summum Pontificem excogitata, disputant: uter eorum videatur esse maior?* et sic Caput a corpore, Petrum ab Ecclesia distrahere et seiungere conantur; *quasi fratrum coetus, quos Petrus etiam in successoribus suis confirmare iubetur, posset unquam ab illo desciscere, cuius fides ex Christi promissione numquam deficiet; aut iis, qui a Petro docendi sunt et confirmandi, ipsum contra docere et confirmare liceret.* 4. Neque minus *reprobandam iudicamus illorum sententiam et agendi*

---

*) Cetera pertinent ad paucas reflexiones in Schema positas, quae hic omittimus.

rationem, qui, ut errores a Romano Pontifice damnatos in vulgus diffundere liberius valeant, dictitare non verentur, verum sensum librorum, ex quibus damnatae huiusmodi propositiones excerptae sunt, a Pontifice haud rite intellectum fuisse. Quae quidem omnia illustrantur confirmanturque ab iis quae sequuntur: 1. Ita quidem sentire se luculenter testatus est *totius fere catholici orbis Eppatus nuperrime Romae congregatus*, (1867) dum Summum Pontificem feliciter regnantem praeclaris hisce verbis allocutus est: *Non enim unquam obticuit os tuum. Tu aeternas veritates annunciare, tu seculi errores, naturalem supernaturalemque rerum ordinem atque ipsa ecclesiasticae civilisque potestatis fundamenta subvertere minitantes, apostolici eloquii gladio configere, tu caliginem novarum doctrinarum pravitate mentibus offusam dispellere, tu quae necessaria ac salutaria sunt tum singulis hominibus, tum christianae familiae, tum civili societati, intrepide effari, svadere, commendare supremi tui ministerii es arbitratus, ut tandem cuncti assequantur, quid hominem catholicum tenere, servare, ac profiteri oporteat. Pro qua eximia cura maximas Sanctitati tuae gratias agimus, et habituri sumus sempiternas; Petrumque per os Pii locutum fuisse credentes, quae ad custodiendum depositum a te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus, annunciamus, unoque ore atque animo reiicimus omnia, quae divinae fidei, saluti animarum, ipsi societatis humanae bono adversa, tu ipse reprobanda ac reiicienda iudicasti. Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto Unionis unanimes definiverunt: Romanum Pontificem* etc. (ut in decreto Flor.) 2. Viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino super Petrum, totius Ecclesiae Caput, Principem, et Pastorem, cuius fidem numquam defecturam promisit, aedificata, suos legitimos semper habet Pontifices, sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem, in eius cathedra collocatos, et eiusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris ac potestatis haeredes et vindices. Et quoniam *ubi Petrus, ibi Ecclesia* (Ambros. in Ps. 40.), ac *Petrus per Romanum Pontificem loquitur* (C. Chalced. Act. 2.), *et sem-*

per in suis successoribus vivit et iudicium exercet, (Syn. Ephes. Act. 3.) *ac praestat quaerentibus fidei veritatem;* (Petr. Chrysol. ep. ad Entych.) idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec Romana beatissimi Petri Cathedra, quae omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, (C. Trid. Sess. 7. de Bapt.) *fidem a Christo Domino traditam integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam et incorruptae veritatis doctrinam.* (Pii IX Ep. Encycl. 9 Nov. 1846, a Conc. Baltim. Plen. II relata in decr. de Hier. c. 2. p. 42. s.)

Rationes, ob quas Schema propositum magis expedire creditur. 1. Sperari tuto potest, fore ut huiusmodi Schema Patribus quasi universis magis arrideat, et eorum unanimi fere suffragio confirmetur. *Continet* enim *certa et inconcussa doctrinae catholicae principia* iam in universa Ecclesia recepta, quaeque agnoscunt et profitentur omnes, paucis exceptis, quorum numerus adeo exiguus est, ut eius nulla ratio habenda videatur. 2. Plena haec Patrum omnium, vel saltem fere omnium consensio non solum expedit sed omnino postulari videtur, quando agitur de capite doctrinae definiendo: praesertim in re tanti momenti, quae sane nemine, si id fieri possit, dissentiente definiri deberet. 3. Hoc autem tempore eiusmodi *unanimitas* summopore necessaria videtur, ob voces in vulgus sparsas et ubique creditas, quibus magna inter Patres hac de re discordia esse perhibetur. *Unanimis Patrum definitio hostibus nostris sic temere gloriantibus os penitus obstrueret, et maximam Ecclesiae Dei aedificationem pararet.* Profecto satis hostium externorum habemus, quin in ipsis Ecclesiae castris nova dissidia excitemus, vel ullo modo fovere videamur. 4. *Propositus implicite definiendi modus quamvis sit indirectus, videtur tamen tum vi tum simplicitate praestare. Clarior enim est, ac plura forsan continet, quam definitio formalis et explicita. Haec enim plures cavillandi locos theologis suppeditabit.* Disceptabitur perpetuo inter eos, quando et quibus rerum adiunctis Romanus Pontifex omnes Christifideles allocutus fuisse, et infallibile iudicium protulisse credendus sit. Indecisae adhuc manebunt omnes illae quaestiones,

etiam inter piissimos Pontificiae infallibilitatis propugnatores hactenus agitatae, de persona Pontificis docentis publica et privata, de vera locutionis *ex Cathedra* significatione, de rebus quae ad fidem moresque vere spectant. Imo violentius forsan erumpent huiusmodi quaestiones, et longe maiori animi contentione pertractabuntur. 5. In proposito autem Schemate nulla fit nullaque requiritur distinctio expressa; nam *inerrantiam R. P. cum Ecclesiae ipsius infallibilitate intime coniungit, eamque veluti logicam ipsius Primatus sequelam et veluti corollarium exhibet*, adeo, ut tam late pateat iisdemque limitibus contineatur, ac ipsa Ecclesiae infallibilitas, ipseque divinitus constitutus Primatus; quae quidem fidei principia iam ab Ecclesiae ipsius primordiis satis fixa et determinata sunt. Huiusmodi igitur definiendi ratione ansa nulla praebetur sive theologis, sive fidelibus dubitandi aut cavillandi circa iussa et decreta Summi Pontificis, cuius sapientissimo consilio dum pascit tam agnos quam oves, sicut decet filios erga patrem, omnia reverenter et amanter relinquuntur dirimenda. 6. Demum haec definiendi ratio dum fixa quaedam et immota principia ubique recepta asserit, simul hoc commodi habet, ut non solum christianis omnibus infallibilem in fidei morumque rebus, nullo dubitandi vel cavillandi loco relicto, credendi et agendi normam proponat, sed etiam futurorum praecipue temporum bono prospiciat. *Formalis* vero *definitio cum vi sua ad omnia etiam retroacta secula protenderetur, facile universum historiae eccles. campum totumque Bullarium theologorum cavillationibus et haereticorum impiorumque adversus RR. Pontifices criminationibus, iam fere sopitis, aperiret.*

1944.

Petitio plurium **Epporum Galliae, Austriae** etc. ad Praesides Concilii de eo, **ut ante infallibilitatem R. P. discutiatur quaestio de relatione potestatis ecclesiasticae ad civilem.** 1870.

Cum Concilio Vaticano nihil propositum sit, quam Dei gloriam augendo et hominum salutem promovendo, quam optime fieri possit, prospicere, una eademque est omnium Patrum causa; et licet pro rerum humanarum natura fieri vix possit, ut opiniones inter se differentes in sacro hoc conventu non habeantur, absit tamen, ut in partes oppositas scindantur, qui ad veritatem, quae una est, vindicandam et dilucidandam congregati sunt. Animum igitur inducere non possumus ad credendum, frequentiores esse Patres, qui *accuratissimum examen quaestioni de Summi Pontificis infallibilitate debitum* aversentur. Quamquam autem *plures* supersint *difficultates,* investigationem, qualis in Congregatione Generali institui nequeat, omnino postulantes, *una tamen est, cuius summa gravitas neminem de animarum salute Deo responsurum fugere potest: nam institutionem de mandatis Dei populo christiano dandam et doctrinae catholicae ad societatem civilem relationem directe attinet.*

Longe absumus ab iniquo iudicio eorum, qui Pontifices medii aevi, quod de regibus regnisque iudicaverint, ambitionis effrenis et ordinis civilis perturbati accusant. Persva-

sissimum potius nobis est, eos legitime exercuisse potestatem iure publico gentium occidentalium ipsis adscriptam, et magna inde in populum christianum derivata esse beneficia. Cum autem *Pontifices illi,* prout doctissimus quisque tunc solebat, ad sui temporis normam res praeteritas aestimarent, falsis quoque relationibus de priorum seculorum Pontificibus, qui imperatores deposuerint, decepti essent, *et firmiter crediderunt et decretis rescriptisque enunciaverunt, divinitus eis ius collatum esse de rebus temporalibus cunctis ratione peccati praecipiendi et iudicandi;* etenim Christum Dominum S. Petro et in eius locum succedentibus duos tradidisse gladios, alterum spiritualem, quem ipsi gererent, alterum materialem, quem principes et milites secundum eorum mandatum gerere deberent. *Doctrinam hanc de potestatis Pontificiae ad civilem ratione* **Bonifacius VIII** *bulla* **Unam Sanctam** *promulgavit et fidelibus cunctis amplectendam proposuit.* Sunt, qui ad difficultatem eludendam asserant, Bonifacium nihil definisse, quam: omnes homines teneri ad Pontificem Romanum tamquam Ecclesiae Caput a Christo constitutum agnoscendum; attamen rerum inter Bonifacium et Philippum Pulchrum gestarum perito intentio Pontificis, qui Synodo de Franciae rebus habita bullam edidit, non evidens esse non potest. Evidentiae refragari veritatis amor non permittit, sed neque prudentiae consonum est; etenim qui eiusmodi armis utuntur, Ecclesiae adversariis eam calumniandi, et historiae testimonia pro ea militantia eludendi praetextus speciosissimos subministrant. Ceterum Summi Pontifices seculum usque XVII publice docuerunt, potestatem in temporalia ipsis a Deo traditam esse atque sententiam oppositam reprobaverunt.

Aliam de potestatis ecclesiasticae ad civilem ratione doctrinam nos cum omnibus fere orbis catholici Eppis populo christiano proponimus. Docemus enim: imparem quidem esse utriusque potestatis dignitatem, quum sicut coelum superemineat terram, ita bona sempiterna hominibus potestatis spiritualis ministerio procuranda altiora sint temporalibus, ad quae conservanda sive augenda directa potestatis civilis actio restringatur, *utramque tamen in rebus ipsi commissis sub Deo supremam esse, nec in officio suo alteri obnoxiam.*

Principem civilem tamquam Ecclesiae membrum subesse potestati ecclesiasticae; cui ex institutione divina ius collatum sit in imperatores quoque et reges poenis ecclesiasticis animadvertendi; nequaquam autem ius eos deponendi, subditosque ab obedientiae vinculo absolvendi. Potestatem de regibus regnisque iudicandi, quam Pontifices medii aevi exercuerint, eis ex peculiari quadam iuris publici conformatione partam fuisse, attamen institutionibus publicis et ipsis rebus privatis penitus immutatis eam simul cum fundamento, cui innitebatur, sublatam esse.

Quae de potestatis ecclesiasticae ad civilem ratione docemus, non nova sunt, sed perantiqua et SS. Patrum consensu, omniumque Gregorium VII usque Pontificum eloquiis et exemplis confirmata; unde verissima ea esse non dubitamus; Deus enim avertat, ut propter temporum necessitates genuinum legis divinae sensum adulteremus! Indicanda tamen sunt Ecclesiae pericula oritura ex decreto, quod cum hac nostra doctrina non consentiret. *Neminem latet, impossibile esse, societatem civilem iuxta regulam in bulla* **Unam Sanctam** *stabilitam reformare.* Verumtamen opinionum et institutionum humanarum vicissitudinibus neque ius a Deo collatum neque obligatio ei respondens auferri potest. Si Pontifex Romanus in S. Petro potestatem accepisset duobus gladiis tropice designatam, et, prout in bulla *Cum ex Apostolatus officio* asseritur, iure divino super gentes et regna plenitudinem obtineret potestatis, Ecclesiae non liceret fidelibus hoc occultare: nam vestigia sequatur oportet S. Pauli, eos, quos erudiendos susceperat, attestantis: „Non subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis.“ Institutione autem christiana hac ratione conformata Catholicos parum iuvaret multis asseverare: quae ad S. Sedis potestatem in temporalia pertineant, intra theoriae limites contineri, neque relate ad res et eventus ullius nunc ponderis esse, Pium IX de rerum civilium moderatoribus deponendis ne a longe quidem cogitare. Deridentes enim adversarii responderent: sententias Pontificias non timemus; attamen post multas variasque dissimulationes evidens demum effectum est, omnem catholicum, cuius opera fide quam pro-

fitetur regantur, natum esse reipublicae hostem, quum in conscientia se teneri putet, quae possit contribuere, ut universa regna et gentes Pontifici Romano subiicerentur. Superfluum est, multiformes calumnias et machinationes, quae ab Ecclesiae inimicis inde derivari possent, pluribus exponere.

Haec cum ita sint, de hac saltem difficultate attentius consideranti dubium esse nequit, eam, antequam de Summi Pontificis infallibilitate agatur, accuratissime discutiendam esse. Collationes iam 11 Martii a nobis postulatae ad ipsam dilucidandam plurimum conferre poterunt; attamen *quaestio, num Christus Dominus S. Petro et successoribus eius potestatem in reges et regna tradiderit, tantae est nostro cumprimis aevo gravitatis, ut Concilio directe proponi et ab eo omni ex parte perpendi et examinari debeat. Fas non esset, Patres inducere, ut de re, cuius consectaria adeo late patent, et Ecclesiae ad societatem humanam relationes tam multifarie alteque afficiunt, absque explicita et plena causae cognitione decernerent. Necesse igitur est, ut ipsis quaestio praedicta, priusquam undecimum Schematis de Ecclesia caput aggrediendum sit, ponderanda exhibeatur.* Si placet, separatim proponatur: cum autem solide diiudicari non possit, quin potestatis ecclesiasticae ad civilem ratio omni ex parte examinetur, nobis valde expedire videtur, ut Capita XIII et XIV ante XI pertractentur. Romae 10 April. 1870.

1945.

Petitio plurium Concilii Patrum ad Summum Pontificem, **ut Schema de infallibilitate R. P. sine ulla mora deliberationi Concilii proponi iubeat.** 1870.

B. P. Quum vehementiori in dies studio propagentur scripta, quibus Catholica traditio impetitur, Concilii dignitas labefactatur, fidelium mentes turbantur, ipsorum Epporum divisiones augentur, pax denique et unitas Ecclesiae gravius laeduntur; quum aliunde instet tempus, quo necessarium forsitan erit, Concilii adunationes suspendere, ac proinde periculum immineat, ne insoluta remaneat quaestio, quae animos agitat; ne diutius animae christianorum omni vento doctrinae circumferri sinantur, ne haereticorum et incredulorum improperiis Concilium Oecumenicum et Ecclesia Catholica exponantur, ne irremediabile fiat malum, quod iam nimium ingravescere patet: infrascripti Patres Vestram Sanctitatem humillime et instantissime obsecrant, B. Pater, ut pro munere, quod ipsi a Christo Domino commissum est, oves et agnos pascendi, et pro officio, quod ipsi iniunctum est, suos fratres confirmandi, solum efficax remedium tantis malis adhibere dignetur, iubendo scilicet, *ut Schema de infallibilitate Summi Pontificis sine ulla mora Concilii deliberationibus proponatur.* — Romae, 23 April. 1870.

1946.

Eorumdem Patrum epistola ad Summum Pontificem, exprimens gaudium, quod schema de infallibilitate R. P. deliberationi Concilii propositum fuerit. 1870.

B. P. Quanta fuit vis doloris, quo affecti ad tuam Sanctitatem supplices accedere nuper coacti sumus, tanto nunc gaudio impellimur ad gratias Ipsi humillime agendas. *Nuper* scilicet *violenti instar turbinis opinionum venti mentes agitabant; S. Sedis infallibilitas in signum contradictionis posita erat; et ita haec eius praerogativa a plurimis oppugnabatur, ut eorum argumentis ipse Petri et successorum eius Primatus, Petra nimirum Ecclesiae fundamentalis, impeteretur.* Inter haec Ecclesiae hostes exultabant; debiles in fide, scriptorum sive arte sive auctoritate commoti, dubii haerebant; pii vero fideles omnes haud levi sollicitudine et moerore premebantur. *Malo demum nimis cheu! ingravescenti efficax remedium attulisti, B. Pater, dum decretum illud Concilio proponi permisisti, quo solo tanta procella sedari potest.* Hac enim sola propositione moesti eriguntur animi, impugnatorum S. Sedis audacia frangitur, et concordiae tam desideratae spes certa oboritur. Hoc igitur tuum verbum, B. Pater, id in procellosa hac nostra aetate efficiet, quod olim in mari factum est, quando navis, dormiente Christo, tempestate quassabatur; ipso vero surgente et ventis imperante, magna tranquillitas facta est. Id ut quam citissime experiamur, tua Sanctitas precibus coram eo, cuius Vicarius es, fusis impetrabit; nos vero cum tuis nostras preces iungemus, ut quorum communis est causa, communis sit laetitia, et ut tuis praero-

gativis in tuto positis nostram quoque in populos auctoritatem confirmatam esse gaudeamus. Romae, in festo S. Petri M. (29 April.) 1870.

1947.

Relatio (Deputationis Conciliaris) **de Observationibus Patrum Concilii in Caput de Rom. Pont. Primatu et infallibilitate.** 1870.

Observationes factae a RR. Patribus in schema de R. P. Primatu aliae *generales* sunt, aliae *speciales.*

A. *Animadversiones generales.* I. *Animadvertitur* de *ordine et divisione* Capitis XI, quod quidem e RR. PP. alii censent praemittendum reliquis de Christi Ecclesia capitibus omnibus; alii vero quadrifariam esse dispertiendum, ita, ut sit Caput 1. de institutione Primatus; Cap. 2. de perpetuitate Primatus; Cap. 3. de natura Primatus; Cap. 4. de infallibilitate Primatus; utque singulis capitibus sui Canones respondeant. **Votum Deput:** Si, uti visum est, proponatur Constitutio singularis de Primatu R. P. utrique observationi satisfit. II. *Animadvertitur* de *forma,* quae ab aliis nimis dura et arida, ab aliis contra nimis elegans dicitur. **Votum Dep:** Visum autem est, *exigendam illam esse ad modum loquendi in similibus Oec. Conciliorum,* puta Lateranensis IV et V, ac Florentini, *dogmaticis capitibus adhibitum, qui non est paraeneticus, sed pro docentium auctoritate gravis, simplex, concisus, quique unctionem repetit ex dignitate dogmatis, quod iuxta verbum Dei scriptum et traditum declaratur atque credendum proponitur.* Ceterum quoad formam reliqui RR. PP. plerique omnes nihil observandum habuerunt. III. *Animadvertitur* de *omissa doctrina circa iura Epporum.* **Votum Dep:** Sed *haec animadversio per se non spectat ad Constitutionem de Primatu R. P. verum si facienda ea est, ad Constitutionem de Ecclesia Christi,* ubi sermo de Ecclesiae docendi regendique potestate, quae alia ab Eppali potestate non est

Hinc in schemate de Ecclesia Christi multis exponitur non modo ecclesiasticae potestatis obiectum ac praerogativa; sed declaratur quoque illius subiectum, qui sunt authentici doctores et pastores; scilicet sunt unice Eppi, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei. *Nunc* autem *quaeritur, utrum inter Eppos unus aliquis potestate excellat, seu quaeritur de supremo omnium doctore et pastore, qui est Romanus Pontifex.*

B. *Observationes speciales.* I. Eae referuntur ad *Prooemium*, circa quod 1. *animadvertitur:* dicendum non esse *in B. Petro institutum esse utriusque unitatis principium.* **Votum Dep**: Verum *id dici posse ac debere Ecclesiae Patres et Doctores tradunt,* quatenus nimirum constitutum fuit in Petro totius Ecclesiae caput, quo corpus in unitate continetur; quatenus in illo institutus fuit universalis omnium fidelium doctor et confirmator fratrum, per quem unitas fidei conservatur; et quatenus in eodem institutus fuit supremus universi gregis pastor, a quo unitas ovilis custoditur: de quibus inter alios probatos auctores disserunt *Petrus Ballerini* de vi ac ratione Prim. c. 10. — *Card. Gerdil* opusc. IV ad hier. Eccl. constit. pert. Opp. t. XI. p. 103. sqq. Sed ad rem sunt haec ex *Catechismo ad Parochos* in art. Symb. Credo sanctam Ecclesiam: „Unus est etiam eius rector ac gubernator, invisibilis quidem Christus, quem aeternus Pater dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus eius; visibilis autem is, qui Romanam Cathedram Petri apostolorum principis legitimus successor tenet: de quo fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem Ecclesiae constituendam et conservandam necessarium fuisse, quod praeclare et vidit et scripsit S. Hieronymus et contra Iovinianum his verbis: Unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio; et ad Damasum: „Facessat invidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor; ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, i. e. Cathedrae Petri communione consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio; quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.“

Idemque illico adductis testimoniis SS. Cypriani, Optati, Basilii, Ambrosii, et Augustini confirmatur. 2. *Animadvertitur*, loco „visibile fundamentum“ dicendum esse: „praecipuum fundamentum.“ **Votum Dep:** Sed iuxta verba Christi Domini apud Matth. XVI ex maiorum interpretatione et Ecclesiae sensu constanter dictum illud est, hoc inauditum. Quod vero attinet ad sententiam sive Scripturae sive Patrum, aedificatos nos esse super fundamentum Apostolorum, eius declaratio habetur in altera Relatione de observationibus in Cap. IV de R. P. infallibilitate p. 33.

II. Ad *Caput primum*, de quo *animadvertitur;* 1. Verbis Christi Domini apud Matth. XVI. 18 addendum esse incisum praecedens: „Ego dico tibi“, quo evidentius appareat, ad solum Petrum verba illa directe ac immediate referri. Hac autem observatione excluditur ista alia, qua 2. *animadvertitur,* non uni Petro, sed reliquis etiam Apostolis collatas esse praerogativas tum docendi per verba: „Euntes docete“, tum ligandi per verba: „Quaecunque ligaveritis“, tum regendi, quum omnes Eppi dicantur positi a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei. **Votum Dep:** Sed *haec adversantur communi sententiae Catholicorum Interpretum ac Theologorum*, apud quos sequentia distinguuntur: a) verba allata ad unum Petrum citra reliquos Apostolos dicta fuerunt; contra vero quae ad reliquos Apostolos dicta fuerunt, ad eosdem non citra Petrum fuerunt directa. Rursum b) iis, quae uni Petro dicta fuerunt, is constituebatur princeps Apostolorum; quae vero Apostolis omnibus una cum Petro dicebantur, ad eosdem pro distinctionis ratione, quae Petrum inter ac reliquos intercedebat, referebantur. Porro c) quaecunque omnibus Apostolis una cum Petro dicta fuerunt, ea Petro etiam soli dicta sunt; sed omnibus etiam una cum Petro Apostolis nullatenus dicta sunt, quae uni Petro Dominus dixit. Et d) in Apostolo Petro institutum fuit apostolicum munus et officium, quod una cum suprema illius apostolica potestate in successores iure divino iugiter propagaretur; unde Petrus potestatem apostolicam dicitur habuisse ordinariam, secus autem reliqui Apostoli. E quibus apparet differentia intercedens inter Petrum et alios Apostolos; atque multo magis discrimen apparet inter successores Petri et reliquorum Apo-

stolorum successores, i. e. Eppos, sive seorsum sive simul sumtos. Ceterum *huc pertinent censurae sententiis inflictae, quibus reliqui Apostoli coaequantur Apostolo Petro, quibusque reliquos Eppos eiusdem Petri successoribus coaequare student.* — 3. *Animadvertitur*, hinc omissam esse Traditionem, et inde omittendum fuisse incisum: „ut ab Ecclesia intellecta semper fuit." **Votum Dep:** Verum a) hoc ultimo inciso indicatur apprime divina Ecclesiae traditio, quae tamen cum historia non debet confundi; b) eodem inciso indicatur, traditionem, qua dogma de Primatu R. P. innititur, exegeticam esse; ut enim probati theologi inter traditionem exegeticam et constitutivam distinquunt, ita in eo iidem conveniunt, maiorum doctrinam de Petri primatu ad verba Scripturae eorumque declarationem revocari; hinc c) visum est omnino necessarium, ut locorum Scripturae classicorum, quibus Petri primatus innititur, sensus asseratur, quum is inprimis ac potissimum ab inimicis apostolici primatus in dubium vocatus sit et adhuc vocetur. 4. *Animadvertitur*, phrasi „iurisdictionis primatu" addendum esse „et magisterii." **Votum Dep:** Sed *potestas magisterii ecclesiastici, cuiusmodi est potestas docendi, tum in Eppis omnibus, tum in Eppo Epporum ad potestatem iurisdictionis* pariter *spectat*, secus ac heterodoxi opinantur.

III. Ad *Caput alterum:* de quo *animadvertitur*, distingvendum esse inter ius, quo Petrus habet generatim successores, quodque est ex institutione divina, et inter ius, quo Petrus habet successores nominatim in Sede Romana, quodque ex facto Petri repetitur: quare dicitur illud iuris esse divini, hoc autem satius ex divina ordinatione. **Votum Dep:** Attamen discrimen illud, quod fieri certe debet, indicatur a) tum verbis „Romanae Sedis ab ipso (scilicet a Petro, non a Christo) fundatae", b) tum verbis „quicunque in hac Cathedra succedit, is"; quibus successio in hac cathedra distingvitur a iure, quo primatus in universam Ecclesiam obtinetur. Posset ergo gravissimorum Patrum votis abunde satisfactum videri.

IV. Ad *Caput tertium:* de quo *animadvertitur* 1. circa allegatum ex Florentino Concilio documentum, a) ac si istud esset immutatum per additionem verborum *et iudicem supre-*

mum. **Votum Dep:** Verum *α) his verbis non mutatur ipse textus Florentinus*, quum illa non addantur uti verba Florentini; secus obtineret profecto falsitas verique nominis falsatio; *β) neque immutatur iisdem sensus verborum Florentini*, quum additio haec praecedenti definitioni Florentinae non sit contraria vel opposita, sed sit eidem omnino consona, imo sit eiusdem plenior explicatio; unde huc quoque pertinent, quae de simili exceptione dicta fuerunt in relatione de Analysi observationum in Caput addendum decreto de R. P. *γ)* Iamvero per auctoritatem posterioris Concilii, puta Vaticani, tales additiones fieri posse ad definitiones ipsaque fidei symbola Conciliorum praecedentium, puta Florentini, patet ex historia Conciliorum ac Symboli fidei Apostolorum, Nicaeni, CPni, Florentini, in quo nominatim celebris de phrasi „Filioque" in symbolum recepta habebatur quaestio; a parte Latinorum Georgius Scholarius orationibus praeclaris similem accusationem corrupti per Latinos Symboli cum multa Graecorum satisfactione ab Occidentalibus depulit. *δ)* Sed *convenire, ut haec additio fiat, apparet ex vigentibus temporum erroribus; quibus Apost. Sedes occurrit asserta ac vindicata praerogativa, qua Rom. Pontifex est supremus in rebus ad Ecclesiam animarumque salutem spectantibus iudex;* atque inde ipsa additio petita fuit. Ceterum quod hac voce effertur, id ipsum pluribus explicatum legitur in ultima parte confessionis fidei, quae in II Lugdunensi Concilio a Graecis fuit B. Gregorio X oblata, — b) *Animadvertitur*, acsi immutatum esset documentum per *detractionem clausulae* definitionis Florentinae. **Votum Dep:** Sed de huius clausulae omissione satis dictum videtur in adnot. ad Schema de Eccl. Christi; unde apparet, *clausulam hanc* „quemadmodum etiam in gestis Oec. Conciliorum et in sacris canonibus continetur" *neque esse praecedentis definitionis partem seu elementum, neque, uti affirmatur, illius esse restrictionem; sed patet eam esse mere externam ex auctoritate priorum Conciliorum petitam eiusdem confirmationem.* Ceterum de hac re inter alios scite disserit *Ios. Aug. Orsi* Ord. Praed. de R. P. lib. 5. c. 2: de vero sensu verborum decreti Unionis: quemadmodum etc. c) *Animadvertitur*, acsi per talem omissionem sibi contradiceret Pontifex, qui in

hoc ipso Cap. 3. affirmat, se in omnibus sequi praedecessorum suorum decreta. Atqui, subditur, *Gregorius 13*, *Urbanus 8*, et *Benedictus 14 in formulis fidei, quas Graecis praescripserunt, verba Florentina integra receperunt.* **Votum Dep:** Verum aliud profecto est, Pontificem affirmare, se velle in omnibus sequi praedec. decreta, h. e. fidem et doctrinam in decretis stabilitam; et aliud est, affirmasse Pontificem, velle se verbotenus allegare praedec. decreta sive omnia sive integra, et quoad singulos apices immutata; et hoc etiam tum, cum mutantur omnino species casuum et propositi fines. Atqui *laudatis Pontificibus propositum erat, schismaticos cum Ecclesia unire, adeoque receptas ratas fixasque Unionis formulas praescribebant, easque plenas et integras; sed heic Pontifex sacro approbante Concilio agit de confirmando speciali ex fidei formulis dogmate, e quibus proinde ea illarum testimonia vel incisa ducuntur, quae ad rem necessaria atque sufficientia videntur.* Ex tali autem differentia nemo arguet, aut Pontificem in aliquo a suorum praedec. recedere decretis, aut eundem sibi contradicere, quod in alia plane casus specie alia ac illi ratione formulis fidei utatur.

2. *Animadvertitur* circa declarationem, potestatem R. P. esse *ordinariam ac immediatam* iurisdictionis potestatem in omnes particularium ecclesiarum pastores et fideles: a) quasi haec non esset eppalis, sed primatialis. **Votum Dep**: Sed *potestas, quae a Christo Domino collata B. Petro fuit* apud Ioan. XXI. 15. ss. *est potestas pascendi agnos et oves; et talis potestas dicitur et est eppalis.* Porro, uti apparet ex iisdem Christi verbis, *eadem potestas directe immediateque ita collata Petro fuit, ut eam haberet vi impositi officii pastoralis in universum gregem*, qui totus ipsi citra aliud medium fuit commissus. Est ergo *potestas universalis et ordinaria et immediata in totum gregem*, h. e. in omnes agnos et oves, seu in omnes particularium ecclesiarum pastores et fideles. Hinc liquet α) potestatem supremam pascendi universum Christi gregem in Romano Pontifice vere esse eppalem, non autem primatialem. β) Liquet, eandem supremam R. P. potestatem pastoralem non tantum ordinariam esse, quod in Later. IV Concilio definitur; sed etiam immediatam, et quidem

non eo sensu, etsi verissimo, quo Petrus (uti Cap. 1. huius Constit. declaratum est) a Christo Domino immediate potestatem accepit; verum hoc sensu, quod eam exercendam immediate in gregem uniuersum accepit. Sed idem hoc est, quod disertis verbis exponendum curavit Papa *Pius VI* in responsione data ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, et Salisburgensem Sect. 2. c. 8: „Quinimo, inquit, Patres et Concilia tam ante quam post Gregorium M. inito veluti inter se foedere Romanum Pontificem certatim appellaverunt sacerdotem sacerdotum, patrem patrum, eppum epporum, et eppum universalem; ita, ut Facultas theologica Parisiensis 1413 erroris notam inusserit huic sententiae: Papa Romanus non est Eppus universalis; eundemque nuncuparunt etiam Iudicem supremum, quippe qui specialiter claves regni coelorum et principatum iudiciariae potestatis obtinuit, dispensatorem canonum et Christi Vicarium.“ Quibus ex *S. Bernardo* de Consid. l. 2. c. 6. 8. probatis subiungitur: „Haec auctoritas pascendi cum clavium potestate coniuncta Petro peculiarem in modum attributa sicut auctoritatem praesefert in omnes fideles ordinariam atque immediatam, ita eandem praesefert in omnes pastores, qui quacunque demum praefulgeant dignitate, non solum non sunt Pontifici pares, sed ita eius auctoritati subduntur, ut qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias, ii si Pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur. Petro imperatum est, ait *Bossuetius*, ut amore ceteros Apostolos antecelleret, mox ut cuncta gubernaret, et pasceret omnes agnos et oves, filios et matres et ipsos quoque pastores: pastores, inquam, si populi respiciantur, oves, si Petro comparentur. Unde recte est illud a *Gersone* animadversum, quod quemadmodum Eppi in totius dioecesis parochiis suam iurisdictionem exercent, ita praestare idem possit Summus Pontifex in tota qua late patet Ecclesia, et in omnibus dioecesibus Epporum. Quod divina verba patefecerunt, quodque concors Patrum sententia prodiderat, id a Conciliis quoque luculentissime definitum est: ea quippe summum agnoverunt et coluerunt in Romano Pontifice primatum seu principatum super universam Ecclesiam, cumulum scilicet potestatis et ordinariae iurisdictionis super omnes et singulas catholici orbis dioeceses,

ad causas etiam definiendas, quae aut fidem respiciant aut negotia spectent ad eccles. forum pertinentia."

b) *animadvertitur*, quasi illius declarationis vi aut excluderetur aut detrimentum pateretur potestas Eppalis. **Votum Dep**: Sed enimvero α) *phrasis, de qua agitur, est positiva et affirmans, non exclusiva et negans*; quare per illam alii pastores, iique ordinarii ac immediati nullatenus excluduntur; imo vero β) eo ipso, quod Romanus Pontifex constanter dicitur Pastor universalis, significantur pastores particulares. Sane γ) in Cap. X de Ecclesia Christi non alia Eppis asseritur potestas, quam ipsa quae ordinaria ac immediata est; verum δ) secundum *Thomam* illa duo: „Pastor supremus itemque universalis, et pastores inferiores itemque particulares" nullatenus semet excludunt; contra tantum abest, ut per priorem illam Summi Pastoris potestatem haec altera obnoxiorum pastorum impediatur, ut per eam stabiliatur, firmetur, vindicetur; uti vice versa per hanc alteram inferiorum pastorum potestatem Supremi Pastoris potestas non impedienda, sed iuvanda asserendaque est. Ad rem *Gregorius M.* ep. 30 ad Eulogium Alex: „Meus namque honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur." Unde ε) cum excipitur, nullam Pontifici asserendam potestatem esse, nisi quae sit possibilis, i. e. exerceri ab ipso possit, talem autem non esse potestatem immediatam, quae illi asseritur: respondetur primo, potestatem omnem, quam Christus Dominus reapse instituit, possibilem esse; instituit autem in B. Petro potestatem illam, de qua agitur. Respondetur deinde, *exceptionem a falsa proficisci hypothesi vel praepostera explicatione potestatis immediatae, quae Romano Pontifici asseritur, quasi significaretur, aut Eppos, qui sunt Pastores particulares, non esse in Ecclesia iure divino semper debere; aut Romanum Pontificem regere unquam posse Ecclesiam absque Eppis seu pastoribus particularibus. Verum namque est, Romanum Pontificem ita habere potestatem ordinariam et immediatam in universam Ecclesiam, ut ex statuto divinitus ordine in partem sollicitudinis vocet Eppos particulares, qui potestate ordinaria*

et immediata particulares sibi commissos greges pascant et regant.

V. Observationes in *Caput quartum* de *suprema et infallibili R. P. in rebus fidei et morum definiendis auctoritate* ad tres classes facile revocantur. Propositum enim Schema 1. *quidam Patres censent aut integrum aut saltem quoad eius substantiam retinendum;* 2. *Alii ex integro mutandum;* 3. *Alii omnino omittendum.* Trium harum sententiarum rationes sequentibus capitibus brevi modo comprehenduntur.

Rationes primae sententiae. 1. E rationibus, ob quas schema retinendum esse censetur, una externa est, aliae internae sunt. Externa ex ipso RR. Patrum huius Concilii suffragio et auctoritate repetitur. Internae vero rationes sitae in eo sunt, quod rei definiendae fundamenta in Schemate allata a) ex formulis fidei, iisque receptis in Oecum. Conciliis depromta fuerunt; quod ea petita fuerunt b) ex eiusmodi oecum. Conciliis, in quibus Oriens et Occidens in eiusdem fidei et caritatis unitatem conveniebant; quodque eadem c) quemadmodum quoad auctoritatem omni exceptione sunt maiora, ita Scripturarum testimonia ad rem potissima complectuntur, et quoad vim probandi tam clara atque perspicua existunt, ut considerata et retenta, uti par est, verborum ac phrasium proprietate et vi, infallibilitas, de qua quaeritur, iisdem vel aequipollenter efferatur vel virtualiter ac implicite, ut aiunt, contineatur; quod propterea d) ipsa huius infallibilitatis definitio, si in Vaticano Concilio fieret, non esset nisi expressa seu explicita doctrinae praecedentium Conciliorum declaratio; atque ita e) haec eadem Vaticana definitio ac fides appareret tamquam fidei praecedentium Conciliorum continuatio atque explicatio, qualem in prioribus Conciliis circa alia fidei dogmata similiter factam esse ex historia Conciliorum et dogmatum constat. (Concilia I et II quoad dogma SS. Trin. — Concilia III—VI quoad dogma de Verbo incarnato; Concilia VIII. Lugd. II. et Florent. quoad dogma de primatu Rom. Sedis.) 2. *Censetur tamen Schema* rursus ob duplicis generis rationes tum externas a votis Patrum pendentes, tum internas ex ipsis rebus, de quibus agitur, ductas *in nonnullis expoliendum seu perficiendum.* Nimirum a) allatis fidei formulis *addatur*

Caput definitionis de Rom. Pontifice in C. Florentino sancitum, quum in se praeclarum sit, et tam huius Concilii, licet in eo Oriens cum Occidente uniretur, quam ipsius definitionis legitimus valor a veritatis hostibus in dubium vocetur. Accedit, quod *definitio Florentina sententiam exhibet verborum Domini in Ioan. XXI, tertii loci classici ad primatum beati Petri spectantis, quo, sive consideretur in se, sive cum maiorum traditione comparetur, principis Apostolorum successorumque eius infallibilitas aperte demonstratur.* Quod praeter alia ex actis ipsius Concilii Florentini constat. Quum enim mandante Summo Pontifice et praesente uno ex Cardinalibus, Patribus Graecis caput de Romano Pontifice a theologis authentice explanaretur, *Ioannes de Montenigro* declaravit, verbis de plena potestate pascendi haec tria contineri „primo, quod pascere omnes oves est commissum Petro et successoribus eius; secundo, quod Sedes Apostolica numquam in aliqua erroris parte depressa est, sed semper mansit immaculata in fide; tertio, quod tanta est eius auctoritas, quod universalis Ecclesia et universae Synodi semper fideliter secutae sunt, et Patres catholici semper susceperunt eius apostolicam doctrinam; et quod illa verba: *ut non deficiat fides tua* intelliguntur de Sede Apostolica, et quod sit immunis ab haeresi, atque *confirmationem* omnium fratrum titubantium in fide ad ipsam Sedem et Rom. Pontificem pertinere.“ *(Labbe* Conc. XVIII. 1156.) Optant praeterea, ut b) *addatur testimonio ex Luc. 22 petito alterum incisum, quod gravissimum et ad rem necessarium est; quum vi eius S. Petrus constitutus fuerit fratrum omniumque Christifidelium firmamentum,* ut S. Cyrillus Alex. interpretatur. (Apud *Mai* nova PP. Bibl. II. 420.) Plures etiam flagitant, ut c) *adiiciantur verba ex epistola S. Agathonis Papae sive ad Imperatores, sive ad Concilium Oec. VI, quibus praeclare infallibilis in definiendis fidei rebus RR. PP. auctoritas asseritur.* Postulant deinde, ut d) *addatur ipsi definitionis formulae incisum, quo indicetur, Romanum Pontificem ita per se ab errore immunem esse, ut ad decisiones ipsius infallibiles reddendas aliorum Epporum consensus sive concursus, ut aiunt, non requiratur, eo, quod in hoc apprime situs si*

error, qui nunc maxime grassatur; e) *mutetur formula definitionis ita, ut in recto seu immediate definitio cadat in Pontificis infallibilitatem*, dicendo nimirum: „Docemus et definimus, Romanum Pontificem, cui in persona beati Petri dictum est: Ego pro te rogavi, — habere divinam Spiritus S. assistentiam etc.“ quae mutatio propterea postulatur, ne infallibilitas decretorum Summi Pontificis tribui videatur potius divinae alicuius providentiae ordini, quam ipsi Romani Pontificis praerogativae; f) *adiiciatur Canon, quo oppositi definito dogmati errores diserte reiiciantur;* quia id cum rei gravitate atque recepto Conciliorum usu consonum est; et ne putare aliquis possit, huic fidei dogmati a Vaticano Concilio minus quam aliis fidei capitibus consultum fuisse; g) *perficiatur ipsum huius Capitis initium, ne idem aut nimis appareat abruptum, aut ne, quod nonnullis visum est, infallibilitatis definitio uti pars alteri Capiti inserenda censeatur.* Dignitas enim ac gravitas rei, quae nunc primum tamquam dogma fidei expresse declaratur, eiusmodi proponendi seu tractandi modum exigere videtur.

Rationes secundae sensentiae. Rationes, ob quas propositum Schema ex integro mutandum censetur, fere eaedem sunt, quae ab aliis pro schemate perficiendo seu reformando afferuntur. His itaque emendationibus adhibitis videtur votis potissimis etiam eorum RR. Patrum satisfactum, qui schema immutandum censuerunt.

Rationes tertiae sententiae. Quod iamvero ad tertiam Observationum classem attinet, quibus totum schema simpliciter *omittendum* ac *reiiciendum* dicitur, eae ad *duo genera* revocantur, *quorum alterum speciatim ac directe circa ipsum schema versatur, scilicet ad evertenda tum allata in eodem definitionis fundamenta, tum singula definitionis propositae elementa, quae fundamentis illis innituntur; alterum vero generatim respicit universam definiendae infallibilitatis causam, spectata tam veritate quam opportunitate ac necessitate eiusdem.* **Votum Deputationis**: Porro omnibus, quae *in ipsum schema* animadvertuntur, rite expensis, *visum est, declaratam superius Schematis firmitatem per factas exceptiones nullum detrimentum pati, quum expositae contra*

utramque Schematis partem difficultates omni vi carere deprehendantur.

A. Sane quod attinet ad difficultates contra *priorem schematis partem,* qua *rei definiendae fundamenta* exhibentur, *vi carent* I. *exceptiones criticae, quasi formula, quae in schemate adscribitur* **Hormisdae**, 1. *non huic, sed* **Hadriano** *Pontifici tribuenda sit.* Instituta namque collatione inter formulam *Hormisdae* ab Orientalibus subscriptam, et formulam *Hadriani* in VIII Concilio veluti fidei regulam receptam, *manifesto apparet, hanc ad priorem illam ita esse expressam, ut prior in secundam fuerit ad amussim prope translata.* Quum enim reliqua omnia quoad singula incisa ac verba in utraque formula plane identica sint, tota quae adest differentia, huc redit: ut a) paucissima fuerint in formula Hadriani declarationis ergo *adiecta*; scilicet post primam formulae Hormisdae periodum ab Hadriano (vel potius ab eius praedecessore Nicolao) addita fuit brevis explicatio, cur distingvantur „fidei regula“ et „constituta Patrum“, sive „constituta Dei et Patrum“; rursum post incisum „servata religio“ formulae prioris, in altera ab VIII Concilio probata additur: „et sancta celebrata doctrina“; mutata tandem phrasi „spe et fide“ in phrasim „fide et doctrina“, post incisum „constituta Patrum“ in formula Hormisdae, in altera adiicitur: „et praecipue sanctorum Sedis Apostolicae Praesulum“; ut b) formula fidei, quae ab Hormisda opponebatur suae aetatis haereticis atque schismaticis, Nestorianis nimirum, Eutychianis atque Acacianis, eadem ab Hadriano opponatur Iconomachis atque Photianis. Quibus reiectis Hadriani formula in VIII Concilio approbata iisdem plane ac Hormisdae formula verbis absolvitur. Quare quum Hormisdae formula, sive res sive verba respexeris, tota quanta ab Hadriano fuerit accepta, nec nisi hinc brevissimis duntaxat declarationibus aucta, inde pro temporum suorum adiunctis adaptata, merito in Schemate adnotatur, quod communi etiam usu receptum est, Hormisdae formulam fuisse in Concilio VIII ab Hadriano propositam, et ab eiusdem Concilii Patribus subscriptam. Ceterum quod ad ipsa verba ex formula Hormisdae in Schemate allegata pertinet, ea totidem habentur in formula ab Hadriano in VIII Concilio proposita,

cum hoc solo discrimine, ut in posteriori occurrat incisum „et sancta celebrata doctrina,“ quod in Schemate quoque conservatum est. Sed inde nec difficillimus quisque reale formularum discrimen iure arguet: et satis provisum erit, si nota Schemati supposita ita concipiatur: „Ex formula S. Hormisdae Papae ab Hadriano II Concilio Oec. VIII proposita et ab eiusdem Concilii Patribus subscripta.“ 2. *Vi etiam caret exceptio altera, quasi allegata in Schemate formula* **Hormisdae**, *tribui debeat* **Ioanni** *CPno Patriarchae, in cuius libello fidei directo ad S. Hormisdam Papam eadem formula ex Isidori collectione reperitur.* Sed hisce confunditur auctor libelli cum eo, qui eidem fidei libello subscripsit. Scilicet fidei formula sive libellus Hormisdae, quem recepere primum Eppi Epiri in Synodo uniti, tum provinciae Dardaniae, Illyrici et Thraciae, missus porro fuit ad Orientales Patriarchas, CPnum, Alexandrinum, et Antiochenum; eidemque libello praeter reliquos Orientis Eppos Ioannes CPnus cum ingenti multitudine Epporum et archimandritarum subscripsit, subscriptumque libellum idem Ioannes, uti par erat, ad Hormisdam direxit, atque ita unionem sui Patriarchatus cum Romana catholicae unitatis Ecclesia diu abruptam in integrum restituit. Hinc certe Hormisdae libellus fidei invenitur in epistola Ioannis Patriarchae ad Papam Hormisdam; sed hic est libelli auctor, ille subscriptor. 3. *Vi caret exceptio, quasi idem libellus fidei in Schemate tributus* **Hormisdae**, *fuerit ab* **Hadriano II** *missus ad Graecos, et ab eis non prius ac in Lugdunensi Concilio subscriptus.* Sed in his apparet anachronismus, quo Lugdunense II cum VIII Concilio confunditur; non secus ac in eo, quod Anastasius Bibliothecarius eidem Concilio dicitur interfuisse. Quae vero hic idem Anastasius narrat, a Papa *Nicolao* formulam, qua usus deinde Hadrianus est, fuisse Graecis propositam, sed ab his non acceptam, nihil aliud ostendunt, nisi hinc tenacitatem haereseos et schismatis, inde autem constantem ac immutabilem traditionem ac doctrinam apud Romanae Sedis Eppos. 4. *Vi caret exceptio, quasi verba ex Conc. Lugd. II et formula Hormisdae adducta essent manca, vel, ut aiunt, truncata.* Neque enim quae ex utroque fidei documento allegata in schemate sunt, manca dici possunt a) prop-

terea, quod neque tota confessio fidei Lugdunensis, neque integra Hormisdae formula translata in schema fuit; nam ea tantum afferenda erant, quae ad rem, de qua quaeritur, stabiliendam facerent; b) ac si pressa silentio ea fuissent, quibus omissis ac praecisis verba in schemate allata alienam a suo contextu sententiam praeseferant; tantum enim abest, ut in formula Hormisdae habeantur aliqua, quibus propria allatorum verborum vis ac sententia infringatur, ut in illa non desint, quibus eadem sententia firmetur; vel c) quod non omnia, quae ad rem facere videntur, in schema relata fuerunt; visum enim satis est ea attulisse, quae ad rem conficiendam sufficerent. Ceterum eiusmodi defectus neque generatim causae schematis, nec nominatim officeret depromtis ex utroque Oecum. Concilio doctrinis; idemque facile tollitur, si plurium RR. Patrum ratio habeatur, qui ex formula Hormisdae haec verba schemati inserta vellent: „In omnibus sequendam Apost. Sedem (vel consentiendum Ap. Sedi), in qua est integra et verax christianae religionis soliditas."

II. *Vi carent exceptiones historicae: acsi nimirum adductum in schemate ex Lugdunensi II Concilio fidei documentum ipsi Concilio Lugdunensi tribui nequeat, quia oblata a Michaele Palaeologo fidei formula in Concilio fuit quidem lecta, sed approbata non dicitur a Concilio.* Enimvero talis exceptio iis aperte excluditur, quae apud Labbeum (Concil. XIV. 502. ss.) de actis in C. Lugd. II referuntur. Nimirum 1. *alteram convocati huius Concilii causam a Pontifice in ipsis convocationis literis diserte expositam fuisse Graecorum unionem;* 2. in quarta solemni Concilii Gen. sessione *hanc ipsam unionem vi fidei formulae publice lectae atque Pontifici ipsius Oec. Concilii Praesidi oblatae initam inter Orientem et Occidentem fuisse;* et 3. ab universo Concilio solemnes Deo laudes habitas esse pro restituta cum Graecis unione. Unde manifestum est, *conciliarem dici debere Graecorum unionem, conciliarem ipsius unionis actum, et conciliare fundamentum seu instrumentum symbolicum, cui unio innitebatur*, et in quod pariter consentiendo dissitae prius partes conveniebant; et quidem in pleno Concilio tam Graeci illud offerentes, quam Latini idem recipientes. Atqui

haec duo profecto ut aequivalentia haberi debent, dicere: fidei formulam unanimi consensione in Concilio fuisse receptam, ac: illam a Concilio probatam fuisse. Quodsi vero in Concilio per specialem expressumque actum formula a Clemente IV pro unione Graecis proposita non fuit probata, ratio manifesta haec est, quod nulla eiusmodi probatio requirebatur, quum a Romana fidei formula, in quam Orientales consentiebant, Occidentales nec prius dissensissent, nec tunc dissentirent. Ceterum et hoc animadverti potest, ipso exercito, ut aiunt, consensionis et unionis actu virtualiter certe vel aequipollenter approbationem contineri.

III. *Vi etiam carent exceptiones hermeneuticae et exegeticae, quibus impetumtur* 1. *verba Christi Domini apud Matth. XVI:* Tu es Petrus etc. *quasi illis hoc unum indicaretur, Ecclesiam, quae semper habebit Petrum, numquam posse errare.* Etenim a) praeterquam quod huiusmodi interpretatio directe opponitur obvio verborum sensui, quibus significatur, *ideo numquam superatum iri vel errare posse Ecclesiam, quia fundata est supra petram, qui est Petrus;* eadem b) excluditur per verba sequentia ex formula *Hormisdae Hadrianique* in schemate allata; per ea enim *haec est eaque authentica dictorum Christi interpretatio, ut eorumdem virtute in Sede Apostolica immaculata sit semper catholica servata religio, et sancta celebrata doctrina.* Haec autem non tantum de simplici *facto,* ut alii excipiunt, sed de constanti ac immutabili quoque *iure* intelligi debere inde patet, quod allatis eiusdem formulae verbis conservatio immaculatae catholicae religionis et celebratio sanctae doctrinae veluti effectus declaratur necessariae ac immutabilis causae, dictorum nimirum Christi; ita, ut vi eorumdem Christi dictorum, quae immutabilia manent, quousque durat petra, supra quam Christus suam fundavit Ecclesiam, immutabiliter in Sede Apostolica divino iure immaculata servetur catholica religio et sancta celebretur doctrina. Porro *excluditur et illa exceptio, quam quidam ex variis Patrum sententiis de iisdem Christi verbis repetunt; quum enim explicatio dictorum Christi, quam formula Hormisdae suppeditat, ipsum referat totius Ecclesiae sensum, contra hunc varia ac dissona, si quae esset,*

Patrum interpretatio nihil valeret. Attamen consuluisse iuverit praeter alios antiquiores recentioresque probatos auctores Commentarium „de Unitate Romana“ (Cl. *Schrader* S. I.) lib. 1. p. 140. lib. 2. p. 161. de variis speciequetenus oppositis Patrum interpretationibus, quibus praeter anteriores Protestantes, Gallicani, Ianseniani, Febroniani, Tamburiani, aliique vetustiores abusi sunt, ac recentiores abutuntur, etiamsi iisdem rite acceptis Romanorum Pontificum infallibilitas confirmetur satius quam evertatur. 2. *Neque validius impetuntur verba Christi Domini apud Luc. XXII. 32:* Ego autem rogavi pro te etc. *quae non ad Romanos Pontifices, sed ad solum Petrum, et quidem pro tempore tantum tentationis suae suique lapsus referenda dicuntur. Etenim spectare verba haec ad omnes quoque Petri Ap. successores constat e communi huius loci in Ecclesia Dei acceptione, quae tum ex RR. Pontificum literis, etiam dogmaticis, iisque receptis in Generalibus quoque Conciliis, tum ex vulgatissima Patrum scriptorumque eccl. interpretatione colligitur,* uti videre est apud probatos auctores, cuiusmodi profecto haberi debet *Card. Bellarminus,* (de R. P. l. 4. c. 3.) *) *qui ex hoc Lucae testimonio reiectis aliorum oppositis interpretationibus infallibilitatem R. P. secundum Patrum explicationem demonstrat;* cuius integram expositionem afferre propterea opportunum videtur, quod non deest, qui Bellarmini auctoritatem pro opposita sententia in medium protulerit. Ille itaque hoc pacto disserit: „Hic locus tribus modis exponi solet. Prima expositio est quorumdam *Parisiensium*, quod Dominus hic oravit pro Ecclesia universali, sive pro Petro, ut totius Eccle-

*) Tria praesertim notanda videntur: 1. Catholicos Orientales Eppos duce Sophronio Patriarcha et ore Stephani Dorensis hanc interpretationem in Conc. Later. a. 649 profiteri; 2. Agathonem Papam ex mente Concilii Romani eandem interpretationem in dogmatica sua epistola Concilio Oec. VI a. 679 proposita et ab eodem solemniter probata docere; ex quo consequitur, Occidentales Eppos in eadem sententia convenisse; 3. Orientales et Occidentales Eppos in Florentina Oec. Synodo in eadem interpretatione conspirasse, quemadmodum paulo superius ostendebatur.

siae figuram gerebat; et hoc impetrasse, ut fides Ecclesiae Catholicae numquam deficiat. Quae expositio si ita intelligeretur, ut diceres, immediate oratum esse pro Capite Ecclesiae, et consequenter pro toto corpore, quod per Caput repraesentatur, vera esset. Sed non ita ipsi intelligunt: volunt enim pro sola Ecclesia esse oratum. Quae expositio falsa est. Altera expositio est quorumdam, qui hoc tempore vivunt, qui docent Dominum orasse hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratia Dei usque ad finem. At contra. — (Quinque allatis in contrarium argumentis pergit): *Est* igitur *tertia expositio vera, quod Dominus duo privilegia Petro impetravit. Unum, ut ipse non posset unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur a diabolo;* id quod est aliquid amplius quam donum perseverantiae; dicitur enim perseverare usque in finem, qui licet interdum cedat, tamen resurgit et in fine fidelis invenitur; at Petro Dominus impetravit, ut non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet. *Alterum privilegium est, ut ipse tamquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive ut in Sede eius numquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem. Ex quibus privilegiis primum fortasse non manavit ad posteros; at secundum sine dubio manavit ad posteros sive successores.*" Atque utrumque illico confirmat adductis veterum Patrum documentis, quibus tamen pro feliciori temporum conditione, quod ad explorata antiquitatis monumenta spectat, alia facile Patrum testimonia addi possunt, et addita reipsa fuerunt, ita, ut hominibus ecclesiasticam sequentibus Scripturae interpretationem nullum de vero huius testimonii sensu dubium superesse possit ac debeat.

IV. *Vi tandem carent exceptiones dogmaticae*, ad rei ipsius, de qua quaeritur, substantiam spectantes; *quasi* 1. *allegata Conciliorum documenta referrentur tantum ad Romani Pontificis primatum, nullatenus vero ad infallibilitatem eiusdem.* Enimvero a) *allegata testimonia referuntur pariter immediate ac directe, ut obvius eorum sensus indicat, ad certam in Ecclesia Catholica fidei regulam, credendique normam, quae apud Sedis Romanae Eppum sita esse docetur;* quare b) *si eadem testimonia, quod merito dicitur,*

ad Romanae Sedis primatum spectant, profecto teneri debet, cum Romani Pontificis primatu praerogativam infallibilitatis divino iure esse coniunctam; adeo ut c) primatus, quem beatus Petrus a Christo Domino accepit, quemadmodum apertis verbis S. Leo M. in sua Ep. ad Eppos per Illyriam constitutos docet, sit etiam *fidei primatus;* fuit enim *Petrus*, ut eiusdem S. Leonis legati in Concilio Chalcedonensi act. 3. dixerunt, *petra et basis apostolicae ecclesiae et orthodoxae fidei fundamentum.* Porro *Petrus*, ut statuit Synodus Aquilejensis, cui aderat S. Ambrosius, *fidei columna et Ecclesiae fundamentum, per successores suos semper vivit;* et *cathedra Petri,* ut ait S. Bacchiarius in apologia fidei, *est sedes fidei;* vel, ut alia plurimorum Patrum disertissima pariter verba, quae apud theologos passim recurrunt, omittantur, auctore S. Augustino ep. 105. *doctrinae salutaris cathedra.* Si ergo, ut verissimum est, in allatis fidei formulis sermo de Pontificis Romani primatu habetur, definiendae Pontificiae infallibilitatis thesis non convellitur, sed apprime stabilitur. 2. *Vi caret exceptio, quasi per allegata ex fidei formulis testimonia sit quidem inerrabilis Romana Ecclesia, non autem Romanus Pontifex. Haec enim distinctio, qua Ecclesiae vel Sedi Romanae assererentur praerogativae, quae Romano Pontifici denegarentur, liquido excluditur, quum in Lugdunensi formula dicatur:* „Ecclesiam Romanam in beato Petro, cuius Romanus Pontifex est successor, recepisse summum et plenum primatum"; *in formula autem Hormisdae:* „immaculatam servari religionem in Sede Apostolica", scilicet a Romanis in illa sedentibus Pontificibus, quum *his* pariter in beato Petro dictum sit: Tu es Petrus etc. Tum vero illa ipsa perperam adhibita distinctio, de qua Hormisdae ac Concilii Oec. VIII et Lugdunensis II temporibus nemo certe cogitabat, in proposito schemate aperte excluditur, quum in formula definitionis diserte efferatur, Romanum Pontificem esse, qui per Spiritus S. assistentiam ab errore immunis existat. 3. *Neque illud vim habet, quod opponunt, in allatis videlicet Lugdunensis Concilii verbis dici quidem, Pontificem Romanum teneri prae ceteris fidei veritatem defendere, sed non dici seorsim.* Enimvero a) *neque dicitur: „una cum ceteris";* b) *est quidem*

verum, quum dicitur „prae ceteris“, *non significari divisionem; at vero significatur distinctio, et quidem cum praecellentia seu praerogativa, quae* „summo et pleno primatui et principatui“ *respondeat; quumque additur:* „prae ceteris teneri fidei veritatem defendere,“ *non significatur, istam praerogativam in fidei defensione exerceri ab eo, qui a ceteris existit separatus, sed qui citra et supra ceteros in fidei causis agit et iudicat.* Id quod c) liquido patet ex inciso sequenti: Sic et si quae etc. quibus Romanus Pontifex significatur *distinctus* a ceteris, inter quos suboriri possint de fide quaestiones; et significatur iisdem *superior*, quorum de fide quaestiones ipse suo iudicio definiat. Quamvis igitur per phrasim Lugdunensem non indicetur, Romanum Pontificem ceu Caput a ceteris ceu corpore esse separatum sive divisum, aperte tamen indicatur, eundem quoad actus quosdam, quod certe Capitis est, a ceteris esse distinctum, itemque iisdem superiorem, ita ut ceteri eiusmodi actus aut nullatenus habeant, aut obnoxie tantum et dependenter a Romano Pontifice exerceant.

B. Quod iam spectat ad exceptiones in *alteram* propositi Schematis partem, quae ipsa *infallibilitatis definitione* constat, *animadvertitur* I. *in ipsam rationem seu qualitatem propositionis definiendae*, quae quum, ut in schemate per illativam particulam „hinc“ indicatur, ex fidei formulis inferatur, dicitur *de fide* esse non posse, sed ad summum esse *ex fide consequens*, ita, ut statui vel definiri tamquam *fidei dogma* nequeat. *Sed duplex est illationis ratio, qua inferri aliquid ex alio potest; altera mediata et ex accidente vel contingente, altera immediata et ex rei natura vel necessario, quae satius est praecedentium declaratio seu explicatio, adeo, ut quod infertur, implicite ut aiunt vel etiam virtualiter aut aequipollenter in illo contineatur, e quo infertur* *).

---

*) Ita non solum Philosophi disserunt, sed in Oec. Concilio Ferrariensi, deinceps Florentino, cum satisfactione Bessarionis Nicaeni partisque Graecorum huic adhaerentis, de

Porro patet, quod ita infertur, manifeste eiusdem rationis et ordinis esse, ac illud unde infertur. Quare si divinitus revelatum ac de fide est, e quo aliquid isto pacto infertur, hoc ipsum pariter revelatum est, eodemque modo fide creditur, quo illud, in quo continetur. Atque ita contra haereticos Monophysitas et Monothelitas de fide esse definiebatur, Christum habere humanam perfectam naturam et humanam etiam voluntatem, eo, quod revelatum et de fide erat, Christum esse hominem perfectum. Simili modo *in schemate per voculam* „hinc" *indicatur, praemissis fidei formulis contineri RR. PP. infallibilitatem. Et ea sane testimonio ex formula Hormisdae* (cum addito Hadriani) *allato verbis aequipollentibus continetur; quum dicere: vi verborum Christi* „Tu es Petrus" *in Sede Apostolica, per Petri scilicet in eadem Sede successores, immaculatam semper servatam esse, et quod superius ostendebatur, iure servari semper debere religionem atque doctrinam, aequivaleat certe propositioni qua dicitur: Romanos in Sede Petri Eppos circa religionem ac doctrinam ab errore immunes esse; et similiter ipsa infallibilitas virtute, ut aiunt, continetur sententiis ex Conc. Lugdun. II allatis*, quum dubitari non possit, quin is, cui praerogativa defensoris fidei veritatis atque officium convenit, suo iudicio obortas in Ecclesia Dei de fide controversias definiendi, infal-

---

adiecta in Symbolo particula *Filioque* ita disputarunt tum Colossensis tum Foroliviensis. Hic enim in Collatione IX ordinatum successum articulorum fidei fieri dixit per expressam *impliciti* explicationem aliorum fidei articulorum; negavitque, phrasim *Filioque* proprie esse additionem, quum non sit nisi aliorum fidei articulorum explicatio. Tum distinxit: „conclusionum et veritatum sequentium ex principiis duplicem differentiam: quaedam veritates sunt valde remotae a principiis, nisi per multa media; sed quaedam sunt veritates, quae sunt ipsis principiis valde propinquae, adeo, quod videantur per se notoriae et facile deduci ex per se notis, ut videantur inferri syllogismo imperceptibili. Ita Patres Nicaeae quia viderunt hanc veritatem, videlicet Filium consubstantialem, non factum, sed ab aeterno, facile deduci posse ex articulo de Filio posito in Symbolo Apostolorum, ideo sine aliquo timore offendendi Symbolum Apostolorum iucundissime et cum omni fiducia cantaverunt Consubstantialem."

libilitatis dote praestare debeat, ne defensio invalida aut nulla, et directiva quam vocant norma in fidei quaestionibus falsa vel fallax existat. *Neque minus aperte eadem veritas ex Florentino Concilio infertur, quum Christi promissa non patiantur, ut fideles in errores fidei inducantur ac prope compellantur ab eo, qui verus Christi Vicarius et omnium christianorum Pater et Doctor constitutus, plena universalem Ecclesiam pascendi potestate instructus est.* Quam illationem obviam et spontaneam esse, inde quoque apparet, quod ea longe maximo theologorum numero, imo plurimis Provincialibus Conciliis probata semper fuerit. *Hinc autem apparet, quam infirma sit duplex exceptio cum superiori cohaerens: quarum altera dicitur, infallibilitatem, si fidei formulis contineretur, credi semper ab omnibus debuisse, quod tamen falsissimum habetur; altera e contrario dicitur, infallibilitatem, nisi semper et ab omnibus et ubique credebatur, ut credendum fidei dogma definiri non posse. Infallibilitas enim Romani Pontificis, quae iuxta relatas fidei formulas divina revelatione continetur,* 1. *una cum divina revelatione, per generalem videlicet revelationis propositionem, implicite saltem semper et ab omnibus credebatur;* tum 2. *postquam infallibilitas solemnibus fidei formulis modo virtuali et aequipollente declarata fuit in Oecum. Conciliis, abinde hoc etiam modo semper et ab omnibus credebatur;* et 3. *quum ipsa infallibilitas et Ecclesiae magisterio ordinario et publica praedicatione ac doctrina fuit ubique fere clarius semper atque expressius tradita, clarius eadem et expressius semper et ab omnibus prope credita est.* Sed 4. quod speciali propositione vel solemni Ecclesiae iudicio declaratum nondum fuit explicite seu expresse, id definiri sic potest, itemque debet, si id ipsum, licet revelatum multisque modis creditum sit, in dubium vocetur aut etiam diserte praefracteque negetur. (Cf. *Ier. a Bennettis* Privil. S. Petri vind. P. II. ed. Rom. 1759. etc.)

II. *Animadvertitur in infallibilitatis subiectum, quod solus Romanus Pontifex non sit, eo quod* 1. *infallibilitas personalis nequeat probari. Sed quod vocem* „personalis infallibilitatis“ *attinet, ea in proposito schemate non adhibetur.*

Si vero de re per vocem significata sermo sit, infallibilitas eodem verissimo sensu personalis dicitur et dicta etiam fuit, quo tota Primatus potestas ad excludendam Richerianorum haeresim personalis esse dicitur, quatenus scilicet praerogativa infallibilitatis ipsi personae Apostoli Petri directe ac immediate collata fuit a Christo Domino dicente: Tu es Petrus etc. quemadmodum in Hormisdae formula fidei prius exposita declaratum est. Quum vero illa praerogativa personae beati Petri Apostoli et in Petro unicuique personae ex suis in Romana Sede successoribus eatenus collata sit, quatenus Petrus esset a Christo Domino petra ac fundamentum universalis Ecclesiae constitutus, vel quatenus apostolico munere universalis doctoris ac pastoris totius Ecclesiae insigniretur, propterea *RR. Pontificum infallibilitas eo sensu personalis communiter non dicitur, acsi infallibilitas illis conveniret uti personis mere privatis.* Hinc in Schematis formula diserte dicitur: *Romanus Pontifex, cum supremi doctoris munere fungens* etc. 2. *Animadvertunt in infallibilitatis subiectum eo, quod constare non possit, quando Romanus Pontifex supremi doctoris munere fungens pro auctoritate definiat, vel quando omnes ad infallibiliter definiendum expleverit conditiones. Sed exceptiones hae sunt, quae alienae nimis videntur.* Ut enim, quod ad priorem spectat, humanae lingvae non desunt necessaria et apta signa ad exprimendam supremi doctoris et apostolici muneris functionem, ita eiusmodi signorum usus a Romanis Pontificibus factus evidenter patet ex literis non paucis, scriptis a primo Romanae Sedis Eppo Petro et ab eius porro successoribus usque ad praesentem Pontificem Pium IX. Ceterum *si quando dubitaretur, utrum documentum aliquod pontificium sit reapse a Pontifice* „fungente apostolico suo munere“ *editum, profecto non maior esset difficultas ac nascitur, si quando dubitatur, Concilium aliquod fuerit necne vere legitimum et oecumenicum, vel quidnam in Concilio revera ut fidei dogma definitum, quidve tantum ad doctrinae explicationem vel probationem adiectum fuerit.* Sunt quidem etiam, qui non intelligi autument, quo ipsa phrasis *pro auctoritate* spectat. Verum a) haec phrasis, qua idem significatur ac vocibus *authentice* vel *ex cathedra*, praecedenti

inciso clarioris explicationis ergo addita fuit, ut accuratius definiretur character subiecti, cui infallibilitas asseritur; proinde b) in ipsa phrasi „pro auctoritate“ subintelligitur, quod in observationibus ab aliquo Rev. Patre efferendum dicitur, *sua*, scilicet quae est suprema et apostolica, quaeque orationis subiecto, i. e. supremo doctori Ecclesiae propria est. Etenim *solus Pontifex cum plena apostolica auctoritate Petro Apostolo succedit;* reliqui namque Eppi, licet Apostolorum successores recto quodam sensu vocentur, non sunt tamen Apostoli Petri successoribus aequales quoad plenitudinem ac perfectionem potestatis apostolicae; quemadmodum iisdem aequales nullatenus ex eo sunt, quasi aeque dicantur superaedificati super fundamentum Apostolorum, quorum Eppi successores vocantur, ac dicuntur aedificati super Petrum, cuius successor Eppus Romanus existit. *Alio* namque *sensu dicitur Ecclesia a Christo aedificanda super Petrum, et alio sensu fideles a Paulo dicuntur aedificati super fundamentum Apostolorum, et* (addit quo differentia patet) *Prophetarum.* Super hos enim aedificati sumus ex interpretatione doctorum, quorum sententiam refert Angelicus, (I. qu. 1. a. 8. ad 2.) quia innititur fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt. Sed neque hoc sensu Eppi successores Apostolorum dicuntur, neque hoc sensu Ecclesia aedificata est super Petrum. *Quum* ergo *Romani Pontifices dicuntur docere ac definire pro auctoritate sua, sive apostolica, hoc intelligitur sensu omnino proprio ac privo, et declaratur, eosdem non agere privatam personam, sed personam Christi Vicarii, cui factae sunt promissiones.* — Quod autem ad *alteram exceptionem* spectat, qua quidem eodem iure Concilii generalis decreta impeti possent, nemo non intelligit, *de actibus RR. Pontificum, de quibus sermo est, longe maiori iure valere, quae de actibus authenticis cuiusvis legitimae potestatis iurisperiti affirmant: necessarias videlicet ad illorum valorem conditiones supponi debere expletas.* Etenim eo apprime spectat Spiritus S. assistentia, qua sola Romanae Sedis Eppi infallibiles dicuntur, ut eae omnes compleantur conditiones, quae requiruntur, ut ab ipsorum definitionibus circa determinatum suum obiectum omnis error excludatur. Quare *probata semel RR.*

PP. infallibilitate de expletis ad finem conditionibus nullum amplius dubium debet moveri. 3. *Animadvertunt, quod per eiusmodi doctrinam Romanus Pontifex uti Caput ab Eppis ceu corpore dividatur.* Sed nullatenus. Nam praeter ea, quae superius circa hanc separationis umbram dicta fuerunt, *considerari debet, aliud esse, Romanum Pontificem per se citra Eppos tam dispersos quam in Concilio sive generali sive partiali unitos habere praerogativam infallibiliter omnes fideles docendi et pascendi; et aliud, eum sive habitu sive actu unquam segregari vel separari ab obnoxiis sive agnis sive ovibus;* imo quum Romanus Pontifex veluti Caput docendo regendoque in totum corpus influit, coniunctionis vincula inter ipsum et universum gregem attrahuntur et confirmantur. *Tota* igitur *quaestio ad hoc revocatur, utrum Romano Pontifici per se reapse eiusmodi actus Capitis ac Supremi Doctoris conveniat, quo citra reliqua membra vel citra reliquos doctores simul concurrentes totum corpus vel totum gregem docere et pascere possit. Atqui hoc sensu Romano Pontifici infallibiliter docendi auctoritatem divinitus collatam fuisse in Schemate proponitur.* Ast, inquiunt, *in illa hypothesi inutilia fierent Concilia, et Eppi cessarent esse iudices.* Verum *ad priorem exceptionem iam respondit* Card. Bellarminus (de R. P. l. 4. c. 7.): „Respondeo, inquit, id non sequi. Nam etsi in Pontifice sit infallibilitas, tamen non debet ipse contemnere media humana et ordinaria, quibus deveniri potest ad veram rei cognitionem, de qua agitur. Medium autem ordinarium est Concilium maius aut minus pro magnitudine vel parvitate rei, de qua agitur. Id quod patet primo exemplo Apostolorum. Nam certe tam Petrus quam Paulus poterant etiam soli quamlibet controversiam infallibiliter definire, et tamen Concilium convocaverunt. (Act. 15.)“ Et alio loco (de Concil. l. 1. c. 10. 11.) etiam luculentius statuit: „Gen. Conciliorum convocationes utilissimas et suo quodam modo necessarias, non tamen absolute et simpliciter necessarias esse. — Etsi vero Summus Pontifex iudex est, vice Christi omnium controversiarum, eique obtemperare debet fraternitas universa, ut Cyprianus loquitur, et nos in libris de Pontifice multis argumentorum generibus demonstravimus: tamen non debet Pon-

tifex in controversiis fidei diiudicandis aut soli suo iudicio fidere, aut expectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, et ordinaria media, et tum demum expectare assistentiam Spiritus S. et directionem divinam. Porro medium ordinarium ac proinde necessarium esse Concilium magnum aut parvum, unum vel plura, prout ipse iudicaverit, facile probari potest." *Infallibilitas* igitur *Romani Pontificis nullatenus evertit aut inutilia reddit Concilia sive generalia sive particularia. Sed neque efficit R. P. infallibilitas, ut Eppi cessent esse veri proprieque dicti in causis fidei iudices: tum quia veri sunt et remanent iudices proximi in suis dioecesibus, in synodis dioecesanis et provincialibus; tum quia ex eo, quod Pontifex infallibilis est, nullatenus sequitur, eum omnia per se et citra iudicium aliorum Epporum definire velle aut definire debere; tum denique quia ex theologorum doctrina Romanorum Pontificum non minus ac ipsorum Conciliorum irreformabilia decreta subiici possunt Epporum examini ac iudicio, non quidem dissensionis vel reiectionis, sed quod instructionis, assensionis atque approbationis appellant*, quodque ad plenam causae cognitionem pertinet; cuiusmodi examen in Concilio Chalcedonensi instituebatur circa dogmaticam S. Leonis M. epistolam. De qua re praeter alios graves auctores consulatur *Ballerini* de vi ac ratione Primatus c. 13.

III. *Animadvertitur in expositum pontificiae infallibilitatis obiectum, quasi* 1. *indefinita et vaga sit eius descriptio.* Verum quum in schemate expresse dicatur, obiectum illud esse eiusdem omnino extensionis, cuius est ambitus infallibilitas Ecclesiae, per hanc declarationem generalis propositio, quod in rebus fidei et morum tenendum sit, *definita plane ac determinata* evadit; *quasi* 2. *hoc ipso, quod infallibilitas R. P. dicitur eiusdem cum infallibilitate Ecclesiae amplitudinis esse, duplex infallibilitas significetur*, altera Pontificis, altera Ecclesiae. Sed enimvero contrarium plane exprimitur, quum *unum idemque obiectum* esse dicatur, circa quod versatur versarique potest infallibilis Romanus Pontifex, et illud, circa quod Ecclesia est infallibilis. Sed *quod significatur discrimen, est discrimen subiecti, quod infallibile praedica-*

tur, quodque tam esse definitur Romanus Pontifex uti supremus Ecclesiae Magister et Doctor, quam tota Ecclesia docens, seu universum Ecclesiae magisterium. Hoc autem subiecti discrimen reapse existit, quum infallibilitatis praerogativa ex declaratis conveniat tum supremo ac universali Ecclesiae doctori et pastori per se, tum universo et adaequato totius Ecclesiae magisterio, quod ex omnibus Ecclesiae doctoribus et pastoribus una cum suo Capite Romano Pontifice coalescit, atque ita Ecclesia docens est ac dicitur infallibilis. — IV. *Animadvertitur in ipsam vocem infallibilis infallibilitas, ac si nova et variis interpretationibus obnoxia esset.* Sed *haec vox a theologis et a fidelibus passim usurpatur, ut ea praerogativa significetur, qua Romanae Sedis Antistites in rebus fidei et morum definientes ab errore immunes servantur; atque idem vocabulum de Ecclesiae magisterio continuo iam et antiquissimo usu, et certo quodam ac determinato sensu adhibetur.* Quum ergo Ecclesiae et Romani Antistitis, Ecclesiae videlicet Capitis et oris, infallibilitas una atque eadem sit, profecto non est, cur ab eodem vocabulo adhibendo abstineamus; imo est omnino, cur illud adhibeamus.

C. Atque haec satis visum est de priori exceptionum genere, quae directe ac immediate circa propositum schema versantur, animadvertisse. Instituto vero illarum examine pleraeque omnes alterius generis difficultates, quae *generatim* ipsi *doctrinae ac definitioni* pontificiae infallibilitatis opponuntur, praeoccupatae fuerunt. Duo tantum harum capita peculiarem considerationem flagitare visa sunt, quorum alterum continet *exceptiones ex historia ecclesiastica petitas*, alterum vero ad *celebrem Vincentii Lirinensis canonem* refertur.

I. Porro quod ad primum caput attinet, videtur, ut tum dignitati ac proprio muneri Patrum, tum causae gravitati ac necessitati consulatur, sequentes normas praestituendas et ob oculos retinendas esse: 1. *Ex monumentis omni exceptione maioribus*, ut superius declaratum fuit, *Romanorum Pontificum infallibilitas est veritas divinitus revelata; fieri ergo nequit, ut haec ex historiae factis quibuscunque falsa unquam*

demonstretur; sed si quae illi historiae facta opponantur, ea certissime, quatenus opposita videntur, falsa habenda erunt. 2. Accedit, quod *quum Romani Pontificis infallibilitas per apertos certissimosque fontes ut veritas revelata, adeoque ut originalis ac simpliciter antiqua cognoscatur, secundum regulam a* Tertulliano *iampridem adhibitam titulo possessionis contra omnem opinionem et conclusionem illi oppositam praescribitur;* id enim maxime in causis ad fidem pertinentibus est verum quod prius. Haec illustrari iis possunt, quae in Constit. de cath. fide Cap. 4. ab ipso Concilio Vaticano statuuntur: „Omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse. Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem praeseferant, habere tenentur omnino." Iamvero infallibilitatem S. Ap. Sedis et Romani Pontificis ad doctrinam fidei pertinere ex allatis fidei documentis constat, et contrariae illi sententiae a magisterio Ecclesiae non semel fuerunt improbatae. *Cuiuscunque* ergo *scientiae, etiam historiae eccles. conclusiones RR. PP. infallibilitati adversantes, quo manifestius haec ex revelationis fontibus infertur, eo certius veluti totidem errores habendas esse consequitur.* 3. *Ad dogmaticam pontificiae infallibilitatis definitionem necessarium ac sufficiens est, ut Patribus Concilii ex propriis divinae revelationis fontibus, scilicet ex Scriptura et Traditione, constet, esse illam divinitus revelatam; proindeque Patrum officium est et munus, hanc divini depositi veritatem pro suo charactere cum auctoritate declarare et proponere; singulas autem aliunde petitas difficultates, quae illi opponuntur, dissolvere, non tam Patrum Concilii res est, quam scholae theologorum, qui quod ad hanc quoque causam spectat, suo munere diu iam functi sunt.* Quum enim prolatae exceptiones historicae, de quibus agitur, non sint novae, sed longe vulgatissimae ac tritae, quae a rerum theologicarum tractatoribus in controversiis contra Protestantes, Ianseuianos, Gallicanos, Febronianos, aliosque frequenter aeque ac luculenter solutae fuerunt (dum

sive de S. Romanae Sedis primatu, sive de Cath. Ecclesiae infallibilitate, aliisque catholicis veritatibus dissererent); minus decorum minusque conveniens Patribus visum est, singulas quasque ex illis in novum rursus vocare examen, quasi factae contra catholicas veritates obiectiones reapse habuerint ac retinuerint hucusque verum valorem ac robur, vel ipsa revelata veritas catholicaeque Ecclesiae doctrina, ut par erat, satis non fuerit asserta ac defensa. Consulantur itaque graves et probati auctores, qui de potissimis, quae opponuntur, exceptionibus scripserunt, itemque generales quasdam regulas statuerunt, quarum usu et applicatione speciales difficultates plerasque omnes tollere satagunt. Nimirum, inquiunt, videndum a) quod ad subiectum attinet, utrum Romanus Pontifex reapse tamquam supremus et universalis doctor et pastor pro sua apostolica auctoritate fuerit locutus, an potius locutus sit uti privata persona seu doctor particularis; b) quod attinet ad obiectum, utrum materia, circa quam iudicium Romani Pontificis versatur, res sit fidei et morum pertinentium ad Ecclesiam universalem, an utrum sit res facti particularis, vel disciplinae et iuris partialis vel localis. Quo faciunt haec ex epistola Nicolai I ad Michaelem Imp. data a. 865, quae inter decreta eiusdem Nicolai referuntur: „Patet profecto, inquit, Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab ea autem nemo sit appellare permissus. Non negamus, eiusdem Sedis sententiam posse in melius commutari, cum aut sibi subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione aetatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatorie quiddam ordinare decreverit.“ Scilicet c) quod ad formam seu modum spectat, quo iudicium fertur, utrum decretum Romani Pontificis ita conceptum sit, ut appareat, a Romano Pontifice factam esse veram ac propriam *definitionem* seu peremtoriam latam sententiam, non vero oeconomicam tantum aliquam responsionem vel dispositionem. Ceterum huc spectant aliae regulae omnes, quae communiter a theologis circa definitiones quoque Conciliorum statuuntur, cum inquirunt, utrum aliquid et quidnam in illorum capitibus et canonibus

definitum reapse sit. 4. Est principium, in omnibus scientiis receptum, atque ratione multo maiori in causis divinae fidei ob oculos habendum, quod si de aliqua veritate ex propriis eiusdem fontibus tamquam de thesi constiterit, probabilem quamvis solutionem vel gravem quamvis rationem sufficere, qua contrariae difficultates ceu hypotheses conciliari cum illa valeant. Sed *ad conciliandas historicas exceptiones cum Summi Pontificis infallibilitate probabiles saltem gravesque solutiones allatae fuerunt:* a) in causa **Vigilii** a *Ios. Aug. Orsi* de irref. R. P. in definiendis fidei controversiis iudicio, t. 1. p. 1. c. 19. 20; *Bennettis* p. 2. t. 5. App. §. 5. op. cit.; *Ballerini* de vi et ratione Prim. c. 15.; *Lud. Thomassino* disp. 19. in Concil. — *P. de Marca* diss. de Vigilio; et nuper *Al. Vincenzi* in S. Greg. Nyss. et Orig. scripta cum App. de Actis Syn. V. t. 4 et 5. — b) in causa **Honorii** inter vetustiores a *Ios. Biner* S. I. in Appar. erud. p. 3. 4. et 11; *Orsi* op. cit. c. 21—28; *Bellarmino* op. cit.; *Thomassino* op. cit. diss. 20; *Nat. Alex.* H. E. sec. 7 diss. 2; *Zaccaria* Antifebr. P. 2. l. 4.; — inter recentiores: *Civilta Cattolica* a. 1864 Serie V vol. 11 et 12; *Schneemann* studia in qu. de Honorio; *I. Pennacchi* de Hon. I. R. P. causa in Conc. VI. — c) in causa lapsuum aliquot, ut dicitur, RR. PP. circa ministrum Sacr. Ordinis, *Orsi* op. cit. l. 3. c. 31; *Tournely* qui in tract. de Sacr. Ord. singulas *Morini* difficultates dissolvit, quae in propositis observationibus repetuntur etc. d) in causa Bullae **Bonifacii VIII**, ab *Aguirre* def. Cathed. Petri disp. 32. 33; *Anti—Ianus* p. 133. s.

II. Quod vero ad *Vincentii Lirinensis canonem* attinet, quo illustrissimus Ecclesiae Scriptor Commonitorii sui c. 3. id tenendum ait, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: 1. *is contra auctoris mentem intelligeretur, si ad infallibilem in Cath. Ecclesia normam directivam, quam vocant, referretur.* A Lirinensi enim ille refertur, quod ex contextu praecedenti et sequenti liquet, *ad normam obiectivam*, scilicet *ad divinam traditionem;* quatenus proposito canone criterium cognoscendi Cath. Ecclesiae traditionem continetur, qua una cum legis divinae auctoritate munitur fides divina. Sed alia profecto res est, utrum eodem canone conti-

neatur conditio necessaria, ut ab Ecclesiae Cath. magisterio possit aliquid infallibiliter definiri. Hoc Vincentius non docuit, imo contrarium, uti patebit, significavit. Unde 2. apparet, *Lirinensis canonem a vero suo sensu detorqueri, si eiusdem vi requiratur consensus universalis sive unanimitas omnium Epporum, ut ab Ecclesiae magisterio, penes quod est directiva fidei norma, aliquid tamquam fidei dogma definiatur.* Tum c) apparet, *eundem Lirinensis Canonem perverti, si in eo reponatur tum norma obiectiva tum directiva, acsi unica catholicae fidei norma infallibilis in consensione constanti ac universali Ecclesiae sita sit,* adeo, ut nihil in rebus fidei absolute certum ac infallibile habeatur, quod consensione constanti non credatur, atque nullus fide divina, quae absolute ac infallibiliter certa sit, credere quidquam possit, nisi ipsi constiterit de constanti ac universali Ecclesiae consensione. *Sic* autem *regula fidei catholicae pessumdatur, et ipsa traditio seu verbum traditum, quatenus constanter, ubique et ab omnibus creditur, cum constitutis traditionis doctoribus sive magistris commiscetur, qui verbum divinitus revelatum semper, ubique, et omnibus tradere tenentur.* 4. Sed si, uti debet, Lirinensis canon ad ipsam obiectivam normam referatur, non rite tamen idem intelligitur, quando tam positive quam negative accipitur. Ut enim verissimus est, si positive intelligatur, nimirum id esse divinitus revelatum, adeoque tenendum, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est*): ita falsus foret, si intelligeretur negative, itemque tribus notis, antiquitate universitate consensione simul ac coniunctim acceptis, quasi nequeat quidquam esse divinitus revelatum adeoque credendum, pro quo simul coniunctimque non militent antiquitas, universitas, consensio. *Fieri* namque *posse, factumque revera esse, ut aliquid semper inde ab antiquitate originali creditum adeoque divinitus revelatum sit, quod tamen neque ubique neque ab omnibus crederetur, ipse Vincentius docet.* Sane antiquitati deesse posse universitatem

*) Quo etiam spectat tritum S. Augustini effatum: „Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.“

ac consensionem, ipse palam affirmat Cap. IV quaerens: „Quid igitur tunc facit christianus catholicus, si se aliqua Ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit? quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? quid si novella aliqua contagio non iam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tum item providebit, ut antiquitati inhaereat, quae prorsus iam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum vel certe civitatis unius aut etiam provinciae alicuius error deprehendatur? Tunc curabit, ut paucorum temeritati vel inscientiae, si qua sunt universaliter antiquitus universalis Ecclesiae decreta (alias: si qua sunt universalis Concilii decreta) praeponat.*) Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil huiusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut conlatas inter se maiorum consulat interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiae Cath. communione et fide permanentes magistri probabiles extiterint: et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte frequenter perseveranter tenuisse scripsisse docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum."

E quibus liquet, *a Vincentio non doceri, quid exigatur, ut iudices fidei doctrinam aliquam uti fidei dogma definire possint, sed exponi, quomodo a viro catholico vera antiquitatis fides possit cognosci, tum quando antiquitati universitas desit atque consensio*, quemadmodum reipsa defuisse docet Cap. 5. et 6. „tempore Donati, a quo Donatistae, quum sese multa pars Africae in erroris sui furias praecipitaret, item quando Arianorum venenum non iam portiunculam quamdam, sed pene orbem totum contaminaverat, adeo, ut prope cunctis latini sermonis Eppis partim vi partim fraude deceptis caligo quaedam mentibus offunderetur." *Tantum* ergo *abest, ut Vincentius Lirinensis docuerit, nihil credendum esse,*

*) Quibus aperte Lirinensis inter traditionem seu normam obiectivam, de qua quaerit, et inter Ecclesiae magisterium seu normam directivam distingvit.

quod non ab omnibus et ubique fuerit semper creditum, ut manifesto inquirat, quomodo credenda veritas possit cognosci, si ea neque ab omnibus neque ubique credita sit vel credatur. Scilicet docet Cap. 8 et 9 standum „sacratae vetustati, cuius auctoritate profanae novitatis conteratur audacia, siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promtius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod et hoc ab Apostolica potissimum Sede sumemus: ut omnes luce clarius videant, beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptae semel religionis integritatem. Quondam igitur vener. memoriae Agrippinus Carthaginensis Eppus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra morem atque instituta maiorum rebaptisandum esse censebat. Quae praesumtio tantum mali invexit, ut non solum haereticis omnibus formam sacrilegii sed etiam quibusdam catholicis occasionem praebuerit erroris. Quum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamassent, atque omnes quaquaversus sacerdotes pro suo quique studio reniterentur, tunc beatae memoriae Papa Stephanus Ap. Sedis Antistes cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris restitit; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quae tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: Nihil novandum, nisi quod traditum est. Intelligebat enim vir sanctus et prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quae fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere; idque esse proprium christianae modestiae et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a maioribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? quis utique, nisi usitatus et solitus? retenta est antiquitas, explosa novitas. Ipsius Africani Concilii sive decreti vires donante Deo nullae, sed universa tamquam somnia, tamquam fabulae, tamquam superflua abolita, antiquata, calcata sunt.“ Unde patet, ex mente Vincentii Lirinensis universitatem ac consensionem nullatenus requiri ad hoc, ut aliquid, quod

revera sacrae antiquitatis auctoritate excellit, tamquam fidei dogma declarari possit; adeoque exceptionem ex Lirinensi canone contra definitionem infallibilitatis RR. PP. vi ac valore destitui. Patet denique ex eadem Lirinensis analysi, praecedentem quamdam moralem, ut aiunt, sive fidelium sive Epporum unanimitatem necessariam non esse, ut Ecclesiae magisterium in aliqua fidei quaestione iudicium ferre queat, quaenam doctrina Scripturis, Traditione, antiquitate, veritate nitatur.

1948.

Constitutio dogmatica prima de Ecclesia Christi, RR. Patrum examini proposita.

Pius Eppus etc. *Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum*, ut salutiferum redemtionis suae opus usque ad consummationem seculi perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei (1 Tim. 3, 15.) viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Ideo enim priusquam clarificaretur, rogavit Patrem, ut credentes in ipsum omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. (Ioan. 17, 1. 21.) Sapientissimus igitur architectus (1 Cor. 3, 10.) *ad* hanc *fidei et communionis unitatem in sua Ecclesia iugiter conservandam in B. Petro Apostolo instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum*, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret. (Leo M. serm. 4. al. 3. c. 2. in die Natalis sui.) Contra quod fundamentum divinitus positum quoniam portae inferi maiori in dies odio undique insurgant, ad catholici nobis commissi gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, *sacro approbante Concilio iudicamus necessarium esse, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici Primatus, a quo totius Ecclesiae vis et salus dependet, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem cunctis fidelibus credendam et*

tenendam proponere, atque contrarios eosque dominico gregi adeo perniciosos errores debito condemnationis iudicio proscribere.

Cap. I. *De Apostolici Primatus in B. Petro institutione.* Docemus itaque et declaramus, a Christo Domino iuxta evangelii testimonia *primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe B. Petro Apostolo promissum atque collatum fuisse.* Ad *unum* namque *Petrum* Christus Filius Dei vivi dixit: Et ego dico tibi etc. (Matth. XVI. 18. 19.) Atque *uni Simoni Petro* contulit Iesus post suam resurrectionem summi Pastoris et Rectoris iurisdictionem in totum ipsius ovile dicens: Pasce agnos meos, pasce oves meas. (Ioan. 21, 15—17.) *Huic tam manifestae Sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia Catholica semper intellecta est*, aperte opponuntur damnandae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae omnibus Apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate directeque ipsi B. Petro, sed Ecclesiae et per hanc illi ut suo ministro delatum fuisse.

Cap. II. *De perpetuitate Primatus Petri in Romanis Pontificibus. Quod* autem *in B. Apostolo Petro Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus* (1 Pet. V. 4. coll. Hebr. XIII. 20.) *in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem seculorum usque firmiter stabit, iugiter durare necesse est.* Nulli enim dubium, imo seculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque *Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae Cath. fundamentum*, qui a D. N. I. C. et Salvatore humani generis ac Redemtore claves regni accepit, *ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Eppis S. Romanae Sedis*, ab ipso fundatae, eiusque consecratae sangvine, *vivit et praesidet et iudicium exercet:* (Labbe Coll. Concil. III. 1154. — Eph. Conc. act. 3. — Oratio Phil. Sedis Ap. Leg. — S. Petr. Chrysol. ep. ad Eutych.) *ita, ut qui-*

cunque in hac Cathedra Petro succedit, is iuxta Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtineat. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. (Leo M. serm. 3. al. 2. n. 3.)

Cap. III. *De vi et ratione Primatus R. P.* Hinc inhaerentes tum praedec. nostrorum RR. PP. decretis, tum praecedentium Conciliorum Generalium disertis perspicuisque definitionibus, *innovamus Oecumenici Concilii Florentini fidei professionem,* qua credendum ab omnibus fidelibus est, S. Ap. Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum etc. (ut in C. Florent.) *Docemus* proinde *et declaramus, hanc, quae proprie est eppalis iurisdictionis potestas, ordinariam esse et immediatam,* erga quam particularium ecclesiarum cuiuscunque ritus et dignitatis pastores atque fideles tam seorsum singuli quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita, ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo Pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas opponatur ordinariae ac immediatae illi eppalis iurisdictionis potestati, qua particularium ecclesiarum pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, dicente S. Gregorio Magno: Meus honor est honor universalis Ecclesiae; meus honor est fratrum meorum solidus vigor; tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. (ep. 30 ad Eccl. Alex.) *Porro ex suprema illa R. P. iurisdictionis potestate consequitur, necessarium eidem Pontifici ius esse, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint.* Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc Supremi Capitis cum pasto-

ribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt *seculari potestati* obnoxiam, ita, ut contendant, quae ab Apost. Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi *potestatis secularis placito* confirmentur. Et *quoniam divino apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium* (Pii VI Breve „Super soliditate" dd. 28 Nov. 1786.) et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri; (Conc. Oec. Lugd. II.) *Sedis* vero *Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio.* (Nicol. I ad Mich. Imper.) Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Rom. Pontificum ad Oecum. Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Cap. IV. *De Romani Pontificis infallibilitate.* In suprema autem apostolicae iurisdictionis potestate, quam Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, *supremam* quoque *magisterii potestatem* comprehendi, haec S. Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque Oecumenica Concilia tradiderunt. Sequentes itaque inprimis generalium Conciliorum, in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat, solemnes fidei professiones, cum Concilio IV CPno credimus: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam (Matth. XVI. 18.), haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia *in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina:* quam Ap. Sedem sequi in omnibus Christifideles tenentur, ut esse mereantur in una communione cum eadem Sede, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas. (Ex formula S. Hormisdae PP. prout ab Hadr. II Patribus C. Oec. VIII CPni IV proposita et ab iisdem subscripta est.) Et cum Lugdunensi Concilio II profitemur: *S. Romanam Ecclesiam summum et plenum*

primatum et principatum super universam Ecclesiam Cath. obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et *si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri.* (Ex profess. fidei edita a Graecis in Conc. Oec. Lugd. II.) Et cum Florentino Concilio repetimus: Pontificem Romanum verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse. (Cf. Ioan. 21, 15—17.) *Hinc sacro approbante Concilio docemus, et tamquam dogma fidei declaramus, Romanum Pontificem, cui in persona B. Petri ab eodem D. N. I. C. praeter alia dictum est:* Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, (Luc. 22, 32.) *vi assistentiae divinae ipsi promissae errare non posse, quum supremi omnium christianorum doctoris munere fungens pro Apostolica sua auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tamquam de fide tenendum vel tamquam fidei contrarium reiiciendum sit; et eiusmodi decreta sive iudicia, per se irreformabilia, a quovis Christiano, utprimum ei innotuerint, pleno fidei obsequio excipienda et tenenda esse.* Quoniam vero infallibilitas eadem est, sive spectetur in Romano Pontifice tamquam Capite Ecclesiae, sive in universa Ecclesia docente cum Capite unita, insuper definimus, hanc infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat) praesumserit, sciat se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse.

Canones. I. Si quis dixerit, beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem D. N. I. C. directe et immediate accepisse, anathema sit. II. Si quis dixerit, non esse ex

ipsius Christi Domini institutione, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse iure divino Petri in eodem primatu successorem, anathema sit. III. Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes ac singulos pastores et fideles, anathema sit.

1949.

Protestatio nonnullorum Concilii Patrum **contra immutatum tractandi ordinem** de Ecclesia, praeponendo Primatum et infallibilitatem Papae. 1870.

Ad Praesides Concilii. In Congregatione generali Concilii Vaticani die 29 Aprilis habita ab Emin. Praesidibus pronunciatum est, fore, *ut relicto eo, qui in Schemate de Ecclesia Christi reperitur, ordine, primum de Capite huius Schematis XI⁰ et decreto ipsi addito, i. e. de Romani Pontificis infallibilitate separatim et abrupto nexu, quo iura et praerogativae Primatus cum aliis doctrinis de Ecclesia coniuncta sunt, tractetur.* Hancce rerum in Synodo Vaticana tractandarum immutationem omnino inopinatam mature perpendentes infrascripti Eppi, quamvis vehementer desiderent, ut dissensionis praesentis quam celerrime finis adducatur, muneris sui esse duxerunt, Emin. Praesidibus declarare, quod — si tamen additamenti illius tractatio omnino mittenda non sit — intime sibi sit persvasum, *novum hunc agendi modum neque rei ipsius naturae, neque Ecclesiae bono, ne-*

que tandem honori S. Sedis Apost. ullo modo convenire. I. Etenim *modus iste recentissime nobis propositus minime respondet naturali rerum ordini, quo doctrina de Ecclesia Christi tractari et solet et debet.* Nam iuxta Apostolum Ecclesia est „sanctum Dei templum, in quo omnes superaedificati sunt super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio crescit in templum sanctum in Domino." (Eph. 4, 4.) Quis ergo recte et adaequate loqui poterit de aliqua parte huius admirabilis aedificii, quin de aliis quoque partibus mutuoque, quo omnes inter se iunguntur, vinculo sermonem instituat? Iuxta eundem Apostolum Ecclesia est corpus multorum membrorum, quae tamen non eundem omnia actum habent, ita vero, ut singula invicem copulentur atque unum corpus in Christo constituant. (I Cor. 12, 11.) Quomodo ergo de hoc magno mysterio rite loqui poterimus, nisi de omnibus huius corporis mystici membris, deque iunctura, qua omnia membra tam inter se quam cum Capite suo Iesu Christo connexa sunt, secundum rectum et nativum ordinem tractaverimus! Hac solummodo idonea rerum tractandarum serie servata facile constabit, quodnam opus, quaenam mensura quive limites ex divina ordinatione cuilibet membro eiusdemque actibus competant. *Determinatis et stabilitis functionibus membrorum necnon Capitis praerogativis, plurima, quae si separatim proferantur, vel exaggerata viderentur et propemodum erronea, vel inventa ad proculcanda iura Epporum,* quaeque proinde in ferendis suffragiis placere nobis nequaquam possent. Ast vero *separatim tractandi Primatum R. P. ratio non solum rei, de qua agitur, naturae, sed etiam logicis disserendi regulis opponitur.* In secunda huius Concilii Vaticani Sessione publica iuravimus, eum pro vero SS. Scripturarum sensu habendum esse, quem tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia; et in tertia eandem veritatem omnibus Christianis tamquam regulam fidei iniunximus, quia Ecclesiae est iudicare de vero sensu et interpretatione SS. Scripturarum. Haec est infallibilitas Ecclesiae Christi. Iamvero *cum Ecclesia et Romanus Pontifex non unum idemque constituunt subiectum, et cum utrique vindicetur infallibilitatis auctoritas,*

iam manifestum est, de infallibilitate Romani Pontificis agi non posse, nisi prius tractata sit doctrina de S. Matris Ecclesiae supremo magisterio, deque relatione, quae inter magisterium Romani Pontificis et infallibile magisterium Ecclesiae Christi intercedit. Hoc siquidem postulat iuramentum nostrum, hoc regula fidei a nobis promulgata, alioquin leges logicas pervertisse et ipsi nobis contradixisse iure accusaremur. Accedit, quod omnis disputatio ab eo ordiatur necesse est, quod certum sit atque indubitatum, quodque in controversiam vocari a nemine possit. Atqui infallibilitas Ecclesiae Christi certissima est apud omnes catholicos et citra omnem posita dubitationem; id quod de infallibilitate Romani Pontificis personali contendi omnino nequit. Ergo prius de Ecclesia eiusdemque infallibili magisterio, ac deinde de ea, qua Romanus Pontifex in Ecclesia Dei pollet, docendi potestate agendum est, prout etiam omnes melioris notae Theologi rem tractare consveverunt. Denique iuxta Schema die 6 Martii h. a. propositum definiendum insimul esset, infallibilitatem Romani Pontificis ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur. Sed quomodo hoc accurato examine perpendi, quomodo hoc obiectum definiri poterit sine manifesta ordinis logici perturbatione, nisi prius de Ecclesia, deque obiecto, ad quod se extendit infallibilitas Ecclesiae, actum fuerit.

II. *Haec separata doctrinae de Primatu tractatio vel eo ipso, quod naturalem rerum ordinem perturbat, cum bono Ecclesiae,* quod praeprimis spectare debemus, *conciliari nequit.* Christum enim imitati nullo modo contenti erimus, veritates ab ipso revelatas easque sublimiores universo mundo promulgasse, sed ita ipsas promulgandas curabimus, ut etiam corda hominum bonae voluntatis mirum in modum attrahantur, ut falsi conceptus, ut praeiudicia erronea inde funditus expellantur. Nostrum erit in conficiendis decretis synodalibus et quoad rem dixisse veritatem, et quoad modum eam adhibuisse dicendi formam, quae doceat, placeat, moveat. Iste vero finis procul dubio obtineretur promulgato decreto de Ecclesia, quod totam doctrinam de ipsius magisterio, ministerio, ac regimine complectens, totum et integrum templum Dei, summa utique

sapientia divina exstructum, universo mundo ob oculos poneret; quemadmodum ab Apostolo in ea, quae ad Ephesios data est, epistola mirum in modum adumbratur: cuius „lapis angularis Christus, cuius fundamentum una cum ceteris Apostolis Petrus, cuius lapides omnes sunt fideles“; quod aedificium revera spirituale ex coelesti thesauro sibi concredito divinam et in dies novam haurit virtutem et augmentum faciens per singula secula magis magisque concrescit in perfectionem templi Dei sancti. Huiusmodi adaequata omnium partium delineatio, quae tam veritati quam caritati fratribus debitae magis responderet, doctrinam de Ecclesia et faciliorem et clariorem intellectu redderet tum fidelibus tum infidelibus, et maiestate ipsius multorum certe mentes illuminarentur. E contra vero *valde timendum est, ne decretum de Romani Pontificis praerogativis separatim a doctrina de Ecclesia Christi edendum animos novis praeiudiciis offundat eosque alienet potius quam alliciat.*

III. Saepe dictus *modus tractandi recenter nobis propositus nec cum honore neque cum bono S. Sedis Apost. promovendo componi posse videtur.* Amor et veneratio erga Summum Pontificem Petri Successorem vehementer omnino urget, ut ex omnibus viribus reclamemus contra talem modum procedendi. Optime siquidem notum est nobis, etiam hanc nostram erga Sedem Apost. sincerrimae addictionis confessionem ob agitationes, quae modo multorum in Urbe et orbe obcoecaverunt mentes, forsan in suspicionem vocatum iri, ac proinde contenti esse debemus testimonio, quo nos propria conscientia certos reddit, nihil aliud nisi studium sincerum honoris et incolumitatis Cathedrae Romanae nos impellere, ut eam sentiendi, loquendi et agendi sequamur rationem, qua revera utimur. Unde *ea animi libertate, quae veri minimeque fucati amoris est, convictionis nostrae rationes aperte iam sumus prolaturi.* Ubi primum in publico quodam folio Romae edito declaratio infallibilitatis Pontificiae postulata fuit, omnes Ecclesiae inimici clamabant: — et vox haec impia interim magis magisque per universum orbem terrarum invaluit — „*B. Patrem publicum bonum quasi praetexendo, revera pro sua tantummodo augenda potestate, atque ideo ignobili motivo*

ductum, Eppos Romam convocasse. Inanes habendas esse rationes in Bulla de die 29 Iunii a. 1868 pro convocatione Synodi oecumenicae adductas, nimirum Concilium congregandum esse, ut collatis totius Eppatus consiliis accuratissimo examine perpendatur atque statuatur, quaenam salutaria remedia calamitatibus nostri temporis adhibenda sint, quaeque ad maiorem Dei gloriam, ad salutem animarum, ad christianae iuventutis instructionem, ad communem omnium pacem et concordiam promovendam inprimis conducant." Nos pro Eppali nostro munere una cum fidelibus nostris, qui summa erga Pontificem Maximum pro tempore Ecclesiam Dei gubernantem ducimur veneratione, contra has calumnias reclamare non destitimus. Verumtamen si post ea omnia, quae interim evenerant, si post tot literas publicasque Allocutiones, quibus SS. Pater definitionem infallibilitatis Pontificiae promovere visus est, ab Eppis in Concilio coadunatis nihil aliud nisi breve quoddam decretum dogmaticum, quatuor scilicet capita illa de fide christiana, quae in Sessione 3 publicata sunt, et alterum brevius, et quod minus etiam temporum, quae vivimus, indoles exposcit, de Primatu et infallibilitate R. P. perficeretur, et si haec duo decreta omnium nostrarum per sex vel septem menses habitarum consultationem summa essent, qua obtenta domum nobis revertendum esset, denuo suscepturis dirum illud certamen contra spiritum mendacii iis in locis, ubi nos Deus posuit regere Ecclesiam suam; incertis praeterea, utrum Concilium postea continuari et proximo anno tota doctrina de Ecclesia definiri possit: dictae calumniae tantam vim tantumque incrementum ex iis omnibus, quae Romae acta sunt, nanciscerentur, ut nonnisi profundissimo moerore perpendere possimus, quantopere inde amor erga hanc Cathedram Romanam, veneratio in Sedem Apost. atque ipsa fides et salus animarum foret labefactanda.

Sufficit nobis, hanc nostram persuasionem hisce manifestasse, quin ullas preces adiungamus. Etenim cum dignitate nostra Eppali, cum munere, quo in Concilio fungimur, et cum iuribus, quae nobis ceu Concilii membris competunt, componere diutius non valemus, ut preces deferamus, utpote qui experientia iam satis superque edocti sumus,

tantum abesse, ut preces huiusmodi respiciantur, ut ne responsione quidem dignae habitae sint. Nihil ergo aliud nobis restat, quam *ut contra praefatum modum tractandi,* quem perniciosissimum Ecclesiae et S. Sedi Ap. arbitramur, *reclamemus et protestemur*, ut hoc modo rationem reddendam pro infaustis eventibus, inde procul dubio brevi post emersuris et iam nunc emergentibus tum apud homines tum in tremendo Dei iudicio, quantum ad nos attinet, declinemus: cuius rei hae ipsae literae perenne sint documentum. Si decretum de Ecclesia edendum exclusis quaestionibus, quae lites generant, eo potissimum spectaret, ut et venustas et maiestas Sponsae Christi ad maiorem Dei gloriam salutemque animarum in conspectu omnium revelaretur, quam facile nobis foret, integram doctrinam de Ecclesia brevi tempore absolvere ac forsan iam proximum Pentecostes festum, quo fundatae Ecclesiae memoria quotannis recurrit, summo cum gaudio insimul omnes celebrare. Tunc certo Synodo Vaticanae solemnissima Pentecostes festa illucescerent, quorum splendor per universum mundum coruscans omnes christianos ingenti repleret laetitia. Sed eheu! hoc gaudium ut nobis concederetur, nonne tantum abest, ut proxima Pentecoste nobis luctus potius quam laetitiae diem augurare videatur. Cuius utique ratio reddenda foret ab iis, qui ope Concilii non urgentibus reipublicae christianae necessitatibus prospicientes, non inimicos Ecclesiae sed fratres vincentes, scholarumque opinionibus palmam victoriae vindicantes Ecclesiae gravissimum damnum inferent, quod nunc et multo magis consideratis temporum futurorum conditionibus continui timoris et angoris materiam suppeditat. Utinam Deo O. M. placuerit, tantum malum a Concilio Vaticano avertere, et gratia sua coelesti omnes nos ad verae concordiae et unitatis sensus reducere! Romae festo Patrocinii S. Iosephi die 8 Maii 1870. (Subscripti: *Cardinales:* Pragensis, et Bisuntinus; *AEppi:* Olomucensis, Monacensis, Bambergensis, Leopolitanus L. R., Colocensis, S. Ludovici, Parisinus, Albiensis, Cincinnatensis, Mediolanensis, Halifaxensis, Coloniensis, Trapezuntinus; *Eppi:* Vratislaviensis, Veszprimiensis, S. Gallensis, Budvicensis, Moguntinus, Tarnoviensis, Augustanus, Vaciensis, Csanadiensis, Gurcensis, Parentinus, Osnabrugensis,

Szathmariensis, Iaurinensis, MVaradinensis L. R., Rottenburgensis, Quinque-Ecclesiensis, Munkacsiensis G. R., Chatchamensis, Pittsburgensis, Cliftoniensis, Agathopolitanus, Leontopolitanus, Bosniensis ac Sirmiensis, Augustodunensis, Lavantinus, Cassoviensis, Divionensis, Gratianopolitanus, Aurelianensis, Constantiensis, Suranus, Suessionensis, Catalaunensis, Massiliensis, Valentinus, Elnensis, Constantinus et Hipponensis, Vapincensis, Adiacensis, Oraniensis, S. Augustini in Florida, Plymouthensis, Kerryensis, Bugellensis, Transilvaniensis, S. Mariae et Marquettensis, Crisiensis G. R., Ecclesiensis, Hipporegiensis.)

1950.

Epistola **Archi-Eppi Cameracensis** ad Clerum suum super Oecumenico Concilio Vaticano: qua calumnias, et mendacia adversus Concilium ac praesertim quaestionem de infallibilitate Papae per publicas pagellas et libellos sparsa insigniter refutat. 1870.

Novistis, DD. charique Cooperatores, ac una nobiscum deploratis *systematica molimina, quibus spiritus factionis, ne dicam sectae, acta oecumenici Concilii Vaticani deprimere, suspecta reddere, atque sacram auctoritatem doctrinae et decretorum eiusdem, si fieri posset, destruere nititur.* Omnia, quae hoc augustum et sacrum Concilium concernunt, non cessarunt inde a primis eiusdem congregationibus, obiectum amaritudine plenorum praeiudiciorum, malevolae criseos, atque mendacium relationum esse. Haec acerbitas, constansque inimicus affectus non tantum in prelo antichristiano recurrit; sed iisdem, summo cum moerore, in opusculis quoque obviamus, quorum auctores nostram catholicam fidem profitentur, imo quorum nonnulli ad numerum cleri pertinent. Hi Deo servire praetendunt, dum Ecclesiam eiusdem odiosae diffidentiae exponunt, et contra eandem omnem possibilem oppositionem

suscitant. *Iuxta placita horum materialis compositio Concilii omnem seriam discussionem impossibilem reddit; — deliberationes praecipitanter et eo partium studio instituuntur, quod haud permittit, ut opiniones, Romanae Curiae*[1]) *minus acceptae, in medium proferantur, aut defendantur; — maioritas numerica sua superioritate abutitur, ad minoritatem opprimendam, et ad silentium redigendam; — insuper Patres, qui hanc maioritatem constituunt, generatim parum idonei sunt ad appretiandas intellectuales indigentias et politicas necessitates aevi, quo vivimus, atque exigentias publicae opinionis et concessiones, quas eidem Ecclesia, proprii sui commodi gratia praesture debet.* Ecce! quae dicuntur; et ecce quae vera sunt:[2])

I. *Materialem constitutionem concilii* ab exordio quibusdam hiatibus laborasse: nemo est, qui inficietur. Ast certum est, hos naevos iam pridem sublatos esse. *Conclave Concilii*, cui a principio nimis ampla extensio data fuit, ad convenientes proportiones redactum est. In praesenti eiusdem forma, quivis orator, ordinaria tantum voce praeditus, distincteque dicens absque adstrictione a cunctis auditoribus audiri potest. Ceterum magna difficultas oritur e gravi discrepantia pronunciationis sermonis latini, secundum varias nationalitates, quae tamen prorsus independens est a consuetis acusticae conditionibus, quamve Concilium ubivis locorum praeseferret. — Universo porro notum est mundo: quosdam oratores, propter debilitatem, aut alium defectum organi sui, nuspiam rite audiri posse. At vero, *suntne liberae eae saltem discussiones, quae undique audiri, atque commode comprehendi possunt? Omnino, perfecte liberae sunt*; nos vobis id affirmamus, neque dicere veremur, immensam maioritatem venerabilium collegarum nostrorum in hac persuasione nobiscum consentire. Nos omnibus generalibus Congregationibus, ne una quidem dempta,

---

[1]) Vocabulum hocce admodum imperfecte cooperit indignos assultus, contra ipsam personam Summi Pontificis directos.

[2]) Minutas res enucleare pergimus, verum ad id faciendum coacti fuimus. — Ceterum cavebimus, ne deviemus a discretione, et secreto, quae relate ad pertractationes Concilii per summum Pontificem omnibus Eppis praescribuntur.

interfuimus, et tamquam attenti et a studio partium alieni testes ingeminamus: *libertatem in Concilio ad extremum usque terminum provectam esse.* Eminentissimi Cardinales, qui Sessionibus nostris praesunt, eandem scrupulosa plane, atque tali teneritudine reverentur, quae interdum exaggerata videri posset. Quiscunque dicendi veniam petiit, hanc obtinuit, eademque tempore, quo libuerat, uti potuit. — Quodsi spatio quinque mensium, qui ab occepto Concilio effluxerunt, tres, quatuorve oratores in evolutione, quam suis sermonibus dare nitebantur, interrupti fuerant, ratio est, quod iidem a quaestione prorsus evagati sint, atque ad eandem necessario revocari debuerunt. Cum tamen experientia docuerit: hanc illimitatam dicendi libertatem, terminari nesciam atque inutilem prolixitatem causare; hinc primitiva regula, votis, urgentibusque petitionibus magnae pluralitatis Epporum conformiter, hoc in obiecto modificationem subire, atque tantillum restringi debuit. Conclusio discussionis itaque deinceps, in sequelam postulationis, per decem Patres saltem subscriptae, a Praeside suffragiis committi, et pro re nata, a congregatione Concilii decerni poterit. Nihilominus tamen cuivis Patrum liberum manet, suas observationes, super complexu schematum, et qualibet eorum parte prius scripto, tum vivae vocis ministerio, evolvere, et modificationes, novasque argumenti constructiones, quas opportunas, aut necessarias iudicaverit, proponere. — Omnes hae observationes, omnes hae modificationes, omnes hae propositiones subiiciuntur examini et discussioni Congregationis, quae perfecta cognitione causae imbuta, easdem suffragiis suis reiicit, vel adoptat. *Potest-ne ergo* **minoritas** *legitime conqueri de procedendi modo, quem* **maioritas** *in respectu eiusdem sequitur?* Potestne dici: ipsam victimam esse cuiusdam intolerantiae, ipsam quampiam oppressionem subire? Non, nequaquam! *Maioritas*, — si fas sit hoc vocabulo, ab alterius generis deliberante Conventu mutuato, uti, — maioritas, inquam, *minoritati*, vel *oppositioni*, quemadmodum nonnullis dicere placet, *semper exhibuit eum respectum, eam deferentiam, atque existimationis plenam patientiam, quas religio praecipit, et charitas deposcit.* Et insuper, qui fieri potest sermo de intolerantia et oppressione, in oecumenico quodam Concilio,

dum de doctrina agitur? Si homines, qui fidem nostram nun quam professi sunt, aut ab eadem defecerunt, huiusmodi idei adhaereant, et huiusmodi sermones proferant, id perfecte intel ligimus. Sed quis est catholicorum, quantumvis parum in su religione instructus, qui non comprehenderet hoc simplex di lemma: vel fallitur minoritas, et tum invincibilis oppositio quam error experitur, non est oppressio a parte maioritatis sed legitimus usus indubitati iuris, atque implementum indispensabilis obligationis; — vel veritas est, quam propugnat et tum maioritas tantum abest, ut eandem opprimat, ut potius eidem infallibiliter se associet. — Profecto dicere: veritatem a concilio, cui Spiritus S. in omnibus eiusdem deliberationibus assistit, cuiusque omnia iudicia illuminat, non cognoscendam, repellendam, aut iniusto silentio captivam tenendam fore, idem esset ac blasphemare.

Quid porro censendum est de competentia maximae partis Epporum, in Concilio Vaticano congregatorum, non quoad scientiam theologicam, quam ipsis valde controverter minoritas non praesumit, sed quoad cognitionem et appretiationem sic dictarum „modernarum idearum“? An non sunt iidem nimis alieni, aut fortassis systematice oppositi postulatis opinionis, vel intellectuali motui epochae nostrae, vel progressibus nostrae civilisationis? An non sunt fors nimis segregati a mundo, ut rite cognoscere possint, quid in eodem eveniat? Noverunt-ne satis exacte id, quod emolumentum catholicorum in variis regionibus terrae, signanter in oris, ubi schisma, haeresis, infidelitas, scepticismus philosophicus dominatur, deposcit? Probene sciunt, quousque oporteat temperare aut velare lumen, ne nimio suo splendore cunctos hos debiles oculos caecutire faciat? quaenam veritates sint reticendae, ne abyssus profundior reddatur, aut murus altior, qui tot milliones incredulorum, heterodoxorum et infidelium a catholica Ecclesia separat? Ut rite appretiare possitis has insinuationes et audaces affirmationes, quae hac de re in medium proferuntur, et quotidie repetuntur, sufficiat vobis paucissima dicere de venerabilibus Patribus Concilii, quibuscum in frequentissimo atque intimo nexu constituimur, videlicet qui *commissionis de Fide* membra sunt. Vos ipsi iam nostis, quot regna, quan-

tosque et quam varios populos hi repraesentent; haec regna — ut ordinem electionis, quo ad hanc Commissionem assumpti sunt, sequamur, — sunt: Hispania, Gallia, Hibernia, Hungaria, Hollandia, Turcia, Sicilia, Polonia, Ducatus Mutinensis, Brasilia, Bavaria, Belgium, Status uniti Americae septemtrionalis, Helvetia, Tyrolis austriaca, Chili, Anglia, Venetiae, Roma, Indiae orientales, Borussia et California. Hi eminentes Praelati, quorum scientiam admiramur, quorum pietate aedificamur, ad omnes classes societatis pertinent; iidem partem habuerunt, aut nunc quoque habent, in omnibus politicis negotiis, in omnibus revolutionibus suorum regnorum; iidem — pro sua obligatione — constanti attentione prosequebantur hos motus animorum, proh dolor! saepissime ordini infensos, qui aevum nostrum perturbare non desistunt; iidem omnes utiles progressus, non secus ac viles, perniciosasque aberrationes modernae scientiae observarunt. Iidem sub diversissimis politicis regiminibus vivunt, atque in medio omnium, quae in mundo reperiuntur, philosophicarum scholarum, religionum et sectarum, inde a Buddaismo et crassissimo Fetischismo, usque subtilissimas, plurimumque nebulosas theorias germanicarum scholarum. Ea, quae isthic de quadam parte Concilii dicimus, toti Concilio applicanda sunt. Nam sine errore, vel mendacio statui nequit: Eppos, qui membra eiusdem sunt, generatim neque homines, neque res, neque indigentias sui aevi nosse.

Verum non regunturne hi fortasse quibusdam inconsideratis praeiudiciis, aut caeca aspernatione adversus liberales tendentias et politicas institutiones, quae hodie passim adoptantur, et adversus progressus, quos scientia iam fecit, aut qui ab efficaci investigatione eiusdem expectari possunt? Ad has allegationes sequens est responsum nostrum: Eppi, quibuscunque demum terrae regionibus evangelicum suum ministerium exerceant, fidelibus suis in memoriam revocare, atque sibi ipsis applicare debent hanc magni Apostoli doctrinam: „quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.“ (Philip. 4. 8.) Qui fieri posset, ut huiusmodi doctrina rite intellecta, atque conscientiose in effectum deducta, quispiam inimicus sit cuiusdam utilis progres-

sus, cuiusdam realis perfectionis in quocumque demum rerum ordine occurrentis? Neque sufficienter vobis ingeminare possumus: Catholicum Episcopatum calumnia affici, dum is modernis ideis, libertatibus et institutionibus in omnibus et praeconcepto studio inimicus ob oculos sistitur; quasi contra progressus, scientias, artes, civilisationem, et omnia, quae moderna societati chara sunt, nonnisi aversione duceretur, atque anathemata vibraret. Quodsi nos partem sic dictarum modernarum idearum repellamus, id ipsius huius societatis, atque futurae eiusdem salutis gratia facimus. Lubenter adoptantes quidquid hae ideae veri, iusti, nobilis et generosi complectuntur, nos, cuiuscunque regni aut nationalitatis simus, omnibus viribus fidei, nostrique patriotismi oppugnamus, quidquid falsi impii, immoralis et subversivi iisdem admiscetur. Nos volumus scientiam, sed illam, quae hoc nomine reipsa digna est; illam quae illuminat, quin incendia causet, quin mores depravet, quin blasphemet. Nos incrementa civilisationis acceptamus dummodo illa characteribus constantiam, publicis privatisque moribus sanctam integritatem omittat, neque contenta sit vanitatem, pudorem, omnemque depravationem antiqui mundi paganani splendido quodam vernice contegere. Nos stimulamus progressum, nos eidem benedicimus, nos eidem omnem operam navamus, at ea sub conditione: ut genus humanum per viam veritatis, moralitatis, iustitiae, ordinisque ducat. Nos itaque iustitiam praestamus epochae nostrae, quae magna, pulchraque opera producendo est; verumtamen nos nec oculos, neque pravertentem manum removere possumus ab immensis periculis quibus se implicat, atque a calamitatibus, quas eiusdem imprudentia, errores, oblivio, ne dicam despectus Dei, eiusque legis producere debent.

Comprehendet-ne porro maioritas Patrum Concilii momentum, extensionem et subtilem tenecitudinem indulgentiae qua erga publicam opinionem duci debent? — Abs dubio maioritas haec omnia comprehendet. Verumtamen studendum ut omnes non necessarias collisiones evitet, eadem nunquam oblivisci poterit: quod omnis Eppus, qui independentiam, ac dignitatem sui ministerii compromittendo, popularitatem qua-

reret, discipulus Iesu Christi esse cessaret.[1]) Eadem oblivisci non poterit, quod etiamsi — prout nobis inculcatur — „opinio sit definitive mundi regina," Ecclesia tamen minime ideo existat, ut legibus huius reginae subsit, aut instabilia, saepeque iniusta placita eiusdem sequatur. Ceterum ad diiudicandam fiduciam et indulgentiam, quam opinio aevi nostri meretur, atque determinandum influxum, quem eadem in catholicum Eppatum legitime exerere posset, examinare iuvabit, quid valeant in ordine morali et religioso *Ephemerides,* quas eadem praeferenter pro consiliariis et viae ducibus sibi eligit, atque literatura, quae exclusivo privilegio favoris, applaususque eiusdem perfrui videtur. Recedendo ad christianas nostras origines, quaerere omnino possumus: ubinam constituissent Apostoli regnum Dei in his terris, si praedicatione evangelii in opinionem, aevo suo dominantem, impingere timuissent, et si ubique, ubi clamorem huius opinionis excitarunt, ad silentium damnati fuissent? Et quaenam esset futura sors christianismi, quid remaneret cras de nostro symbolo, de nostro Decalogo: si Eppi omnia eiusdem puncta rescinderent, quae opinio, mundo hodie dominans, reprobat, et supprimere vellet? Quod ad personas attinet, in dubium vocari nequit, Eppos, quaecumque demum sint ipsorum religiosae dispositiones, constanter pro norma suarum actionum, atque decisionum doctrinas, exemplaque magni Apostoli assumturos fore. Ipsi namque norunt: se debitores esse sapientibus et insipientibus;[2]) se, urgente charitate, omnibus omnia fieri debere, ut Iesu Christo quanto plures animas lucrentur;[3]) atque se obligatos esse condolere iis, qui ignorant et errant, quoniam et ipsi circumdati sunt infirmitate,[4]) humanisque subsunt debilitatibus. Ceterum, quamvis nobis praeceptum sit, pacem diligere, et nullam refugere condescensionem, nullumque sacrificium, dum de illa conservanda, aut revehenda agitur: nunquam tamen oblivisci debemus, veritatis quoque amorem nobis non minus stricte iniungi, nosque specialiter ad eiusdem defensionem vocatos esse, et sine proditionis macula in detrimentum iurium et emolumentorum eius-

[1]) Ad Galat. 1. 10. — [2]) Ad Rom. 1. 14. — [3]) I. ad Cor. 9. 22). — [4]) Hebr. 5. 2.

dem transigere non posse. Pacem et veritatem diligite. (Za 8. 19.) Ut igitur nonnullos saltem infortunatorum, quos t rens modernorum errorum versus abyssum raptat, salvem nos, iisdem manum porrecturi, quousque licuerit, appropinqu bimus ; verumtamen cavebimus nos eousque inclinare , amissa basi, nos quoque ad torrentem, eosdem rapientem ru mus.

II. Nunc iam quaepiam dicenda sunt *de magna i quaestione*, in quam, ab aliquo tempore, attentio totius mu defigi videtur, et quae examini, discussioni et supremae de sioni oecumenici Concilii submittetur; videlicet: *de infalli litate Papae.* Cum omnia adhibeantur media, ut haec qu stio contorqueatur, atque obiectum perturbationis, inquietudi et propemodum horroris fiat, studete, ut eandem in publi vestris institutionibus, atque oblata occasione, in familiari colloquiis, — publice et per domos — bene proponatis, rite comprehendi faciatis Dicite: *Papam isolatum, absolutum. Ecclesia, in quam despoticum imperium exerceret, sepa tum; — Papam pro lubitu nova dogmata multiplicante et de omnibus rebus ea, quae vult, decidentem, ac defini tem, quin aliam regulam, et normam, praeter proprium c bitrium sequeretur, nihil aliud esse: nisi chimaerica creationem spiritus factionis. — Verus Papa, cuius ir formabilem doctrinam, et supremam auctoritatem cum amo et sine restrictione acceptamus, ab universali Ecclesia nu quam separari potest;* ille nunquam potest aliud defini nisi quod haec credit; ille dumtaxat in sua integritate, con omnes profanas novitates custodit fidem, quam Ecclesia on tempore profitebatur, quamve omnibus locis profiteri contin Dicite cumprimis, *fidem de infallibilitate Papae neutiqu novam esse in Ecclesia; eandem, per seriem omnium se lorum, usque tempora Apostolorum regredi, et, si tamqu dogma fidei definita fuerit, per id nonnisi in splendidior lucem, atque supra quasvis ulteriores disceptationes col candam fore.* Ut fideles vestros hanc veritatem rite comp hendere faciatis, sufficiet iisdem in memoriam revocare atq exponere elementares institutiones nostri *dioecesani catechis* Ad hanc quaestionem: existunt-ne plures Ecclesiae? parv

nostri respondere norunt: „Non; unica tantum existit Ecclesia, extra quam non est salus. — Haec Ecclesia est *Ecclesia Romana.*“

Non opus est dicere: hanc nequaquam particularem quamdam doctrinam esse, aut quae ortum suum nostris diebus deberet; ea namque universalis est, quam omni tempore omnes catholici profitebantur. Seculo II aerae christianae *S. Irenaeus,* fidem apostolicorum temporum exprimens, de Romana Ecclesia sic fatur: „Ad hanc enim Ecclesiam, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, in qua semper ab his, qui sunt undique fideles, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio.“[1]) Ab hoc tempore Patres, Concilia, Theologi omnium scholarum unanimiter recognoverunt: hanc maternam auctoritatem, hanc doctrinalem suprematiam Ecclesiae Romanae in universum orbem, atque in omnes, sine exceptione, fideles extendi. Super hoc principali puncto eadem est doctrina gallicanorum, ac ultramontanorum, Bossuetus eodem modo cogitat et loquitur, quo Fenelonius. Itaque innegabilis veritas est: *fidem Ecclesiae Romanae nunquam cessasse regulatricem fidem totius mundi constituere;* atque ideo semper pro haeretico habebatur, quisquis doctrinam eiusdem reiecisset; pro schismatico, quisquis a communione eiusdem se separasset. Sed, si sub reatu haereseos, aut schismatis, praeceptum sit, Ecclesiae Romanae semper inseparabiliter adhaerere; si nunquam permissum sit, se ab eadem separare; si semper credendum sit, quod illa credit, et quod illa docet: ergo *eadem nunquam poterit errare,* eadem nunquam credet, et docebit aliud, nisi veritatem. Secus namque adhaesio errori obligationem conscientiae, et necessariam conditionem salutis constituere posset. *Cui iam, quaeso, Ecclesia Romana debet hoc privilegium semper incorruptae, semper purae, semper indefectibilis fidei? Evidenter Pastori, qui eam regit; Episcopo, qui eam docet et gubernat; successori Petri, qui in persona beati huius Apostoli accepit mandatum confirmandi fratres suos, cum promissione semper praesentis supernae assistentiae in implemento huius divinae*

[1]) S. Iren. ctra Haeres. lib. III. cap. III.

missionis. Profecto quonam privilegio distingueretur Ecclesia Romana prae aliis mundi Ecclesiis, si Providentiae placuisset, ut S. Petrus qua Antiochiae Eppus moriatur, atque sic apostolica Sedes pro serie omnium seculorum ad hanc urbem defigatur? Ceterum consideremus, e quibusnam constet Ecclesia Romana? Eadem, quemadmodum omnes reliquae, constat e simplicibus fidelibus, qui institutionem accipiunt, ipsi vero nequaquam docent; e Sacerdotibus, qui docent, si animarum curam commissam habeant, sed qui neutiquam sunt iudices fidei; porro e Collegio Cardinalium, quorum quantumvis eminens sit dignitas, ipsi tamen virtute propriae auctoritatis nunquam definire possunt quaestionem quamdam dogmaticam. Iidem non sunt omnes Eppi, imo plures eorum neque Sacerdotes, sed tantum Diaconi sunt. Restat igitur *Papa, cuius solius infallibilis doctrina fidem Romanae Ecclesiae ab omni errore immunem reddit.* Scimus, nonnullos *distinguere* voluisse *Pontificem a Sancta Sede;* ast quid est haec sedes absque illo qui eandem occupat? et *quaenam erit doctrina cathedrae apostolicae, quaenam eiusdem auctoritas, si muta, separata que fuerit ab illo, cui soli reservatum est ius ex eadem loquendi?*

Si igitur Concilium suum iudicium super quaestione infallibilitatis pontificiae pronuntiaverit, dubitare haud possumus de sensu, quo eadem definietur. Profecto fides, cui antiquitas et universalitas patrocinatur, praevalere debebit. Opinio *Gallicanorum* in institutionibus theologicis sat arctis terminis circumscribitur, atque originis relative recentis est; quae si elapso seculo ephemeros quosdam progressus fecit, hi nonnisi *indebito interventui civilis potestatis, eandem nostris Seminariis et universitatibus iniungentis,* attribuendi veniunt. *Ut haec opinio per Concilium legitime damnetur, necessaria-ne erit unanimitas suffragiorum?* Vos ipsi nostis, *hic errorem latere,* cui quidam, e motivis intellectui obviis, fidem conciliare nituntur. Vos hunc errorem fidelibus vestris indicabitis. Haec *unanimitas suffragiorum nunquam fuit deposta,*[1]) *nec unc*

[1]) Instructio Pii IV ad suos Legatos in Concilio Tridentino ad speciales et transitorias circumstantias se refert, nequ normam pro futuro praestituit.

quam locum habuit. Divinitas D. N. I. Ch. Nicaeae definiri neutiquam potuisset, si Patres primi oecumenici Concilii huic conditioni se subiecissent. Supponendo, in sinu Concilii, occasione cuiuscunque demum definitionis quamdam dissensionem oriri, per id fides fidelium perturbari nequaquam deberet. Oppositae opiniones sub discussione oriri, atque se mutuo oppugnare possunt; attamen decisio, quae discussioni finem imponit, omnes spiritus in perfectam unionem sensus et fidei coniungere debet. Ceterum non praetermittetis rite exponere: *veritatem semper a parte Epporum Papae unitorum reperiri, atque secundum catholicam regulam, a S. Ambrosio expressam, ubi Petrus est, ibi Ecclesiam esse. Nihil dicemus de illa nova theoria Concilii, secundum quam suffragia non numerari, sed ponderari, atque vota singulorum Epporum pro ratione momenti suarum dioecesium aestimari deberent: haec namque res in Ecclesia prorsus inaudita est, quae nullam discussionem patitur.* — Profecto nemo nobis oggerere poterit, nos eandem e personali quopiam motivo reiicere. *Est-ne vero opportuna definitio infallibilitatis Papae?* Hac de re Concilium iudicabit, certumque est, illud tam parum in quaestione opportunitatis, quam in quaestione ipsius doctrinae errare posse. S. Pater, loquendo de his, qui hac in parte nimium metum expresserunt, nuperrime dixit: „Si firmiter crederent, quemadmodum omnes alii catholici, oecumenicam synodum a Spiritu S. dirigi, atque unice sub inspiratione eiusdem credenda proponere et definire, profecto nunquam sibi persuasissent, synodum definire posse res non revelatas, ut quae Ecclesiae quodpiam praeiudicium inferrent.“[1]) Ad demonstrandam opportunitatem, (nos pene diceremus) *necessitatem definitionis*, quae deinceps supremam auctoritatem Papae extra omne dubium, omnemque controversiam collocet, indicare sufficiet sequentes considerationes, quas nos pro decisivis habemus. *Toti mundo notum est, quam profunda astutia, quanta obstinatione declinaverit* **Iansenismus** *auctoritatem pontificiarum bullarum, eundem damnantium; iam vero, negari*

[1]) Breve de 12 a Martii 1870 ad Abbatem Solesmensem *Guéranger.*

nequit, eundem hanc haereticam luctam virtute, et exagge
rata applicatione gallicanarum doctrinarum sustentasse
quam postremae eiusdem reliquiae hodiedum prosequuntur
Civilis constitutio Cleri, quae circa finem elapsi seculi Eccle
siam Gallicam tam grandi periculo exposuit, easdem doctrina
pro principio et basi habuit. Idem dicendum est de sic dict
schismate *parvae Ecclesiae* (de la petite Église) quod pos
concordatum anni 1801 exurrexit, neque hucdum penitus sopi
tum est. An non suadet prudentia: ut iterationi parium ca
lamitatum, quantum fieri potest, occurramus, supprimendo cau
sam, quae illas produxit? *Hodie quoque in Gallia exist*
antiquus Gallicanismus parlamentaris, omnibus nostris rev
lutionibus superstes, ferventesque habens asseclas; quorum i
fluxus saepe iam libertati conscientiarum nostrarum, nostriq
ministerii periculosum se exhibuit, et facile nunc quoque ta
fieri posset. *Declaratio a. 1682 est evangelium eius.* Pon
ficem in statu perpetuae suspicionis tenet, atque auctoritat
eiusdem in Ecclesiam nunquam satis restrictam existim
In alio prorsus diverso genere praesto est sic dictus *libera*
catholicismus. Hic eo conatus suos dirigit, ut Ecclesiam
traditionalem, a tot seculis tritam viam deserendam, atque
eam, quam moderna societas ingressa est, cuiusve terminu
solus Deus novit, ineundam permoveat. Propterea urget E
clesiam, ut formam gubernii sui, ab ipso Iesu Christo ac
ptam, perfectiorem reddat, adoptando variabiles, fluxasque
stitutiones humanorum guberniorum. Hae utopiae, quamvis
generoso principio egrediantur, in sua applicatione plurimis
riculis scaterent. Tendentiae itaque huiusmodi erronei zeh
froeno tenendae, atque regulandae sunt. Denique sollici
nostra ad futura quoque tempora protendi debet; iam
quis dicendo erit, quidnam recondant futura tempora impe
trabili sinu suo? An non instant Ecclesiae difficilia temp
vehementesque pugnae superandae? Num non saperet su
mam imprudentiam, in praevisione huiusmodi valde proba
lium, et fortassis proximarum probationum auctoritatem Pa
in dubio situ omittere? Si instante proelio „*incertam* voc
det tuba, quis parabitur ad bellum.“ [1])

[1]) I. Cor. 14. 8.

III. Quemadmodum *temporibus religiosorum motuum* passim fieri suevit, *nunc quoque pluribus defectionibus contristamur*, quae debilibus obiectum scandali esse possunt. Rite exponite fidelibus: *homines, quantumvis utilia et gloriosa praestiterint religioni servitia, omnem auctoritatem perdere, neque ullam amplius fiduciam mereri, ex quo Ecclesiam audire cessaverint.* „Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus." (Matth. 17. 17.) Inde a Tertulliano, ad nostra usque tempora, quot homines sub multis obtutibus eminentes extiterunt, qui vocem Ecclesiae perperam intellexere, qui se eidem necessarios esse existimarunt, et, cum eandem magno ingenio, magnaque nominis fama defenderint, eiusdem duces esse vellent. Iidem hac defensione quidem titulos gratitudinis, quam Ecclesia ipsis semper larga mensura exhibuit, consecuti sunt; verumtamen ius eidem suam directionem imponendi, eique dominandi nequaquam impetrarunt. *Petrus gubernaculum, a Iesu Christo sibi concreditum, aliis manibus, quacunque dexteritate pollentibus, committere nequit. Superbia, necessaria hac resistentia offensa, excandescit, irritatur tandemque ad rebellionem prolabitur. Hinc repetendi sunt tristes illi lapsus, de quibus historia narrat, quorumque seculum nostrum testis fuit.* Quotiescunque obviamus cuidam horum oratorum, aut scriptorum, qui contra Ecclesiam consurgunt, posteaquam eidem utilia servitia praestitissent, nos illorum amissionem quidem deplorare debemus, quin tamen funestas huius rei sequelas nimis timeamus. *Temerarius et indisciplinatus hic naviculator est, qui nonnisi propriae praesumptionis consilia sequi voluit.* Impetus venti eum ad mare rapuit. Omnia salutis media eidem praesto erunt, quae si respuerit, misere fluctibus submergetur, navis tamen, e qua propria culpa ceciderat, iter suum prosequetur, et per ipsam tempestatem, quae eandem frangere et submergere videbatur, ad portum propelletur. *Nos beati sumus, vobisque novitus congratulamur de perfecte tranquilla, vereque religiosa indole, quam chara dioecesis nostra in his paulisper perturbatis circumstantiis, in quibus versamur, praesefert. Boni fideles nostri inaccessibiles sunt his motibus, quos Concilium in quibusdam oris excitare videtur*; iidem pro felici eius

exitu orant, et plena fiducia, in spiritu profundae fidei expectant eiusdem decisiones. Vos nulla e parte obviatis ferventibus his disputationibus, quibus personae quoque se implicant, quae ab iisdem alienissimae esse deberent. Consilia *Fenelonii* in gremio distinctissimarum, cultissimarumque familiarum nostrarum intelliguntur et observantur. In medio illarum haud occurrunt foeminae „quae se decisionibus super religione immiscent, quamvis huius rei incapaces sint;“ quae „scientia sua magis obfuscantur, quam illuminantur, quaeve mordicus adhaerent parti, contra aliam, in disputationibus, intellectui suo superioribus.“ — Piae nostrae matronae norunt, „quam indecens et perniciosa sit haec libertas.“ — Eaedem non „disserunt de theologia, cum magno periculo suae fidei, neque disputant contra Ecclesiam.“[1]) — Seria, semperque christiano modo occupata vita earum divisa est inter implementum officiorum sui status, et inter opera, quae charitas ab ipsis deposcit. Impendite magis magisque conatus vestros, ut hunc spiritum ordinis, sapientiae et pietatis in omnibus parochiis vestris conservetis. Benedicat Deus laboribus vestris, et pax Domini sit semper vobiscum. Romae extra portam Flaminiam 15. Maii 1870 R. F. AEppus Cameracensis. — (*Lettre de* **M. l'Archeveque de Cambrai** *au Clerge de son Diocese sur le Concile Oec. du Vatican.* Paris. 1870.)

---

[1]) Fenelon, Éducation des Filles.

1951.

Epistola altera **Archi-Eppi Cameracensis** ad Clerum Dioecesanum super **Gallicanismo theologico.** 1870.

In postrema epistola nostra, ad vos, DD. charique Cooperatores, dimissa, *de opinione gallicana* loquentes, haec tantum diximus: eandem in institutionibus theologicis sat arctis terminis circumscribi, atque originis relative recentis esse; quae si elapso seculo ephemeros quosdam progressus fecit, hi nonnisi indebito interventui civilis potestatis, eandem nostris seminariis et universitatibus iniungentis, attribuendi veniunt.“ Utile futurum censemus, ut ad hoc grave obiectum revertamur, illudque penitius evolvamus. Quaestio haec admodum fervide discutitur, sed generatim valde male intelligitur! itaque ab eiusdem dilucidatione ordiendum est. In quo igitur consistit praecise *gallicanismus theologicus?* Systema hoc apposita manu evolutum fuit *anno 1682,* in sic dicta *declaratione Cleri Gallicani.* Iuxta *articulum IV* famosae huius declarationis, *auctoritas doctrinalis Summi Pontificis*, in illis quoque actibus, in quibus — prouti dicitur — fastigium suae potestatis attingit, *indirecte auctoritati corporis Epporum subordinata est;* iudicia a Papa prolata non fiunt definitiva, decreta eiusdem non sortiuntur vim legis, dogmaticae eiusdem constitutiones non obligant conscientias fidelium, nisi Ecclesia eadem acceptet, suumque assensum iisdem tribuat. *Quid censendum est de hac opinione? Vos scitis, eandem ab immensa maioritate venerabilium nostrorum in Episcopatu Confratrum reiectam fuisse.* Nos intima e convictione fovemus sensa, quae iidem de hoc obiecto profitentur. *Nos arbitramur, gallicanam opinionem admitti non posse, cum regimen Ecclesiae*

una conditionum privet, quas specialis eiusdem natura deposcit; — cum contradicat universali et constanti praxi orbis catholici; — cum denique applicatio eiusdem, si generalis foret, doctrinalem auctoritatem Papae non tantum imminueret, sed reapse destrueret.

I. *Ut supremum Caput Ecclesiae gubernare possit, inomisse requiritur: ut iudicia, decretaque eiusdem nulli appellationi, aut reformationi obnoxia sint. Atqui talia esse nequeunt, nisi infallibilia sint.* Haec veritas, quemadmodum nobis videtur, ad plenam lucem collocari potest, quin prolixis involveremur disputationibus de auctoritatibus et textibus, quorum vim eludere, sensum contorquere praeoccupatae menti vel malae fidei nunquam non succedit; nos ad breves duntaxat observationes, simplicemque argumentandi rationem nos restringemus, quae sequens est: *Iesus Christus* noluit, ut electi, quos ex omnibus mundi nationibus, et per decursum omnium seculorum congregare constituit, ad coelum isolati, et inter se quasi particulares et fortuitas aggregationes tantum efficientes proficiscantur. Ipse *fundavit Ecclesiam* suam, ut eosdem in universo mundo, et usque consumationem seculi colligat; atque voluit: ut iidem *unius fidei professione, eorumdem sacramentorum participatione, iisdemque pastoribus* subiecti, ad maguam quamdam, atque *indivisibilem societatem uniantur*. Iam vero cuivis societati, nisi periculo anarchiae, aut dissolutionis se exponere velit, *necessarium est tribunal, cuius iudicia suprema, et definitiva sint;* secus namque discussiones aeternae, omnes causae incertae, atque dissensiones sine remedio forent. Sic in ordine civili quaelibet natio sic dictum cassatorium forum habere debet. *Dum de terrestribus tantum negotiis, et de materialibus commodis agitur, sufficit, si supremum tribunal, quocunque demum nomine illud designemus, legali, fictaque infallibilitate potiatur.* Decreta eiusdem externos actus tantum praecipiunt, atque sufficienti modo et conscientiose effectui dari possunt, etiamsi intime persuadeamur: iudices eadem edendo errasse. Attamen *externa* haec *reverentia erga rem iudicatam nequaquam sufficeret, dum de doctrina atque fide ageretur.* Reapse dum in hoc ordine controversiae oriuntur, quae decisionem omni appellatione su

periorem necessariam reddunt, quid facit iudex eandem enuncians? Declarat in qua parte sit veritas. Et quomodo potest pars damnata sententiam, ipsam ferientem, exequi? Unice eidem per actum fidei adhaerendo. Numquid vero haec irrestricta acquiescentia intellectus et voluntatis, quae fidem constituit, non redderetur prorsus impossibilis, ex quo legitime metui posset: dogmaticam decisionem, cui illa debetur, erroneam esse posse? Itaque *ad essentiam cuiusvis supremi doctrinalis iudicii pertinet, ut illud ab auctoritate proferatur, cui infallibilitas non per simplicem fictionem iuris, sed realiter sit propria.* Sine hac conditione iudicium huiusmodi radicali nullitate laboraret. Ubi nunc iam reperietur in christiana societate haec auctoritas, cuius iudicia conscientiae nullum ius, nullamque libertatem dubitandi permittunt? Numquid eadem reperietur in *Conciliis oecumenicis?* Ita sane, abs dubio. *Verumtamen celebratio harum sacrarum et venerabilium congregationum tantis subest difficultatibus, quae easdem saepe impossibiles, semper vero admodum raras reddunt. Nihilominus tamen Ecclesia exposita erit casibus, qui quotidie necessarium reddere possunt interventum supremae auctoritatis, quae in sinu eiusdem posita est, ibidemque perpetuo subsistit. Supererit itaque, ad prospiciendum his inevitabilibus indigentiis, temporibus ordinariis Sancta Sedes, seu, quod idem est, summus Pontifex. Oportebit quoque, ut in cunctis casibus, ubi ille locutus fuerit, aut supremum iudicium suum pronuntiaverit, causa finita sit.* Si alia foret rerum facies, quomodo posset unitas in Ecclesia constanter conservari, in medio perpetuarum causarum, variationum et disceptationum, quae necessario oriri debent e doctrina, in omnes linguas, quas homines loquuntur, transposita, — ex infinita varietate characterum et consuetudinum nationum, in oppositis extremitatibus terrae habitantium, atque ex innumerabili multitudine pastorum, per omnia puncta globi diffusorum? An non est necessarium his omnibus pastoribus, his omnibus fidelibus quodpiam Caput, cuius auctoritati absque discussione, sine mora et sine restrictione parere obligatos se esse credant? An non est necessarius, ad terminandas cunctas religiosas controversias, quae in hac immensa societate satis

crebro suscitari debent, *Iudex, cuius sententiam nemo repudiare possit? Atqui hic Iudex est Papa.* Haec fuit fides omnium elapsorum seculorum; haec est fides hodie quoque propemodum unanimis totius mundi catholici. Palpabile argumentum huius rei habemus in facto, haud rite fors expenso, quod tamen indicare sufficiet, ut magnam eiusdem significationem comprehendamus. *Summi Pontifices, in maxime solemnibus actibus sui ministerii infallibilitatem suam, implicita quidem, sed satis intelligibili ratione, semper affirmarunt, idque cum pleno assensu universae Ecclesiae, quin unquam reclamationem eiusdem excitassent.* Examinemus, qualis sit *consueta conclusio dogmaticarum Bullarum Summorum Pontificum.* Sumamus, exempli causa, unam celeberrimarum recentioris temporis, Bullam, *Unigenitus*, qua — ipsis gallicanis theologis fatentibus, — Iansenismus definitivo, supremoque modo damnatus fuit. Eadem explicit hac formula, traditionaliter in actis huiusce generis adhibita, quaeve *sacramentalis* nuncupari posset. *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.* Praeterea iniunctum fuit omnibus Patriarchis, Archi-Eppis, Eppis, aliisque locorum Ordinariis: ut ope *censurarum ecclesiasticarum*, aliisque mediis iuridicis reprimant quosvis, qui contra iudicium per Bullam prolatum, consurgerent, eidemque resisterent. Repetimus: *has decisiones,* tantopere solemnes, suapteque certas, has praescriptiones, tantopere firmas *nec hac occasione, neque in ullis unquam analogis circumstantiis reclamationem, aut oppositionem Ecclesiae suscitasse,* nec unquam exaggerationis insimulatas fuisse. Eaedem a morali universitate Episcopatus catholici religiose susceptae et mox effectui datae fuerunt. *An non est haec res manifesto documento: easdem omnino pro definitivis, talique auctoritate pollentibus habitas fuisse, quae cum irrefragabilis sit, nullo externo concursu, nullaque ulteriore confirmatione egeat?* Iam vero, *secundum gallicana principia adductae a nobis formulae veram usurpationem*

potestatis comprehenderent. Papa non gauderet iure iniungendi immediatam adhaesionem decisioni, quae adhuc reformari posset; absolutam submissionem iudicio, cuius auctoritas adhuc suspensa, et ab implemento incertae conditionis, assensus quippe Ecclesiae, dependens foret. Quid faciendum esset Eppo, qui systema hocce in exercitio sui ministerii adoptare vellet? Idem, accepta quadam Bulla pontificia, Papae — adhibitis tamen omnibus formulis respectus et venerationis — dicere deberet: „Prohibes, Sanctissime Pater, *cogitare*, praedicare et docere, quidquid prolatae a te definitioni contrarium esset. — Abstinere ab institutione, et praedicatione: id praestare possum, atque conservandae pacis ergo faciam. At nullum sensum, definitioni tuae oppositum fovere: id ad obligationum mearum partes neutiquam pertinet, cum auctoritas huius definitionis necdum certa sit. Fieri namque potest, eandem reformandam fore." Publicando porro in sua Dioecesi, quemadmodum praecipitur, hanc Bullam, idem Eppus fidelibus suis — cum non posset conscientiae ipsorum iugum imponere, ad quod portandum eosdem obligatos haud esse censeret — dicere deberet: „Quantumvis veneratione dignum sit in se ipso scriptum pontificium, quod vobis mittimus; haec definitio tamen, quam supremus Doctor omnium christianorum, a cunctis immediate et sub gravissimis poenis pro norma fidei habendam praecipit, vos necdum obligat. Admodum probabile quidem est, eandem assensum Ecclesiae obtenturam, atque ideo tardius vos obligaturam fore; verumtamen, absolute loquendo, hic consensus etiam denegari, hincque fieri potest, ut haec definitio vos nunquam sit obligatura. Unica res, quam in praesentiarum, conscientia vobis, mihique praecipit, unica res, quam nobis permittit, ea est: ut expectemus." — Non existimamus in catholico orbe existere Dioecesim, ubi huiusmodi sermo verum stuporem fidelium non excitaret, iisdemque instar enormis scandali non appareret; et tamen nos isthic nihil exaggeravimus, sed tantum logicas consequentias *reformationis* iudiciorum Summi Pontificis plane evolvimus. Quis non videat: hoc *systemate gallicano plenitudinem potestatis, universam Ecclesiam docendi, a Iesu Christo Papae collatam, non tam imminui, quam potius penitus tolli?* Reapse, quonam redigitur

auctoritas docens, quae illis, ad quos loquitur, iam nequit obligationem credendi imponere? Eadem persuadere, hortari potest; intellectus tamen cohibere nequit, ne ad omnem ventum doctrinae fluctuent. Et, si saltem de implemento conditionis, ad irreformabilia reddenda iudicia Pontificis, requisitae prompte, secureque constare posset! Verum quando, et quomodo cognoscemus, haec iudicia assensum Ecclesiae impetrasse? Quomodo cognoscemus: quo numero, quibusve nefors restrictionibus fuerint declaratae adhaesiones? Et, si — quemadmodum passim fieri suevit — opiniones divergentes sint, in quanam proportione erit maioritas et minoritas suffragiorum, ex omnibus mundi oris collectorum? Quodsi haec operosa eruderatio reapse quoque possibilis foret tranquillis temporibus, locisque, ubi Ecclesia pace perfruitur: numquid talis erit in regnis, ubi persecutio saeviet, uti hodie in Russia, Iaponia, Corea? Talisne erit nefastis diebus, quales Pius VI et Pius VII vixerunt, et durante captivitate, captivitati Savonae et Fontis—Bellaquei simili? Et, si tacitus Ecclesiae consensus sufficeret, quis eundem promulgabit, quove temporis spatio opus erit, ut idem valide impetretur?*) Itaque demonstratum est: *Gallicanismum theologicum sub apparente innocua specie, profundam consciscere perturbationem constitutioni, quam Ecclesia a Iesu Christo acceperat.* Sub formulis reverentiae plenis, et, — admittimus — perfecte sinceris erga auctoritatem Papae, hic *Gallicanismus maxime solemnia iudicia eiusdem ad infimum gradum simplicium iudiciorum primae instantiae deprimit, eiusque auctoritatem, sub praetextu moderationis et circumscriptionis, penitus evertit.* Quid iuvat, eundem in

*) Nulla in tota historia ecclesiastica reperitur Bulla pontificia, cui saltem hic tacitus consensus non adstipuletur. Nullum praesto est exemplum cuiusdam huius generis scripti, contra quod maioritas Eppatus reclamasset. A consequenti theologi gallicani non possunt nobis opponere Bullam Pauli IV, *Cum ex apostolatus officio,* aut quamcunque illarum, quae solitum obiectum incriminationum eorundem constituunt. Ipsis, quemadmodum nobis, nonnisi difficultates, quas hae Bullae praeseferunt, solvendae sunt, quae ceterum nequaquam sunt insolubiles.

omnibus aliis catholicam profiteri doctrinam: si medium istius in sua integritate perpetuo servandae destruat? quid iuvat, eundem unicum tantum lapidem domui Dei surripere: si hic lapis clavis fornicis sit?

II. Quodsi haec *opinio gallicana* tanta pro Ecclesia involvat pericula, *unde est: eandem nunquam damnatam, et hucusque liberae discussioni scholarum permissam fuisse?* Eadem in antiquitatibus ecclesiasticis damnata non occurrit ex admodum simplici ratione: quia non extitit. Limites epistolae suapte coarctati haud permittunt, ut super hoc obiecto theologicum tractatum scribamus. Sufficiat igitur quaepiam illustria proferre testimonia, quae perhibebunt: *antiquam nostram Ecclesiam Gallicanam absque ulla restrictione et in sua plenitudine agnovisse doctrinalem auctoritatem Ecclesiae Romanae, id est, summi Pontificis.* „Romana ecclesia — aiebat initio seculi 14-i *Eppus Parisiensis Stephanus* — omnium mater est ac magistra, in firmissima Petri Christi vicarii confessione fundata, ad quam velut ad *universalem regulam catholicae veritatis*, pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum et confutatio errorum." (Cit. ap. Tournely Tract. de Eccles. praefat.) *Petrus ab Alliaco*, unus eruditissimorum Praedecessorum nostrorum, ante deviationem, quam theologia eius ex occasione deplorandarum circumstantiarum, inter quas Concilium Constantiense celebratum erat, subivit, doctrinam Universitatis Parisiensis exponendo, expressae deliberationi huius eruditae societatis conformiter, sequentem thesim proposuit: *Ad sanctam Sedem apostolicam pertinet authoritate iudiciali suprema ea, quae sunt fidei, iudicialiter definire* [1]). Instar demonstrationis huius asserti adducit: „Quia ad illius tamquam ad supremi iudicis auctoritatem pertinet, in fide iudicialiter definire, cuius fides numquam deficit; — quia de hac S. Sede in persona Petri Apostoli in ea praesidentis dictum est: Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua." Propterea, prosequitur clarissimus doctor, dixit S. Cyprianus: „Qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se

[1]) Inter opp. Gersonis. Ed. Dupin t. 1. p. 709.

esse confidit?“ *Hincmarus*, ad cuius ecclesiasticam provinciam tunc Dioecesis Cameracensis pertinebat, seculo nono declaravit: „Piis, devotis, atque catholicis hoc potest ac debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater sancta Catholica atque apostolica docet Romana Ecclesia.“ (Lib. de Praedest. cap. 24.) *Quod autem gallicanismus theologicus* ab eo tempore, quo cum strepitu quopiam se manifestavit, et signanter ex quo solemni ausu per declarationem anni 1682 se firmavit, *damnatus non fuerit: haec tolerantia*, qua gavisus est, *abs dubio attribuenda venit circumstantiis, in quibus romana Ecclesia versabatur, et indulgentiae, quam Pontifices aulae gallicae exhibere debuerunt.* Idem minus malum constituebat, quod ad evitandum gravius tolerabatur. Notum est, quomodo explicuerit et iustificaverit *Benedictus XIV* hanc indulgentiam sanctae Sedis. Verum, etiamsi *opinio gallicana* formaliter damnata non fuerit, etiamsi haec doctrina nulla directa censura notata extiterit: *eadem tamen indirecte luculentissimo, atque severissimo modo damnata fuit. Declaratio*, quae eandem exprimit et evolvit, *ab Innocentio XI, Alexandro VIII* et serius a *Pio VI* [1]) summo rigore *rescissa, condemnata et reprobata fuit.* Numquid expressio, quantumvis solemnis, opinionis, quam docere reipsa liberum esset, quaeve nihil sanae doctrinae adversum contineret, ea mensura, eaque perseverantia subesse posset tam vividis, tamque gravibus animadversionibus Romanae Ecclesiae, quae semper quidem vigilans, sed etiam semper iusta custos depositi fidei est?

At *si tolerantia gallicanismo theologico hucdum exhibita cessare debeat:* si ad defendendam doctrinalem auctoritatem summi Pontificis adversus periculosa eiusdem molimina, atque ad illam pristinae suae integritati restituendam, *dogmatica* quaedam *definitio necessaria censeatur: numquid per id tota Ecclesia absolutae, independenti, separatae et personali potestati unius individui subiicietur;* numquid totum gubernium eius in persona Papae concentratum, et ab ipso penitus absorptum erit? Numquid Eppi amittent ius, quod ipsis Spiritus S. contulit, et vi cuius magistri et iudices in

[1]) Bull. „*Auctorem fidei.*“

Israel sunt? — *Non; hic plurimum deplorandus error latet, contra quem protestari non cessabimus.* Evitemus, si fieri possit, in tam gravibus materiis omnes ambiguitates. *Intelligitur — ne per hanc independentem et absolutam potestatem potestas sine limitibus, sine regula, cuiusve exercitium prorsus arbitrarium sit?* Huiusmodi potestatem nos, quemadmodum quiscunque alter, reiicimus. Verum *nos agnoscimus in Papa a Iesu Christo acceptam, atque pro gubernatione Ecclesiae absolute necessariam supremam auctoritatem,* cuius iudicia suapte natura sua definitiva, nullique appellationi obnoxia sunt. *Papa, hanc supremam auctoritatem exercendo, nequaquam est autocrata,* qui nonnisi consilia suarum cogitationum sequitur, omniaque suae voluntati subiicere studet. *Ipse iudex est, qui in exercitio sui officii certis regulis continetur et dirigitur.* Ipse nonnisi *interpres est doctrinae,* quam nobis Iesus Christus et Apostoli reliquerunt. *Divina assistentia eundem in hac interpretatione,* dum nempe illam universae Ecclesiae annunciat atque imponit, *ab omni errore immunem reddit;* atque in hac re consistit privilegium eiusdem infallibilitatis. *Hoc privilegium Papam nequaquam supra omnem legem collocat,* quemadmodum mala fides aut ignorantia asserit; sed eum dumtaxat a falsa applicatione divinae legis praeservat: quae lex ipsum quoque obligat, et secundum quam ipse quoque, quemadmodum quiscunque simplicium fidelium, iudicabitur. *Est-ne porro infallibilitas Papae personae eiusdem propria?* Non, si eo sensu intelligatur, quasi personae eiusdem adhaereret, atque ad privatos actus eiusdem se extenderet. *Papa in privata sua agendi ratione,* atque in ordinariis vitae consuetudinibus, *nequaquam est ab omni errore et culpa immunis.* Quemadmodum nos, sic ipse quoque quotidianas suas fragilitates ad tribunal poenitentiae portat. *Auctoritas,* quam a Iesu Christo ad conservanda in sua primitiva puritate catholica dogmata, et ad custodiendum in sua integritate depositum revelatarum veritatum, accepit, *independens est a dispositione animi ipsi propria,* atque a naturalibus eiusdem qualitatibus: *eadem, ex institutione Salvatoris ipsi muneri, quod exercet, adhaeret. Sed eadem ipsi personaliter propria est, eo sensu: quod eidem minime per*

assensum Epporum, fratrum suorum, *conferatur*, neque ex adhaesione illorum erga iudicia ipsius oriatur, quodve confirmationem in fide, quam ipse Eppis impertiri debet, nequaquam ab iisdem accipiat. *Numquid infallibilitas Papae est separata ab Ecclesia, ad quam ista nihil confert, neque de eadem participat?* Eadem nequaquam hoc modo intelligenda est. „*Papa et Ecclesia unum, idemque est*“ aiebat *S. Franciscus Salesius;* et secundum effatum *S. Ambrosii*, quod catholicum axioma constituit: „Ubi Petrus, ibi est Ecclesia.“ Impossibile itaque est, unum ab alia separare. Deposcunt quidam: ut definitiones Papae, quo irreformabiles fiant, *concomitantem* vel *subsequentem assensum Ecclesiae* obtineant; *hic consensus, haec adhaesio semper praesto erit*, non tantum sub alterutra harum formarum, sed etiam sub utraque simul. *Adhaesio concomitans:* nam Papa nunquam articulum *novae fidei* ad Ecclesiam introducit. Ille definit, quod eadem, saltem implicita ratione iam credidit. *Adhaesio subsequens:* etenim Ecclesia semper traditionalem suam fidem recognoscet in definitione pontificia, quae illam ad clariorem lucem collocat.

III. Cum quadam terroris specie enumerantur *incommoda*, ne dicam calamitates, quibus definitio infallibilitatis Papae occasionem praebebit, si a Concilio pronuntiata fuerit. *Haec definitio* (aiunt) *nihil iurium Epporum intactum omitteret; eadem mentem fidelium perturbaret; eadem civilibus gubernii periculosos motus consciscerent; denique eadem honori Ecclesiae Gallicanae, atque memoriae illustrissimorum membrorum antiqui Cleri eiusdem plurimum detraheret.* Videamus, *num hic vivax metus non sit exaggerationis, et fortassis imaginationis effectus?* Audiendo quasdam personas, ad credendum induci possemus: definitionem infallibilitatis Papae speciem cuiusdam *revolutionis* in Ecclesia futuram. Minime gentium, quemadmodum vobis apprime constat. Reapse *doctrina infallibilitatis toti mundo usitata est Definitio eiusdem nonnisi theoriam cum hac universali praxi ad perfectam, perpetuamque consensionem collocabit.* Interim an non violabit haec definitio graviter iura Epporum? Nemo saltem praetendet: corpus Epporum generatim hunc metum

fovere; praesto sunt facta, quae contrarium luculenter demonstrant. Conquiescant animi: *definitio*, si eandem Spiritus S. Concilio inspiraverit, *Eppis integram omittet potestatem, qua in gubernandis suis dioecesibus perfruuntur; eadem huic ne iota quidem auferet.* Asseveramus, Eppos conservaturos fore ipsis competens divinum et inalienabile ius: de quaestionibus fidei in ordinaria institutione, suis dioecesanis impertienda, occurrentibus, iudicandi; eosdemque, dum oportuerit, hoc ipsum ius exercituros per receptionem pontificiarum Bullarum et per *subscriptionem decretorum oecumenicorum conciliorum.* Nam ipsi *reapse iudicant, dum his actis, quorum supremam auctoritatem infirmare quidem nequeunt, adhaerent.* Profecto sic comprehenderunt rem quiqui clarissimorum Praedecessorum nostrorum. „Quos sedes apostolica — dicebat *Hincmarus* seculo nono — per organum Beatissimi Patris et Domini nostri Papae damnat: *hos damno.*" Manifesta expressio iudicii! — Quotquot Epporum Galliae et Belgii Concilio II Trecensi anno 872 intererant, iudicium suum hac ratione iunxerunt iudicio, quod Ioannes VIII Papa contra exortos eo tempore quosdam errores, Romae iam protulerat [1]). „Hac ratione, dicit Fenelonius — subscribebant olim Eppi decreta illorum etiam Conciliorum, quae pro oecumenicis agnoverunt. *Submissio illorum fuit iudicium, et iudicium illorum fuit submissio.* Subscribendo se submiserunt, totumque complexum decisionum Concilii confirmarunt [2])." Attamen, haec indubitata *iura Epporum* salva omittendo, *definitio eosdem intra iustos limites, atque in ordine suo hierarchico continebit. Eadem in perpetuum rescindet exorbitantem praetensionem nonnullorum Epporum, qui postremis temporibus dogmaticas definitiones Papae singillatim iudicare voluerunt; eadem convellet anarchicum ius, quod nonnulli sibi arrogarunt, et vi cuius, in concilio congregati, Papae leges praestituere, summa decreta eius irrita reddere imo ipsum quoque, pro re nata, deponere se posse existimarunt.*

---

[1]) Vid. Protocollum Congregationis Epporum provinciae Rhemensis (1699). — [2]) Instruct. pastoral. de Casibus conscientiae.

Et *quem effectum producet eadem in mentibus fidelium?* Absque metu asseverando sumus: *eandem generatim obiectum magnae laetitiae futuram.* Affirmare saltem possumus, eandem hunc effectum producturam fore in nostra provincia ecclesiastica, seu in duabus Dioecesibus: Cameracensi et Atrebatensi, quae plus quam centesimam partem omnium catholicorum fidelium complectuntur. Si, quemadmodum dicitur, nonnullae dioeceses tantisper *agitatae* occurrant, speremus: illos, qui hos motus, abs dubio contra suam intentionem, suscitarunt, illis sedandis quoque pares futuros. Quidcunque sit, Eppi oblivisci nequeunt, se in quaestionibus, ad religionem pertinentibus, non posse sequi fideles suos in falso tramite, ab his calcato; sed potius hos ab illo per institutionem revocare debere: „Docendus est populus, non sequendus." Nemo illorum ignorat, quod, si usque certum terminum, fluxis animorum praeoccupationibus, localibusque nonnullis infirmitatibus quidpiam indulgentiae tribuendum sit; *prae omnibus* tamen *sit tuenda magna ecclesiae causa, quae veram causam animarum totius mundi, omniumque seculorum constituit.*

Quid vero dicendum est de guberniis, et de inquietis apprehensionibus, quae iisdem attribuuntur? Verum est, a parte nonnullorum guberniorum quaspiam factas fuisse demonstrationes, quae credere permittunt: eadem contra Concilium nonnihil praeoccupata esse. Imo dictum fuit, — quod tamen credere tergiversamur — hos motus etsi non suscitatos, fotos tamen fuisse per relationes et suggestiones, ex illa parte profectas, unde, quemadmodum videtur — huiusmodi res minime praemetuenda fuisset. Quidquid sit: *viri Status omnium regnorum non poterunt non comprehendere, quaestionem infallibilitatis Papae ad res suas minime pertinere, et futuram eiusdem solutionem in relationibus ipsorum ad S. Sedem nullam prorsus mutationem producturam fore.* Iidem comprehendent: e doctrinis nostris nec ipsis, neque societati ullum unquam periculum impendere; dum gravissima, plurimumque metuenda derivantur ex erroribus, nobis inimicis. In primis *gubernium gallicum*, — cuius legalibus, generosisque intentionibus gloriantes hocce tribuimus homagium, — gubernium gallicum, inquam, *suspiciet, protegereque sciet liberta-*

tem conscientiarum catholicarum. Idem recentissime, occasione magni, solemnisque eventus videre potuit: *commoda, iuraque politici et socialis ordinis nullibi securiori loco recondi, quam apud populum, qui vocem nostram maxima docilitate audit, seque auctoritati S. Patris maxima reverentia, et maximo amore subiicit.* Resultatum postremi plebisciti eius est significationis, quae certo comprehensa fuit, neque, ut speramus, oblivioni tradetur.

Denique *num non humiliabitur per definitionem infallibilitatis Papae Ecclesia Gallicana?* Nos quoque huic magnae Ecclesiae, huic matri nostrae, post Romanam Ecclesiam, ex imis visceribus nostris adhaeremus, honorque eiusdem nobis tam charus est, quam cuivis alteri. Nos fere testes gloriosorum eiusdem certaminum fuimus: terra, quam prima iuventute nostra incoluimus, sanguine martyrum eiusdem abunde rubebat; et venerabiles magistri, qui primos passus nostros versus sanctuarium dirigebant, pro fide carceres, ac exilium diu sustinuerunt! Ecclesia gallicana! nos novimus admiranda eiusdem opera, et in his, pro mensura virium nostrarum partem capimus. Nostra dioecesis non cessat augere hanc legionem Apostolorum, qui pretio omnium sacrificiorum, cunctaque pericula contemnentes, lumen Evangelii adferre pergunt infortunatis populis, qui adhuc in tenebris et in umbra mortis sedent. (Luc. 1.79). *Simus contenti legitimis titulis, quos Ecclesia gallicana altae existimationi, et propemodum gratitudini mundi Catholici, omniumque cultorum populorum offert: hi tituli sat copiosi, satisque splendidi sunt.* Sed *num iniuria infertur huic illustri Ecclesiae, emendando fors unicam paginam, haud irreprehensibilem, longae eiusdem historiae; et numquid honor senioris huius filiae Ecclesiae consistere deberet in indefinita prolongatione unici obiecti planctus et tristitiae, quod matri suae suppeditat?*

Huius epistolae illum facietis usum, quem pro instructione et aedificatione fidelium opportunum censueritis. — Romae extra portam Flaminiam 12 Iunii 1870. R. F. AEppus Cameracensis. — *(Lettre de* **M. l' Archeveque de Cambrai** *au Clerge de son Diocese sur le* **Gallicanisme Theologique.** Paris. 1870.

1952.

Petitio 150 Patrum Concilii ad Praesides eiusdem, **ut discussioni generali super Schemate Constitutionis de Primatu R. P. finis imponatur.** 1870.

Emmis ac Rmis Cardinalibus Praesidibus Concilii. Persvasum habentes (infrascripti Patres), *discussionem super Schemate Constitutionis de Primatu R. P.* generatim spectato *de quo Rmi Patres ex omnibus regionibus iam locuti sunt esse ex omni parte exhaustam, ac protrahi iam non posse quin inutilibus aeque ac fastidiosis repetitionibus tempus teratur*, ab Emmis et Rmis Praesidibus humiliter et enixe postulant, iuxta Decreti XX Febr. tenorem, ut de fine praefatae discussioni imponendo Congregationem Generalem quamprimum consulere dignentur. Romae 3 Iunii 1870.

1953.

Protestatio 93 Patrum Concilii super fine discussioni generali praedicti Schematis imposito. 1870.

Emmi ac Rmi DD. Praesides! Ex ipsa Conciliorum natura sequitur, *facultatem, voto rationum momenta, quibus innitatur, addendi, non esse privilegium quibusdam Patribus reservatum, sed ius cunctis commune;* et eo sanctius servetur oportet, quo gravior est causa in quaestione versans; omnium autem gravissima est definitio, quae doctrinam aliquam populo

christiano ut a Deo revelatam proponat. Istiusmodi ius secundum tractandorum ordinem nobis praescriptum in Congregationibus Generalibus exercetur: idcirco *salvo Patrum, qui sententiam dicturi sunt, iure, suffragiorum maioritate pollentes discussioni finem imponere nequeunt;* quod cum hesterno die factum sit, hoc Vobis, Emmi ac Rmi Praesides, hisce significamus, ut nostra de iure Patrum, voto rationes addendi, protestatio testata fiat et maneat. Romae, 4 Iunii 1870. (Subscripti: *Cardinales:* Pragensis, Bisuntinus, Vindobonensis; *AEppi:* Parisiensis, Albiensis, Siracensis, S. Ludovici, Monacensis, Bambergensis, Alba-Iuliensis G. R., Cincinnatensis, Leopoliensis L. R., Colocensis, Olomucensis, Mediolanensis, Trapezuntinus, Halifaxensis; *Eppi:* Constantiensis, Whelingensis, S. Augustini Floridae, Tarnoviensis, Quinque-Ecclesiarum, Petricullanus, Palaeopolitanus, Vaciensis, Iaurinensis, Szathmariensis, Cassoviensis, Divionensis, Lucionensis, Veszprimiensis, MVaradinensis L. R., Augustanus, Csanadiensis, Gurcensis, Budvicensis, Sabariensis, Lavantinus, Munkacsiensis G. R., Varmiensis, Bugellensis, Vapincensis, Cliftonensis, Leontopolitanus, Nanceiensis et Tullensis, Surensis, Bajocensis, Rottenburgensis, Rupellensis, Agathopolitanus, Massiliensis, Crisiensis G. R., Parentinus, Vratislaviensis, Osnabrugensis, Gratianopolitanus, Briocensis, Elnensis, Constantinus et Hipponensis, Sangallensis, Ludovicopolitanus, Pittsburgensis, Hipporegiensis, Cadurcensis, Roffensis, Oranensis, Tergestinus, Transilvaniensis, Moguntinus, Kerriensis, Ecclesiensis, Bosnensis et Syrmiensis, Cathamensis, Aurelianensis, Metensis, Suessionensis, Adiacensis, Niciensis, Catalaunensis, Oregiensis, Marianopolitanus, etc.)

1954.

Petitio aliquot Patrum Concilii, **ut ob nimio aestatis calores Concilium pro aliquo tempor suspendatur.** 1870.

B. P. Eppi infrascripti tam proprio quam aliorum pe multorum Patrum nomine a benignitate S. V. reverenter, ducialiter, et enixe expostulant, ut ea, quae sequuntur, pater dignetur excipere. Ad Patres in Concilio Lateranensi V dentes hoc habebat die 17 Iunii Leo X Papa: „Quia iam tem poris dispositione — concedimus," simulque Concilium Ponti ad tempus autumnale prorogabat. Peior certe inpraesentiarı nostra conditio est. *Calor aestivus, iam desinente men Iunio, nimius est, et de die in diem intolerabilior cresci unde RR. Patrum, inter quos tot seniores sunt, annoru pondere pressi et laboribus confecti, valetudo graviter per clitatur. Timentur inprimis febres, quibus magis obnox sunt extranei, huiusce temperiei regionis non assvefac* Quidquid vero tentaverit et feliciter perfecerit liberalitas S. ut non paucis Eppis hospitia bona praeberentur, *plerique* men *relegati sunt in habitationes nimis angustas, sine ac calidissimas omninoque insalubres.* Unde iam plures E ob infirmitatem corporis abire coacti sunt; multi etiam Ro infirmantur, et Concilio adesse nequeunt, ut patet ex tot dibus, quae in aula conciliari vacuae apparent. Antequam igi magis ac magis creverit aegrotorum numerus, quorum plu periculo hic occumbendi exponerentur, instantissime postu mus, B. Pater, ut S. V. aliquam Concilii suspensionem, q post festum S. Petri convenienter inciperet, concedere dignet Etenim, B. Pater, *cum centum et viginti Eppi nomen su dederint, ut in tanti momenti quaestione audiantur, evid*

est, discussionem non posse intra paucos dies praecipitari, nisi magno rerum ac pacis religiosae dispendio. Multo magis congruum esset atque necessarium, brevem aliquam ob ingruentes gravissimos aestatis calores Concilio suspensionem dari. Nova vero Synodi periodus ad primam diem mensis Octobris forsitan indicari posset. Sanctitas Vestra si hoc, ut fidenter speramus, concesserit, gratissimos sensus nobis populisque nostris excitabit, utpote quae gravissimae omnium necessitati consuluerit. — Romae mense Iunio 1870.

1955—1956.

AEppus Rhedonensis infirmitate impeditus, votum suum pro infallibili magisterio R. P. per literas significat Summo Pontifici. 1870.

B. P. Quum propter infirmitatem valetudinis meae dulcissima cordi Eppi Catholici consolatione privatus sim, nempe *proclamandi cum fratribus meis supremam infallibilitatis praerogativam a D. N. I. C. concessam B. Petro et successoribus eius Romanis Pontificibus, Ecclesiam universalem ex Cathedra docentibus:* liceat saltem mihi per scriptum, si fas est, iudicium meum *Placet* iudicio venerabilium Patrum consociare, et a Sanctitate Vestra suppliciter expostulare, *ut praesens declaratio confessionis meae* in istam B. Petri et successorum inerrantiam *in fastis sacri oecumenici Concilii Vaticani* per specialem indulgentiam Vestram *consignari et servari possit, tamquam testimonium authenticum fidei meae et traditionis Ecclesiae Metrop. Rhedonensis,* cuius Pastor et testis miseratione divina et S. Sedis Apost. gratia sum constitutus. — Rhedonis, die 26 Iunii 1870. Godefridus, AEppus Rhed.

Responsum Summi Pontificis. Etsi discedens a nobis, ven. frater, apertissime prodideris devotionem tuam huic *S.*

Sedi, et quid sentires *de praerogativis ei divinitus impertitis*, ac *de necessitate luculentioris earum declarationis a nuperis disceptationibus invecta:* gaudemus tamen, te sententiam eandem committere quoque voluisse scripto, quod inter Concilii acta servari cupis; non solum quia perspicuam in eo, splendidamque confirmationem habemus fidei tuae, constantisque studii in Nos et observantiae, sed etiam quia venerabiles fratres tui, qui tecum sentiunt, laetari poterunt, te minime seiunctum esse spiritu ab ipsis, licet corpore abesse cogaris. Ceterum nos si optata tua societate invaletudinis causa privamur, non minus certe te praesentem habemus; ac fore confidimus, ut natalis aeris beneficio confirmatus rursum utiliter Ecclesiae rebus sedulam operam tuam impendere possis. Ociorem itaque restitutionem virium, et auxilia omnia coelestia tibi ominamur, dum divini favoris auspicem praecipuaeque nostrae benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 11 Iul. 1870. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1171.)

1957.

Gravamen plurium Concilii Patrum contra immutatum textum Capitis 3 de Primatu, et laesum ordinem agendi in Concilio. 1870.

In nuperrima Congregatione Generali, cum votis subiicerentur Capitis III de R. P. emendationes, super istarum numeris 70 - 72 RR. deputationis relator ex ambone declaravit: Deputationem admittere numerum 72 iuxta modum, ideoque de num. 70 et 71 suffragia non esse ferenda, sed duntaxat de nr. 72 modificato. Quibusdam petentibus Patribus Canon, quem Deputatio proposuit, typis mandatus est, et cum eum prae oculis haberemus, apparuit, ipsum haud continere tenorem emendationis, quae sub nr. 72 legitur, in quibusdam mutatum, sed potius Canonem, prout in Schemate habetur, integrum re-

ferre, non autem solum; nam inserta est additio, quam magni esse momenti nemo non videt. Quapropter declaremus oportet: quae Rmus relator de emendatione nr. 72 dixerat, non concordare cum iis, quae de Canone 3 deputatio reapse egit. Praeterea decretum *Apostolicis literis* nr. 12 praescribit, ut suffragia Congregationis generalis exquirantur super propositis in ipsa discussione emendationibus: itaque *stabilito res pertractandi ordini adversatur, ut suffragia exquirantur super additamento satis gravi Schemati post discussionem, et proin absque discussione facto.* Postulamus ergo, ut in suffragiis proxime ferendis Patrum vota petantur de emendatione nr. 72; quam si reiici contigerit, Canon 3 prout in schemate habetur, proponatur. Romae, 9 Iul. 1870. (Subscripti: *Cardinales:* Pragensis, Bisuntinus, Viennensis; *AEppi;* Olomucensis, Leopoliensis L. R., Monacensis, Bambergensis, S. Ludovici, Trapezuntinus, Colocensis, Mediolanensis, Coloniensis, Rhemensis, Lugdunensis, Parisinus; *Eppi:* Bugellensis, S. Augustini Floridae, Cliftonensis, Hipporegiensis, Pittsburgensis, Crisiensis G. R., Transilvaniensis, Vratislaviensis, Veszprimiensis, Augustanus, Tarnoviensis, Vaciensis, Trevirensis, Leontopolitanus, Iaurinensis, Szathmariensis, Munkacsiensis G. R., Cassoviensis, Osnabrugensis, Budvicensis, Tergestinus, Bosnensis et Syrmiensis, Rottenburgensis, Varmiensis, Agathopolitanus, Divionensis, Niciensis, Briocensis, Constantiensis, Elnensis, Suessionensis, Cadurcensis, Oraniensis, Adjacensis, Vapincensis, Rupellensis, Constantinus et Hipponensis, Moguntinus, Parentinus, Palaeopolitanus, Csanadiensis, Quinque-Ecclesiensis, Bajocensis, Surensis, Massiliensis, MVaradinensis L. R., Nanceiensis et Tullensis.)

Nota. Ad intelligendum gravamen animadvertere necessarium est: Actum in Congregatione fuisse de Canone Capitis tertii de Primatu; in primo Schemate de 21 Ianuar. 1870 Canonem XVI sic conceptum fuisse: *Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam in omnes ac*

singulas Ecclesias, anathema sit. Determinato subin eo, ut hac vice tantummodo de Primatu tractetur, in schemate 9 Maii 1870 Canon tertius sic erat redactus: „Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, *non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent;* aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam *sive* in omnes ac singulas Ecclesias, *sive in omnes et singulos Pastores et fideles,* anathema sit.“ In *Observationibus* ac *Emendationibus* Patrum propositae fuere plures modificationes, sub nr. 70—72 occurrentes: e quibus Commissio dogmatica eam, quae sub nr. 72 continetur, cum additamento acceptavit, quaeve ita sonat: *Si quis dixerit, Romani Pontificis Primatum esse tantum inspectionis et directionis, et supremam ipsius potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non esse plenam, sed tantum extraordinariam et mediatam, anathema sit;* additamentum vero Commissionis, die 7 Iulii 1870 Patribus exhibitum, sic sonat: *aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis.* Negotio hoc erga protestationem Praesulum in Congregatione diei 11 Iulii 1870 discussioni finali subjecto, reiecta modificatione numeri 72, primitivus conceptus Canonis, sed cum praemisso additamento acceptatus fuit. — (**Friedrich** *Documenta ad illustrandum Conc. Vat.* II. 402.)

1958.

Protestatio Praesidum Concilii contra calumnias in ephemeridibus et libellis anonymis adversus Concilium vibratas, in Sessione 16. Iul. 1870. interposita.

Rmi Patres! Ex quo *sacrosancta Synodus Vaticana* opitulante Deo congregata est, *acerrimum statim contra eam bellum exarsit;* atque ad venerandam eius auctoritatem penes fidelem populum imminuendam, ac, si fieri posset, penitus labefactandam, *contumeliose de illa detrahere, eamque putidissimis calumniis oppetere plures Scriptores certatim aggressi sunt* non modo inter heterodoxos, et apertos Crucis Christi inimicos, sed etiam inter eos, qui Catholicae Ecclesiae filios sese dictitant, et, quod maxime dolendum est, inter ipsos eius sacros ministros. Quae in publicis cuiusque idiomatis *ephemeridibus,* quaeque in *libellis absque auctoris nomine* passim editis et furtive distributis congesta hac de re fuerint probrosa mendacia, omnes apprime norunt, quin nobis necesse sit illa singillatim edicere. Verum inter anonymos istiusmodi libellos duo praesertim extant, gallice conscripti sub titulis: *Ce qui se passe au Concile*, et: *La derniere heure du Concile*, qui ob suam calumniandi artem obtrectandique licentiam ceteris palmam praeripuisse videntur. In his enim nedum huius Concilii dignitas ac plena libertas turpissimis oppugnantur mendaciis, iuraque Apost. Sedis evertuntur: sed *ipsa quoque SSmi D. N. augusta persona gravibus lacessitur iniuriis.* Iamvero nos officii nostri memores, ne silentium nostrum, si diutius protraheretur, sinistre a malevolis hominibus interpretari valeat, *contra tot tantasque obtrectationes vocem extollere cogimur, atque in conspectu omnium vestrum, RR. Patres, protestari*

ac declarare: falsa omnino esse et calumniosa, quaecunque in praedictis ephemeridibus et libellis effutiuntur, sive in spretum et contumeliam SSmi D. N. et Apost. Sedis, sive in dedecus huius SS. Synodi, et contra assertum defectum in illa legitimae libertatis. Datum ex Aula Concilii Vaticani, die 16 Iul. 1870. Phil. Card. de Angelis, Praeses. — Antoninus Card. de Luca, Praeses. — Andreas Card. Bizzarri, Praeses. — Aloysius Card. Bilio, Praeses. — Hannibal Card. Capalti, Praeses. — Iosephus, Ep. S. Hipp. Secretarius.

1959.

Declaratio Patrum Concilii, quibus Constitutio de infallibilitate R. P. non placuit, ad Summum Pontificem directa super causa, ob quam a Sessione publica in eodem merito habenda se absentare decreverint. 1870.

B. P. In Congregatione Generali die 13 huius mensis habita dedimus suffragia nostra super Schemate primae Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi. Notum est Sanctitati Vestrae, *88 Patres fuisse, qui conscienția urgente et amore S. Ecclesiae permoti suffragium suum per verba* „Non placet“ *emiserunt; 62 alios, qui suffragati sunt per verba* „Placet iuxta modum“; *denique 70 circiter, qui a Congregatione abfuerunt atque a suffragio emittendo abstinuerunt.* His accedunt et alii, qui infirmitatibus aut aliis gravioribus rationibus ducti ad suas dioeceses reversi sunt. Hac ratione Sanctitati Vestrae et toti mundo suffragia nostra nota atque manifesta fuere, patuitque, quam multis Eppis sententia nostra probetur; atque hoc modo munus officiumque, quod nobis incumbit, persolvimus. Ab eo inde tempore nihil prorsus evenit, quod sententiam nostram mutaret, quinimo multa eaque gravissima acciderunt, quae nos in proposito nostro confirmaverunt. Atque ideo *nostra iam edita suffragia nos renovare*

ac confirmare declaramus. Confirmantes itaque per hanc scripturam suffragia nostra, *a Sessione publica die 18 h. m. habenda abesse constituimus.* Pietas enim filialis ac reverentia, quae Missos nostros nuperrime ad pedes S. V. adduxere, non sinunt nos in causa, Sanctitatis Vestrae personam adeo proxime concernente, palam et in facie Patris dicere: *Non placet.* Et aliunde suffragia in solemni Sessione edenda repeterent duntaxat suffragia in generali Congregatione depromta. Redimus itaque sine mora ad greges nostros, quibus post tam longam absentiam ob belli timores et praesertim summas eorum spirituales indigentias summopere necessarii sumus; dolentes, quod ob tristia, in quibus versamur, rerum adiuncta etiam conscientiarum pacem et tranquillitatem turbatam inter fideles nostros reperturi simus. Interea Ecclesiam Dei et *Sanctitatem Vestram, cui intemeratam fidem et obedientiam profitemur*, D. N. I. C. gratiae et praesidio toto corde commendantes, sumus S. V. devotissimi et obedientissimi filii. Romae 17 Iul. 1870. — Card. Schwarzenberg, AEp. *Pragensis.* — Card. Mathieu, AEp. *Bisuntinus.* — Item: *AEppi:* Strigoniensis, Parisiensis, Lugdunensis, Colocensis, Monacensis, Olomucensis, Halifaxiensis, S. Ludovici (America), Mediolanensis. — *Eppi*: Csanadiensis, Weszprimiensis, Metensis, Augustodunensis, Bosnensis et Sirmiensis, Augustanus, Vaciensis, Ipporegiensis, Surensis, Iaurinensis, Nannetensis, MVaradinensis L. R., S. Augustini (America), Catalaunensis, Niciensis, Elnensis, Massiliensis, Briocensis, Cliftoniensis, Aurelianensis, Divionensis, Transilvaniensis, Quinque-Ecclesiensis, Munkacsiensis, Lucionensis, Trevirensis, Rupellensis, Constantiensis (Gallia), Oraniensis (Gallia), Szatmariensis, Baiocensis, Rottenburgensis, Cassoviensis, Sabariensis, Paleopolitanus, Constantinensis (Gallia), Crisiensis, Warmiensis, Agathopolitanus, Parentinus, Pittsburgensis, Vapincensis. — **(L' Univers.** 1870. nr. 1181.)

DE SESSIONE IV. S. CONC. VATICANI.

1960.

Constitutio dogmatica prima de Eccles. Christi, edita in Sessione IV. SS. Oec. Concilii Vaticani, seu de Primatu et infallibili magisterio Rom. Pontificis. 1870.

Pius Eppus etc. Pastor aeternus et Eppus animarum nostrarum, ut salutiferum redemtionis opus perenne redderet, sanctam aedificare *Ecclesiam* decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Quapropter priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro *Apostolis* tantum, sed et pro eis, qui crediturі erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua *Pastores* et *Doctores* usque ad consummationem seculi esse voluit. Ut vero *Eppatus* ipse *unus et indivisus* esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum *Petrum* ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit *perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum,* super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret. (Leo M.) Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra eius fundamentum divinitus positum maiori in die

odio undique insurgunt: nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum necessarium esse iudicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam *de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici Primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit*, cunctis fidelibus credendam et tenendam, *secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem* proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

Cap. I. *De Apostolici Primatus in B. Petro institutione.* Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe B. Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iampridem dixerat: *tu vocaberis Cephas* (Ioan. 1, 12.), postquam ille suam edidit confessionem, inquiens: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, solemnibus his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* (Matth. 16, 16—19.) Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem *Summi Pastoris et Rectoris iurisdictionem in totum suum ovile*, dicens: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* (Ioan. 21, 15—17.) Huic tam *manifestae SS. Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia Catholica semper intellecta est*, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant, *solum Petrum* prae ceteris Apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul *vero proprioque iurisdictionis Primatu* fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem Primatum non immediate directeque ipsi B. Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse. *Si quis* igitur *dixerit, B. Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium Principem et totius Ecclesiae militantis vi-*

sibile Caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis Primatum ab eodem D. N. I. C. directe et immediate accepisse, anathema sit.

Cap. II. *De perpetuitate Primatus B. Petri in Romanis Pontificibus.* Quod autem in B. Apostolo Petro Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem seculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo seculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae Catholicae fundamentum, a D. N. I. C. Salvatore humani generis ac Redemtore claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, *Eppis S. Romanae Sedis*, ab ipso fundatae, eiusque consecratae sangvine, vivit et praesidet et iudicium exercet. (C. Ephes. act. 3.) Unde quicunque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. (Leo M.) Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis iura in omnes dimanant, tamquam membra in Capite consociata in unam corporis compagem coalescerent. (Iren. et C. Aquilej. a. 381.) *Si quis* ergo *dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut b. Petrus in Primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse b. Petri in eodem Primatu successorem, anathema sit.*

Cap. III. *De vi et ratione Primatus R. P.* Quapropter apertis innixi SS. Literarum testimoniis, et inhaerentes tum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum Generalium disertis perspicuisque decretis, *innovamus Oecumenici Concilii Florentini definitionem,* qua credendum ab omnibus Christifidelibus est, *Sanctam Apost. Sedem et Rom. Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum*

Pontificem Romanum successorem esse b. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oec. Conciliorum et in sacris canonibus continetur. Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino *super omnes* alias *ordinariae potestatis obtinere principatum*, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere eppalis est, *immediatam* esse: erga quam cuiuscunque ritus et dignitatis pastores atque fideles tam seorsum singuli quam simul omnes officio *hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae* obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita, ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, *Ecclesia Christi sit unus grex sub uno Summo Pastore*. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua leviare salva fide atque salute nemo potest. Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi eppalis iurisdictionis potestati, qua Eppi, qui positi a Spiritu S. in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri Pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud S. Gregorii Magni: „Meus honor est honor universalis Ecclesiae; meus honor est fratrum meorum solidus vigor; tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.“ Porro ex suprema illa R. P. potestate gubernandi universam Ecclesiam *ius* eidem esse consequitur, *in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum Pastoribus et gregibus totius Ecclesiae*, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare *damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc Supremi Capitis cum Pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt seculari potestati obnoxiam*, ita, ut contendant, quae ab Apost. Sede vel eius auctoritate ad regimen

Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi *potestatis secularis Placito* confirmentur. Et quoniam divinc apostolici Primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse *Iudicem supremum* fidelium (Pii VI Breve *Super soliditate* 1786.), e *in omnibus causis ad ipsius posse iudicium recurri* (C Lugd. II.); *Sedis* vero *Apostolicae*, cuius auctoritate maio non est, *iudicium a nemine fore retractandum, neque cui quam de eius licere iudicare iudicio.* (Ep. Nic. I. ad Mich Imp.) Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere ab iudiciis RR. PP. ad Oec. Concilium tamquam a auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare. *Si qui* itaque *dixerit, Romanum Pontificem habere tantummod officium inspectionis vel directionis, non autem plenam s supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesia non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam i iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum o bem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potior partes, non vero totam plenitudinem huius supremae p testatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive i omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit.*

Cap. IV. *De Romani Pontificis infallibili magisteri* Ipso autem Apostolico Primatu, quem Romanus Pontifex tan quam Petri principis Apostolorum successor in universam Eccl siam obtinet, *supremam* quoque *magisterii potestatem* con prehendi haec S. Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesi usus comprobat, ipsaque Oecumenica Concilia, ea inprimis, quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unione conveniebat, declaraverunt. Patres enim *Concilii CPni* maiorum vestigiis inhaerentes hanc solemnem ediderunt pr fessionem: *Prima salus est, rectae fidei regulam custodi Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia d centis:* Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecc siam meam, *haec, quae dicta sunt, rerum probantur effect bus, quia in Sede Apost. immaculata est semper catholi reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius er fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut*

una communione, quam Sedes Apost. praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae Religionis soliditas. (Form. S. Hormisdae PP. prout ab Hadriano II. Patribus C. CPni IV Oecum. VIII proposita et ab iisdem subscripta fuit.) Approbante vero *Lugdunensi II Concilio* Graeci professi sunt: *S. Romanam Ecclesiam summum et plenum Primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri.* Florentinum denique Concilium definivit: *Pontificem Romanum verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse.* Huic pastorali muneri ut satisfacerent praedecessores nostri, indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli nunc in Synodis congregati longam Ecclesiarum consvetudinem et antiquae regulae formam sequentes ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apost. retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, *ubi fides non potest sentire defectum.* (Bern. ep. 190.) Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio svadebat, nunc convocatis Oecum. Conciliis, aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definirerunt, quae Sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant. *Neque enim Petri successoribus Spiritus S. promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodi-*

rent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et Sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, *hanc S. Petri sedem ab omni semper errore illibatam permanere*, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem, discipulorum suorum Principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione *Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.* At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant: necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam Unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere. Itaque nos *traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, Religionis Catholicae exaltationem et christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, i. e. cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam ea infallibilitate pollere qua divinus Redemtor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumserit, anathema sit.* Datum Romae in publica Sessione in Vatic. Basilica solemniter celebrata, anno 1870 die 18 Iulii.

Verba Pii IX P. M. ad Synodum. Summa ista Romani Pontificis auctoritas, ven. fratres, non opprimit, sed adiuvat, non destruit, sed aedificat, et saepissime confirmat in dignitate, unit in caritate, et fratrum, scilicet Epporum, iura firmat atque tuetur. Ideoque *illi, qui nunc iudicant in commotione, sciant non esse in commotione Dominum. Meminerint, quod paucis abhinc annis oppositam tenentes sententiam abundaverunt in sensu nostro, et in sensu maioris partis huius amplissimi Consessus, sed tunc iudicarunt in spiritu aurae lenis. Numquid in eodem iudicio iudicando duae oppositae possunt existere conscientiae? Absit. Illuminet ergo Deus sensus et corda; et quoniam ipse facit mirabilia magna solus, illuminet sensus et corda, ut omnes accedere possint ad sinum Patris, Christi Iesu in terris indigni Vicarii, qui eos amat, eos diligit, et exoptat unum esse cum illis. Et ita simul in vinculo caritatis coniuncti praeliare possimus praelia Domini, ut non solum non irrideant nos inimici nostri, sed timeant potius, et aliquando turma malitiae cedant in conspectu veritatis, sicque omnes cum D. Augustino dicere valeant:* Tu vocasti me in admirabile lumen tuum, et ecce video.

1961.

Historia discussionis de constitutione dogmatica I de Ecclesia, seu **de Primatu et infallibili magisterio R. P.** in Concilio Vaticano institutae: desumta ex **Actis quae apud S. Sedem aguntur. Vol. V et VI. Romae. 1870.**

Quum iamdiu ab initio Oec. Vat. Concilii plurimorum vota ederentur, ut hac in Synodo *catholica doctrina* definiretur sancireturque *de Romani Pontificis infallibilitate,* quam semper tenuit atque tenet Catholica Ecclesia; quumque petitiones plurimae admotae fuerint sive per fideles sive per ipsos Concilii Patres, quamquam paulisper difformes essent, imo et nonnullae dissonantes quoad *definitionis opportunitatem* *)

*) Res est intelligentiae periucunda, considerare in ipso cortice libellos, qui eduntur sive contra R. P. infallibilitatem sive definitionis opportunitatem, sive pro infallibilitate; re autem est fastidiosissima patienter perlegere quae in hisce li bellis continentur. Namque si in cortice ipsos consideras, tii sunt argumentum validissimum ad concludendum, hanc doctri nam de infallibilitate esse in praesentia necessario definiendam quum mota sit quaestio quaedam multum rumorem excitans praecisione facta a merito quaestionis eiusdem. Nisi enim di cere velis, Vaticanum Concilium se gesturum, prout ex acti quae habemus Concilii VI, traditur se gessisse Honorius, qu quaestionem de una vel duabus voluntatibus in Christo Do mino, prout debuerat, suo supremo et irreformabili iudicio no diremit; ideoque nisi dicere velis Conc. Vaticanum eadem not afficiendum de hac exorta quaestione, sicut olim Honorium de infallibilitate quaestio dirimenda erit. Si autem hos libello quid contineant, perlegas, reperies *scriptores infallibilita*

SSmus D. Noster iuxta literas apostolicas „Multiplices“ hoc doctrinae thema definiendum Concilio proposuit; atque definitionis formula distributa est Patribus, quo die Catholica Ecclesia festivitatem Angelici Doctoris celebrat, (6 Martii 1870) cuius theologica et philosophica doctrina in Ecclesia Catholica per secula splendidissime refulsit et refulget; quae quidem derelinqui forte poterit, ignorantia peregrinis opinionibus superveniente, obscurari autem non poterit. — —

1. Die *29 Aprilis* habita est *Congregatio generalis 47.* — Post relationem nomine Deputationis pro rebus disciplinae ecclesiasticae factam — locutus est *Emin. Card.* **Franciscus Donnet** *AEppus Burdigalensis*, qui locutionem de schemate — Catechismi Parvi — clausit, animi sui votum vehementer exprimens (quod erat quoque plurimorum Patrum per enixas preces pluries Pontifici significatum), *ut perquam citissime Synodo proponeretur Schema de infallibilitate R. P.* — Lectum deinde est Monitum: „Plurimi Concilii Patres iterum atque iterum enixe postularunt, ut ante reliqua Schemata fidem aut disciplinam respicientia de infallibilitate Rom. P. tractaretur, ea praesertim de causa, quod recenti tempore circa hoc gravissimum doctrinae caput non leves anxietates in fidelium animis ubique excitatae sint, unde eorum conscientiae anguntur, et religiosae societatis pax ac tranquillitas perturbatur. Quapropter necessarium visum est, Patrum examini quamprimum subiicere Schema de Romano Pontifice, continens doctrinam de eius primatu et infallibilitate. Itaque nunc distribuuntur *animadversiones*, quae scripto traditae fuerunt a RR. Patribus *super Caput de R. P. primatu*, quibus in Congre-

---

contradicentes vel definitionis opportunitati, plerumque deficere in legibus tum logices tum critices, eaque obiicere, et saepe multo infirmiora, quae obiici Romae solent in publicis privatisque scholasticis disputationibus, quando theologica thesis de infallibilitate adolescentibus disputanda proponitur; scriptores autem pro infallibilitate, si paucos excipias, qui necessitate potius coacti nonnulla scribere existimarunt, nonnisi paucissima dicere de iis omnibus, quae iamdiu validissime scripserunt cordati Catholici scriptores contra Gallicanas praesumtiones. *Nota edit. Actor.*

gatione generali cras (30 Apr.) habenda adiungentur *animadversiones* a Patribus in scripto traditae *super schema de infallibilitate R. P.* ut eas sedulo expendant, donec suo tempore Schema a Deputatione pro rebus fidei reformatum proponatur" *). —

2. Die *13 Maii* habita est Congr. 50; — facta relatione (de Parvo Catechismo) — Emin. primus Praeses subdidit: „Absoluta hac materia procedamus ad tractandum schema *Constitutionis dogmaticae I de Ecclesia Christi* RR. Patrum examini propositae, initio huius rei praemissa relatione, quam de hoc Schemate nomine Deputationis pro rebus fidei viva voce faciet R D. **Lud. Pie** *Eppus Pictaviensis.*" Facta est relatio per integram fere horam.

3. Die *14 Maii* habita est Congr. gen. 51. — Inchoata est *discussio generalis super integro schemate* Const. dogm. I de Ecclesia Christi, et locuti sunt: Emin. Card. **Const. Patrizi** *Ep. Portuensis et S. Rufinae*; — **Ios. Saut' Alemany** *AEp. S. Francisci;* — **Al. Natoli** *AEp. Messanensis;* — **Ios. Dusmet** *AEp. Catanensis;* — **Fr. Victor Rivel** *Ep. Divionensis;* — **Ios. Ranolder** *Ep. Veszprimiensis;* —

---

*) Fertur, plurimos Concilii Patres hoc habito nuncio quadam animi laetitia illico gestivisse; neque defuit, qui elata voce conclamaverit: „Deo gratias." Extra Synodum, ut omnibus notum est, libertas licentiose scribendi de hoc cath. doctrinae capite eo pervenerat, ut cordatis viris stomachum moveret, et imperitis scandalum crearet; ratio autem et studium quorumdam agendi, ut suffragia in proprium sensum captarent, eo quoque pervenerat, ut dictitaretur, eos vario obtentu civilem auctoritatem concitare, qua S. Sedes forte deterrita, quod et scribere piget, impediret, quominus hoc doctrinae caput definiretur. Quare etiam extra Synodum eorum omnium animi, qui catholice sentirent, non poterant hoc cognito synodali nuncio non erigi, ut veritas catholica tanto ludibrio exposita in suam lucem quantocius restitueretur; eo magis, quod diuturna prorogatione periculum immineret, ne rebus publicis iugiter oscitantibus, graviter tandem perturbatis, Synodus protrahi non posset. Quod dum erat periculum bene saneque sentientibus, spes et ultimum effugium e converso erat illis, qui secus sibi aliisque persvadere studebant. *Nota edit. Act.*

Bern. Condé y Corral *Ep. Zamorensis;* — **Petr. Celesia** *Ep. Pactensis.* —

4. Die *17 Maii habita* est Congr. Gen. 52. — Lecta sunt nomina 35 Patrum, qui de schemate generatim spectato adhuc veniam loquendi petierunt. Locuti autem sunt: **Victor Dechamps** *AEp. Mechliniensis* Primas Belgii, unus ex PP. Deputationis pro rebus fidei, ut responderet Oratorum praecedentium difficultatibus et animadversionibus; — **Aug. David** *Ep. Briocensis;* — **Ioan. Greith** *Ep. S. Galli;* — **Ios. Hefele** *Ep. Rottenburgensis.* — 5. Die *18 Maii* habita est Congr. G. 53, atque lecta sunt nomina 21 Patrum, qui de schemate generatim spectato adhuc veniam loquendi petierunt. Locuti sunt: **Emanuel Garcia** *AEp. Caesaraugustanus,* unus e Deputatione, ut responderet propositis difficultatibus et animadversionibus praecedentium oratorum; — Emin. Card. **Frid. Schwarzenberg** *AEp. Pragensis;* — Emin. Card. **Frid. Donnet** *AEp. Burdigalensis;* — Emin. Card. **Ios. Othm. Rauscher** *AEp. Vindobonensis* per Eppum Rottenburgensem, qui eius orationem legit.

6. Die *19 Maii* habita est Congr. G. 54; lecta sunt nomina 6 Patrum, qui de schemate generatim spectato adhuc veniam loquendi petierunt. Locuti sunt: Emin. Card. **Paulus Cullen** *AEp. Dublinensis,* qui etiam difficultatibus in duabns praecedentibus Congregationibus propositis respondit; — Emin. Card. **Ioan. Ign. Moreno** *AEp. Vallisoletanus;* — **Greg. Iussef** *Patr. Antiochemus rit. gr. melch.* —

7. Diebus *20 Maii — 3 Iunii* habitae sunt Congr. Gen. 55—64; in quibus lecta sunt nomina 35 Patrum, qui de schemate generatim spectato adhuc veniam loquendi petierunt. Locuti sunt 20 Maii: **Ioan. Simor** *AEp. Strigoniensis,* Primas Hungariae; — **Ioan. Mac Hale** *AEp. Tuamensis;* — **Spiridion Maddalena** *AEp. Corcyrensis;* — **Georg. Darboy** *AEp. Parisiensis;* — 21 Maii: **Patritius Leahy** *AEp. Casseliensis,* e Deputatione, ut responderet aliquibus animadversionibus; **Andr. Räss** *Ep. Argentinensis;* — **Petr. Trucchi** *Ep. Foroliviensis;* — **Fr. Petagna** *Ep. Castri Maris;* — 23 Maii: **Ant. Hassun** *Patr. Ciliciensis Armenorum,* e Deputatione, ut responderet quibusdam animadversionibus; —

Guil. de Ketteler *Ep. Moguntinus;* — **Ant. Cousseau** *Ep. Engolismensis* per Carolum Fillion Ep. Cenomanensem, qui eius scriptum legit; — **Iac. Ginoulhiac** *Ep. Gratianopolitanus;* — 24 Maii: **Petr. de Preux** *Ep. Sedunensis,* e Deputatione, ut responderet aliquibus animadversionibus; — **Ios. Caixal y Estrade** *Ep. Urgellensis;* — **Ios. Salas** *Ep. SS. Conceptionis de Chile;* — **Petr. Rota** *Ep. Guastallensis;* — 25 Maii: **Eduardus Manning** *AEp. Westmonasteriensis,* e Deputatione, ut responderet aliquibus difficultatibus; — **Ioan. Mac Evilly** *Ep. Galviensis;* — **Guil. Clifford** *Ep. Cliftoniensis;* — 28 Maii: **Ign. de Senestrey** *Ep. Ratisbonensis,* e Deputatione, ut responderet aliquibus animadversionibus; — **Aug. Verot** *Ep. S. Augustini;* — **Alex. Bonnaz** *Ep. Csanadiensis;* — **Ioan. Bravard** *Ep. Constantiensis;* — **Ios. Papp-Szilágyi** *Ep. M. Varadinensis rit. gr.;* (**Petr. Geraud de Langalerie** *Ep. Bellicensis,* et **Armandus Maupoint** *Ep. S. Dionysii Reunionis* renunciarunt) — 30 Maii: **Ioan. Spalding** *AEp. Baltimorensis,* e Deputatione, ut responderet difficultatibus; — **Petr. le Breton** *Ep. Aniciensis;* — **Eug. Lachat** *Ep. Basileensis;* — **Iul. Lenti** *Ep. Nepesinus et Sutrinus;* — **Laur. Gastaldi** *Ep. Salutiarum;* — **Felix de las Cases** *Ep. Constantinianus et Hipponensis;* — **Ephrem Garrelon** *Ep. Nemesinus;* — 31 Maii: **Andr. Schäpman** *AEp. Ultraiectensis* , e Deputatione, ut responderet difficultatibus; - (**Leop. Zelli** O. S, B. Abbas Nullius *S. Fauli de Urbe* veniae loquendi renunciavit); — — **Ios. Valerga** *Patr. Hierosolymitanus r. lat.;* — **Ant. Claret y Clara** *AEp. Traianopolitanus;* — **Ioan. Purcell** *AEp. Cincinnatensis;* — **Thom. Connolly** *AEp. Alifaxiensis;* — 2 Iunii: **Ioan. Vancsa** *AEp. Fogarasiensis et Albajuliensis gr. r.;* — **Petr. de Dreux Brézé** *Ep. Molinensis;* — **Ios. Georg. Strossmayer** *Ep. Bosniensis et Sirmiensis;* — **Lud. Regnault** *Ep. Carnutensis;* — **Thom. Salzano** *Ep. Tanensis;* 3 Iunii: **Laur. Gilooly** *Ep. Elphinensis;* — **Pancr. Dinkel** *Ep. Augustae Vindelicorum;* — **Mich. Domenec** *Ep. Pittsburgensis;* — **Henr. Maret** *Ep. Surensis.* Horum sermonibus absolutis lectum est ab Emin. primo Praeside Monitum: „Exhibita fuit nobis in scripto postulatio plusquam

150 Patrum Concilii, qui persvasum habentes, discusionem super schemate primae Constitutionis de Ecclesia Christi generatim spectatam esse omni ex parte exhaustam, ac propterea amplius fieri non posse, quin inutilibus repetitionibus tempus perdatur, efflagitarunt, ut iuxta numerum 11 Decreti diei 20 Febr. de fine eidem discussioni imponendo Congregatio Generalis interrogetur. Qua re permoti interrogandos censuimus RR. Patres, an velint discussionem generalem propositi schematis diutius adhuc continuari necne? Itaque RR. Patres, qui desiderant, ut discussioni generali propositi schematis finis imponatur, surgant." Surgentibus Patribus, Emin. de Angelis (Praeses) subdidit: „Longe maior pars surrexit *). Proinde potestate a SS. D. N. per decretum diei 20 Febr. nobis facta utentes, generali discussioni propositi schematis finem imponimus." Reliqui Patres, qui de schemate generatim spectato veniam loquendi obtinuerant, hi sunt: **Iac. Stepischnegg** Ep. *Lavantinus*; **Thomas Nulty** Ep. *Midensis;* **Mich. Fogarasy** Ep. *Transilvaniensis;* **Ioan. Huerta** Ep. *Puniensis;* **Ant. Fania** Ep. *Potentinus et Marsicensis;* **Theod. Gravez** Ep. *Namurcensis*; **Steph. Lipovniczky** Ep. *M. Varadinensis r. lat.;* **Car. Freppel** Ep. *Andegavensis;* **Franc. Pedicini** AEp. *Barensis;* **Cyrillus Behnam Benni** AEp. *Mussuliensis rit. syr.;*

---

*) Quando Congregatio generalis invitatur ad surgendum in signum propositionis approbandae vel reprobandae, non computantur singillatim Patres, qui surgunt, si evidenter appareat, longe maiorem partem eorum surrexisse. In actu, de quo scribimus, traditur fere 50 Patres sedentes mansisse, reliquis omnibus magno numero surgentibus. Nec mirum: namque scimus, plurimos Patres non levi molestia fuisse affectos in audiendis in unaquaque Congregatione per plures horas sermonibus sive pro opportunitate sive contra opportunitatem huius definitionis, et similia generalia sive pro sive contra infallibilitatem. Scimus pariter tot tantasque factas esse animadversiones tum scriptis tum sermonibus pro una alteraque parte, ut putandum sit, nihil, quod dici posset, non fuisse sub aliqua forma dictum aut scriptum, atque ita, ut sermones in ea, quae scripta et dicta iam erant, reciderent. Perperam autem nonnulli conquesti sunt de hoc Decreto, quasivero libertas discussionis laesa esset. Hi enim non animadvertebant, tum libertatem Synodi laesam fuisse, et quidem gravissime, si contra

Lud. Haynald AEp. *Colocensis et Bacsiensis;* **Franc. la Croix** Ep. *Baionensis;* **Rich. Whelan** Ep. *Weelingensis;* **Henr. Bindi** Ep. *Pistoriensis et Pratensis;* **Petr. Kenrick** AEp. *S. Ludovici;* **Fr. Xav. Apuzzo** AEp. *Surrentinus;* **Alex. Franchi** AEp. *Thessalonicensis;* **Ioan. Losanna** Ep. *Bugellensis;* **Emm. del Valle** Ep. *Huanucensis;* **Ioan. Marango** Ep. *Tenensis et Miconensis;* **Vincentius Jekelfalusy** Ep. *Albaregalensis;* **Phil. Krementz** Ep. *Varmiensis;* **Mich. Heiss** Ep. *Crossensis;* **Sigism. Kovács** Ep. *Quinque-Ecclesiensis;* **Georg. Errington** AEp. *Trapezuntinus;* **David Moriarty** Ep. *Kerriensis;* **Ant. Peitler** Ep. *Vaciensis;* **Patritius Dorrian** Ep. *Dunensis et Connorensis;* **Steph. Ramandié** Ep. *Elnensis;* **Ios. Aggarbati** Ep. *Senogalliensis;* **Henr. Schmid** Abbas Mon. S. Mariae *Einsiedeln* in Helvetia; **Petr. Domnius Maupas** AEp. *Iadrensis;* **Ioan. Berteaud** Ep *Tutelensis;* **Iac. Bailles** Ep. olim *Lucionensis;* **Georg. Butler** Ep. *Limericensis;* **Car. Colet** Ep. *Lucionensis;* **Nic Adames** Ep. *Halicarnassensis;* **Steph. Pankovics** Ep. *Munkacsiensis rit. gr.;* **Franc. Gros** Ep. *Tarantasiensis;* **Petr la Carriera** Ep. *Guadalupensis;* **Thom. Grimley** Ep. *Antigonensis;* **Hyac. Martinez** Ep. *S. Christophori de Havana;* **Iul. de Ruggero** Abb. Ordinarius *SS. Trin. Cavensis;* **Lud. Delalle** Ep. *Ruthenensis;* **Georg. Smiciklas** Ep. *Crisiensis*

---

eiusdem Synodi voluntatem, cessationem discussionis iudicantis ipsi loqui potuissent. Ceterum non est novum, et in ipso C Tridentino exempla habemus, ut post sufficientem disputationem de aliquo doctrinae capite Patres intercepta disputation iudicarent, an res, de qua ageretur, satis esset discussa, ita ut deveniri posset ad ferenda suffragia. Sic e. g. refert in sui memoriis *Bartholomaeus a Martyribus* AEppus Bracarens et Hispaniae Primas, qui Concilio Trid. intererat: „Sexta Sessio celebrata est die 17 Sept. in qua de altissimo Missa Sacrificio dictum est. Displicuit tamen nonnullis Patribus, quo poneretur secundus canon de institutione sacerdotum per ill verba *Hoc facite in meam commemorationem etc.* quae est res esset videreturque probabilis, non tamen videbatur suffi cienter discussa. Quia tamen hi paucissimi erant 50 aut 5 circiter, et aliis videbatur sufficienter discussa res et exami nata, ideo et definita est." (Summa Concil. 1869. p. 397. *Nota edit. Act.*

rit. gr.; **Mich. Paya y Rico** Ep. *Conchensis;* **Ioan. Landriot** AEp. *Rhemensis;* Emin. Card. **Caesarius Mathieu** AEp. *Bisuntinus;* **Felix Dupanloup** Ep. *Aurelianensis.*

8. Die *6 Iunii—14 Iun.* habitae sunt Congr. Gen. 65—71. in quibus discussio facta est de Prooemio, de primo, secundo et tertio capite Const. dogm. I de Ecclesia Christi, loquentibus 47 Patribus.

9. Die *15 Iunii — 4 Iulii* habitae sunt Congr. Gen. 72—82, in quibus de quarto capite (infallibilitate) locuti sunt: Emin. Car. **Caesarius Mathieu** AEp. *Bisuntinus;* Emin. Card. **Ios. O. Rauscher** AEp. *Vindobonensis;* Emin. Card. **Ioan. Pitra** per Petr. Geraud de Langalerie Ep. Bellicensem, qui eius sermonem legit; Emin. Card. **Phil. Guidi** AEp. *Bononiensis;* Emin. Card. *Henr. de Bonnechose* AEp. *Rothomagensis;* Emin. Card. **Paulus Cullen** AEp. *Dublinensis;* **Barth. d' Avanzo** Ep. *Calvensis et Theanensis,* e Deputatione, ut responderet aliquibus observationibus, ac praecipue ut conceptum infallibilitatis pontificiae explicaret; **Paulus Ballerini** Patr. *Alexandrinus l. rit.;* **Ios. Valerga** Patr. *Hierosolymitanus r. lat.;* **Ioan. Mac. Hale** AEp. *Tuamensis;* **Ios. Alemany** AEp. *S. Francisci;* **Franc. Apuzzo** AEp. *Surrentinus;* **Vinc. Spaccapietra** AEp. *Smyrnensis;* **Georg. Errington** AEp. *Trapezuntinus;* **Salv. Nobili Vitelleschi** Ep. *Auximanus et Cingulanus;* **Thom. Connoly** AEp. *Alifaxiensis;* **Car. de la Tour d' Auvergne** AEp. *Bituricensis;* **Benventus Monzon y Martins** AEp. *Granatensis;* **Petr. Domnius Maupas** AEp. *Iadrensis;* **Ioan. Fr. Landriot** AEp. *Rhemensis;* **Anast. Rodrigo Yusto** AEp. *Burgensis;* **Ioan. Lynch** AEp. *Torontinus;* **Ioan. Losanna** Ep. *Bugellensis;* **Rich. Whelan** Ep. *Weelingensis;* **Barth. Legat** Ep. *Tergestinus;* **Felix Cantimorri** Ep. *Parmensis;* **Guil. Keane** Ep. *Cloynensis;* **Guil. de Ketteler** Ep. *Moguntinus;* **Petr. la Carriere** Ep. olim *Guadalupensis;* **Iesualdus Vitali** Ep. *Ferentinus;* **Iac. Ginoulhiac** AEp. *Lugdunensis;* **Ios. Caixal y Estrade** Ep. *Urgellensis;* **Thadd. Amat** Ep. *Monteregensis et Angelorum;* **David Moriarty** Ep. *Kerriensis et Aghadoensis;* **Renatus Sergent** Ep. *Corisopitensis;* **Dom. Zelo** Ep. *Aversanus;* **Conr. Martin** Ep. *Paderbornensis;* **Petr.**

Ferré Ep. *Casalensis;* **Armandus Maupoint** Ep. *S. Dionysii Reunionis;* **Aug. Verot** Ep. *S. Augustini;* **Mich. Paya y Rico** Ep. *Conchensis;* **Car. Colet** Ep. *Lucionensis;* **Henr. Maret** Ep. *Surensis;* **Aug. David** Ep. *Briocensis;* **Nic. Adames** Vic. Ap. *Luxemburgensis;* **Car. I. Greith** Ep. *S. Galli;* **Th. Nulty** Ep. *Midensis;* **Gaspar Mermillod** Ep. *Hebronensis;* **Guil. Meignan** Ep. *Catalaunensis;* **Steph. Ramadie** Ep. *Elnensis;* **Hyac. Martinez** Ep. *S. Christophori de Havana;* **Fr. Moreyra** Ep. *Ayacugnensis;* **Ios. Aggarbati** Ep. *Senogalliensis;* **Laur. Gastaldi** Ep. *Salutiarum;* **Car. Freppel** Ep. *Andegavensis;* **Fr. Gandolfi** Ep. *Cornetanus et Centumcellensis;* **Ioan. F. Callot** Ep. *Oranensis.* Renunciaverunt obtentae veniae loquendi: *Eppi* Baiocensis, Birminghamiensis, Calvensis et Theanensis, Guastallensis, Zamorensis, Salmanticensis, MVaradinensis gr. rit., Brugensis, Transylvaniensis, Uxellensis et Terralbensis, Potentinus et Marsicensis, Albae Pompaiensis, Alexandrinus, Ardagadensis, Balneoregiensis, Nemesinus, Rottenburgensis, Montis Regalis, Aurelianensis, Westprimiensis, Molinensis, Carcassonensis, Nolanus, Cliftoniensis, Niciensis, Ruthenensis, Aprutinus, Vaciensis, Dunensis et Connorensis, Tulancigensis, Petrocoriensis, Massiliensis, Grossetanus, Pistoriensis et Pratensis, Ascalonensis, Bolinensis, Divionensis, Constantiensis, Albaregalensis, Tarantasiensis, Vapincensis, Galviensis, Antigonensis, Faliscodunensis, Ipporegiensis, Bosniensis et Syrmiensis. *AEppi:* Pragensis, Strigoniensis, Oregonopolitanus, Reginensis, Thessalonicensis, Florentinus, Barensis, Colocensis et Bacsiensis. *Generales Ord. et Abbates* Cavensis, Praedicatorum, Lateranensis, Vallis Umbrosae, Camelitarum veteris observantiae, Cisterciensium.

10. Die *5 Iulii* habita est Congr. gen. 83, atque nomi[ne] Deputationis relatio *de emendationibus propositis ad Cap.* facta est a R. D. Friderico Zinelli Eppo Tarvisino per du[as] fere horas. (De vi ac ratione Primatus R. P.) Tum suffrag[ia] lata sunt circa singulas emendationes.

11. Die *11 Iulii* habita est Congr. gen. 84; — fac[ta] est a R. D. Vincentio Gasser Eppo Brixinensi *relatio generalis de Capite IV* (infallibilitate) per duas horas et ampliu[s] — et lata sunt suffragia de emendationibus iuxta sensum

Deputatione significatum, paucis dissentientibus. Formula definitionis proposita est.

12. Die *13 Iulii* habita est Congr. gen. 85; — in qua lectum est ab Emin. Praeside Monitum: „Postquam tum super emendationibus, tum super singularum partium textu suffragia Patrum per actum surgendi lata fuerint, superest, ut iuxta numerum 14 Decreti diei 20 Febr. *de toto schemate* Patrum sententiae rogentur. Haec autem suffragia oretenus edentur per verba *placet* aut *non placet*, vel, ut alias factum est, per verba: *placet iuxta modum*, tradendo simul in scripto *modum* seu conditionem, quam singuli forte desiderant. Itaque nunc R. D. Subsecretarius ad exquirenda suffragia singulorum Patrum ex ambone leget nomina et rogabit singulos suo nomine, et singuli voce clara et intelligibili suffragium suum edent." Latis suffragiis, factaque computatione lecta est relatio: *RR. Patres! notum vobis facimus, quod iuxta computationem suffragiorum suffragia dederunt Patres 601: ex his 451 dederunt suffragium per verbum* **placet**; *alii 88 per verba* **non placet**; *et 62 per verba* **placet iuxta modum.**

Nos non resumemus thesim de infallibilitate iudiciorum ex cathedra prolatorum; haec namque a seculis rite elucubrata et novissimis temporibus magnifice demonstrata fuit. Nos tantum *actum definitionis expendemus*, atque agnoscemus: *eundem incomparabilem magnificentiam haurire e maiestate omnium praeludiorum, quae eundem ante apertum Concilium praesagiri siverunt*; — *e numero et gravitate impedimentorum, quae priusquam comparuisset removere debuit*; — demum *ex ubertate producendorum fructuum, si mundus beneficia eiusdem aestimare noverit.*

I. Vidimus *Concilium Vaticanum* ad vocem Pii IX Romae congregatum. *Nulla sane huius generis Congregatio nomen occumenicae meliori iure meruit, ista.* In magno Concilio Nicaeno, anno 325, 318 Patres tantum numerabantur. Chalcedonense, primis Sessionibus, quae ceteris longe praeeminebant, 630 duntaxat coadunavit. Decreta Concilii Tridentini a ducentis et aliquot Eppis solummodo subscripta fuerunt, quod tamen minime impedivit, ne hoc Concilium celeberrimum omnium generalium Conciliorum fieret, tum quoad numerum et momentum dogmaticarum quaestionum in eodem definitarum, et errorum ibidem damnatorum; — tum quoad reformationes, quas praesuscepit, et statuta, quae tulit. Ecclesia et Spiritus S. ibidem certo certius fuerunt; ast totus terrarum orbis ibi repraesentatus haud fuit. Sic Occidens ad primum Concilium Nicaenum quoque quinque duntaxat Patres misit. In Concilio II Lugdunensi atque in Florentino Graeci, Maronitae et Armeni, qui ex Oriente advenerunt, exiguo numero fuerunt. Ex adverso *in Concilio Vaticano 800 fere Antistites circa Papam confluxere. Dempta Polonia russica nulla pars universalis Ecclesiae existit, quae in hac gloriosa congregatione repraesentata non fuisset.* Qui in limine novi istius coenaculi stat, dum Eppi introeunt, is in lineamentis horum venerabilium virorum Europam, Asiam, Africam, Australiam, utramque Americam et Polynesiam pertransire conspicit. Mihi quoque, priusquam me inexorabilis infirmitas hac sublimi, sacraque Congregatione exclusisset, honor obtigit, locum inter Eppum quemdam Calabriae, nobilem Custodem sepulchri s. Brunonis, et inter Eppum Cambysopolitanum, Apostolicum

Vicarium insularum Nuka Hiva in Oceania, capessendi. An non viderunt inde oculi mei, quin caput ad dextram, vel sinistram vertere debuissem, Eppos Magnae Britanniae, Galliae, Italiae, Hispaniae, Borussiae et Hungariae penes invicem sedentes? Item Eppos insularum graecarum, littorum Bospori, montium Armeniae, regionis Libani, et orarum, quas Tigris et Euphrates irrigant? Porro plures e Canada, Statibus unitis, Brasilia, Chili et Senegambia? Et tandem multitudinem e Iaponia, ex imperio Sinensi, e vasto territorio Missionum Indiae, inde a Hymalaya usque ad promontorium Comorin, inde ab egressu Indi, usque ad regiones trans Gangem sitas? Profecto *nunquam in magis decisivis circumstantiis pulchrius spectaculum conspici potuit hac Congregatione, quae vivum documentum est catholicitatis Ecclesiae.*

Iam vero quid mentes Pastorum tam multorum gregum, Magistrorum tam multorum populorum, Rectorum tam multarum Ecclesiarum inde a prima die, qua congregati fuerant, et ubi primum Romae suas cogitationes, suaque desideria secum communicare potuerant, occupavit? *Infallibilitas supremi Pastoris.* Ut testes fidei suorum populorum, plurimi asseverant: greges suos hanc praerogativam successorum Petri, eodem modo, quo praerogativam ipsius Petri, credere. Neophyti recenter ortarum in Asia, novo mundo, et in Polynesia communitatum hanc veritatem propemodum articulis symboli aequiparant. Papa, summus repraesentans Dei in terris et Vicarius Iesu Christi nullum emittit iudicium, quod iidem tamquam ex ore ipsius Dei procedens non susciperent; mentes illorum nec levissimum quidem admittunt dubium, quasi doctrina, et definitiones eiusdem erroris argui possent, et, si oppositum a temerariis, aut parum illuminatis magistris asseri audirent, id non tantum, velut prorsus nova et nunquam audita res stupore eosdem repleret, sed iisdem etiam, adinstar cuiusdam blasphemiae, scandalo esset. Sic loquitur quasi uno ore gloriosa phalanx *Vicariorum Apostolicorum.* Scio quidem, nonnullos dicere: fidem novellarum istarum communitatum Ecclesiae neutiquam charactere et auctoritate traditionis pollere. Id certum omnino est, etsi non de omnibus, de parte tamen illarum. Sed si haec non sit traditio, est certe educatio. Est, ut ita dicam, lac,

quo nutriuntur. Educantur, quemadmodum olim *S. Irenaeus* magnam Ecclesiam Lugdunensem educavit, cum ipsis inde ab incunabulis inculcatum fuerit: ad Romanam Ecclesiam *propter potiorem eiusdem principalitatem* *) convenire debere omnes particulares Ecclesias, atque in eadem, et per eandem dispersos undique fideles incorruptam apostolicam traditionem conservare posse. Hoc factum, prouti est, quamvis maiestas seculorum eidem necdum suffragetur, nonne infiniti ponderis est? Et quid rursum dicunt *Eppi dioecesium ad sic dictum civilisatum mundum pertinentium?* Iidem pariter magno numero idem testimonium perhibere gestiunt. Non dissimulant quidem, quosdam coetus catholicorum, a coeco patriotismo et a sophismatibus, quae pro sua debilitate refellere non norunt, seductorum, contra infallibilitatem Papae protestari, et definitionem huius, prout dicunt, pro praesenti et futuro aevo tempestatis et discriminis plenae quaestionis in Concilio supprimere adniti. Verum hi dispersi duntaxat atomi sunt in infinitis mundi spatiis. *In Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Belgio, Helvetia imo in Germania et in Unitis Statibus immensa maioritas sacerdotum, et fidelium hanc praerogativam S. Sedis, non obstantibus tetris imaginibus, sub quibus illa sistitur, tamquam verbo ipsius Iesu Christi innixam considerat.* Haec ubique firmissimam, quemadmodum pretiosissimam convictionem illorum constituit. Iidem hoc palam sub diversis formis, semper clare et praecise expresserunt. Dum Eppi illorum ad Concilium proficiscerentur, eosdem orarunt: ut fervens, fideleque echo huius rei Romam perferant. Obsecrarunt eosdem, ut huic sublimi praerogativae Petri, eiusque successorum honorem, triumphum, splendoremque definitionis addant, quae illam a tempestatibus immunem, deinceps ad immutabilem claritatem lucis evehat. Denique multi extiterunt, qui huic desiderio iam characterem spei indiderunt, et exoptatam definitionem ipsa die, qua magnum Concilium Vaticanum apertum fuerat, praevie festivitatibus, splendidaque illuminatione celebrarunt. *Haec a multis Venerabilibus Fratribus meis ex omnibus mundi partibus, narrari audivi; atque idipsum ego*

*) Irenaeus Lib. III advers. Haeres.

quoque, pro honore magnificae Dioeceseos, mihi a Deo concreditae, confirmare adnisus sum. Sacerdotes eiusdem unanimiter mihi commiserunt: ut expressionem traditionalis et inconcussae fidei ipsorum in infallibilitatem ad pedes Pii IX deponam, testerque, quantopere beati forent, si haec fides auctoritate Concilii dogmaticam sanctionem acciperet. Fideles quoque, demptis paucissimis, mihi eadem sensa, pariaque vota adaperuerunt. Inter primos Romae comparens, festinavi hac gloriosa provincia filialis pietatis coram sancto Patre fungi; mihique concessum fuit, hanc longam seriem petitionum aperire, quae a sex et amplius mensibus quotidie novum augmentum accipit; hymnus sine fine, quem charitas, fidesque omnium nationum instanti triumpho infallibilitatis canit.

II. Mox ab exordio hoc factum ad instar certi indicii reapse secuturae definitionis consideravi. *Nec sacerdotibus, neque fidelibus competit ius, decreta, aut iudicia dogmatica edendi; ast possunt eadem praesagire et praeparare.* Dum Apostoli, e coenaculo egressi, praedicare inchoassent, populus pium fervorem eorum mirabatur, et ignitum zelum Spiritus S. qui eosdem ad loquendum stimulabat, pro effectu ebrietatis habuit. Tum levavit *Petrus* vocem suam, dixitque illis: (quod videtis) „hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel: et erit in novissimis diebus (dicit Dominus), effundam de Spiritu meo super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, et iuvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt: et quidem super servos meos, et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt.“ *) Haec miraculosa operatio Spiritus S. de qua Princeps Apostolorum in suo commentario super prophetia Ioelis loquitur, raro duntaxat in Ecclesia iteratur. Attamen Spiritus S. semper in fideli populo, inter sacerdotes et laicos praesens, in iisdem continuo quempiam mysterii plenum sensum, quampiam vivacem et securam intelligentiam fidei conservat, quae certis criticis solemnibusque temporibus, etsi non per miracula, per sublimiorem tamen comprehensionem peri-

*) Act. II. 16—18.

culorum et indigentiarum praesentis momenti, se manifestant. Est haec species quaedam propheticae intuitionis. Si error quispiam in doctrina temerarie aut subdole emergat, eundem mox detegunt, et indicant. Dum *Nestorius* in Iesu Christo divinum vinculum unitatis personae negare praesumit, grex adversus blasphemiam et incredulitatem pastoris mox protestatur. Et quantumvis aspere invehatur hic in illos, qui de scandalo iusta indignatione lamentantur: Clerus et laici in sua resistentia perseverant, et ad eorum quasi vocem magnus athleta Alexandriae, S. Cyrillus proelium adversus novitatis studiosum Patriarcham ingreditur. Vicissim, dum non de quadam haeresi agitur, sed dum quaepiam revelata veritas maiori splendore, maiorique claritate donanda est, saepe christiano populo datum est, ut annuntiationem aurorae cum certitudine cognoscat, suisque votis horam acceleret, qua benedicta lux, postremis velis, quae eandem texerunt, liberata, in firmamento fidei radiis decorata appareat. Dum seculo 5 Ephesi Eppi de divina Maternitate consultarent, an non confluxit sacro fervore accensa multitudo populi circa basilicam, in qua Patres congregati fuere; an non provocavit filiali impatientia definitionem, quae in corona Mariae perpetuo firmare debebat gemmam, quam sceleratae manus eidem eripere voluerunt? Sub hac voce populi quidpiam latuit, quod veluti vox ipsius Dei fuit. Et Patres Ephesini non tantum offensos se hac voce non existimarunt, sed eandem aestimio quoque prosecuti sunt. In similibus adiunctis *Ecclesia et Sancta Sedes semper eandem deferentiam exhibuit voci popularis fidei.* Quodsi eadem sua sponte se non manifestavit, eandem interrogarunt; si vero absque provocatione, aut medio Epporum se enuntiavit, tum testimonium eiusdem semper plena cum existimatione susceptum fuit. *Nunquam eidem permissum fuit, ut ad dogmaticas quaestiones decisiva auctoritate se ingerat; semper tamen instar medii considerationc et aestimio digni habebatur.* In oculis illorum (Ecclesiae et S. Sedis) quasi halitus Dei fuit, qui conscientiam christiani populi instar cuiusdam turbinis penetravit, neque iustitiae conveniens arbitrabantur, sonum, quem mysteriosae

vibrationes eiusdem in animis produxerunt, vilipendere *). *Pius IX hac in re eandem, quam Praedecessores eius, regulam observavit.* Cajeta, ubi cruento triumpho romanae revolutionis coactus, perfugium quaesivit, ad Eppos orbis terrarum se convertit, et iisdem intentionem suam, *immaculatam Conceptionem* ad gloriam dogmatis evehendi, annuntiat. Cooperationem illorum, et scopo praeparationis huius magni actus, informationes quasdam deposcit, et unus fontium, e quo eosdem haurire invitat, est sequens: „*Optamus autem vehementer, ut maiore, qua fieri potest, celeritate Nobis significare velitis, qua devotione vester clerus, populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut eiusmodi res ab Apostolica Sede decernatur* **). *Ergo fides cleri, populique in oculis Pii IX tanti pretii fuerat, ut publicam, solemnem authenticamque expressionem eiusdem e sinu omnium Ecclesiarum exquireret.* Et nunc, dum haec fides populi in respectu infallibilitatis pontificiae ubique suapte prorumpit; nunc, dum quotidie milliones petitionum echo eiusdem, plus minusve ferventer ad aures sanctissimi Patris perferunt; nunc, dum tantae tenerae voces desiderium enunciant: ut haec insignis praerogativa decreto Concilii pro revelata veritate declaretur, quomodo respondet his infinitis acclamationibus spei et dilectionis? E plurimis petitionibus ad decem millia illarum respondendi sibi moram sumpsit, et quidem cum declaratione: se inde gaudere, atque supplicantibus congratulari. Et, si continuo increscentes demonstrationes eidem impossibile reddant, ad singulam earumdem documento benevolentiae et approbationis respondere, nihilominus tamen cordi eidem est, ne forte necessitate causatum silentium ipsius instar signi displicentiae aut indifferentis animi consideretur; sed potius quisquis intime persuasum teneat: has manifestationes fidei ex omnibus mundi partibus cor eiusdem vehementer recreare. Sic fatus est nuperrime in epistola ad Nuntium Parisiensem, quae quidem speciatim manifestationes

*) Vide hac de re periodicum scriptum „Civilta Cattolica“ de 5 Martii 1870 p. 549. et seq.

**) Litter. Ap. *Ubi primum* — Cajetae 2 Febr. 1849.

Galliae pro obiecto habuit, in fundamentali idea tamen universam catholicitatem concernebat *).

III. In conspectu tam venerabilis sanctionis, impossibile est *legitimitatem et magnum momentum huius manifestationis fidei populi* controvertere. Frustra obiicitur: per eandem *pressionem in Concilium* exerceri. Ubi enim quaedam istarum manifestationum tam insipientem, impiamque intentionem exprimit? An ignorant, an non dicunt: sibi, etiamsi ius sensa sua pandendi sibi competere existiment, ius, voluntatem suam obtrudendi, deesse? Ubi reperitur in hac infinita harmonia mente captus, sive sacerdos, sive scriptor, aut simplex fidelis, qui limen novi Coenaculi transgredi, temerariam manum ad decreta, quae parantur, extendere, eaque ad directionem cogere praesumeret, quam Spiritus S. iisdem dare non vult? Frustra adiicitur: scriptoribus *petitionum* ius, se ad quaestiones huiusmodi immiscendi, nequaquam competere. Abs dubio, iidem non sunt competentes, ut eodem modo, quo Eppi, tamquam iudices, ad definitionem infallibilitatis conferant. Ast destituuntur-ne etiam iure: desideria, et obiectum fidei suae enuntiandi? Destituuntur-ne iure declarandi: se intellectu et corde adhaerere doctrinae, quam octo nonae Epporum cum millies manifestata approbatione S. Sedis profitentur? Frustra quoque opponeretur: has petitiones obesse reverentiae, quam clerus et fideles *auctoritati Hierarchiae* exhibere tenentur. Quibus enim petitionibus id oggerere volunt? Num illis, quae sub auspiciis Epporum, — aut illis, quae nemine provocante, sua sponte ortae sunt, ut vota populorum votis Epporum fauste consonare demonstrent? Postremae, laus Deo, magno numero praevalent, et tantum abest, ut Hierarchiae debitae reverentiae detrahant, ut potius splendidissimae expressiones eiusdem sint. Num forte illi reprehendendi sunt, qui nonnullis Romae reprobatis opinionibus valedixerunt, ut adhaereant magnae cohorti Epporum, qui sine oppositione et diffidentia circa S. Sedem confluxerunt, atque haud obscura assensionis eiusdem indicia acceperunt? Ast quis istos damnare praesumet, quorum facta Vaticano probantur? An forte praeceptum reverentiae obligationem imponit subscriptoribus petitionum: praerogativas S. Sedis negandi, aut saltem

*) Epistola ad D. Chigi.

in dubium pertrahendi, ut contra vocem conscientiae suae, tepo-ris, aut illusionum quorumdam singularium antistitum participes reddantur? Quis evertit Hierarchiam: is-ne, qui prae omnibus supremum Pastorem, magistrum magistrorum audit et reveretur, — aut is, qui Eppo suo, etiamsi hic aberraverit, et cum periculo, illum, qui agnos ovesque pascere debet, contristandi et affligendi, adhaeret? Eppus abs dubio naturalis testis est fidei suae Dioecesis; verumtamen si grex iusto metuat, pastorem suum aut minus ferventer aut nimis tarde loqui, an non licebit ei expressionem fidei suae, atque dilectionis directe ad notitiam Petri perferre? Numquid id non evenit iam centies in historia Ecclesiae? Non; *hae manifestationes nihil prorsus inusitati, nihil reprobatione digni continent.* Eaedem hodie pariter legitimae sunt, prouti elapsis temporibus fuere. Nunc, quemadmodum omnibus seculis, Deus est, qui easdem provocat, ut signa, nuntiique sint splendidae efflorescentiae, in traditionali fide populorum oriundae. Ubiprimum eaedem occeperunt, mox observatum fuit, in sinu Ecclesiae foecundam fermentationem, operante Spiritu S. praeparari. Semen, quotidie auctis viribus usque ad ramos divinae arboris increvit, et oculi nostri cum delectatione viderunt ex apertis per Concilium canalibus dogma infallibilitatis S. Sedis sub forma definitionis promanare; hanc infallibilitatem, quae a bismille propemodum annis nulla die animam, vitamque christiani orbis constituere cessavit.

IV. Ceterum *Deus, in cuius manibus sunt tempora, hunc salutarem motum iam longe antea, et cumprimis in Gallia praeparavit.* Inde a revolutione a. 1848, usque ad proxime elapsum annum, in omnibus ecclesiasticis provinciis nostris *Concilia* asservata fuere. Atque *nullum horum Conciliorum fuit, quod in suis decretis, hierarchiam, fidemque respicientibus, infallibilitati Papae, dum ex cathedra loquitur, plus minusve expressum testimonium non reddidisset.* Roma, cuius approbationi haec decreta submissa fuere, eadem vi suae supremae, plenaeque potestatis sanctione firmavit. Haec decreta, approbatione S. Sedis consecrata, a quovis Eppo in sua dioecesi promulgata fuerunt. Ex hoc momento doctrina iisdem decretis contenta, ex una parte ad praelectiones, in plu-

rimis Seminariis, ex alia vero, per os pastorum ad aures populi penetravit *). Et, num ignoramus, penes hoc grande factum alia duo paris magni momenti? Primum factum: *an inde ab anno 1859* a tempore quippe secundae revolutionis italicae et probrosae invasionis pontificiarum ditionum, *Eppi totius orbis, inprimis vero Galliae documenta suae venerationis et adhaesionis Sanctissimo Patri sub diversis formis, atque illimitate non exhibuerunt? Et, num non complectitur singula fere pastoralis epistola eorumdem expressionem fidei ipsorum in infallibilitatem successorum Petri?* Alterum factum: dum dogma *immaculatae Conceptionis B. Virginis* definitum fuisset, occasione item *canonisationis Martyrum Iaponensium*, et *decimi octavi seculi martyrii Principis Apostolorum*, an non obtulerunt, primo quidem ducenti quinquaginta, tum tercenti. ac tandem quingenti Eppi Pio IX in communi homagia, votaque suae filialis pietatis? Et num in his solemnibus allocutionibus non iterum iterumque dixerunt: *ipsum Iesum Christum per os Vicarii sui ad aures fidei ipsorum loqui, locutum fuisse, semperque locuturum fore?* An hae voces in labiis ipsorum non fuerunt iam promulgatio infallibilitatis? et num secus non supponeretur: eosdem ambiguitatibus, conscientia munereque ipsorum prorsus indignis, usos fuisse? Haec sunt, quae vidimus, haec audivimus, haec sunt, quae ab uno polo globi terraquei usque ad alium narrata fuerunt. Atque hinc etiam sunt repetendae innumerae illae *petitiones*, quae miro modo praeoccupatis nonnullis ingeniis offendiculo sunt, eademque commovent. Eaedem passim influxui quarumdam ephemeridum adscribuntur, quae sub nomine „Ultramontanismi“ despectui exponuntur. Quodsi id verum quoque esset, minus tamen poena dignum mihi videretur: populos versus Romam dirigere, ac culpanda sunt multa illa abominanda preli producta, quae po-

*) Vide hac de re praeclarum scriptum *D. Freppel*, Eppi Andegavensis: „De Primatu Romani Pontificis eiusque infallibili magisterio iuxta ultima Galliarum Concilia provincialia. Taurini apud Marietti.“ — Vide pro Germania: „Beati Alberti Magni Ecclesiarumque Germaniae doctrina de infallibili Romani Pontificis magisterio, testimoniis aliquot illustrata per *Ignatium Ep. Ratisbonen.*“

pulos Roma abstrahere nituntur! Ast, reapse, motus hi longe altiori loco exordium sumpsere. Eppi nostri, non singuli, sed iam in provincialibus conciliis, iam in liberis colloquiis magno numero congregati, semperque erga S. Sedem animati, sunt veri auctores eorumdem. Ipsi sunt, qui maiestate omnibus communis doctrinae, primam scintillam sacri ignis ad animas cleri, populique posuerunt, et si nunc fides infallibilitatis ex omnibus punctis patriae nostrae totiusque orbis adinstar inextinguibilis incendii prorumpat, hic non tantum nihil stupore dignum occurrit; quinimo haec eruptio, ob reverentiam succendentis foci, pro legitima, sacraque agnoscenda est.

V. Testimonium fidei populi pro infallibilitate, et generale desiderium, definitionis eiusdem, primum praeludium dixi. Secundum praeludium constituunt: *Congregationes Concilii.* Mox in prima sessione Pius IX ope constitutionis, quae typum sapientiae et prudentiae eiusdem praesefert, disposuit: ut omnia pro Concilio praeparata proiecta decretorum in generalibus Congregationibus pertractentur et post hoc primum tentamen scopo praesuscipiendarum nefors necessariarum mutationum, uni e quatuor specialibus Congregationibus, quae nomen ab obiecto pertractationum sortiuntur, exhibeantur. Prima harum Congregationum appellatur: dogmatica; secunda: disciplinaris; tertia: pro religiosis Ordinibus; quarta: pro orientalibus ritibus et missionibus. Quaelibet harum deputationum viginti quatuor membra numerat, quae e congregatis Eppis liberis votis eliguntur.*) Et quid evenit? *Oculi Patrum peculiari sollicitudine versus Germaniam et Galliam diriguntur; nam ibidem occurrunt quaedam nomina, quae, abs dubio bona fide, sed aperte et ignito zelo, pro adversariis, nonnulla quidem ipsius doctrinae, alia vero saltem dogmaticae definitionis infallibilitatis S. Sedis sc declarant.* Proprietarii horum nominum, in altis subselliis constituti, magnas Ecclesias regunt; multa narrantur de ipsorum scientia, atque facundia. Nobilia, causa sanctae rei exantlata certamina iisdem magnam famam procurarunt, et in promerita nominis gloria

*) Constit. *Multiplices inter.* Rom. XXVII. N. N. VII. p. XII.

admirationi gratitudo fidelium se sociat. Num istis, tantis meritis ornatis, non competit ius postulandi, ut ad deputationes eligantur? An non afferent his deputationibus pretiosum thesaurum scientiae, si ad easdem electi fuerint? Ita sane. Verumtamen *scripta, declarationes, sermones illorum, verbo omnia indicant, eosdem in hac magna quaestione inveteratis, atque centies iam damnatis opinionibus mordicus adhaerere.* Palam publice declarant: se quodvis decretum oppugnaturos, quod has opiniones directe vel indirecte pro erroneis et reprobandis statueret. Id sufficit; *nulla votorum collectio ipsis favet; omnibus deputationibus inexorabiliter excluduntur*, quae quasi in triumpho aliis nominibus patent, quae, etsi minori fortassis fama gaudeant, pro repraesentantibus tamen purioris fidei, saniorisque Theologiae relate ad privilegia, Sedi Petri a Iesu Christo collata, considerantur. Scimus, hanc immisericordem exclusionem quorumdam elementorum multis murmuribus occasionem praebuisse. Dictum est: suffragia secundum praeparatos elenchos facta fuisse. Quasi illi, qui hanc obiectionem formant, non eandem agendi normam observassent! Et quod aliud medium suppeteret Eppis diversarum nationum, ut candidatos, quos pro dignissimis habent, sibi invicem designent? — Neque erubuerunt quidam asserere: suffragia libera haud fuisse. Numquid elenchi cuipiam obtrusi fuerunt? Numquid ab illis, qui eosdem acceperunt, instar inomisse obligantium considerabantur? Si in illis quaedam nomina minus accepta occurrissent, quis et quid prohibuit, ne eadem deleantur? Et si alia praeplacuissent, an non erat cuique liberum eadem inserere? Numquid ad urnam inquisitor stetit, qui rationes suffragiorum exegisset? An non elegit quisque sub solo oculo Dei, et iuxta solum dictamen conscientiae suae? Certo certius; Eppi fecerunt quod voluerunt; et voluerunt, quod fecerunt. Profecto hic sic dictum universale suffragium, ignota prorsus alibi independentia se manifestare potuit; et, si immensa maioritas Patrum in testanda sua aversione aut sympathia tam arcte sibi cohaerebat; si in quatuor successivis votorum collectionibus deputationes ex illis solummodo Praelatis conflavit, qui, paucis demptis, definitioni infallibilitatis aperte patrocinabantur, ratio huius rei est: quod mox in primo gressu, firma agendi ratione et haud ambiguis

manifestationibus designare voluerit scopum, quem persequi et obtinere sibi serio proposuerat.

VI. Iam istud secundum praeludium magnae indaginis fuit. Nunc sequitur tertium, maioris adhuc momenti, videlicet *exhibitio postulati, quo propositio schematis de infallibilitate deposcitur.* Supra recensitis deputationibus Pius IX aliam Congregationem, e viginti sex membris, propriae electionis, consistentem praefecit. Commissioni huic nomen erat: „de Postulatis." Ad eandem pertinuit: scripta motivisque fulcita vota Epporum, quoad pertractandas quaspiam in Concilio quaestiones, suscipere. Eidem desuper consilia fovenda erant, supponendo, obiectum propositionis a spiritu et traditione Ecclesiae manifesto non abludere. Decisiones eiusdem S. Patri substernendae erant, qui sibi reservavit in ultima instantia decernere: an quaedam quaestio examini et consultationi Patrum submittenda sit, vel non.*) *Vix Concilium inchoatum erat, dum plures Eppi ideam conceperunt, huic Commissioni postulatum pro definitione infallibilitatis exhibere. Hoc scopo brevem, praecisamque propositionem concinnarunt, eamque in sensu pontificiae constitutionis, motivis fulciverunt. Hoc documentum Romae congregatis Praelatis, extra Concilium, pro subscriptione exhibitum fuit; animosque celeritate fulguris succendebat. Intra paucas dies quingentis plura nomina postulato subscripta fuere.* Levi negotio plura quoque obtineri potuissent; verum hoc numero completo videbatur, petitionem hanc cum maiestate proponi posse Deputationi, quae de pretio et quodammodo de sorte eiusdem iudicatura erat. Propositio favorabiliter suscepta fuit, et paulopost percrebuit Romae fama, sanctissimum Patrem indulsisse, ut eadem discussioni Concilii subiiciatur. Decisio haec nota reddita, triplici magno solatio replevit defensores infallibilitatis. Primo quidem solatiose confirmavit legitimitatem rationis procedendi a subscriptoribus postulati adhibitae. Et reapse haec res nec dubio obnoxia esse potuit. Nam cum Commissio ad suscipienda et examinanda Epporum postulata vocata exstiterit, Eppi omnino

*) Constit. *Multiplices inter* N. II De iure et modo proponendi p. VI.

iure gaudebant, eadem sive singillatim, sive collective exhibere; ius idem permansit, et consociatio ad communem subscriptionem neque actum coactionis aliorum, neque actum subordinationis sub alterius voluntatem constituit. Forma et complexus petitionis nec normam pertractationum, neque decorum quoquomodo laeserunt. Id sana ratio ipsis dicebat, eosque tranquillos reddebat in respectu quarumdam crisium, quarum unicus scopus fuerat, animos eorum perturbare. Verum securitas ipsorum solatio et firmitate aucta fuit, dum rescivissent, postulatum eorumdem vi mandati e Vaticano profecti, in generali congregatione obiectum pertractationis futurum fore. Numquid actus, Concilio adversus, huiusmodi favorem obtinuisset, qui iam in se ipso approbationem involvebat? Hinc sequebatur secundum solatium: certitudo nempe definitionem infallibilitatis opportunam fieri posse. *Sexcenti fere Eppi urgenter orant: ut haec quaestio in pertractationem sumatur. Iidem declarant: secundum unanimem, intimamque convictionem suam non tantum opportunum, sed etiam necessarium esse, ut praerogativa Petri dogmatice definiatur et deinceps conscientiae populorum tamquam obligans veritas proponatur.* Commissio, ad quam pertinet de petitione iudicare, annuit, et sanctissimus Pater iisdem apertum campum omittit. Si temporis momentum perperam selectum, si tantopere exoptata quaestionis solutio inopportuna fuisset, tunc profecto tam multi Praelati, cum sancto Patre consentientes coecitate percussi esse debuissent, ne id perspiciant. Sed qui sunt — quaeso — illi Prophetae, qui praesumunt aliis Prophetis tantam imprudentiam atque stultitiam appingere? Tertium denique solatium consistebat in certitudine: definitionem infallibilitatis in Concilio secuturam fore. Iam vota quingentis plurium subscriptorum secura fuere; multi alii Patres, qui postulatum subscribere noluerunt, pronos se exhibuerunt ad vota sua eidem addicenda; immensa maioritas Epporum manifesto in hanc partem inclinabat. Et, quod consideratione omnino dignum est, hic ingens numerus compactam, strenuamque aciem constituit. Conscientia et theologica eruditio eandem adinstar ferreorum nexuum, fortiter coniungunt. Nec disputationes, neque clamor et minae, neque omnem modum excedens dilatio hanc aciem

dissolvere possunt. Animata suffultaque per S. Sedem, cuius iura, honoremque defendit, audacter, optimeque ordinata versus scopum progreditur, et quo magis appropinquat ei, tanto maiores fiunt eiusdem series, tanto magis augetur viribus. Decisivo momento pauci tantum, si tamen aliqui, adversariorum supererunt, et quantumvis magnus foret illorum numerus, dubio vacat: ubi primum haec doctrina ad formam definitionis redacta fuerit, illum, qui missus est confirmare fratres suos, haud tergiversaturum, decreta solemni ratione confirmare. Haec fuerant laeta praeludia, quae inde a primis diebus Concilii definitionem infallibilitatis praesagiri siverunt; splendida nempe testimonia fidei populorum, character et compositio liberis suffragiis Patrum electarum Deputationum, et postulatum a quingentis et amplius Eppis subscriptum.

VII. Post praeludia eiusmodi, *habuitne obstacula definitio infallibilitatis pontificiae?* et si talia in cursu suo experta est, quomodo illa superavit? Tres species obstaculorum eidem opponebantur: *falsa politica*, *falsa eruditio* et *falsae prudentiae innixus falsus zelus*. Concilio vix officiose indicto, *Gubernia* per tenue velum indifferentis ad speciem animi certa indicia curarum plenae inquietudinis apparere siverunt. *Bavaricum* festinavit ex aliis quaerere: an non expediret convenire, atque agendi modum in respectu convocati a sancto Patre Concilii observandum determinare? Quomodo explicabitur: modestum Cabinetum Monacense audacia ad hunc primum gressum figendum praeditum fuisse? Quomodo prae ceteris explicandum est: hanc famosam notam per Principem *Hohenlohe*, primum Ministrum eminenter catholici regni, et fratrem Cardinalis S. Romanae Ecclesiae, qui antea Eleemosynarius sanctissimi Patris erat et purpuram nonnisi gratiae suae Sanctitatis debet, subscriptam fuisse? Haec omnia mysterii plena sunt; ast omnia facta sunt. *Propositio Bavarica Potentiis praematura videbatur*. In hoc sensu omnia regimina, nec ipso gubernio Helvetiae confoederatae excepto, responderunt. Nullum tamen reprehendit laesivam diffidentiam erga Ecclesiam, quae sub hac quaestione latuit. Imo clarissimum est, omnia in hac diffidentia partem cepisse. Cabineto Monacensi id tantum proprium fuit: quod quasdam facultates theologicas

consuluerit, quodve responsa timidorum vel corruptorum Professorum eidem possibile reddiderint, iniustam diffidentiam erga Concilium Vaticanum absque tergiversatione pandere. Cetera Regimina propriae suae illuminationi plus confidebant. Ex se ipsis attentum reddiderunt Concilium ad scopulos evitandos, et ad limites, quos transgredi eidem non liceret. *Gallia* easdem cum ceteris regiminibus declarationes fecit, et qualibet vice, qua easdem iteravit, magis minace sermone utebatur. Per D. *Aemilium Ollivier,* tunc simplex membrum Corporis legislativi, quoad hanc terribilem quaestionem interpellatus D. *Baroche* Minister Iustitiae et Cultus nomine regiminis respondit: itineri Epporum Romam nulla obstacula ponenda, neque iisdem quoddam programma praescribendum fore. Ast properavit adiicere: Eppos cum sua personali dignitate, cum sua independentia, cum sua conscientia, cum suo patriotismo Romam ituros.*) Haec profecto honorifica attributa sunt; verum sensui illorum rite intendendum est. Sermo fit de nostra personali dignitate, de nostra independentia, de nostra conscientia, quo desiderium innuitur: ut nos, sub praetextu has sacras res tuendi et salvandi, doctrinae cum sancta Sede unitae maioritatis Epporum nos opponamus. In patriotismo nostro fiducia collocatur; quo significatur: quod nos, si patriam nostram amamus, in Concilio illa puncta Syllabi, quae Dno Ministro displicent, negare, mundoque demonstrare debeamus, maioritatem nostri, secundum persvasionem Suae Excellentiae dogmaticam infallibilitatem Papae non agnoscere; denique quod nos, vestigia Dni *Baroche* prementes, pronos nos exhibere debeamus, articulos organicos pro integrante parte Concordati, atque pro talibus agnoscere, quos catholici Galliae eadem veneratione, ac ipsum concordatum, prosequantur. Hae sunt spes Dni *Baroche;* aut, melius dicendo, haec sunt obiecta metus, quae sub specie spei enuntiat. Timet nempe, Concilium, irrevocabiliter damnatis gallicanis erroribus, infallibilitatem ex cathedra loquentis Papae instar veritatis fidei definiturum; timet, Concilium multum commemoratum Syllabum, et Consti-

*) Sessio corporis legislativi 18 Iul. 1868. 10 April. 1869.

tutiones, quarum doctrinam in compendio exhibet, sub tutamen huiusce infallibilitatis collocaturum; timet, Concilium, vibrato tertio ictu, protestaturum contra illegitimum nexum, ad quem galliae regimen concordatum cum lege 18 Germinalis anni X ponere constanter nitebatur, quae lex quidem tantum abest, ut genuinum commentarium Concordati constituat, ut potius huic contra omne ius arbitrarie illudat. Et cum ad D. Ministrum valde pertineat, ne spes eius per eventus refutentur, hinc ex expressionibus fiduciae nonnullas minas quoque translucere sinit, dicendo: suapte intelligitur, hodiernum regimen, non secus ac omnia praecedentia, rite munitum esse; et, si nefors Patres Concilii displicentes decisiones ferre auderent, idem regimen, codicem nostrum manu tenendo, in limitibus excubias acturum fore, ut huiusmodi decretis aditum praecludat.[1]) Cum nova Camera, novum Ministerium quoque venit. Spes alebatur, illud de Concilio magis generosam, magisque christianam ideam habiturum. Ast memoriale Ministri *Daru* paulopost hanc generatim diffusam spem dispulit. In eodem quippe idem metus exprimitur, in respectu probabiliter secuturae magnae definitionis;[2]) idem minax sermo sub involucro peculiaris studii, emolumentum Ecclesiae et sanctae Sedis promovendi; et sub specie providae indulgentiae erga exasperatam publicam opinionem, atque sapientis sollicitudinis europaeae pacis, futurorumque temporum.[3]) Quod auctor horum documentorum tantisper velato stylo innuit, id in adducta per anglicas ephemerides familiari eiusdem epistola absque ambagibus enuntiatur. Comes *Daru* sequentibus verbis alloquitur quemdam Eppum, in Concilio partem capientem: „Non possum mihi persuadere, romanam Curiam adeo improvide acturam. Non possunt ibidem tantopere obcoecati esse, ut exercitum nostrum Romae mansurum existiment, si dogma infallibilitatis proclamatum fuerit. Nam etiamsi illum ibidem omittere vellemus, id faciendo neutiquam essemus. Irresistibilis motus publicae opinionis in Gallia orietur, nobisque impossibile erit, eidem non cedere.“[4])

[1]) Ut supra 18 Iulii 1868. — [2]) Memorandum *Daru*, Univers. 23 April. 1870. — [3]) Univers. 23 April. 1870. — [4]) Univers. 5 Martii 1870, citando ephemerides: Times.

Profecto clarior sermo cogitari nequit; quisquis perspiciet, quaenam sit significatio verborum, a Ministro externorum negotiorum scriptorum. Nunc sequitur alia, non minus peculiaris nota. Subscripta est per D. *Aemilium Ollivier,* post recessum Comitis *Daru,* interimalem Ministrum externorum negotiorum. Haec nota nullum fere vocabulum continet, quod severissimam crisim non mereretur. In homine status 12 Maii 1870 vix agnoscitur iam magnanimus Orator 18-ae Iulii 1868. Sufficit duas sententias adducere: „Ad impediendum, ne excessivae quaedam opiniones pro dogmate declarentur, imperiale regimen fiduciam suam sapientiae Epporum et prudentiae sancti Patris superstruxit.“ [1]) Profecto clarum est, sub his „excessivis opinionibus“ traditionalem doctrinam de infallibilitate intelligendam esse. Paululum inferius Sua Excellentia adhuc pressius, asperiusque continuat: „Papa non existimavit, nostra consilia audienda, nostrasque observationes in considerationem sumendas esse. Nos ab ulterioribus monitis abstinebimus, et ad praestolantem, passivamque positionem nostram revertemur.“ Quilibet commentarius isthic supervacaneus foret; sensus utriusque sententiae luce meridiana clarior est, ex iisdem iam mugitus tonitrui resonat, quem mox ictus fulminis sequetur.

VIII. Hoc est stationis punctum, quod regimen gallicum tanta constantia sustentavit, ut nulla Ministrorum mutatio illud modificare potuerit. Instar authenticae expressionis huiusce invariabilis procedendi modi, memoriale Comitis *Daru* cum aliis *Cabinetis Europae* communicatum fuit, eorumque approbationem tulit. Maxima pars Cabinetorum, gestiendo, se in illo spiritum modernarum idearum, quibus ipsa quoque inebriantur, reperire, illud cum affectu susceperunt, idque mundo per seriem diversarum notarum (Depeschen) annuntiarunt. Foedus septemtrionale germanicum, simulacrum istud pro favore et emolumento protestanticae Borussiae reviviscentis antiqui Germaniae Imperii, eodem modo, quo ceterae potentiae, pondus, etsi non gladii, idearum tamen suarum lanci Vaticani apposuit, et 23-a Aprilis 1870 D. *Arnim,* repraesentans huius

---

[1]) Haec ex Augustanis ephemeridibus, organo omnium S. Sedi et Concilio inimicarum indiscretionum, desumpta sunt.

foederis Romae, S. Sedi et Concilio eadem consilia ac Gallia, nomine eorumdem emolumentorum et periculorum impertitus est *). Hae multae *diplomaticae notae* ad duo praecipua puncta reduci possunt. Primo quidem *actum illegitimae immixtionis, et usurpationis* constituunt. Doctrinalis infallibilitas S. Patris in essentia sua dogmatica quaestio est. Non de eo agitur: an sequelae eiusdem seculares quaestiones sub hoc vel illo obtutu attingere possint; de eo exclusive agitur, quid in sua essentia sit; atqui eadem essentialiter veritas fidei est. Sola Ecclesia habet ius et missionem hac de re decernendi; et si civilia regimina ad definitionem se misceant, tum praesumunt Spiritui s. praescribere, quaenam decreta super hoc obiecto revelationis Concilio inspirare debeat, quaeve non. Eadem aperte sphaeram suam transgrediuntur, et ad spirituale dominium involant, quin hunc ausum sive suis praetensis timoribus, sive adhaesione erga Ecclesiam sufficienter exculpare possent. Secundo involationi ad alienum dominium additur factum *intentatarum minarum*, allusio ad exasperationem animorum, ad generalem resensum, ad rebellionem publicae opinionis, et in sequelam horum ad tristem necessitatem, qua Gallia pro re nata ad revocandum Centumcellis (Civita Vecchia) exercitum suum cogeretur: hic totus teter apparatus periculorum et praevisionum, cui in diplomaticis notis et in sermonibus quorumdam Status hominum obviamus, suam significationem habet, quae neminem effugere potest. Est hic ensis, super caput Concilii filo appensus. Fors filum non rumpetur, verumtamen solus aspectus eiusdem salutarem metum ingenerare, atque promulgationem definitionis impedire posset.

IX. Ad omnes istas plus minusve minaces communicationes S. Sedes et Concilium *duplex responsum* dedit. Primum continetur in *Nota Cardinalis Antonelli ad D. Chigi, Apostolicum Nuntium penes regimen Gallicum.* Eminens hic vir Status in eadem clarissima praecisione, atque eo maiori argumentorum vi, quo magis sine ira et studio, pacate loquitur,

*) Hoc quoque documentum in acceptis debemus Augustanis ephemeridibus, unde illud Univers. 29 Maii 1870 exscripsit.

refutat erroneas hypotheses Comitis *Daru* de conatibus, laboribusque Concilii *). *Alterum responsum* Concilium dedit, et quidem *per ipsam definitionem*, ad quam praetermittendam provocabatur. Sic olim quoque evenit occasione disquisitionis super erroribus Nestorii et Eutychetis. Tum quoque tentarunt Imperatores, eorumque Officiales in Concilia Ephesinum et Chalcedonense pressionem exercere, ut damnationem per has sublimes Congregationes ferendam praepediant, vel saltem mitigent; verumtamen Patres in tramite veritatis pacate processerunt, quin de interventu Imperatoris solliciti essent. Sufficienti patientia praediti erant, ne asperis verbis respondeant, sed et sufficienti animi fortitudine gaudebant, ad tutandam suam plenam independentiam. Absque tergiversatione damnarunt innovationes et novatores, quos damnandos esse censuerunt; et solemnibus verbis definiverunt dogmata, quae definire utilitatis, aut necessitatis ratio suadebat. In postremo generalium Conciliorum Tridenti fortitudo Epporum ad normam veterum exemplorum enituit. Carolus V aliique Monarchae intervenerunt, ne Patres magnas quaestiones fidei et doctrinae attingant; et quidem e respectu neo-reformatorum, quibus haec res offendiculo esset; e respectu pacis, quae periculo exponeretur; e respectu religionis, cuius influxus et auctoritas apud populos decrescere posset. Et Patres egerunt, quasi nihil horum omnium audivissent. Sacra scriptura et traditio, in quibus vivunt, circa illos atmosphaeram, strepitui Politicae imperviam, efformant. A conscientia sua et Spiritu S. ducti, quieta, decisaque manu conficiunt sua decreta et Canones, et, qui invariabilem securitatem ipsorum procedendi modi considerat, haud suspicatur, quantas tempestates suscitaverit diplomatia contra navim, sortem fidei portantem. Sic fuit etiam in Vaticano. *In laboribus de infallibilitate nullibi occurrit vestigium cuiusdam anxietatis, aut cuiusdam quantumvis levis impressionis, quam immixtio Politicae produxisset.* Nullum verbum decreti, vel a procul, huius rei mentionem facit. Sedate, aspectum suum nec ad dextram nec ad sinistram

*) Vid. Univers. dd. 6 Maii; et in respectu italici contextus: Civilta Cattolica. dd. 21 Maii 1870.

vertentes, procedunt Patres in tramite suo. Quamvis notae diplomaticae coram oculis illorum adinstar fulguris hinc inde volitent, ipsi tranquille, firmoque passu gradiuntur versus illud horizontis punctum, ubi veritas ipsis affulget, ipsosque praestolatur. Et, si quipiam eosdem minis erudire velint, si de tempore in tempus artificiosa tonitrua super ipsis resonent, haec eosdem nihilo magis angunt, quam physicae tempestates, quae interdum circa sanctuarium, in quo Concilium suas sessiones celebrat, saeviunt. Haec ita considerant, ac si nec existerent. Atque *hic est lenissimus modus, qui civili potestati exhiberi potest, dum eadem locum Spiritus Sancti occupare, laboresque Concilii dirigere attentat.* Istud est primum impedimentum, per definitionem infallibilitatis gloriose superatum, scilicet: *falsa Politica.*

X. Secundum impedimentum: *falsa eruditio.* Magnus numerus honorabilium virorum privilegium infallibilitatis pontificiae tanto zelo aggressus est, cuius sinceritatem, bonamque fidem in dubium avocare nobis non licet. Interdum eloquentia ingenuitati et vehementiae illorum succurrit. Dici potest, iisdem quampiam generalem eruditionem nequaquam deesse; ast in respectu controversi puncti scientia ipsorum palpabiles errores exhibuit. Prae omnibus: *errorem super doctrinali charactere propositionum anni 1682.* Non tantum tacite supponebatur, sed etiam expresse assertum fuit: easdem ad seriem illarum dubiarum opinionum pertinere, quibus illud tritum S. Augustini „in dubiis libertas“ applicari potest. Nihil falsius isto supposito. *Famosa declaratio Cleri Gallicani iam in ortu suo ab Innocentio XI die 11 Aprilis 1682 reiecta fuit.* Eandem 4-a Augusti 1699 Alexander VIII adhuc acrius proscripsit *). Anno 1794 Pius VI iudicia, per suos praedecessores lata renovavit, et adoptionem declarationis per Synodum Pistoriensem temerariam, scandalosam ac apostolicae sedi summopere iniuriosam declaravit **). Porro inter omnes Pontifices, qui exinde in cathedra Petri sederunt, ne unus quidem est, qui oblata occasione, eandem reprobationis sententiam, easdemque

*) Constitut. *Inter multiplices.* — **) Bulla *Auctorem Fidei.*

censuras non tulisset. Numquid hoc factum, duo saecula complectens iam suapte non sufficeret, sub gallicano obtutu quoque, ad demonstrandum: *opiniones a. 1682 iam nec ante Concilium Vaticanum liberas fuisse?* Quodsi easdem unicus tantum Pontifex damnasset, tum schola, quin sibi directe contradiceret, asserere saltem potuisset: eundem errasse. Ast, posteaquam easdem duodecim Pontifices, sibi invicem succedentes pari severitate reprobassent, asserere: hoc iudicium permanenter nihil aliud fuisse, nisi permanentem errorem vel permanentem iniustitiam, nihil aliud, quam seriem percussionis aeris, quae doctrinam non tetigit, ita, ut hodiedum liberum foret eandem amplecti, docere, palam annuntiare, ac si sancta Sedes semper tacuisset, — assertio huiusmodi, inquam, ipsum Bossuetum horrore replevisset. Quodsi Roma hac ratione per duorum seculorum intervallum damnasset, quod damnandum non fuerat; si post tam multa, semperque repetita iudicia quisque libere agere, loquique potuisset, ac si Roma nunquam locuta fuisset; quo, quaeso, devenisset indefectibilitas fidei, quam celeber Eppus Meldensis S. Sedi attribuebat? Quid factum fuisset tam longo tempore succusso fundamentali lapide Ecclesiae? Quid Petrus cum suo privilegio, suaque missione, fratres confirmandi, fecisset: si nobis permissum fuisset, tam innumera anathemata spernere? Ergone S. Sedes in hac tota serie tam gravium et sublimium decretorum nonnisi speciosam auctoritatem et fallacem sapientiam evolvisset? Et, non obstante hoc externo splendore, portae inferi Ecclesiae praevaluissent, cum Petrus cessasset eiusdem immutabile fulcrum esse? Profecto si permissum est, tantas decisiones sanctae Sedis pro non existentibus considerare, tum prono alveo ad has nefarias, extremasque consequentias devenitur, quas cum Gallicanismus repudiet, atque statuat: errorem quidem ad sedem Petri irrepere, nunquam tamen in eadem radices figere posse; hinc, nisi se ipsum mendacii arguere velit, — agnoscere debebit: placita eiusdem, a ducentis fere annis per Pontifices indesinenter damnata, suapte omne ius amisisse ad beneficium illius libertatis, de qua magnus Eppus Hipponensis loquitur, dicendo „in dubiis libertas.“ Verumtamen hic nequaquam stitum est. *Eppatus totius fere catholicitatis, extra*

Galliam, exemplum Romae imitatus est. Eodem anno, quo articuli anni 1682 comparuerunt, per Primatem et Eppos Regni S. Stephani severo calculo notati fuere; *Hungaria* tunc magno Sancto suo digna fuit *) *Hispania* et *Italia* pariter protestabantur, et echo harum protestationum ubique resonuit, ubicunque tunc pura, sanaque theologia regnavit, id est: in omnibus propemodum catholici orbis partibus **). Per id, iuxta principia ipsius gallicanae scholae, *damnatio quatuor articulorum absoluta, decretoria, irrefragabilisque evasit, cum eandem non tantum s. Sedes pronuntiaverit, sed etiam immensa maioritas Epporum iteraverit.* Aut nulla prorsus datur sententia obligatoria, aut ista, in summo gradu talis est, quae opiniones, ad quas refertur, maxime indubio interdicto subiecit. At, quod gravius est, remque plane evincit, Bulla: „Auctorem fidei" priores censuras sanctae Sedis quoad acta et declarationes a. 1682 confirmavit, innonavit et maiori sanctione donavit. Impossibile foret, has declarationes acrius designare, annullare et reiicere, ac id in isto documento fit, quod tamquam pulcherrimum monumentum pontificiae fortitudinis fulget. Iam vero haec Bulla in omnibus nostris dioecesibus promulgata fuit, et quidem per omnia provincialia Concilia, postremis viginti annis celebrata. Itaque eodem modo sanctum esse debet, quod prohibet, ac quod praecipit, quod censuris subiicit, ac quod absolvit. Nos non habemus ius solvendi, quod illa ligat; quod prohibet, id nobis indulgere nequaquam possumus; et cum eadem quatuor articulos inexorabiliter proscripserit: hinc iidem articuli, saltem a promulgatione Bullae certo certius desierunt ad illam opinionum classem spectare, quas Ecclesia liberae disputationi theologorum omittit. Hic fuit verus rei situs quoad articulos a. 1682, ante Concilium Vaticanum; iidem iam neque secundum principia gallicana liberae opiniones fuerunt. Quare? quia hi articuli per s. Sedem inde a duobus seculis continuo damnati fuerunt; quia a parte totius fere universitatis particularium Ecclesiarum

*) Vide Péterffy: Sacra concilia in regno Hungariae celebrata. — **) Vid. Recherches historiques sur l' Assemblée de 1682 par *Ch. Gérin.*

eandem sortem experti sunt; quia denique Bulla „Auctorem fidei“ in ipsa etiam Gallia ubique promulgata fuit, et contextus huius Bullae sufficienter demonstrat: has doctrinas sustentari neutiquam posse. Verum horum trium factorum memoria intercidisse videtur; atque hinc originem sumpserunt sophismata et contradictiones, quae ad elucubrandam definitionis legitimitatem, e medio tollenda fuerunt.

XI. *Error quoad genuinas traditiones Ecclesiae gallicanae in respectu dogmaticae infallibilitatis s. Sedis.* Diu ego quoque, cur reticerem, adstipulabar opinioni: Episcopatum gallicanum in suis magnis et antiquis traditionibus certitudinem istius eminentis praerogativae negasse, vel saltem in dubium pertraxisse. Officiose quidem hac de re informatus non fui; verumtamen durante mea theologica educatione numquam aliud, nisi istud audivi. Haec opinio tunc exclusive opplevit atmosphaeram, me circumdantem, et nulla alia notitia ad aures meas pertigit. Hinc suapte sequebatur: me pro vero habuisse, quod semper dici audivi. Aliud quoque motivum potentius me stimulabat, ut in hac opinione obfirmer. In iuventute quippe mea ardenti admiratione ferebar in *Bossuetum,* et Deus hac admiratione usus est, ut in corde meo duas pretiosas flammas accendat: amorem nempe s. scripturae, et amorem ss. Patrum. Agnoscens, quam miras divitias hauserit immortalis Eppus Meldensis ex his thesauris, mihi proposui, ex iisdem fontibus haurire, et desiderium, hoc propositum exequendi, eo magis increvit, quo maior fuerat admiratio ingenii illius, ex quo has scintillas desumpsi. A dulcedine ex eiusdem scriptis concepta, facilis mihi erat transitus ad ideam: ipsum anno 1682 quoque genuinum organum Galliae fuisse, quemadmodum adhuc hodie incomparabiliter splendidissimum sidus literarium Galliae est. Ast nunc, posteaquam historiam Ecclesiae et theologiae patriae nostrae penitiori studio complexus fuissem, praeterita tempora in prorsus alia luce mihi comparent. *Bossueti* ingenium nihil quidem magnitudinis in oculis meis amisit; beneficia, pro quibus eidem gratitudine obstringimur, plenum pretium suum apud me retinent; attamen vexillum eiusdem deserui, nam perspexi: *quatuor articulos eiusdem nequaquam spiritum et doctrinam antiqui Cleri Galliae quoad infalli-*

bilitatem Petri, eiusque Successorum exprimere. Imo, si magnas traditiones nostras perlustrare velimus, recte ad centrum huius dogmatis, et positivae, expressae et magnanimae professionis eiusdem nos collocare debemus.

Praetereamus S. Irenaeum, et S. Hilarium Pictaviensem. At, quaeso, non redundat-ne haec fides ex epistolis, quibus *Abbas Claraevallensis* errores Abaelardi Innocentio III Papae notos reddit, eumque obsecrat: ut opere recordetur, se ad resarcienda damna fidei, ad cathedram positum esse, ubi non possit fides sentire defectum [1]). Et num non profitetur idem, quod in hoc commercio epistolari enuntiaverat, in suis animadversionibus, quas Canonicis Lugdunensibus ex incidenti festi in honorem conceptionis Mariae celebrati fecit? An non declarat ibidem: se cunctas has opiniones auctoritati et examini romanae Ecclesiae submittere, et secundum ferendum iudicium pro re nata ad retractationem paratum fore? [2]) Paululum tardius *S. Thomae Aquinati*, origine neapolitano, adoptione Gallo obviamus. Hic membrum Universitatis Parisiensis fuerat, cuius, ut verbis Fenelonii utamur, lumen, decusque fuit [3]). Numquid idem geometrico suo stylo non scripserat: ad Papae auctoritatem pertinere editionem symboli, eaque determinare quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur? [4]) Scimus quidem, quod nonnulli asseruêrint: magnum magistrum hanc doctrinam ex nescio qua versione apocryphorum textuum hausisse. Verum hae ineptae non minus ac inconvenientes assertiones iam refutatae sunt. Hodierni filii S. Dominici honori sibi duxerunt demonstrare: doctrinam celeberrimi confratris sui non tantum debili fundamento superstructam non esse, quin imo hac in parte, quemadmodum in omnibus, solidae basi S. Scripturae et traditionis inniti. [5]). *S. Franciscus Salesius*, eodem modo, quo S. Thomas Aquinas, noster est; profecto difficile foret determinare, num magis Sabaudiae, quam na-

---

[1]) S. Bernard. Epist. 189. 190. ad Dominum Papam Innocentium. — [2]) S. Bernard Ep. 174. — [3]) Fénélon, de Summi Pontif. auctorit. Cap. 16. — [4]) S. Thom. Aq. 2, 2. Quaest I Art. 10. — [5]) Vide *P. Reali*, San Tommaso d' Aquino e l' infallibilita dei Romani Pontefici. Roma. 1870.

tionis Gallicae filius sit. Certum est: eundem nostro spiritu animatum fuisse, nostram linguam miro modo calluisse, nosque eundem iure merito pro membro longae seriei Epporum nostrorum considerare. Quis nescit splendidum testimonium, quod infallibilitati successorum Petri perhibuit. In nonnullis editionibus quidem impiae manus hunc classicum locum, „*Controversiarum*“ corruperunt *). Verum elapsa hyeme durante Concilio, Eppus Hebronensis, providentialis ille restaurator Sedis Genevensis, Praelatus, qui acumine ingenii et illiciis suae mansuetudinis tam bene repraesentat illum, cuius hereditatem recepit et instaurat, — Eppus, inquam, *Mermillod* in sollicite custodito scrinio familiae *Chigi* authenticum Manuscriptum S. Francisci Salesii reperit. Durante infirmitate mea, Romae mihi fortuna obtigit hoc benedictum manuscriptum videndi, venerabundus illud osculabar, ac in eodem legi: „Ecclesiam semper *infallibili confirmatore* egere,“ atque „hanc praerogativam competere successoribus Petri, quae non personae, sed dignitati, munerique ipsorum propria est.“ Porro num non possumus, penes S. Franciscum Salesium, adducere Sacerdotem, quem ille sua veneratione honoravit, hunc Sanctum, cuius cor et caritatem optimo iure admiramur, cuius profundam et solidam scientiam theologicam tamen vix sufficienter noscimus? Intelligimus *S. Vincentium a Paulo*. Centies provocatus, ut sub controversiis Iansenisticis mentem suam quoad iudicia, a S. Sede prolata, adaperiat, Vincentius a Paulo neutiquam tergiversabatur declarare: eadem non tantum reverenti silentio, sed interna, plena, absolutaque submissione, tamquam ipsius Dei iudicia, suscipienda esse. Commercium epistolare, et historia eiusdem abundant textibus, qui demonstrant: hanc revera fidem ipsius fuisse. Et quomodo adhuc hac de re dubitare possemus, post novam confirmationem, quam directus heres, et, ut ita dicamus, natus interpres spiritus et doctrinae istius

*) Editio in maiori 8° Parisiis 1836. p. 83. In adulterato textu legitur: L' Eglise a toujours besoin d'un confirmateur *qui soit permanent*; at S. Franciscus Sal. scripserat: „*d' un confirmateur infaillible.*“

magni Sancti, Generalis quippe congregationis Sacerdotum S. Lazari et sororum caritatis, in memoria digno documento dederat? [1])

XII. Profecto haec iam considerabilis series est eminentium virorum, qui praeteritis temporibus pro infallibilitate pontificis se declararunt. Habemus itaque isthic *S. Bernardum*, angelum solitudinis; *S. Thomam ab Aquino*, angelum Scholae; *S. Franciscum Salesium*, angelum apostolatus, qui septuaginta quinque millia haereticorum convertit; *S. Vincentium a Paulo*, incomparabilem angelum dilectionis proximi, cuius immortalia opera pro sublevamine infelicium admirationem ipsius Voltaireianismi extorserunt. Et cum hi sancti uno ore confessi sint: ad Petri cathedram errori accessum non patere: quomodo supponi posset, eosdem in tam gravi quaestione derelictos fuisse a clero gallicano, qui ipsos semper pro gloriosissimis suis patribus, pro securissimis et maxime illuminatis suis ducibus, pro pretiosissimis et imitatione dignissimis prototypis habuit? Pervestigemus e. gr. diversas collectiones protocollorum *congregationum cleri gallicani*, et iisdem adnexorum memorialium. Documenta haec olim venerationis pleno ardore perlegi, et quid ibidem reperi? *Fidem in infallibilitatem ante annum 1682 abundantissime dimanantem*, instar fluminis, cuius aquae inter altas rippas cum maiestate, et irresistibiliter decurrunt. Splendido testimonio est *Conventus Melodunensis* a. 1579.[2]) Adhuc luculentius est testimonium anni 1625, quia ibi infallibilitas non tantum substratum pertractationum constituit, sed expresse, „*infallibilitas fidei*“ nuncupatur. Non minus decisivum est testimonium 88 Epporum, qui anno 1650 damnationem errorum Ianseniticorum a S. Sede postularunt.[3]) Pariter claro documento est quodpiam scriptum a. 1653, quo fidelis executio constitutionis Innocentii X, doctrinas *Augustini* (Iansenii) damnantis promittitur[4]) Eadem loquendi ratio recurrit 1654 et 1661[5]) Atque sic in

[1]) Epistola *P. Etienne* ad Lazaristas, qua iisdem Breve, a S. Patre Pio IX receptum communicat. Univers. 8 Maii 1870.
[2]) Odespun. Concil. nova Galliae.
[3]) Procés-Verbaux du Clergé de France T. IV. Piéces justif. p. 39. — [4]) Id. ibid. p. 45. — [5]) Ibid. p. 52, 53, 626.

undis eiusdem doctrinae usque ad limen 1682 placide ferimur. Nunc tantum flumen cursum mutat, et pro aliquot horis in sicco sabulo et horrendis praecipitiis perditur. Ast non diu ista durant; fluvius ad magnum lectum infallibilitatis regreditur, in quo eundem gravitas et vis impulsiva seculorum conservavit. Numquid *Fenelonius* cum tota auctoritate ingenii sui non hanc partem amplexus est? Numquid id non fecit cum persuasione: se in hac parte antiquam Ecclesiam Galliae reperturum?[1]) An non quaerit ipse *Bossuetus* emergere ex artificiosa directione, ad quam anima eius *e nimia erga regiam potestatem deferentia* prolapsa fuit? Num non animatur rursus traditionibus veteris Eppatus nostri, dum scopo componendae controversiae quoad sic dictas „*Maximes des Saints,*“ decisionem Romae ferendam petit? Ab hac, nunc iam pridem elapsa, epocha usque hodiernam diem nonne *multitudo Epporum nostrorum* eodem calle procedebat? An hoc longo temporis intervallo non *instar obligationis suae reputarunt, quotiescunque difficiles quaestiones circa disciplinam, vel doctrinam emerserunt, sine mora S. Sedem interrogare, eiusdemque decisiones, qualescunque demum fuerint, promptissima obedientia suscipere?* Non praebuerunt-ne mundo hoc pulchrum spectaculum, dum civilem constitutionem cleri, a Pio VI reiectam, amplecti recusarunt; aut dum philosophicum systema Lamennaisii, a Gregorio XVI damnatum reiecerunt, ac tandem dum dogma de immaculata Conceptione, prout illud Pius IX suprema sua auctoritate, tamquam Successor Petri proclamavit, cum exultatione susceperunt? Porro, an non videmus ante famosum conventum anni 1682 nostras *Facultates et Academias* in traditionibus pluralitatis Epporum consentire? Et dum quatuor articuli concinnati et promulgati fuissent, an non sunt protestati imperterrite plurimi Doctores *Sorbonnae,* non obstantibus minis et calamitatibus, quas subire debuerunt? An non fuit illucusque tota natio eiusdem cum Universitatibus nostris fidei? Num Reges quoque nostri, certis memoria dignis epochis eadem documenta, praerogativis S. Sedis faventia, non dederunt? An non revocavit ipse Ludovicus XIV quoque,

[1]) De Auctoritate sum. Pontif.

post nonnullas aberrationes, acta, per quae inviolabilia, divina privilegia S. Sedis attrectavit?[1]) *Quo penitius pervestigamus annales catholicae Ecclesiae Gallicae, eo magis irresistibilem nanciscimur persuasionem: nostros praedecessores de Roma nunquam non sanius sensisse, ac supponitur.* In exordio Christianitatis *S. Irenaeus* eosdem sano cibo huius doctrinae educavit, et S. Sedes quoque iisdem tam purum nutrimentum suppeditavit: ut nihil prorsus tardius vim, magnanimumque instinctum primae directionis in iisdem penitus suffocare potuerit. *Nostra patria in toto suo complexu nunquam destitit romanam Ecclesiam tamquam Ecclesiam matrem venerari, ad quam, propter potiorem eiusdem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, ut in ea, et per eam traditio Apostolica illibata conservetur.*[2]) Illi, qui praeteritis temporibus hanc gloriosam veritatem negarunt, nonnisi exceptionem constituunt; *illi* vero *qui recenter libros et sermones composuerunt, ad demonstrandum: seniorem filiam Ecclesiae constanter de infallibilitate sanctae Sedis dubitasse, definitioni nonnisi imbellem chimaeram opposuerunt, quae triumphum dogmatis impedire minime potuit.* Hic est error circa veras Traditiones Ecclesiae Gallicanae.[3])

XIII. *Error in respectu ipsius Romanae Ecclesiae.* Liga, quae contra definitionem coaluit, cum certa spe victoriae apprehendit historiam *Honorii*, sibique ea persuasione blandiebatur, istud impedimentum, torrenti oppositum, eundem stiturum esse. Omnia media adhibita fuerunt, ut hic agger impenetrabilis reddatur. An non fuit palam et sarcastice dictum: hunc Pontificem qua summum Ecclesiae magistrum omni forma monotheletismum docuisse? An non fuit semper, et quidem eodem tono, additum: eundem a sexto Concilio velut haereticum damnatum fuisse? An tandem non fuit eadem fronte assertum: iudicium a sexto Concilio latum ab omnibus coaevis auctoritatibus, et signanter a successoribus Honorii re-

[1]) Vide hac de re: Recherches historiques sur l' Assemblée du clergé de France de 1682 par *M. Gérin.* — [2]) S. Irenaeus advers. Haeres. lib. III. — [3]) Vide in: „Revue des sciences ecclésiastiques, Mai. 1870," dissertationem D. Abbatis Defourny.

cognitum fuisse? Hae pariter obsoletae ac falsae theses, quae currente anno pennis Academicorum nova vita donari debuissent, neutiquam modum invenerunt, ut in moderno vestitu historice rectiores, magisque convenientes appareant. Eaedem prouti prolatae fuerunt, tanto splendore eruditionis et argumentationis refutatae sunt, ut ulteriori hac in parte labore supersedere possimus.[1]) Sufficiet animadvertere: *validissimam refutationem istarum abominandarum falsationum historiae et odiosarum calumniarum s. sedis recte in definitione infallibilitatis consistere.* Quis deinceps dicere praesumet: errorem condam ad sedem Petri irrepsisse, aut quempiam Pontificum, etiamsi Honorius appelletur, haeresim docuisse? Omnes Patres, priusquam ad Concilium venissent, huic quaestioni operam navarunt, sub Concilio eandem iterato diffuse pertractarunt, omniaque obscura loca dilucidarunt; iidem, absque exceptione, difficillimas et periculosissimas obiectiones examini subiecerunt. Nihil eosdem a concinnando decreto distinere potuit. Et hodie dum decretum iam editum est, illud non tantum futura, sed etiam praeterita tempora tuetur. Idem nos certos reddit: *Successores Pii IX, eodem modo, quo Pius IX, in rebus fidei nunquam erraturos*; pariterque certos nos facit, *praedecessores Pii IX, quicunque fuerunt, nunquam erravisse; Honorium tam parum ac Vigilium, Vigilium tam parum ac Liberium.*[2]) Qua Vicarii Iesu Christi iidem in puritate suae doctrinae nullam prorsus veram maculam passi sunt, quia id omnino impossibile fuit. Promissio Principi Apostolorum facta, eosdem omnes in confessione veritatis a quovis lapsu praeservavit. Haec est naturalis, necessaria et inevitabilis consequentia definitionis, Patribus Concilii Vaticani a Spiritu S. inspiratae,

---

[1]) Vid. Oecum. Concilium et infallibilitas pontificia: pastoralis epistola D. *Manning.* — Epist. Archi-Eppi Mechliniensis *Dechamps* ad P. *Gratry.* — Papa Honorius et Rom. Breviarium, epistolae *Amadei de Margeric* ad P. *Gratry.* — *Civilta Cattolica* 19 Febr. 5 Mart. 19 Mart. 1870.

[2]) Vide etiam: La causa del Papa Onorio novamente giudicata con un opuscolo. — Etudes religieuses. Paris. Articles du P. *Colombier.* — Le Pape Honorius et le gallicanisme moderne par l' Abbé *Riviére.*

et hodie, dum fortuna eandem iam possidendi nobis obtigit, non tantum certitudine historicae persuasionis, sed etiam certitudine divinae revelationis repetere debemus magnificam acclamationem octavi concilii: „Profecto non est vacuum verbum, promissio Magistri: Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Effectus veritatem huiusce effati confirmavit, cum apostolica Sedes catholicam religionem illibatam semper conservaverit, semperque veram doctrinam incorrupte docuerit.*)

XIV. *Ulterior error in respectu Romanae Ecclesiae.* Cuique constat, in hac magna quaestione infallibilitatis *falsis decretalibus* extraordinarium prorsus momentum attributum fuisse. In his apocryphis actis — aiunt — latet germen propriumque fundamentum suppositae praerogativae S. Sedis. Ex his nullatenus demonstratis, imo undequaque refutatis praemissis temeraria logica deducebatur: in Ecclesia a seculis scholam erroris et mendacii exstitisse, quae sensum scripturarum pervertit, historiam adulteravit, traditiones obfuscavit, et ad fidem populorum, quae adversus huiusmodi seductiones nullibi perfugium reperit, plus minusve impura elementa intrusit.**) Non repetimus expressiones, quibus auctores tam probrosorum phantasmatum utebantur; tantopere crudae, blasphemae, adeoque indignae sunt pristina gloriosa fama, quae nomini auctoris illarum inhaeret! Et hic quidem Sacerdos est, qui honori catholicae Ecclesiae, matris suae, et imprimis excelsae sacrae romanae Ecclesiae adeo detrahere non erubuit. Infelix iste non perspexit, in hoc, parricidio aequali, attentato dementiam maiorem futuram esse impietate! Numquid romanae Ecclesiae existentia istius scholae falsariorum nota fuerat, et, si nota fuit, num eandem ad capiendum e mendacio, fraudeque lucrum, toleravit? Numquam cynismus incredulitatis tam infamem accusationem protulit, de qua merito dici potest: eandem ipsa atrocitate sua sanae rationi millies repugnare. — Num forte

*) Concil. Constantinop. IV. act. 1. Conc. T. VIII p. 988. 89.

) *Eppus Aurelianen. et AEppus Mechliniensis: secunda epistola* **P. Gratry *ad* **D. Dechamps.** Paris. 1870.

quipiam romanam Ecclesiam ea re exculpare volunt: quod ortum, perniciosumque influxum nefariae huius scholae non animadverterit? Quomodo? Numquid in Sede Petri per secula idiotae sedissent? Et hi semper dissipati, semper somnolenti idiotae nunquam observassent vulpes, luposque e cuniculis suis prodeuntes, ut fidem non tantum populi, sed etiam magistrorum populi corrumpant? Profecto honorifica excusatio S. Sedis! Dicamus potius: haec omnia blasphaemam illusionem sapere. Sperare volumus, illos, qui tam culpabilis irrisionis reos se fecerunt, per definitionem ad agnoscendam suam iniustitiam perducendos fore. Non in antris falsariorum ortum est dogma infallibilitatis; idem originem suam debet horae, qua Salvator Petro dixerat: „Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ [1]) Sic confirmat decretum, atque hic est divinus fons, ex quo magnam praerogativam, quam promulgat, deducit. Huic profecto credere possumus, speramusque, neminem futurum, qui assereret: Concilium Vaticanum rursus duntaxat scholam fraudis et mendacii esse.

XV. *Error circa conditiones ad editionem dogmaticorum decretorum requisitas.* Conditio, quae sub spe impossibilis reddendae definitionis infallibilitatis maxime imperiose postulabatur, ad cuius sustentationem maxima summa argumentorum, maximusque apparatus eruditionis ad aciem positus fuit, ut demonstretur: eandem iuxta consuetudinem omnium conciliorum et iudicia omnium theologorum non tantum convenientem, sed etiam necessariam, imo indispensabilem esse, — haec, inquam, conditio est sic dicta *moralis unanimitas*, id est, quodvis decretum dogmaticum, ut legitime edatur et reapse obligans evadat, propemodum unanimi voto illorum muniri debet, qui ad ferendum iudicium vocati sunt.[2]) Haec est doctrina, cui nonnulli vigorem procurare studuerunt. Lubenter concedimus, propugnatores istius doctrinae bona fide egisse;

---

[1]) Luc. 22. 32.

[2]) De l' unanimité morale, nécessaire dans les Conciles pour les définitions dogmatiques. Memoriale Patribus Concilii Vaticani dedicatum. Neapoli 1870.

eosdem dexteros fuisse, omnino agnoscendum est. Patulum est: quod, si Concilium istis auditum praebuisset, flumen infallibilitatis coram hoc insuperabili aggere haerere debuisset, et omnia argumenta huius veritatis, cordibus christiani populi tantopere charae dissoluta fuissent, adinstar fragoris tempestatis, qui in vasto universo evanescit. Sed, rogo, quando? quo momento debuisset haec moralis unanimitas praesto esse? Fors in generalibus congregationibus? In congregationibus, ubi proiecta decretorum discutiuntur, elaborantur, reformantur, et diversis suffragiis subiiciuntur, ut pro publica sessione praeparentur? Verumtamen, ut de historicis factis loquamur, nec unum quidem oecumenicum Concilium adduci potest, in quo moralis unanimitas adinstar probae definitivi, publicique „*Placet*“ necessaria existimata fuisset. De opposito centies edocemur. In Concilio Tridentino definiri debuisset, num his verbis: „hoc facite in meam commemorationem“ Iesus Christus Apostolos Sacerdotes constituerit, ut post eundem Sacramentum Eucharistici Sacrificii continuent. Haec omnino gravis quaestio dogmatica est, qua maiorem quoad effectus suos, quaeve cor fidei intimius penetraret, vix cogitando sumus. Centum viginti et aliquot Patres *affirmativa,* quinquaginta duo vero *negativa* suffragia emiserunt. Non obstante considerabili hac minoritate, plus quam tertiam partem Epporum complectente Congregatio edixit, decretum retrahendum non esse. Sessio 22 illud ad formam canonis de Sacro Missae Sacrificio redegit.[1]) Ubi fuit isthic moralis unanimitas? *Bartholomaeus a Martyribus* in sua Summa Conciliorum[2]) narrat hunc eventum, cuius ipse testis fuerat. Porro idem auctor indicat: in quaestione super mixtis matrimoniis vota eadem fere proportione dispertita fuisse.[3]) Obiectum istud, quod ad dogma pariter ac ad disciplinam pertinet, magno fervore elucubratum fuit. Occasione scrutinii quinquaginta septem vota negativa, et tredecim affirmativa numerata fuere. Loco adoptandi instar normae

[1]) Conc. Trid. Sess. XXII de sacrif. Missae Can. II. — [2]) Collecta ex gestis Concil. Trid. p. 428 Opera Ven. Barth. a Mart. Romae 1735 tom. II. — [3]) Collect. ex gest. Conc. Trid. p. 436. 437 ut supra.

principii moralis unanimitatis, Concilium principio pluralitatis suffragiorum adhaesit, et legislatio, quae christianum populum hodiedum in hac delicata quaestione dirigit, in Sessione 25-a in capite articulorum de reformatione proclamata fuit. Haec evenerunt in postremo oecumenicorum conciliorum. Sed nec Concilia primorum seculorum doctrinae de morali unanimitate magis faverunt. Dum secundum Nicaenum, propter exacerbatam quaestionem Iconoclastarum coadunatum fuisset, viam suam a trecentis triginta octo dissidentibus Eppis praeclusam reperit, qui ad conciliabulum congregati, praevie omnia repudiarunt, quaecunque veri defensores orthodoxae fidei in sensu dogmaticarum epistolarum Hadriani Papae definirent, vel reiicerent.[1]) Suppono, nec illos qui Concilium celebrarunt, nec alios, qui illud spreverunt, et cum Tarasio, sancto et celebri Patriarcha Constantinopolitano, discesserunt, pro amicis moralis unanimitatis habendos fore. Ephesi tentatum fuit moralem unanimitatem postulare, ut adversus Nestorium procedi possit. Sexaginta Octo Eppi affirmarunt, Concilio non competere ius quidpiam praesuscipiendi, priusquam Ioannes Antiochenus comparuerit. Verumtamen haec remora admissa non fuit, Patresque consultationes suas, non obstante contradictione dissentientis minoritatis,[2]) occeperunt; iam autem sexaginta octo sat considerabilem numerum constituit in Congregatione, quae e ducentis circiter Eppis coaluit. Igitur historia testatur, proiecta decretorum, ad intimas fidei res pertinentium, in praeliminaribus disquisitionibus et suffragiorum collectionibus nequaquam moralem unanimitatem obtinuisse. Id ipsum evenit etiam occasione definitivorum suffragiorum et subscriptionis. Quis nescit, in primo Concilio Nicaeno septemdecim Eppos subscriptionem denegasse? Casuistae, qui hodie infallibilitati infensi sunt, abs dubio declarassent: per hanc oppositionem moralem unanimitatem eversam fuisse, siquidem, iuxta illorum placita, in Vaticano Concilio, non obstante ingenti numero Epporum, iam sex vota sufficere deberent, ut omnia suspendantur. Aliter iudicarunt Patres Nicaeni, fidenterque inundavit torrens pauca

---

[1]) Vide Dictionarium Conciliorum et Baronium. — [2]) Vid. Bail. Summa Conciliorum, et Dictionarium Conciliorum.

pulveris granula, quae stolida superbia significationem impedimentorum sibi arrogare voluerunt. In Concilio Constantinopolitano I, adventante momento, quo quisquis mentem suam adaperire debuit, Macedoniani recesserunt, hac ratione suffragia sua denegantes, atque moralem unanimitatem frangentes. Nihilo tamen minus condemnati fuerunt, et congregatio, quae eosdem anathemate percussit, virtute confirmationis decretorum suorum per Damasum Papam oecumenicis Conciliis annumeratur.[1]) Numquid definitiones et damnationes in Concilio Ephesino latae, atque errores Nestorii et Pelagii concernentes, non fuerunt in obversum protestationis quadraginta Epporum conceptae, subscriptae et promulgatae? Chalcedone sexcenti triginta Eppi sub praesidio Legatorum sancti Papae Leonis I congregati fuere. Id evenit 8 Octobris 451. Die 22 eiusdem mensis, posteaquam Commissio e viginti duobus Patribus constans proiectum elaborasset, symbolum fidei, contra impias Eutychetis et Nestorii innovationes directum, subscriptum fuit, verum solummodo a tercentis sexaginta sex Eppis, loco sexcentorum triginta, qui primis sessionibus interfuerunt. Quid residuis ducentis septuaginta quatuor accidit? Isti se retraxerunt, sub praetextu, definitionem opportunam haud esse. Fuerunt hi Aegyptii, qui doctrinam quidem neutiquam negarunt, ast decretum reiecerunt, declarantes: se vota sua eo usque emittere non posse, donec successor Dioscori nominatus non fuerit. Quidcunque demum statuatur de valore, aut invaliditate huiusce declarationis, certum est, fasciculum moralis unanimitatis in gravibus circumstantiis dissolutum fuisse. Et tamen, non obstante defectu adeo multarum subscriptionum decretum editum fuit, et Concilium Chalcedonense inter illa recensetur, quae antiquitas christiana semper plurimum venerabatur,[2]) Uberiora exempla in medium proferre supervacaneum foret, adducta enim sufficient ad demonstrandum: historiam ecclesiasticam praetensae conditioni moralis unanimitatis penitus contradicere. Reipsa huiusmodi conditio nec in praeparatione,

[1]) Bail ut supra; Dictionarium Conciliorum. — [2]) Annal. Baronii ann. 451.

nec in postrema suffragiorum numeratione, nec in subscriptione dogmaticorum decretorum necessaria existimata fuit.

XVI. Praetensa conditio, facto insuperhabita, consequenter vigorem legis obtinere non potuit. Quod si haec regula viguisset, si Concilia unquam formaliter agnovissent, actionem maioritatis per determinatam quamdam minoritatem paralysari posse, quid tum novatores dubio procul fecissent? Loco dandi clamoribus scandali, loco decutiendi e pedibus suis pulveris, et parandi recessus, loco implorandae opis materialis vis, ut saevitia gladii et logica violentiae duplex vis, pluralitatis et veritatis — qua caruerunt — suppleatur, — certo certius contenti fuissent convitiis suis inhaerere, ac sua suffragia, suamque subscriptionem propositis decretis fidei denegare. Tum enim moralis unanimitas defuisset, et quodvis decretum eo ipso impossibile redditum fuisset. Cum tamen iidem tam simplici, normali scopoque congruente medio usi non fuerint, — quod eosdem ad millies meliorem situm collocasset, ac exasperatio illa, ad quam prolapsi sunt, — hinc patulum est: definitiones Concilii ipsorum iudicio quoque, non secus ac illorum, a quibus damnabantur, peremptorie legitimas et obligantes fieri potuisse, quin moralem unanimitatem impetrassent. Ceterum haec aliter fieri nec possunt. Quodvis Concilium congregatur, ut de nova doctrina iudicet, aut illam, pro re nata, condemnet. Eadem a novo quodam Nestorio, a novo quodam Dioscoro, vel a novo quodam Macario propugnatur. Isti succedit fascinatione sui ingenii, dexteritate suarum machinationum aut complicitate laicae potestatis, in serie Epporum quempiam numerum asseclarum, quospiam conniventes, vel deceptos amicos lucrari. His zelum suum inspirat, eosdem suae directioni subiicit, pervicacia sua munit, huicque turmae, culpandis artibus collectae, innixus, ferrea fronte ad aciem descendit, et exercitum Patrum, veritati adstipulantium, ad pugnam insolenter evocat. Quid faciet in hoc situ sana, fidelisque Maioritas Concilii? Numquid progredietur? Sed quo tunc moralis unanimitas deveniet? Victas dabit-ne manus? Ast hoc in casu abominatio ad sanctuarium irreperet, si quisque temerarius sectarius sufficeret: ut ad damnationem eiusdem congregatum tribunal inerme reddat. Eidem, cum asseclis suis

dumtaxat perfracte in Concilio manendum erit; unitis conatibus solummodo consensum suum subtrahere debent decisionibus, quae molimina ipsorum damnarent, et e defectu moralis unanimitatis nullum amplius decretum edetur. Error sua insuperabili pervicacia incolumis reddetur. Blasphemia, vi suae obstinationis, magnum illud, et in sequelam saevitiae eiusdem necessarium remedium, quod in Conciliis latet, ad inertiam damnando erit. Num hac maior absurditas cogitari potest? Sed insuper regulam moralis unanimitatis nulla unquam spectata auctoritas amplexa est, aut promulgavit. Omnia quidem secula, et in illis gravissimae voces semper declararunt: moralem unanimitatem omnino pretiosam, optandamque esse. Si ista praesto sit, Deo millies gratiae agendae erunt pro pretiosa consensione doctrinae et loquelae. At est-ne necessaria? Num conciliis, ut assistentiam Spiritus S. cum fiducia praestolari possint, nulla prorsus discrepantia vota exhibere licebit? Sed quis hoc dixit, quis sic docuit, quaenam verarum auctoritatum Ecclesiae praeteritique aevi id asseveravit? Profecto nequaquam magni Theologi, qui omnes scripserunt: pluralitatem suffragiorum non tantum in quaestionibus disciplinae, sed etiam in respectu dogmaticorum decretorum sufficere.[1]) Imo, ultro progressi, traditioni omnium seculorum consentanee dixerunt: quod, si Pontifici, in casu scissionis votorum, minoritas duntaxat suffragaretur, christianus populus decretum istud pro obligante et sancto reputare debeat.[2]) Hanc doctrinam summi Pontifices sublimi auctoritate sui magisterii confirmant. Numquid Damasus Papa non annullavit gravissima declaratione decreta Concilii Ariminensis: num verba eius iam tunc

---

[1]) *Turrecremata,* Summae lib. III. cap. 64. 65. *Iacobatius*, de Conciliis lib. IV art. 3. *Barbosa*, Collecta Doct. in part. I Decreti, Dist. XVII. *Bellarm.* de Conciliis lib. I. cap. 18. — [2]) *Iacobatius*, de Conciliis lib. VI. art. 2. 3. *Gravina*, causa effic. Concil. cap. ult. dub. II. *Barbosa*, ut supra, *Sfondrat.* Regale Sacerdotium summo Pontifici assertum. lib. II. N. 12. 13. *Melch. Can.* De locis theolog. lib. V. cap. 5. quaest. 2. *Bellarm.* De Conciliis lib. I. Cap, 18. *Tournely*, De Ecclesia T. II. p. 285. — *Natal. Alexand.* Saec. VII. Dissert. II.

systema moralis unanimitatis non refutarunt, ludibrio obiecerunt, ad nihilum redegerunt?[1]) An Benedictus XIV, dum in sua Synodo Dioecesana memoriam huius facti reproducit, eandem theoriam pari firmitate non evertit?[2]) Verum quidem est, eundem, dum hanc opinionem manifestasset, nondum Pontificem fuisse; ast tardius auctoritas Papae scripta theologi confirmavit.

XVII. Principium moralis unanimitatis in Conciliis haud maiorem obtinuit successum, ac apud theologos et apud S. Sedem. Iam seculo septimo a Concilio Toletano lethalem ictum accepit; quod Concilium quidem nonnisi particulare fuit, nihilominus tamen diserte enuntiat: se tantum generalem, et pro quavis specie conciliorum validam regulam repetere. „Cum vero quaelibet S. Synodus agitur — sic legimus in actis — aut pacifice quippiam inter Pontifices definitur, si pauciores per nescientiam, vel contentionem forte dissentiant, aut commoniti plurimorum sententiae cedant, aut ab eorum conventu cum dedecore confusionis abscedant, aut excommunicationis annuae sententiam luant.“ [3]) Concilio isto hispanico splendidius, magisque praecise refutavit theoriam moralis unanimitatis Concilium Tridentinum. Neminem latet, quam saepe emerserint in particularibus disquisitionibus huius almae congregationis discrepantes opiniones. Quaenam igitur regula fuit observata, ut in media dissensione decretum quodpiam edatur? Praesidentes Legati hanc regulam ex incidenti famosae quaestionis de residentia et exortae super ea opinionum differentiae, indicarunt: „Dicant Patres brevissime per verbum *placet*, aut *non placet*: velint, nec ne, ut declaretur mansio esse iuris divini, quo pro maiori suffragiorum ac sententiarum numero digeri possint decreta, pro eo ac in hac sacrosancta Synodo semper usitatum est.“ [4]) Impossibile foret clarioribus expressionibus uti. Ut proiecta decretorum in Sessionibus exhiberi possint, Patres Tridentini nequaquam postulant, ut iudicio ipsorum sub-

---

[1]) Benedict XIV Epist. Rom. Pontif. T. I. col. 486. — [2]) Bened. XIV De Synodo Dioeces. lib. XIII Cap. 2. N. 3. — [3]) Harduin. Con. Tolet. VIII ann. 653 cap. 11 T, III. — [4]) Pallavicini lib. XVI cap. IV Nro 18.

sternendus textus unanimitate votorum potiatur; verum sufficit, si pluralitatem suffragiorum impetret. Et id quidem S. Concilio huic semper usitatum fuit: „Come in questo Sancto Concilio sempre si è usato di fare.“ Simile exemplum Vaticano Concilio quoque viam, quam inire deberet, praesignavit, et Concilium ab eadem nequaquam recessit. Mox a primis disquisitionibus observatum fuit, immensam et compactam multitudinem Epporum, eodem spiritu animatam circa propositiones a S. Sede factas congregari; eodem tempore in valde dissimili, quamvis non directe opposito sensu, non minus compacta, neque minus fervida minoritas coaluit. Diversitas opinionum in qualibet disquisitione enituit. Praevia scrutinia instituebantur. Ast negativa vota, quemcunque numerum attigissent, impedire neutiquam potuerunt, ne pluralitate suffragiorum acceptata schemata in Sessione pertractentur. Quantumcunque provocaverit minoritas ad beneficium moralis unanimitatis, ut infallibilitati in antecessum viam praecludat, maioritas tamen nec armis spoliari, nec in progressu suo impediri se sivit, et adveniente solemni hora, qua super hac gravi quaestione, quae concilium inde a septem mensibus inquietudine replevit, declaratio facienda erat, nuda pluralitate suffragiorum decisum fuit: infallibilitatem postremae probae, definitionem praecedenti, subiiciendam esse. Factum nunc consumatum, sublimis praerogativa Petri proclamata est. Haec est nova, a Spiritu S. lata, sententia mortis de morali unanimitate; requiescat nunc iam illa in sepulchro, ad quod ipse Deus eandem praecipitavit.*)

XVIII. Tandem *occurrimus casuistico errori quoad praetensam impossibilitatem, privilegium infallibilitatis dogmatice definiendi.* Exigua, ast selecta phalanx doctorum, decreto inimicorum, sollicite invigilat conscientiis cunctorum in Vaticano congregatorum Epporum. Infaustae conscientiae! Hae

---

*) Della unanimitá dei suffragi nei decreti dommatici etc. auctore *Zinelli*, Eppo Tarvisino. Taurini 1870. Adversus novam doctrinam de necessitate consensus Epporum unanimis. *P. V. Steccanella*, Romae 1870. — *Civiltá cattolica* April. 1870. p. 100. 21 Maii 1870 p. 450; 18 Iunii 1870. p. 675.

passim in definitionem propendent; eandem desiderio exoptant; remora, de qua querulantur, easdem cogit lento passu versus scopum suum progredi, cum tamen accelerato cursu prorumpere cuperent, non praesagientes instantem sibi ad baratrum lapsum. Verumtamen, ad antevertendum istud infortunium, praesto sunt humanitatis pleni doctores, ipsa sancta Sede sapientiores, qui illis demonstrant: „suffragia infallibilitati successorum Petri, citra consciscendam gravem culpam, addici non posse.[1]) Haec praerogativa nec satis clare in scripturis et traditione continetur, nec a particularibus Ecclesiis sufficienti unanimitate creditur; nec a Patribus Concilii requisita consensione affirmatur; nec indigentiae aevi nostri sat luculenter deposcunt, ut divina certitudo huiusce doctrinae proclametur, neque tandem effectus definitionis sufficienter salutares forent, ut quispiam tranquilla mente documento, tanta pericula involventi, operam navare queat. Vera sapientia suadet, illud immisericordi *non placet* reiicere.“ Miserandi Moralistae! qui huiusmodi monita Spiritui S. impertiri praesumunt. Ceterum iidem, infausto omine, mox prima vice fulminantes refutationes sibi consciverunt, atque occasionem habuerunt cognoscendi: theologicam ipsorum scientiam non valde magnam esse, et casuisticam eorundem sat debili fundamento superstrui.[2]) Verumtamen, pro ulteriori infortunio, atque humiliatione sui insuper animadvertere debuerunt: potiorem partem in Concilio erga ipsos nonnisi compassionis sensu duci. Quantumvis vehementer clamaverint: „attendite, vos in limine baratri movemini!“ maioritas tranquilla progrediebatur, terraque, non obstante eiulatu terroris horum Prophetarum, usque ad finem firma perstitit. Quingenta triginta tria vota adstipulabantur decreto, quod pro impossibili declaratum erat; et nunc, dum illud a S. Sede confirmatum est, abs dubio concedere debebunt, in-

---

[1]) Disquisitio moralis de officio Epporum in emittendis suffragiis circa personalis et independentis infallibilitatis romani Pontificis definitionem. 1870. — [2]) Elucubratio de dogmatica Romani Pontificis infallibilitate eiusque definibilitate, per *I. Cardoni*, archiep. Edessenum. Romae. — Un caso di coscienza a proposito dell' Infallibilitá pontificia: *Civiltá Cattolica*, 2 Iulii 1870. p. 39. *Civilta Catt.* 16. Iulii 1870 p. 198.

fallibilitatem Papae definibilem esse, posteaquam eandem oecumenicum Concilium solemniter definivisset. Itaque definitio Concilii, unica enuntiatione totam scientiam, ad impediendum decretum coagmentatam, erroris convicit. Hinc iam iudicate de prophetica fere missione, quam nonnulli polemici, decretum praevie oppugnare volentes, sibi attribuerunt! Hi namque asserere praesumpserunt: se a Deo, et D. N. I. Ch. mandatum accepisse, ut contra infallibilitatem scribant. Omnino quidem agnoscunt, se hoc honore indignos esse, nihilominus tamen coactos se sentiunt ad confitendum: minimos quoque hominum ab ipso Deo directa mandata accipere posse, et re vera accipere. Atque ita factum est, quod illi, quamvis pulvis et nihil sint, in serie horum privilegiatorum entium compareant; quod reipsa a Deo et Domino nostro mandatum acceperint, quod etiam executuri sunt, quantocunque iisdem pretio steterit; et quod, huic mandato conformiter, infallibilitatem pro producto scholae mendacii et pro quaestione, fraude penitus commaculata, declarent.*) Nos non potuimus rescire: num haec supposita verbi Dei revelatio Spiritui S. in illuminando et dirigendo concilio perplexitatem causaverit. Id solummodo certum est: quod Spiritus S. istas praetensas inspirationes subsannaverit; quod Patres Concilii recte ad illam metam impulerit, a qua eosdem hi prophetae, iubente Deo, abstrahere nitebantur.; quod definitionem, cuius ne quidem possibilitatem iidem prophetae admittere voluerunt, effectui dederit, denique quod omnes illorum conatus ad molimina, velamine nefarii illuminatismi leviter contectae ignorantiae reducere noverit.

XIX. *Falsae scientiae se associavit falsus zelus.* Ecquidem iam in expressione et adplicatione falsae scientiae se manifestavit falsus zelus; ast idem, ad impediendam definitionem infallibilitatis pontificiae, aliam insuper activitatis speciem exeruit, in qua scientia, sive vera, sive falsa, nullam prorsus partem habet. Et hic fuit zelus: *discordias seminandi.* Concilium necdum apertum, programma eiusdem necdum no-

*) Mgr. l' Eveque d' Orléans et Mgr. l' Archéveque de Malines: Deuxiéme lettre a Mgr. *Déchamps* par A. *Gratry* p. 77—80.

tum erat, dum iam *in diversis partibus orbis,* in — et extra Europam, *conspirationes adversus metuendum dogma fierent, atque conatus, — Eppos, qui eidem adhaesuri praevidebantur, ab hoc proposito dimovendi, — in publicam lucem prodirent.* Hispania parum tentata fuit, siquidem pro incapace seductionis habebatur. In respectu Italiae, exceptis quibusdam Pedemontii regionibus, caute processum fuit, nam Italia, utpote transalpina, necessario ultramontana esse debuit. Exigui prospectus fuerunt etiam apud Vicarios Apostolicos: Propaganda, dicebatur, ferreo pugno eosdem reget. Sed Gallia, Germania Borussica, Bavaria, minores status Germaniae, Austria, Hungaria, Status Uniti, neo — resurgens Anglia, ista sunt regna, in quae retia audacter extendi possunt. Hic — prout existimabatur — *Gallicanismus, Protestantismus, Iosephinismus, Philosophismus, Liberalismus* et infinitus numerus recentium errorum ipsum quoque Episcopatum sufficienter praeparavit, ut exoptatae discordiae propullulare queant. *Ad proselytas faciendos praesuscepta fuerant itinera; memorialia diversis linguis horum regnorum conscripta, aut in illas translata spargebantur, et cumprimis opuscula vulgabantur, quae celebria nomina praeseferebant, aut quorum anonymi auctores facile dignosci poterant.* Coram minus eruditis ipsa infallibilitas oppugnatur; coram fortibus conceditur, ipsam doctrinam quidem certam esse, nihilominus tamen sollicite demonstratur, *definitionem inopportunam* esse, et — res prorsus mira! — nonnulla secus fortia ingenia his miseris aranearum telis capiuntur. Orientales in hac probrosa coniuratione praeteriri non potuerunt. Si quodpiam dogma Ecclesiis Orientis pretiosum sit, illud certe est dogma infallibilitatis S. Sedis. Nihilominus tamen in sinu harum, a graeco schismate circumdatarum, et pressioni Moscoviticae obnoxiarum communitatum Eppi indestructibile fermentum aemulae independentiae in respectu Romae sustentant. Numquid non habuimus nuperrime triste huius rei exemplum in seditione catholicorum Armenorum adversus Patriarcham Ciliciae? Istud ergo favorabile terrenum fuit, quod propterea non neglexerunt adhuc ante Concilium occupare, ut inde etsi non insuperabile obstaculum, argumentum saltem contra definitionem infallibilitatis effingant.

Hoc modo nitebantur inquieta capita, et auctores discordiarum scissiones in Ecclesia Iesu Christi adaugere, eodem tempore, quo Vaticanum Concilium congregatum est, ut unitatem sub auctoritate magis ac unquam venerandae S. Sedis solidiorem, arctiorem, indissolubilemque reddat.

XX. Loquamur nunc *de zelo illusionis sui ipsius.* Non obstante omni exantlato labore nonnisi *exiguus numerus fluctuantium permoveri potuit ad consurgendum adversus S. Sedem.* Saepe tentatum fuit, vulgo opinionem ingenerare, acsi statistica apostatarum magnum numerum exhiberet; verum haec asserta semper innegabilibus factis refutata fuerunt. Sed num non supplevit defectum numeri saltem abundantia meritorum? *Magni theologi, magni oratores, magni characteres,* — quis comparabitur illis? Profecto *magni hi theologi scripturam, Concilia et Ecclesiam non noverunt: hi magni oratores,* quaemadmodum videtur, *saepius ad rem, cuius filum amiserunt, reduci debuerunt, et eloquentia eorundem ad probandam thesim suam dumtaxat infirma argumenta protulit; hi magni characteres ad vilissimas machinationes se humiliarunt, et si erga summum Pastorem temerarii fuerunt, tanto magis studuerunt se Caesari serviles et magnanimiter submissos exhibere.* Sed quid ista important? *Certum manet, eosdem Athanasios, Cyrillos, Tarasios et Bernardos nostri Concilii fuisse; ea solum cum differentia, quod illi, quorum ingenii repraesentantes esse debuissent, pro veritate contra errorem, ipsi vero pro errore contra veritatem pugnaverint.* Hac de re post editum Decretum dubitari nequit. Fastui vanitatis inimici dogmatis de infallibilitate extraordinariam existimationem suorum iurium addiderunt. Iuxta opinionem illorum romanae doctrinae magna iniustitia, eoque veniae incapace vitio laborant, quod auctoritatem S. Sedis ultra modum extollant. Papa omnia in omnibus erit, et Ecclesia loco constituendi organici corporis harmonicis proportionibus praediti, deinceps nonnisi monstrum erit, cuius improportionatum caput omnem vitam absorbet, et pro usu suo duntaxat enervata membra, vi et auctoritate destituta, habebit. O caeci! qui non comprehenderunt, *definitionem infallibilitatis S. Sedi nullam novam potestatem, nullum inusitatum privilegium*

tribuere, sed nonnisi authentica solemni forma exprimere praerogativam quam Iesus Christus Vicario suo contulit, quamve omnia secula unanimiter recognoverunt. Iidem non intellexerunt, quod, si caput improportionata ratione crescere non debeat, longe convenientius fuisset, ne illud inminuere aut debilitare tentent, cum debilitatio capitis necessario debilitationem totius organismi involvat. Neque perspexerunt, *recte iura sanctae Sedis esse, quae in mundo iura, dignitatemque Epporum sustentant*, prout nempe illa magis, aut minus suspiciuntur. *Quo impatientius fert quidam Antistitum iugum Romae, eo facilior erit in sustinenda tyrannide Caesaris, vel publicae opinionis.* Denique effugit attentionem illorum, *quod eadem mensura, qua ipsi praerogativas Petri aggrediuntur, Deus permittat, ut ipsi oppressores proprii sui gregis fiant.* Contra imaginariam exaggerationem iurium S. Sedis culpabiliter protestati, per iustas puniuntur querelas, quas nonnisi veri abusus, et flagrans transgressio propriae potestatis producere queunt.

XXI. *Zelus aggressionis et accusationis.* Duo, spiritu et charactere pariter ac significatione sedium suarum eminentes, Praesules in suis pastoralibus literis magnam quaestionem infallibilitatis summi Pontificis ex cathedra loquentis, pertractarunt *). Iidem e diversis visus punctis egressi sunt, ast utrique commune fuit: quod ad gregem suum locuti fuerint, eo scopo, ut eidem a S. Sede approbatam doctrinam exponant, et damnatos ab eadem S. Sede errores refutent, et quod in hoc abs dubio legitimo exercitio archi-episcopalis muneris sui inviolabiles fuerint, neque ullum aliud iudicium, praeter illud sanctae Sedis, cuius eminentes praerogativas evolvebant et tuebantur, recognoscere debuerint. Quodsi opuscula eorumdem pure in usum vulgi destinata volantia scripta fuissent, profecto eadem tunc iudicio criticae, etiamsi episcopali calamo exarata, obnoxia fuissent. Verum, *cum haec scripta pastorales literae, actus summae Iurisdictionis, professioque fidei fuerint, in qua optimo iure ad dioecesanos suos tamquam iudices et magistri locuti sunt: cui, quaeso, circa illos,*

*) Illmi DD. *Manning* et *Dechamps*.

aut infra illos, aut ex ipso Epporum gremio competebat ius, eosdem refutandi? Et tamen, cum dolore, *testes eramus huiusmodi indecentis non secus ac illegitimae ingessionis.* Atque dolor meus, inde conceptus eo profundior erat, *quod haec ingessio e Gallia profecta sit*, et sine causa extraneis Praelatis afflictionem consciverit. Verum quidem est, hanc audaciam impunem haud mansisse; certum quoque est, eandem causae infallibilitatis, quam iam ante apertionem Concilii explodere voluisset, profuisse. Nihilominus tamen illi, qui eandem, indefesso zelo excitatus, admisit, facto maculam inussit. Posteaquam odium infallibilitatis hac ratione quosdam eminentissimorum vindicum eiusdem singillatim aggredi fecisset, num non etiam contra totam phalangem defensorum eiusdem indignissimae et gravissimae calumniae sparsae fuerunt? Duo facta omnino certa fuerunt, primum: quod immensa pluralitas Epporum in Concilio procurando huic quaestioni triumpho operam dederit; alterum: quod impossibile fuerit in seriebus potentis istius phalangis, quam conscientia et dilectio circa thronum Petri coadunarunt, confusionem aut dissolutionem producere. Verumtamen *praetensum fuit: quod, etiamsi numerus eidem patrocinetur, ingenium et illuminatio eidem desit, et coecus fanatismus apud eandem scientiam suppleat. Additum quoque fuit, eandem, vi suae mediocritatis, nequaquam se ipsam regere, sed adinstar catervae mancipiorum nutibus Vaticani obtemperare.* Atque hanc pulchram imaginem non dubitarunt quipiam ea assertione complere: hanc phalangem pari ratione servilem ac tyrannicam esse; et, cum incapax sit membris minoritatis sapientia et intellectu praevalere, eadem pondere suae impatientiae, et vehementia suorum suffragiorum opprimere. *Quantopere crescit audacia huiusmodi zeli, dum is in lucem prorumpit! Nec S. Sedi quidem pepercit.* Admiratio expressa fuit super eo, quod sancta Sedes non convertat studia sua ad *reformationem romanarum Congregationum;* an non praestaret, in concilio istud salutare negotium pertractare, quam definitionem novi dogmatis sollicitare? Porro, *quid significant schemata, a Vaticano proposita? In iisdem ubique vestigia Iesuitarum et scholae recurrunt.* Magni momenti res negligunt, minutiis inhaerent. In iisdem multa su-

perflua aut obsoleta obiecta dogmatis, vel moralis et disciplinae pertractantur. Deest ibidem omnis cognitio indigentiarum aevi. An non etiam asseri posset: latinitatem eorumdem admodum dubii pretii esse? Quomodo, in conspectu horum, infallibilitas S. Sedi attribui posset? Demum, quamvis dolorosum sit dictu, quod iubente vi circumstantiarum fatendum est: *an Papa non est passus aliquid humani sub pondere ingravescentis aetatis?* An quondam magna eruditione praeditus fuerit, dubium est; sed etiamsi sidus eiusdem antea splenduerit, num anni non diminuerunt fulgorem eius? Numquid locum sani iudicii non occupat cogitandi ratio et pertinacia octogenarii? Num imaginationibus labentis intelligentiae eiusdem non permiscentur somnia senilis vanitatis? Et, si definitioni suae infallibilitatis tam mordicus inhaereat, an id non potius ex amore suae personalis magnitudinis, quam e sapienti, conscientiosa, veraque adhaesione erga honorem S. Sedis fit? *Haec omnia opprobria non tantum ore prolata, sed etiam scripta, typis procusa, atque ab uno termino orbis ad alium propagata fuere.* Et, quod pessimum est, *in hac abominabili pugna calumniarum, pagellae iam ex se ipsis perversae et rationalisticae, nequaquam primum locum occuparunt; eaedem per producta sic dicti liberalis catholicismi longe superatae fuere. Haec schola omnes characteres sectae praesctulit.* Quotidie distillavit venenum suum aspidis in telegrammatibus, correspondentiis, articulis et scriptis volantibus, quae ad omnes angulos Europae dimissa fuerunt. Opima pars horum obtigit Galliae, tum Bavariae, Austriae, Angliae et ipsi Americae quoque. Ex his diversis regnis echo, aut rectius dicendo, expressio eorundem iudiciorum, earumdem calumniarum Romam remittebatur. Conclavia conversationis versa sunt in adminicula preli. In vespertinis circulis Legatorum spretis limitibus consuetae diplomaticae taciturnitatis, maioritas Concilii, et argumenta eiusdem, quibus infallibilitatem munivit, oppido impugnabantur. Idem furor vigebat in consortiis certae cuiusdam Aristocratiae; accessit in quibusdam domibus et familiaribus conventiculis opulentus et cultus status medius. Plures a lumine intellectus et pietate notae mulieres ignem suae exasperationis huic exceptioni indignationis admiscuerunt. Quid? num

Eppi, quorum ingenium admirabantur, quorum influxum recognoscebant, non deberent dirigere Concilium Vaticanum, quemadmodum magister agazonum rite formatum sonipedem dirigit? Quid? antiquae theses gallicanismi, quas hi Eppi tam magno splendere defenderunt, succumbere deberent, non obstantibus desperatis, sed magnificis conatibus patriotismi? Quid? num in triumpho infallibilitatis, quam incassum oppugnaverunt, recognoscere debebunt victoriam nonnullarum religiosarum pagellarum, quas constanter convitiis, maledictis, execrationibus prosequebantur, quia eaedem pagellae praerogativam sanctae Sedis nimio fervore propugnarunt? Ista et alia similia ingeminabant continuo, iam melancholice, iam cum aestro indignationis hae piae animae! Misera entia! Eaedem oblitae sunt, S. Paulum ipsis prohibuisse in Ecclesia docere. Ast dum de resistentia, definitioni infallibilitatis per Spiritum S. et per Concilium, exhibenda agitur, prohibitiones Apostoli haud tam stricto sensu sumendae sunt!

XXII. *Zelus indiscretionis.* Ubicumque compareant hae *dogmati infallibilitatis infensae publicationes*, sive Coloniae, sive Berolini, Augustae Vindel., Monachii, Viennae, Pestini aut Parisiis; eaedem semper de omnibus, quae in maxime secreto Sanctuario Concilii eveniunt, stupendo modo informatae sunt. Relationes earumdem in parte quidem mendacia continent, iudicia earum malevolentia et iniustitia corrupta sunt, interim *luculenter apparet, notitias istas ab oculatis testibus ortum ducere, quorum auris omnia audivit, oculus omnia vidit.* Nihil prorsus est, quod secreto Pontificio, tamquam per fila retis, non elaberetur. Quodpiam schema Eppis distribuitur; post 48 horas illud in bavaricis ephemeridibus legitur, in germanicis universitatibus crisi subiicitur. In Concilio quaedam disquisitio instituitur; post duas dies ephemerides Galliae, Bavariae, Hungariae de oratoriis triumphis minoritatis referunt. Suffragia colliguntur: mox in ripis Sequanae, Danubii et Rheni rumor auditur: pluralitatem Epporum, eloquentia adversariorum suorum quasi obfuscatam, sibi ipsi ereptam et ad nihilum redactam, eidem (eloquentiae) coeco dictamine scrutinii despotice finem imposuisse. Hae indiscretiones profecto nequaquam e sinu maioritatis, quam contumeliis

afficiunt, prodierunt. Origo earundem aliunde repetenda est. Ita sane, *odium definitionis, implacabilis conatus eandem impossibilem reddendi, nonnullas conscientias obtudit, et in quibusdam labiis sigillum arcani, ipsa manu Concilii appressum, violavit.* Haec de zelo indiscretionis. —

XXIII. *Zelus in procrastinatione.* Vix disputationes in Concilio exordium sumserunt, dum in castris adversariorum infallibilitatis extra aulam Concilii haec tessera data fuisset: *tergiversandum et sine fine differendum est. Lucrando moram,* dicebant, *fors causam nostram triumphare faciemus.* Quis scit? Aetate confectus Papa fortassis morietur, et sperari potest, successorem eiusdem aut Concilium prorogaturum, aut periculi plenam quaestionem definitionis minus strenue aggressurum esse. Et numquid in confiniis iam bulliens revolutio italica limites post paucos menses non transgredietur? Quis scit, an proxime eruptionem universalis belli Europaei non simus visuri? Quodsi hanc quaestionem dextere distulerimus, pertractationes propositionem schematis praecedentes protrahendo, et postea, dum eidem vacandum erit, sermones sine fine multiplicando, — tunc politicae situationi moram concedimus, ut perturbari, atque metuendam definitionem in generali chaos submergere queat; hi fuere sermones, qui palam ac publice ducebantur, quorumve echo omni momento ad exiguam cellam, in qua diuturna infirmitate detinebar, penetravit. Programma istud tristi pervicacia observatum fuit. Eloquentiae flumen, de quo veteres loquuntur, ex inexhauribili scaturigine in omnia obiecta dimanavit, sperando, diluvio isto terribilem quaestionem impediendam esse, ne ad portum pertingere queat. Et dum illam, non obstante dexteritate, procrastinationi impensa, appropinquare conspexissent; dum maioritas, dignitatis et respectus plena, potestate sua ad removenda systematice agglomerata impedimenta, et optatum scopum celeriori passu persequendum, usa fuisset, mox centum ephemerides per Europam clamabant: minoritatem libertate destitui, discussionem abruptam esse; centum et amplius sermones, de unica quaestione infallibilitatis auditi, non suffecerunt ad extinguendam sitim illuminationis, qua conscientiae membrorum oppositionis laborabant. Ast Concilium et Spiritus S. aliter iudicarunt. Sit

benedictio illis, quod his dilationibus, quae mundo iam molestae fuerunt, terminum posuerunt!

XXIV. Nulla igitur species zeli defuit illis, qui bona fide existimarunt: procurandae cladi infallibilitatis usque ad ultimam horam adlaborandum esse. Ut in hoc negotio, pro maiori gloria Ecclesiae et sanctae Sedis triumphum reportare queant, zelum providentia succolarunt. Maximae significationis inventum huius virtutis est *theoria inopportunitatis*. Per istam doctrina, sub specie venerationis, confodiebatur. „Praeservet Deus, aiebant, ut eadem in sua essentia oppugnetur. Eandem quippe credunt, non secus ac potior pars Scholarum et Ecclesiarum. Infallibilitas, quemadmodum hactenus, semper exerceatur; nihil sane pulchrius! sed in silentio. Eandem adinstar revelatae veritatis palam profiteri, signanter vero eandem anathemate fidei populorum obtrudere — istud eiusmodi res foret, quam indigentiae aevi non postulant. quam publica opinio non supportaret." Sic habuit *thesis inopportunistarum*. Apparenter infallibilitatem credere, verumtamen e respectu eiusdem, et nonnullarum fide pauperum animarum eandem e programmate eliminare: quanta teneritudo! At, *reipsa, quam perfidum molimen!* Si in praesentibus adiunctis huic consilio obsecundatum fuisset, si Patres a definitione abstinuissent, tunc adversarii eiusdem haud praetermisissent inde concludere: hanc quaestionem in sua intima essentia adhuc dubiam esse, atque infallibilitas sine spe sepulta fuisset. Eadem mira prorsus operatione, et sub praetextu eandem salvandi, immolata fuisset. Prudentia serpentis! qua se Concilium, superno lumine illustratum, capi non sivit: — Sed magis adhuc prudentia sine consequentia! *Quid egerunt ante paucos annos illi, qui hodie contra definitionem protestati sunt? Qui Eppi fuerunt, illi in provincialibus conciliis partem ceperunt, in quibus infallibilitas sanctae Sedis pro certa veritate fidei declarabatur.* Iidem haec decreta cum omnibus suis Collegis subscripserunt, et posteaquam acta Roma remissa fuissent, eadem in suis dioecesibus promulgarunt, super tecta praedicarunt, et non tantum externae reverentiae, sed etiam intimae fidei populi commendarunt. *Tunc haec res neutiquam fuit inopportuna; neque timuerunt eadem liberales catholicos offendere.* Qui

Eppi non fuerunt, probabiliter qua Theologi hac in re partem habuerunt. Demum quidcunque tunc fuissent, sive sacerdotes, sive laici, iidem se subiecerunt, aut saltem subiicere debuissent, cum decreta provincialis Concilii a sancta Sede approbata, in tota provincia, auctoritati Metropolitae subiecta, vim obligantem consecuta sint. Et nunc, dum haec doctrina inferiorem clerum et populum iam a quindecim vel viginti annis absque contradictione dirigebat; nunc, dum iam assueti sunt iugum eiusdem portare, et quidem ubique fere cum amore, nunc, inquam, hoc suave iugum repente insupportabile redditum fuisset, quia definitio concilii illud adhuc sanctius et excelsius efficeret? Profecto si isthic de tam venerabili obiecto non ageretur, nos ista pro ridiculis nugis haberemus *).

XXV. *Providentia veritatem laedens.* — Illi, qui *divinam certitudinem infallibilitatis* negarent, admodum rari sunt. *Patres Concilii propemodum unanimiter declararunt, se eandem credere.* Idem asseverarunt plurimi illorum quoque, qui definitionem, utpote inopportunam, reiecerunt; iidem cuivis, ipsos audire volenti dixerunt: *cur deberet haec veritas definiri, cum illam totus fere mundus credat? Sed recte ista est causa, ob quam definiri debet.* Quousque veritas quaedam revelata nonnullis involucris contecta apparet, facile perspicitur, eandem ad longius tempus disputationi relinqui, quo ad plenam lucem perducatur. Ast si nubes dissipatae sint, si omnis incertitudo cesset, si omnis disputatio, propter haustam inde convincentem claritatem, conclusa sit, tunc *veritati, recte quia evidens facta est, competit ius, ad pacificam possessionem animorum, quorum regina est, intrandi.* Ex hoc momento non licet amplius eandem procellosis casibus controversiae, aut vexis negationis expositam omittere, cum secus dignitas et naturalis praerogativa eiusdem laederetur. Secundum voluntatem oppositionis veritas regnum suum divisum cernere deberet; ita, ut quidam eidem assensum praebere debeant, aliis vero liberum sit eandem negare; — pastores dicerent: ita; gregi vero permissum erit dicere: *non*; et in hac re

*) S. Pater in sua allocutione, post confirmationem decreti habita, hanc inconsequentiam peculiari rigore perstrinxit.

symbolum horum ab illorum symbolo discreparet. Et hac ratione infallibilitas, spoliata omni fructu disquisitionum, e quibus post labores plurium seculorum victrix emersit, iterum e securo portu ad altum mare in medium procellarum proiici deberet. Profecto non possumus nos satis beatos praedicare, quod definitio nefario huic lusui finem imposuerit. *Alia laesio veritatis:* Certitudini eiusdem testimonium praestatur. „Dubio vacat — inquiunt — Iesum Christum S. Petro eiusque Successoribus praerogativam infallibilitatis contulisse. Id in colloquiis admittitur; ex suggestu Concilii annuntiatur; in volantibus scriptis, quae anti-infallibilistae avide deglutiunt, scribitur, et, opinione mea, supponitur: infallibilitatem, hac modalitate praedicatam innocuam esse, cum eidem secus publicum homagium non exhiberent. Sed si eadem ab oecumenico Concilio dogmatice definiretur, si eadem e decreto sigillo Spiritus S. signato reluceret, tunc — asseritis — illam in mundo nonnisi incommoda producturam? Quomodo? Anne haec altior sanctio uno ictu lumen in tenebras, principium vitae in principium mortis converteret? Huiusmodi sermones blasphemiae forent, nisi absurditates essent. Denique *tertio* ulteriori *opprobrio afficitur veritas excessiva indulgentia errori exhibita.* Nullo respectu Pii IX et maioritatis duci, in accusationibus mensuram, charitatem, decorem excedere, pagellas, quae infallibilitatem tuentur, asperrime aggredi, — bellissime! haec otia sibi largissime indulsere. Ast contra iudicatas iam opiniones serio consurgere, adversus rationalistas et sectarios epithetis uti, quae iam Iesus Christus, Apostoli et SS. Patres Ecclesiae contra pharisaeos sui temporis adhibuerunt, signanter dogma infallibilitatis sub tutamen anathematis collocare, id pro re prorsus intolerabili declaratum fuit! Mansuetudo, charitas, peculiaris indulgentia erga errorem in sententia et stylo, — ista sunt, quae adversarii definitionis ad nauseam usque urserunt. Infausto ipsis omine Spiritus S. noluit abnegare quod antea fuerat, atque Patribus Vaticani eadem fulmina anathematum suppeditavit, quibus iam Concilium Tridentinum tam large munivit.

XXVI. *Providentia sanctae Sedis laesiva.* Cur definiretur infallibilitas, postquam historia Paparum tam multa cum

illa componi nequeuntia facta exhibet? Et ad demonstrandum, obiectionem hanc seriam esse, oppositio in unum colligit omnes errores, quos critica incredulitatis in privata et publica vita, in regimine et constitutionibus summorum Pontificum, a bismille annis fere sibi in Cathedra Petri succedentium, detexisse praetendit. Supponamus, omnia, quae adducta fuerunt, vera esse: quam pulchrum est a parte Epporum, quod hac ratione turpitudinem Patris sui revelaverint! Quam gloriosum molimen, se scopo prodendarum sanctissimarum obligationum filialis pietatis, historia et eruditione munire! Et tamen haec omnia, quamvis vix pro maiori laude et emolumento logicae, sanaeque rationis humanae, ac pro gloria teneritudinis sensuum suorum, fecerunt. Eccur dicitur aut innuitur: infallibilitatem nuspiam absque impeccabilitate subsistere posse? et cum Pontifices qua Pontifices peccatis immunes non sint, eosdem nec infallibiles esse posse? Haec est innovatio, imo amplificatio damnatae iam haereticae doctrinae. Eandem quidem omni sua forma haud docent, sed indulgentia erga eam ducuntur, atque ingeminare amant, eandem quibusdam ingeniis adinstar fundamenti gravis obiectionis deservire. Ubi tamen loco fovendae blandimentis, et ad resistendum animandae heterodoxiae, haec potius conquassari debuisset, et adversus Deo exosam cum eadem connexionem fortiter protestandum fuisset. Et constitutiones, ad quas provocatur? quodnam est earundem obiectum? attingunt-ne eaedem, vel non obiectum infallibilitatis? Si non: cur disquisitioni subiiciantur? Si vero ita: id ante omnia demonstrandum erit, quod tamen prorsus negligitur. Et elucubrato hoc primo puncto, ultro demonstrandum erit, infallibilitatem Pontificum in his constitutionibus re vera errasse. Postremus hic labor haud tam facilis impletu erit. Ex his omnibus id tantum deduci potest: pontificiae sedi absque fundamento detractum fuisse, ne honorem infallibilitatis eidem tribuere debeant.

XXVII. *Providentia ipsi Ecclesiae laesiva.* Qui thesim inopportunitatis in medium protulerunt, haud animadverterunt, quam lubricum terrenum ingressi sint, et in praecipiti calle sensim sine sensu usque ad ultimas consequentias prolapsi sunt. Nam infallibilitatem Ecclesiae prodiderunt, quam recte

tanto fervore salvare, et quidem solam salvare voluissent. Recte has constitutiones, quae adversus sanctam Sedem adductae fuerunt, Ecclesia occasione editionis earum acceptavit. Nonnulla individua quidem, haec vel illa natio, fortassis protestabantur; attamen universitas Episcopatus expresse aut tacito consensu sensui sanctae Sedis adstipulabatur, atque consensio utriusque partis pariter universalis, ac historice certa fuit. Propterea infallibilitas utriusque necessario eandem sortem subire debet. Quodsi cuilibet ius competat, fundamento istarum constitutionum adversus infallibilitatem summorum Pontificum consurgendi, tum ultro concedendum est: eodem ictu infallibilitatem Ecclesiae quoque, quae responsabilitatis (de his constitutionibus) particeps est, concussam esse. Quodsi vero, non obstante eo, infallibilitas Ecclesiae non attingitur, tunc desistendum est, ex his documentis argumenta contra infallibilitatem Pontificum colligere. Huic dilemmati nemo se subducere potest: aut abstinendum est ab hac obiectione, et tunc solidissimum fulcrum inopportunitatis amittitur; aut neganda est simul cum infallibilitate Pontificum infallibilitas ipsius Ecclesiae quoque, quod horrendam blasphemiam contra Deum saperet, quia tunc societas Iesu Christi absque secura directione et doctrina necessario damnaretur, ut tamquam gubernaculo et acu magnetica destituta navis omni vento doctrinarum exposita maneat. Ab inopportunitate ultro ad subversionem constitutionis, et regiminis Ecclesiae deventum est. Per quem pontem, aut quibus lateralibus viis pertingi possit ex una ad aliam: id rite dicendo non sumus. Attamen certum est, existimatum fuisse: non oportere cathegorice declarare, ad Petrum pertinere, ut fratres suos confirmet, et non ex adverso ad fratres, ut ipsum Petrum confirment. Quodsi haec effata quoque Iesu Christi in crepusculo delitescere sineremus, tum Episcopatui Gallicano eo ipso concederemus: ut veteres suas praetensiones perpetuas reddere, atque affirmare queat, iudicia summi Pontificis nonnisi per assensum Ecclesiae irreformabilia fieri.

XXVIII. Tandem *providentia illegitimis, perfidisque concitationibus plena.* Attendite, sic acclamamur tono apparentis sollicitudinis: „Si vos decretum de infallibilitate pontificia

condideritis, per id resensum et implacabilem diffidentiam *Guberniorum* excitabitis. Ubi primum hac de re edocta fuerint, mox videbitur iisdem, acsi medium aevum revivisceret, dum Vaticanus regnantes excommunicabat, pro lubitu deponebat, et subditos a iuramento fidelitatis absolvebat. *Protestantes* quoque per definitionem in intervallo, quod ipsos a catholicismo separat, adhuc magis repellentur. Odio feruntur erga infallibilitatem Ecclesiae; quodsi vero infallibilitas sanctae Sedis vel potius Summi Pontificis per Concilium stabilita fuerit, eotum crescet exacerbatio animorum. Et numquid decretum non parem effectum producet apud *schismaticos?* Hi unitatem violarunt, quia generalem et perpetuum primatum Petri, eiusque successorum sustinere et acceptare noluerunt. Numquid ad accedendum paratiores, ad submissionem procliviores reperientur, si adacti fuerint, praeter primatum honoris et iurisdictionis, infallibilitatem quoque romanorum Epporum adinstar veritatis fidei suscipere? Vos per id impermeabilem voraginem paratis inter Romam, et rebelles Ecclesias Russiae et Orientis. Quod denique ad *paganos* attinet, pari modo certum est, per infallibilitatem ipsis accessum ad fidem in perpetuum praecludendum esse. In respectu *rationalismi* non minus gravis, perniciosaque erit efficacia decreti. Hic namque nec minimam quidem mensuram supranaturalium rerum possibilem existimat; quomodo ergo fieri posset, ne excessum supranaturalismi in pontificia infallibilitate explodat? Demum existit sic dicta *liberalis catholica schola*, quae omnino quemdam respectum meretur. Eadem constat hominibus sagace intellectu praeditis. Hi omnes Ecclesiae vel sanctae Sedi fideliter adhaerent, cuius rei splendida, magnifica, imo heroica quoque specimina dederunt, signanter ex quo deploranda quaestio italica existit. Quapropter ex obtutu praestitorum iam servitiorum, ac illorum quae ab ipsis porro expectari queunt, omnino ius habent ad indulgentiam, et id, quod fervidissimis precibus petunt, recte illud est: ne ipsis invitis dogma infallibilitatis obtrudatur."

Ita se exprimit providentia. Miserandum spectaculum! Sub praetextu, praevisa pericula antevertendi, iisdem advehendis adlaboratur. Metum incendii simulant, et scintillas ad illud excitandum, in omnes venti directiones proiiciunt. Ast

Concilium retibus mendacis istius providentiae non capitur, et decretum suum edit, non obstantibus quibusvis terroribus, qui ad illud impediendum sparguntur. — Politica? Sufficiat animadvertere: quantopere odiosa res sit, eandem praevie adversus dogmaticum decretum concilii concitare? Eodem prorsus modo egerunt Ariani et Monotheletae. Sed hodie non secus ac olim hac in parte tempori operaeque parcendum fuisset. — Rationalismus? Hic nobis parum sollicitudinis afferre debet, cum decreta concilii, qualiacunque fuerint, sic dictis fortibus spiritibus semper obiecta rabiei et irrisionis futura sint. — Liberalis catholica schola? Aut credit infallibilitatem oecumenici Concilii, aut non; si non credit, iam non est catholica, et Patres haud maiori eiusdem respectu duci debent, ac incredulitatis; si vero credit, tunc coram effato Spiritus S. se humiliabit, etiamsi dogma infallibilitatis solemniter definiverit; itaque novum motivum pro Concilio, ut progrediatur, et meticulosa consilia falsae prudentiae contemnat. — Protestantes, schismatici et pagani? Verumtamen illi, qui de his plurimum loquuntur, nequaquam in medio populorum degunt, quorum causae tam eloquenti sollicitudine patrocinantur. Competentia igitur illorum ad depromendum huiusmodi iudicium plus quam problematica est. Et memoria dignum est, eosdem recte a parte illorum Epporum validissimam contradictionem expertos fuisse, qui in communitatibus, quarum causam tuendam minoritas praesuscepit, vivunt. Numquid Eppi Angliae et Coloniarum definitionem infallibilitatis fere unanimiter non postularunt? An non asseverarunt, eandem in respectu protestantium quoque potius beneficium, quam periculum futuram esse? An non idem declaravit potior pars Unitorum Statuum et Canadae? — An non adhaeserunt huic opinioni — unico dempto — Eppi Helvetiae? An non tulerunt idem iudicium ex Eppis Galliae: Burdigalensis, Tolosanus, Argentoratensis, Montalbaniensis, Ruthenensis, Nemausensis, Vivariensis? — Profecto nequaquam mirum videbitur, quod Concilium, in conspectu tam decisivarum auctoritatum magis consilia audaciae, quam prudentiae audiverit. Neque de orientalibus eidem timendum erat, cum labia eruditissimorum Praelatorum istarum veterum Ecclesiarum nonnisi verba fervoris et fiduciae expresserint. Denique Patres quoad ipsos paganos quoque tranquilli esse potuerunt,

etenim solidissimae refutationes manifestationum prudentiae, a parte complurium Vicariorum Apostolicorum abunde demonstrarunt, enuntiatos metus nil nisi mera phantasmata esse.*) Concilium itaque quoad omnia haec puncta perfecte conquievit. Reperit, definitionem, quae eidem tamquam inopportuna et periculi plena exhibebatur, non tantum utilem, sed etiam necessariam esse. Non sivit se perturbari per falsam politicam, neque per falsam providentiam, neque per falsam scientiam. Authenticam traditionem Orientis et Occidentis secundum tria Concilia Oecumenica, scilicet: Constantinopolitanum, Lugdunense et Florentinum in unum colligendo; porro demonstrando, doctrinam Romae, fidemque particularium Ecclesiarum per novemdecim secula invariabiliter hunc cursum fluminis secutam fuisse; denique claris verbis et solemniter annuntiando, originem eiusdem in effatis ipsius Iesu Christi quaerendam esse, Concilium Vaticanum verum sensum S. Scripturae, theologiae et historiae semel pro semper stabilivit. Decretum eiusdem pharisaicis sophismatibus et fallaci eruditione congestas difficultates in perpetuum removit. Abhinc iam nullum suppetit contra hanc sacram definitionem argumentum, et qui adhuc tentaret limitibus conscientiae praefixis, elabi, is nonnisi per infernalem portam haereseos egredi poterit.

XXIX. Haec sunt impedimenta, de quibus definitio infallibilitatis pontificiae gloriose triumphavit. Et inter quas peculiares circumstantias id fecit? Tres, pariter gloriosae, recurrunt. *Proportio numeri.* In postremis praeparatoriis congregationibus 450 Patres votum suum vocabulo: *placet,* 62 *iuxta modum*, 88 per *non placet* emiserunt. Pars minor festinabat inde concludere: in definitivo scrutinio considerabilem numerum oppositioni adhaesurum esse. Error! 62 Patres, qui votum *iuxta modum* emiserunt, numerum 450 *placet* auxerunt; his alia vota quoque accesserunt, et die Sessionis 533 *placet* contra 2 *non placet* irrefragabilem iam nunc praerogativam infallibilitatis, tanto tempore oppugnatam, sed semper victricem,

*) Epistola Ill. D. *Bonjean* Vicarii Ap. Iaffnae ad Ill. D. Eppum Aurelianensem. Alii 42 Vicarii ap. palam assenserunt. Vide Univers. 22 Martii et 5 Aprilis 1870.

ad maiestatem dogmatis evexerunt. Si igitur numerus votorum, in penultima congregatione emissorum pro basi sumatur, atque etiam supponatur, eandem totalem summam in sessione 18-ae Iulii quoque retinendam fuisse, tum, supputatis omnibus, decreto 60 vota contradixissent, 533 vero adstipulata fuissent. Quodsi autem Eppi, eo tempore Roma elongati, praesentes fuissent, disproportio inter vota negativa et affirmativa adhuc maior, atque definitioni magis favens fuisset; nam propter infirmitatem, urgentiaque negotia longe plures Eppi causae huic faventes, quam eidem infensi Roma discesserunt. Interim omittamus ista; *effectus scrutinii 18-ae Iulii* sic quoque, prout obtentus fuit, *solatii et gloriae plenus erat. Si eundem cum subscriptionibus primi postulati conferamus, manifestum est, magnum hunc exercitum series suas usque ad finem pugnae fortiter conclusas servasse.* Inauditus labor impendebatur iisdem dissolvendis. Mors et discedendi necessitas quidem hiatus quosdam causarunt, verumtamen defectionis exemplum frustra quaeritur. Minori parti, quae suam oppositionem constanter magnis vocabulis: conscientiae et fidelis implementi obligationis [1]) excusabat, magnus hic exercitus usque ad finem demonstravit, se quoque in praxi tum fidelitati erga obligationes suas, tum conscientiae suae satisfacere nosse; et indissolubilis unitas eiusdem, qua scopum suum, sub oculis Spiritus S. per septem menses persequebatur, spectaculum praebuit, cuius magnificentia et pulchritudo a paucis exemplis in historia Conciliorum generalium superatur [2]).

XXX. *Adiuncta temporis et satisfactio.* Calamitates, quae e *gallicanismo* in Ecclesiam et sanctam Sedem redundarunt, in ipsa quoque Gallia enormes fuere. Hac de re cuique constat, et supervacaneum foret eandem uberius elucubrare. *Infaustae hae doctrinae destructivam vim suam prius in nostro regno exercuerunt, tum vero in universam Europam diffusae sunt.* In catholicis statibus plus minusve regimina

---

[1]) Epistola e gremio partis minoris profecta, quam „Gazette de France“ adduxit. Vid. Univers. 22 et 30 Iulii. Memorandum, per pagellas Augustanas 24 Iulii vulgatum.

[2]) Giornale di Roma. 18 Iul. Univers. 23 Iul. 1870.

penetrarunt, et religioni pares afflictiones consciverunt, ac illae sunt, sub quarum pondere nos ipsi gemebamus. Ad protestanticas nationes usque pertigerunt, et intolerantiae, quam reformatio erga catholicos nunquam non adhibuit, peculiarem adhuc speciem tyrannidis addiderunt. Haec est historia inde ab anno 1682. Iamvero *Providentia mira sapientia disposuit, ut Gallia, in praeparando decreto de infallibilitate, pro praeteritis casibus splendidam satisfactionem praestet. Nonnulli Eppi eiusdem quidem fervidissimi oppugnatores huius benedicti dogmatis fuere, alii tamen eidem pari zelo viam praeparaverunt. Illi nostrum, qui affirmativum votum emiserunt, longe plures fuerant, quam illi, qui negativum votum dederunt. Et quam pulchrae fuerunt manifestationes Cleri inferioris, qui definitionem unanimiter et cum enthusiasmo postulavit!* Sponsae Christi, in medio solitudinis suae, post crates suae clausurae, oculo cordis recognoverunt: hoc grande factum coelesti sponso suo acceptissimum futurum esse, et in suavissimis effluviis animarum suarum orarunt, ut successor Petri hoc sublimi diademate honoris condecoretur. *Multitudo populi magnificum hunc motum sequebatur. Hac ratione patria nostra duo secula erroris fervore suae fidei reparavit.* Deus eidem multa remittet, quia postremis temporibus multum dilexit.

XXXI. Praeter hanc satisfactionem, *inexpectatis adiunctis temporum occurrimus.* Si occasione promulgationis pax in mundo regnare continuasset, quomodo suscepisset *Politica* decreta Concilii? Id iam e Notis coniici potest, quae futuras dispositiones satis revelant. Verum Deus futura, eventusque sua manu dirigit. Gratia Ipsius bellum ante et usque diem, qua Concilium aperiendum erat, vinctum haeret. Nationes Europae per septem menses gravibus sollicitudinibus perturbantur; quisquis sentit, tempestatem appropinquare. Attamen occulta potestas statum externi ordinis prolongat; augustus senatus Vaticani magnum opus suum tranquille prosequitur; ast vix terminatur praecipua quaestio, vix consequitur infallibilitas sanctae Sedis sanctionem dogmatis, et Deus vincula tempestatum dissolvit. Bellum inter Galliam et Borussiam erumpit. Animi omnium hoc giganteo proelio occupantur, et

definitio, quam Regimina tantopere metuebant, sub munimine strepitus armorum pacificam possessionem fidei populorum ingreditur. Huic memoria digno concursui adiunctorum, doctrinae plenum discrimen se associat. Quid demonstrat bellum, nunc occeptum? Quod regimina et populi, quorum conflictum nunc cernimus, attributo infallibilitatis sibi blandiri neutiquam possint. Nos Galli infallibiles non fuimus in nostris sympathiis erga Borussiam, quae incremento regnorum, quod eidem possibile fecimus, adversus nos abuti properavit, neque in theoriis nostris de magnis agglomerationibus populorum, quarum executio nobis tanta pericula paravit, multorumque sanguine stabit. Et eodem momento, quo vox tormentorum hanc doctrinam impertitur, canon concilii christiano populo infallibilitatem Papae, dum velut supremus magister loquitur, fide tenere praecipit. Hic canon magnas distantias percurrit et secure tangit. Retrorsum doctrinam sanctae Sedis, citra possibilem exceptionem legitimat; pro futuro eandem pari mensura securam praestat. Ipsum oraculum Spiritus S. nos hac de re certos reddit; et *si Europa emergere voluerit ex insanabili confusione idearum, ad quam eandem regnantes facti pseudo-philosophi, aut philosophi facti regnantes praecipitarunt, tunc in foco Vaticani lumen quaerere debebit. Ibidem regnat sol absque umbra et absque mutatione.*

XXXII. *Adiuncta Pontificatus.* **Pius IX.** mox in limine sui gloriosi Pontificatus sensit, sibi triplex grande pensum incumbere, cui exequendo sine mora manum admovit. — Primum fuit: *generalis restitutio Romanae Liturgiae in Occidente.* Haec salutaris revolutio propemodum finita est. In Gallia quoque nunc exceptiones admodum rarae sunt, et nonnullae illarum legitimantur per concessa particularibus quibusdam Ecclesiis privilegia, vi quorum antiquas suas consuetudines retinere possunt. *Definitio dogmatis de immaculata Conceptione Mariae* fuit secundum pensum, quod sibi Pius IX imposuit, et nunc iam quindecim anni elapsi sunt, ex quo pretiosam hanc margaritam diademati Dei Genitricis filiali manu intexuit. Tertium opus denique fuit *definitio infallibilitatis*, molimen abs dubio audax, atque difficillimum! Nihilo tamen minus illud mira confidentia occepit, et quidem anno aetatis

78, post 24 annos gloriosissimi sed etiam difficillimi Pontificatus. Priusquam dogma istud pronuntiaret, non exquirit opiniones Epporum dispersorum, sed immediate Concilium oecumenicum convocat. Poterit-ne effectui dari haec congregatio, quam nonnulli Eppi non exoptant, quam Regimina diffidentia prosequuntur, — et in primis Romae? Permittet-ne penuria peculii pontificii expensas, quas paupertas plurimorum convocatorum Praesulum deposcit? Quodsi vero Patres magno numero congregati fuerint, neque inter se consenserint, si in Concilio ferventes disputationes exortae fuerint, et foris deplorandas sequelas produxerint, numquid S. Pater scandalo huiusmodi dissensionum in animo, atque valetudine sua non frangetur? Quomodo navis in alto aequore, et inter tot scopulos iactata ad securum portum pertinget? Hae complicationes, curae atque probationes plus ac oportuisset, suffecerunt, ut animum senecionis opprimant. Attamen *Pius IX minacibus his prospectibus se deterreri non sivit.* Macte animo convocatum ab ipso Concilium sub oculis eiusdem congregatum est, suasque deliberationes inchoavit. *Non obstantibus terrificis indiciis hanc magnam quaestionem periculosis, angustisque ripis publicae disquisitionis commisit. Pressionem quidem ne pro momento exercere voluit, sed nec momento quidem a coepto proposito recessit. Libertatem iudicii Epporum suspexit, sed summam dignitatem suam, tamquam supremi Magistri, numquam ex oculis dimisit. Error, in quo nonnulli Praelati versabantur, eundem ad reticendam veritatem haud permovit, etiamsi haec veritas praerogativas sanctae Sedis suae respexisset.* Quo magis progrediebatur res, eo vehementiorem et pertinaciorem se exhibuit oppositio; ast eo clariores et significantiores fuerunt expressiones, quibus eidem restitit. Quidam sperarunt, eundem per coalitiones, aut terriculamenta armis privandum fore, interim hac ratione voci eius nonnisi maiorem auctoritatem conciliarunt. Anima eius et anima maioris partis semper in eadem sublimi regione versabatur. *Decretum pari fortitudine confirmavit, ac illud Patres votis suis fulciverunt, et e verbis, quibus hunc actum, maxime solemnem nobilis vitae suae, comitabatur, pulcher-*

rimum lumen suae diuturnae et heroicae magnanimitatis relucet.

XXXIII. Tres itaque peculiares circumstantias habemus: numerum, generalem situationem et Pontificatum, quae simul sumtae definitioni infallibilitatis incrementum magnificentiae procurarunt. Et qualesnam erunt *fructus,* quos mundus inde colliget? Dogmatica decreta omnium conciliorum oecumenicorum inde a die, quo edita fuere, semper libertati Regiminum, et animarum occurrerunt, et haec magna vis passim contra definitam doctrinam, et connexa eidem anathemata rebellavit. Quanta incrementa cepit Arianismus post ipsum concilium Nicaenum quoque! Disparuerunt-ne mox errores Nestorii et Eutychetis sub damnantibus sententiis Patrum Ephesinorum et Chalcedonensium? An non reperiuntur hodiedum vestigia eorumdem in valle Euphratis et usque ad insulas oceani Indiae? An non est superstes protestantismus, post damnationem sui in Concilio Tridentino? Negari nuspiam potest, similis quid etiam post definitionem infallibilitatis fieri posse. Ast dum de diiudicandis spebus, quas decretum praebet, agitur, nequaquam homines considerandi sunt, qui alioquin semper potestate fruuntur effectum illius impediendi; sed expendendum est idem in se ipso atque in sequelis, quas divinum germen naturaliter producit, si externa impedimenta vim eiusdem non debilitent. Primus fructus necessario *fructus conquiescentiae et pacis* esse debet. Nunc dum Ecclesia hanc quaestionem decidit, *controversiae scholarum suapte in perpetuum cessare debent;* antiqua thesis infallibilitatis pontificiae facta est dogma catholicae fidei. Etiam *in Eppatu cunctae scissiones cessare debent.* Illi Praesules, qui plus minusve bona fide adversabantur, hodie ad submissionem coacti sunt. *Oppositionem formare, actus rebellionis esset,* quam nec ipsa eorundem principia excusare possent. Quidam horum praetendunt, ut Pontifex maiori parti pareat, quae alioquin ius haberet illum deponendi, si eidem sponte non obtemperaret. Atqui Pius IX recte istud fecit, videlicet decisionem maioris partis confirmavit. Alii pro valore decreti moralem unanimitatem suffragiorum deposcunt. Falsa theoria; quam etiamsi rectam supponeremus, definitio 18-ae Iulii in sensu istius valida esse

deberet, siquidem unanimitatem non tantum moralem, sed etiam physicam, imo fere mathematicam impetraverit. Verum quidem est, quamdam partem Epporum ab emittendis suffragiis abstinuisse; ast unanimitas non efformatur per absentes, verum per illos qui rei partem capiunt, et cum, exceptis duobus, in quarta Sessione omnes praesentes Eppi suffragiis suis decreto adhaeserint, hinc optimo iure dici potest: illud sanctionem unanimitatis impetrasse. Ergo Theologi, theoriae de morali unanimitate adhaerentes nullum prorsus praetextum habent, agnitioni decreti semet subducendi. Igitur minor pars, si logice ac conscientiose agere velit, definitioni eodem modo, quo maior pars subscribere debet, quodsi magnifico modo praestiterit, bellum inter duo castra decurrens suapte in perpetuum cessabit. Alter effectus est *animorum reconciliatio*. Durante Concilio in sinu Episcopatus Galliae graves opinionum varietates, imo, dicere possem, dolorosae dissensiones apparuerunt. Hispania, et omne, quod linguam eiusdem loquitur, in respectu infallibilitatis unius vocis, uniusque cogitationis fuerat. Eadem fere unio viguit etiam inter Eppos Italiae. Ast in medio nostri duplex vexillum erectum fuit, et discordiae nostrae multas animas, quae nobis lubenter benedixissent, nosque admiratae fuissent, profundo moerore repleverunt. *Quis infaustus cuneus insertus est antiquae quercui, ut truncum eiusdem diffindat? Reliquiae opinionum gallicanarum. Et quae manus illum ad annulos centenariae arboris incussit? Manus virorum Status. Haec fuit semper obcoecatio potestatum, quae Galliae successive imperabant, quae Eppatum nostrum in perfecta submissione erga veras doctrinas fidei et erga praerogativas sanctae Sedis impedire perpetuo nitebantur.* Eaedem, quantum fieri potuit, sollicite cavebant: ne vacantes Eppatus Romae adhaerentibus conferantur. Interdum summo Pontifici systematice talia dumtaxat nomina proposita fuere, quae recte opposita fama praedita erant. Nunquam fuit cuicunque agnitum ius, ut infallibilista esse, aut fieri possit. Crimen istud, quotiescunque admissum erat, semper honore amissionis gratiae plectebatur. Imo nonnulli adinstar principii statuere attentarunt: neminem ultramontanum esse posse, quin gallus esse desinat, ita ut eodem tempore inimicus regiminis fieret, et

patriam abnegaret. Profecto huiusmodi ineptiae in culto regno, quale est nostrum, radices figere haud debuissent. Et tamen ista fuit esca, qua omnes nostri viri Status inde ab anno 1682 nutriebantur, de qua vivebant, a qua se inspirari sinebant. — Nuperrime quoque nonnulli Ministri huic rei novum, amarumque testimonium dederunt, mundusque vidit, quomodo foverint, in detrimentum honoris et veritatis, in seriebus nostris discordias, quarum affectus sanctam Sedem, fidelemque Episcopatum contristavit. *Ex quo* itaque *definitio 18-ae Iulii gallicanas opiniones, vel potius aberrationes irrevocabiliter confodit et dogma infallibilitatis promulgavit, Regimina quoque una ansa minus possidebunt, ad invehenda in Episcopatum heterogenea elementa.* Ex perfecta unione in fide, quemadmodum speramus, perfecta unio cordium et directionis orietur. Ferventius maiorique unanimitate congregabimur circa cathedram Petri, et honorem, nobis in puro veroque amore patriae praevalendi, nemini cedemus.

XXXIV. Conciliatio igitur est primus fructus decreti de infallibilitate. Secundus est: *lux et certitudo.* Non obstantibus cunctis illecebris, quibus doctrinae gallicanae multos attrahebant, *infallibilitas sanctae Sedis in ipsa Gallia quoque, cumprimis difficilibus momentis facto recognita fuit, et prompta, absolutaque submissio erga decisiones Vaticani semper testimonium huius intimae fidei erat. Verumtamen unum effugium adhuc remansit parum christianis Regiminibus,* et inquietis aut rebellibus spiritibus. *Reverentiam quidem erga eloquia Romae omnino palam profitebantur, ast illico addiderunt: infallibilitatem summi Pontificis necdum dogma fidei esse;* reservantes sibi ius, iudicia eiusdem etiam ex cathedra prolata non pro penitus irreformabilibus habendi; cum forte auctoritas eius doctrinalis, quantumvis alta et venerabilis, auctoritati saltem Conciliorum subiecta sit. Ope perfidi huius *forte*, horumque submissa voce pronuntiatorum et dextere propagatorum dubiorum successit: interventionem Romae in plurimum manifestis et obligantibus actibus spiritualis dominii eiusdem paralysare. Et hanc quidem (interventionem) ipsi personaliter mox subterfugere coeperunt, tum vero alios, in quos influxu potiebantur, ad idem faciendum exstimularunt.

Atque istud est, quod cum magno moerore anno 1864 et 1865, ex incidenti Encylicae *Quanta cura* et *Syllabi* experiri debuimus. Profecto nihil isto magis absurdum fuit, iuxta ipsam gallicanam doctrinam quoque; nihilo tamen minus nequaquam animadverterunt aut animadvertere noluerunt, quanta hic subversetur inconsequentia, atque ideo porro inveteratis his erroribus innitebantur, ut definitionibus aut damnationibus sanctae Sedis resistere queant. *Deinceps iam actum est de his miseris argutiis. Quotiescunque Petrus, tamquam supremus Dominus fidei, tamquam supremus magister populorum locutus fuerit, nemini iam patebit occulta ianua, qua sententiam eiusdem effugere possit.* Omnes deinceps sub ictu fulminum non secus ac coram radiis luminis eiusdem se humiliare debebunt. *Regimina nomine suae propriae theologiae protestabuntur, diversi Consiliarii Status fortasse intervenient, et quis scit, an agendi rationem eorum nonnulli Eppi quoque exculpaturi non sint? Verum incassum; irrita oppositio! Oraculum sub vadimonio divinae protectionis loquetur; in Petri voce vox ipsius Spiritus S. resonabit.* Ad quem illa pertigerit, is eandem reverenter audiet, eaque fiducia suscipiet, quae omne dubium, omnem moram scopo praemittendae investigationis, omnem diffidentiam et cumprimis omnem vilipendentem aut negantem oppositionem excludit. Infallibilitas sanctae Sedis pacem animarum constituet, quia lumen earundem erit. Haec est inaestimabilis illa securitas, quam nobis definitio Concilii praebet, quam nulla potestas, nullumque sophisma erroris arguere, vel nobis eripere poterit.

XXXV. *Glorificatio principii auctoritatis* est tertium beneficium definitionis. Unum memoria dignissimorum spectaculorum seculi nostri consistit in oppositione motus, in respectu auctoritatis in Ecclesia, et in politico-sociali mundo vigentis. Quo magis progredimur, eo magis frivolo scepticismo tractat humana societas potestates, quae eandem regunt. Eadem non fidit moralitati, seriae voluntati, et illuminationi illarum; atque sic factum est, ut mortales hae divinitates antiquas praestigias suas amiserint; spiritus rebellionis spiritum obedientiae fere ubique solio privavit. Verum est, principes parum sollicitos fuisse, ut populos in hoc lubrico plano contineant. Exerci-

tium potestatis eorum tantum arbitrium, tanta illegalitas, tanta irreligiositas tantaque insipientia comitabatur, ut febrilis et violentus situs, contra quem omnibus fere illorum pugnandum est, in regnis ipsorum subsequi debuerit. Quacunque e causa id factum sit, omnino certum est: spiritum independentiae et insubordinationis hodie praecipuum characterem animorum constituere; adeo ut exortae inde convulsiones in Europa immensas abyssos aperire minentur, in quibus omnes throni disparebunt. Ex adverso Ecclesia pro honore et gloria sanctae Sedis prorsus oppositum phoenomenon exhibet. *Quo magis veterascunt alii principatus, aut quanto celeriori successione multiplicantur, eo magis dehiscunt in existimatione nationum; quo diutius vero durat Pontificatus Pii IX, eo altius elevatur in amore et veneratione cultissimorum populorum.* Id inde repetendum est, quod de die indiem ex se ipso in lucidiora spatia assurgat. Tempus, quod secus omnia obfuscat, virtuti eiusdem quovis anno maiorem heroismum, characteri eiusdem plus magnitudinis, providentiae eiusdem altiorem vim, sapientiae eiusdem maius acumen, maioremque securitatem addit. In cacumine octogenariae fere vitae positus, vicinior est luci, quae e montibus aeternis descendit, et ideo clarius ac unquam perspicit tendentias, indigentias, errores mundi, ad pedes eiusdem se moventis. Hora, quae tam multis aliis decrementum virium adfert, eidem maiorem illuminationem attribuit. Atque eodem momento fit, quod magnifica definitio ipsum infallibilem declaret. Decretum eidem nullam novam dignitatem confert, neque eundem vel ad crassitiem capilli elevat; sed tantum donum, eidem in persona S. Petri a Iesu Christo collatum, annuntiat; et quidem annuntiat solemni prorsus ratione. *Quingentis Eppis plures testimonium perhibent, contra quod excipiendi nemini ius quodpiam competit, cum istud testimonium Spiritus S. sit!* Profecto *sublimis sanctio pontificiae auctoritatis!* Quapropter facile comprehendimus: cur eandem populus tam prompte recognoscat, veneretur et benedicat. Ecquidem scio, supernaturale, quod in hac praerogativa occurrit, terrorem excitasse. Pontifices, natura sua fallibiles, per privilegium infallibiles redduntur: quam inauditum miraculum! An non est improvidum, atque inopportunum, Ponti-

fici hunc honorem attribuere aevo nostro, miraculis et quibusvis supernaturalibus rebus tantopere inimico? — Verumtamen primo, privilegium isthoc neutiquam tale est, quod recenter confertur, quasi pridie non extitisset; etenim id solummodo declaratur, illud iam ante bismille annos a Iesu Christo S. Petro, successoribusque eiusdem collatum fuisse. Potestas non ampliatur, sed vera mensura eiusdem declaratur. Qui hanc iusto ampliorem, aut excelsiorem existimaverit, coram Iesu Christo conqueratur, qui eandem talem efformavit, et non coram Concilio, quod tantum existentiam eiusdem enuntiavit. Et, secundo, an non sunt omnia admirabilia et supernaturalia in activitate sacerdotii, a Iesu Christo fundati? Datur-ne aliquid magis supernaturalis quam vis cum aqua Baptismi, cum oleo Confirmationis, cum verbis absolutionis coniuncta? Et quid mirabilius, quid magis stupendum dulci mysterio Eucharistiae? Nos toti in supernaturalibus versamur, tota vita nostra in iisdem movetur, et tamen nemini Christianorum incidit, hac de re mirari, aut inde scandalum desumere. Et infallibilitatem Pontificis eo non obstante, tamquam aliquid extraordinarii repudiare deberemus? Numquid ista mirabilior est, quam facultas, panem et vinum quotidie per miraculum Transsubstantiationis in corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi commutandi? Est-ne illa magis supernaturalis, quam potestas solvendi et ligandi, conscientias damnandi aut absolvendi iudicio, quod coelum ratihabet? Et si non liceat hac de re loqui, quia rationalismus eandem aspernatur, aut in sinistram partem interpretatur, cur non possent reiici omnes supernaturales praerogativae sacerdotii, per quas illud magnum redditur, et causam suae existentia habet?

XXXVI. Quod ad me attinet, amarum dolorem mihi causavit, me infirmitate impeditum fuisse, in praeparatoriis disquisitionibus partem capere, et occasione definitivae collectionis suffragiorum meum *placet* enuntiare. Verumtamen ego durante labore ferventibus precibus, et ubiprimum decretum ad notitiam meam pervenit, eo iucundiori *Credo* compensatum cernebam dolorem meum. Nobis omnibus solatio est, apparitionem huius decreti cum incomparabili splendore ac triumpho coniunctam fuisse! Idem distinctum fuit honore liberrimae,

atque maxime exhaurientis disquisitionis, quae unquam in aliquo Conciliorum viguit. Idem insuper honorem quoque *acclamationis* impetravit. Iamdudum ante exordium magni nostri Vaticani Concilii vox acclamationis in pastorali epistola mea occurrit. Non dixi, me hunc triumphum dogmati infallibilitatis exoptare; ad hanc solam declarationem me restrinxi: me dogma istud, etiamsi per acclamationem definiretur, pro perfecte definito consideraturum esse, — quod sane theologice rectum erat. Verumtamen verba mea perperam intellecta, et in nexu sinistrae interpretationis eorumdem, eadem acerbissimae et plurimum contumeliosae crisi subiecta fuere. Et nunc acclamatio, quam ego nequaquam exoptavi, sed tantum hypothetice elucubravi, eventu comprobata est; — sit coelum eapropter benedictum! Haec *acclamatio latet in postulato mox in exordio Concilii a quingentis et amplius Patribus subscripto*; quae acclamatio eo significantior redditur, quod nequaquam in aestu piae, ferventisque congregationis orta sit, sed per subscriptiones, singillatim et in silentio collectas, quarum plena libertas in dubium avocari nequit. *Acclamatio! cuius vox durante Concilio saepius eadem maiestate resonuit,* ut horam, qua magna haec quaestio definiretur, acceleret. *Acclamatio! quae quingentis et amplius subscriptionibus inchoata, post septem menses quingentis et amplius affirmativis suffragiis conclusa est;* manifesto indicio, in primis manifestationibus, veritati, nunc iam triumphanti, faventibus nec iudicium, nec sapientiam, nec accurationem, neque convictionem defuisse. Unicum nunc iam superest votum, unica precatio: ut nempe verba, per Pium IX post confirmationem decreti prolata, ab omnibus, quos concernunt, pleno affectu et adhaesione filialis pietatis suscipiantur. *Eppi quidam, exiguo numero, postremae sessioni se subduxerunt. Hac agendi ratione ipsorum non perculsus, non consternatus, non ira commotus, sed profunde contristatus, S. Pater, Deum pro illuminatione intellectus et cordium eorundem precatur,* ut cognoscant, rationem officii et honoris ab ipsis deposcere, ut Iesu Christo appropinquent, ruentes ad brachia Vicarii eius, qui illos amat, ardenterque exoptat, ut animae eorundem cum anima ipsius

perfecte unum sint. *) O Pastor pastorum! cur non deberet vox amore pleni cordis tui audiri? Cur non deberent illi, qui in fervore disputationis, aut e praeconceptis opinionibus a te recesserunt, sub salutari suavique impulsu obedientiae erga Ecclesiam, ad paternum sinum tuum reverti? Post decisionem Concilii ad quem ibunt, nisi ad te, ut verba vitae aeternae audiant? O millies benedicte Pater, et benedictione millies dignior! Plures iam, subiectione sui, te consolati sunt; ceteri quoque idem praestabunt. Iidem cum Concilio, cui semper se obtemperaturos declararunt, agnoscent: sola labia tua his in terris securum depositum divinae doctrinae custodire. Iidem nobiscum simplicem, sed intimam professionem fidei suae in infallibilitatem tuorum iudiciorum elicient. Alieni a praetendendo sibi dominio, absque recalcitratione in incorrupta apostolica traditione tua sapientia se confirmari sinent. Hoc modo, unanimiter et venerabili voci tuae cum amore obsequendo, exercitus Domini unitis viribus obviam ibit praeliis, quae eundem manent, atque mox apparebit, definitionem, quae nunc mundum iubilo replet, sanctam Sedem extollendo, non minus ad gloriam ipsius Eppatus conferre.

1971. **Breve Summi Pontificis** *ad Eppum Nemausensem. 1870.* Pastoralem epistolam, qua tu, ven. frater, nunciasti populo tuo definitum ab Oec. Concilio dogma infallibilitatis Romani Pontificis ex Cathedra docentis, eo libentius excepimus, quod per ipsam et absoluta devotio tua huic S. Sedi compertissima fiat, et *vera restituatur totius disceptationis historia.* Quod utrumque utilissimum esse non dubitamus fidelibus, quo facile discere poterunt, *quam validis theologicis argumentis et quam solido perpetuae traditionis fundamento niteretur pia sententia tua ac plerorumque e vener. fratribus tuis; et e converso quam infirmae, obsoletae profligataeque forent dissidentium obiectiones, quibusque artibus instaurarentur, sustentarentur ac ingererentur animis. Et quoniam innumeri libelli ac periodica scripta, illorum opera vulgata, plurimos deceperant, sive quoad difficultates quaestionis eiusque opportunitatem, sive quoad methodum ac libertatem in ea*

*) Allocutio Pii IX vid. Univers. 24 Iulii 1870.

expendenda adhibitam, peropportunam certe hisce erroribus medelam attulisse non dubitamus lucubrationem tuam, multosque idcirco revocasse ad aequam de rerum veritate sententiam. Grato certe nos animo hoc eppalis zeli tui testimonium excepimus, eique amplissimum apprecati sumus fructum. Coelestis vero favoris auspicem et praecipuae nostrae benevolentiae pignus apost. bened. etc. Datum Romae die 6 Oct. 1870.

1972—1974.

Pastorales Literae **AEppi Parisiensis,** quibus decreta Concilii Vaticani promulgantur; ac simul antecessoris AEppi epistola ad Papam cum Huius responso communicatur. 1872.

Unum praecipuorum officiorum illorum, qui a Deo constituti sunt pastores populi christiani, in eo consistit: ut intactum conservent in animabus curae suae concreditis pretiosum thesaurum *fidei Iesu Christi.* Nostis, *hanc fidem in medio revolutionum intellectualium et moralium, quae in mundo eveniunt, nec ecclypsin nec variationem subire.* Dum aliae doctrinae mutantur, scientia veteres suas hypotheses repudiat, systemata quae hodie applausum tulerunt, cras ad tumulum oblivionis sepeliuntur: *sancta fides nostra, quam a Deo et Christo eius accepimus, in intellectu nostro semper vivit et floret, quin labefactationem aut senectutem nosceret.*

Et tamen *haec perseverantia, nequaquam est immobilitas; si fides catholica nunquam mutetur, evolutio eiusdem nequaquam vetatur; si eadem regredi nequeat, Deus tamen eidem novum horizontem aperit, versus quem semper progredi debet.* Hinc fit, nostram doctrinam duabus legibus subesse: legi immutabilitatis, quia obiectum eius est ipsa veritas in aeternum perdurans; et legi progressus, quia obiectum eius semper penitius intelligendum est, quo Ecclesia profundioribus

studiis eiusdem intenta est, et Spiritus S. profundum sensum eius nobis clarius revelat. *Revelatio, in se ipsa considerata, inde a morte Apostolorum non est aucta; ast obligatio, veritates in sacris paginis, aut apostolicis traditionibus iam contentas sub hac vel alia forma admittendi, semper a suprema potestate Ecclesiae definita fuit*, quam potestatem Deus ad nostram doctrinam constituit, *ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae.* (Ephes. IV. 14.)

Hanc duplicem legem miro modo illustravit et designavit *S. Vincentius Lirinensis.* Posteaquam fortiter oppugnasset innovationes haereticorum, interrogat: „Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac seculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent.“ (Commonit. XXIII.) *Evidens est, in illis, quae ad doctrinam catholicam pertinent, progressum in ampliori cognitione veritatis consistere. Ad hoc progressuum genus pertinet*, charissimi fratres! *etiam ille, qui pro nobis in primis sessionibus Concilii Vaticani adimpletus est.* Concilium subito per graves, vobisque notos eventus interruptum, non est dissolutum priusquam solennes suas decisiones, quae sensum doctrinae revelatae quoad plura magni momenti puncta defigunt, enuntiasset.

Redux in medium vestri Ven. Praedecessor noster instar obligationis reputavit, adhaesionem suam communi Patri omnium fidelium submittere; instar responsi a Sua Sanctitate accepit epistolam, in qua S. Pater eidem suum solatium

desuper declaravit, quam tamen epistolam legere eidem concessum haud fuit. Causam nostis; nam memoria ingentium horum dolorum vobis adhuc praesentissima est. Venit dies, dum Archi-Eppus vester captivus fuit, privatus omni communicatione cum suo clero, cum suo populo, imo etiam cum sociis captivitatis et dolorum. Odium religionis ultro processit, et nobilem victimam adiecit illis, quorum sanguine consecrata est sedes, ad quam Deus Nos, non obstante indignitate nostra, vocare dignatus est. Sic igitur *proposita Pastoris in effusione sui sangvinis suffocata fuerunt, neque effectui dare potuit intentionem suam, acta postremi concilii promulgandi.*

Nos igitur, ch. fratres, *manet nunc haec provincia;* neque differre possemus amplius implementum muneri nostro tam essentialiter inhaerentis obligationis; non quasi decreta Concilii Vaticani novam auctoritatem adipiscerentur per publicationem, quam hodie facimus, sed quia rectus ordo deposcit, ut eadem ad notitiam fidelium pertingant per intermediationem Epporum, depositariorum et custodum fidei Ecclesiae.

Nulli dubitamus, vos religiosa cum veneratione et cum plena, filialique submissione suscepisse dogmaticas decisiones, quas vobis communicare intendimus. Haec oracula omni catholico debent esse oracula Spiritus S. qui Eppis in nomine eiusdem congregatis assistit. Concilium Vaticanum eadem auctoritate pollet, quam omnia praecedentia concilia oecumenica habuerunt. Quemadmodum sine haesitatione acceptatis venerabilia Symbola Nicaenum et Constantinopolitanum, quae recitamus, simulque cantamus dum sacrorum Mysteriorum celebrationi adstamus, sic sine erroris metu et cum firmitate adhaesionis in se ipsa securae suscipietis solennes definitiones, quas Eppi totius orbis Romae congregati sub praesidio et cum confirmatione Summi Pontificis postremo tulerunt.

Recordamini, dilectissimi Fratres, quanta alacritate accurrerint ad vocem Capitis Ecclesiae Eppi ex omnibus, dissitissimis quoque regionibus. *Nunquam fuit visus augustior conventus; nunquam fuit celebratum Concilium, in quo diversae Ecclesiae christianitatis magis universaliter, pleniusque repraesentatae fuissent.* Si multitudo Praelatorum augere potest maiestatem Conciliorum, profecto hic character non de-

fuit Vaticano; si omnium populorum catholicorum interest, ut ibidem iudices et testes suae fidei conspiciant, nec unus quidem conqueri potest, se repraesentatum non fuisse. *Pastoribus vestris plena libertas relicta fuit sensa sua exprimere*, vocem suam audiri facere, difficultates, quas quisque sive quoad meritum doctrinarum, sive quoad quaestiones temporis, formae, utilitatis, convenientiae habere posset, proponere. Et *augustum Concilium post longas dumtaxat, maximeque serias discussiones, auditis cunctorum opinionibus, expensisque obiectionibus et responsis, plena cum independentia, et in sapientia et maturitate consiliorum tulit decisiones, quae in huiusmodi circumstantiis non sunt opus eiusdem proprium, sed Providentiae, Ecclesiam Iesu Christi gubernantis.* Itaque *Ecclesia Catholica, suffulta promissione Iesu Christi:* „et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi," (Matth. 28. 20.) *personificata in illis, qui vos nomine eiusdem docent, vobis exhibet per manus nostras haec decreta, quae regulam fidei et cogitationum vestrarum constituere debent.*

Videtis igitur, ch. Fratres! *nullum deinceps dubium, nullam incertitudinem subsistere posse.* Donec Concilium decisionem non tulisset, nonnullae dissensiones subsistere potuerunt; contrariae opiniones libere affirmabantur, et nos adstitimus oppugnationibus, quae non tam ipsam doctrinam, quam potius maiorem minoremve utilitatem respiciebant, quae e promulgatione eiusdem in tota sua extensione promanare posset. Hae discussiones hodie iam conclusae sunt; et *in universo mundo veri catholici exemplari cum submissione susceperunt veritatem, quae ipsis nomine Dei proposita fuit. Illi, qui timere videbantur inconvenientias definitionis dogmaticae, non cunctabantur exaggeratum hunc metum deponere; enimvero intellexerunt, novam decisionem, alienam ab eo, ut sive singulis individuis, sive guberniis timorem quemdam inspirare posset, nihil aliud esse, quam ultimam evolutionem constitutionis Ecclesiae, cuius notio nonnullis locis per controversias postremorum seculorum obscurata fuit.*

Reipsa in quavis societate rite ordinata opus est, ut in summitate adsit potestas, in ultima instantia iudicans, suprema

iurisdictio, quae sine appellatione decernat cuiusve sententia invalidari nequeat. Considerate ordinem legislativum, ordinem iudiciarium, aut ordinem administrativum, ubique de gradu ad gradum pertingetis usque ad primam auctoritatem, in singulo homine, aut collegio residentem, cui ius competit definitivas sententias edendi, determinationes, quae legem constituunt, ferendi, aut sensum antiquarum regularum authentice interpretandi, quin aliquis sententiae latae resistere possit. Atque oportet ita esse, ut lites terminentur, luctis finis ponatur, et omnes discussiones claudantur; secus enim ordo perpetuis turbis obnoxius, ius constanter litibus oppugnatum, proprietas semper incerta foret.

Nequaquam intendimus adstruere, tribunal humanum, in temporalibus negotiis sententiam ferens, ab omni errore immune esse; ast, si tenemur sententiis eiusdem, tamquam conditioni ordinis publici, speciem quamdam infallibilitatis facti tribuere, quomodo possemus cogitare, hanc cautionem deesse societati spirituali a Iesu Christo adinstar typi et exemplaris societatum humanarum fundatae? Interim inter hunc duplicem ordinem rerum *essentialis differentia* existit; nam *si hypothetica infallibilitas ad conservandam civilem societatem sufficiat, vera et reali inerrantia opus est in spirituali societate, ubi iudicia auctoritatis conscientiam obligant et internam subiectionem intellectus deposcunt.*

Pro filiis Ecclesiae primum bonum est fides, et Iesus Christus eosdem securos praestare voluit de certa et clare definita possessione obiecti fidei. Symbolum non potest incertum esse, secus enim inter veritatem et errorem indifferens manere non posset. Ast, nolite credere quamcunque formulam, quapiam epocha stabilitam sufficere ad semet ipsam explicandam et defendendam omni tempore, omnibusque in circumstantiis. Tanta est mobilitas humani spiritus, ut continuo novas difficultates suscitet, successive novas quaestiones ponat, novaque problemata agitet. Quoad ipsa dogmata definita opiniones antea ignotas et interpretationes saepe contradictorias suscitat. Si fideles, sibi solis relicti, in medio labyrinthi incertarum opinionum alium viae ducem non haberent, quam proprium sensum suum et particulare iudicium, quot illorum exponerentur peri-

culo misere aberrandi? Quot, ore profitentes adhuc antiquam fidem, eandem in corde negarent, cum verba per traditionem consecrata pro iisdem iam non idem momentum, eandemque significationem haberent. Praeterea extra dominium per priores decisiones circumscriptum quotidie videmus suscitari controversias, per quas ipsa causa revelationis et veritatum evangelicarum graviter compromittitur. Quis terminabit hos conflictus? quis imponet finem his disputationibus, et assignabit humanae investigationi limitem, ad quem consistere debet?

Potestas doctrinalis itaque *necessaria est, et haec potestas ad sedandas controversias inhabilis est, nisi pro infallibili cognoscatur.* Omnes catholici consentiunt in hoc puncto, omnes admittunt in Ecclesia supremam auctoritatem, quae in materia facti summo iure decidit, ita, ut illi, qui eidem resistunt et decretis eiusdem se opponunt, ad ovile Iesu Christi pertinere cessent, et se ipsos e magna familia catholicorum excommunicent. Addamus, hoc tribunal, ut missionem suam adimpleat, permanens et omnibus visibile esse debere, ut membra Ecclesiae omni tempore sua dubia, et quamvis incertitudinem eiusdem iudicio submittere queant.

Ast *ubi est sedes huius auctoritatis?* An solummodo in *Conciliis generalibus*, id est in his magnis conventibus, qui oecumenicorum nomine insigniuntur, quia diversae partes christiani mundi ibidem repraesentantur? Abs dubio non; et graves, remque serio expendentes spiritus nunquam existimarunt huiusmodi organisationem necessitatibus Ecclesiae sufficere. Profecto Concilium est potestas necessario interrupta; saepe secula pertranseunt, quin celebretur, multaeque causae impediunt frequenter hos magnos conventus. *Si Iesus Christus plenitudinem apostolicae potestatis, ad regendam fidem nostram necessariae, iisdem exclusive contulisset, Ecclesiam suam adversus impetus erroris et mendacii non satis munivisset.* Hinc omni tempore unanimiter admissum fuit: haeresim quamdam etiam citra convocationem concilii generalis definitive damnari posse; et reapse sine hoc medio iudicati fuere innumeri errores, et e sinu Ecclesiae eiecti multi homines, qui iisdem obstinate adhaerebant.

Dum spiritus mendacii quodpiam dogma pervertere aut revelatam quamdam veritatem impugnare tentavit, vigilantia pastorum mox indicavit errorem, et palam annuntiavit periculum. *Passim Eppi provinciae, ubi venenum ortum est, sive singillatim sive in conciliis particularibus errorem proscribere coeperunt. Sententiam hanc iam ipsi Praelati, iam auctores haeresum ad superius tribunal detulerunt. Hac ratione causa serius ocyus Romam delata fuit, et successores Petri occasionem nacti sunt sensum suum enuntiandi.* Nonnunquam fratres suos ex Occidente ad Concilium convocarunt, ut cum iisdem verum sensum catholicae doctrinae determinent; ast saepius, quin ad grande suffragium generalium Conciliorum recurrissent, *auditi sunt proferre sententiam, a qua appellationi locus concessus non erat. Hoc iudicium latum legem christianitatis constituebat; Eppi, per universum mundum dispersi, cordi sibi sumpserunt orthodoxiam suam per intimam adhaesionem erga cathedram Petri comprobare, et ad repellendum errorem satis fuit iisdem scire, hunc per summum Caput Ecclesiae proscriptum fuisse.*

Hac ratione damnatus fuit magnus numerus heterodoxarum doctrinarum, quin contra easdem generale Concilium convocatum fuisset. Tunc quoque, dum Antistites diversarum regionum convocati fuissent, uti Ephesi et Constantinopoli, saepissime dogmaticae Epistolae communis Patris fuerunt, quae iisdem viam, qua progrederentur, monstrarunt, et iidem proclamare gestierunt, *se in voce Romanorum Pontificum semper vocem Petri audire.*

Reapse *Dominus noster oravit, ne deficiat fides Apostoli sui et successorum eiusdem; ipsi, et heredibus sublimis magisterii eiusdem contulit provinciam, ut fratres suos in sana doctrina confirment. Omnia secula perhibent, hanc orationem Salvatoris in persona Rnorum Pontificum adimpletam fuisse; ac perhibent, fidem illorum universalem regulam, et fundamentum, quod omnes ceteras Ecclesias sustentat, factam fuisse.* Iisdem non consentire, idem est, ac se ipsum a familia christiana segregare; communione eorundem destitui, idem est, ac seipsum excludere magna et necessaria unitate, nam, dicente S. Ambrosio: *ubi Petrus est, ibi*

Ecclesia; et, ut addit S. Hieronymus *quicunque agnum extra hanc domum manducaverit, profanus est;* demum observante Optato Milevitano: *„haec cathedra B. Petri sola est, in qua unitas ab omnibus servatur.“*

Istud est, Ch. Fratres! maxime sensibile, maxime perseverans et maximi momenti factum historiae ecclesiasticae. *Fieri quidem potuit, hanc fidem in infallibili auctoritate Paparum sub diversis formulis expressam fuisse; imo fieri potuit, eandem certa mensura oppugnatam fuisse; verumtamen ibi quoque, ubi principium propter praeiudicatas scholae opiniones, aut locales circumstantias in dubium pertractum fuit, consequentiae eiusdem in praxi semper acceptatae fuerunt; et, dici potest, in illis oris, ubi theoretica oppositio ortum sumpsit, maximam submissionem exhibitam fuisse auctoritati doctrinali, per Iesum Christum suo hic in terris Vicario concessae. Quis nescit, in Gallia occasione magnarum querelarum per Iansenismum suscitatarum, dogmaticas decisiones Paparum Alexandri VII, Innocentii X, Clementis XI orthodoxis suffecisse ad dignoscendum, ubinam sit error, et ad dissidentes e gremio Ecclesiae eliminandos?*

Itaque C. fratres! *privilegium illud, quod Concilium Vaticanum solenni ratione definivit, facto semper admissum fuit formali aut aequivalenti ratione*, semperque direxit relationes inter Pastorem Supremum et inter concreditos sollicitudini eius fideles intercedentes. Atque hinc vos, aut se ipsos deciperent illi, qui vobis dicerent, per hanc definitionem omnia mutata esse; qui eandem vobis tamquam periculosam innovationem sisterent, aut qui in eadem periculum vestrae libertati imminens et attentatum contra conditionem populorum catholicorum conspicere vellent.

In veritate affirmando sumus, nihil esse mutatum in sinu Ecclesiae; id quod generatim tamquam certa opinio creditum, quod in praxi ubique tamquam invariabilis regula admissum fuit, summam confirmationem obtinuit, et ad dominium fidei transivit. Praeter istud nihil mutatum est; *externa oeconomia sanctae Ecclesiae nullam subiit variationem, et relationes eius ad gubernia civilia nullatenus modificatae sunt per decisionem, ad pure dogmaticam sphaeram*

restrictam. Permittant igitur nobis fidem nostram, secundum doctrinas Evangelii, et traditiones apostolis coaevas dirigere; nam quo magis sinceri christiani fuerimus, eo magis fideles, utilesque patriae cives evademus. Viri politici, tantum abest ut timere debeant a nostra orthodoxia, ut potius eisdem congratulandum foret, nam ipsa submissio erga ecclesiasticam legem, quam profitemur, est vadimonium obedientiae, quam civilibus legibus exhibituri sumus.

Convicti sumus, extraordinarium motum per definitionem Concilii Vaticani causatum, potissimum ignorantiae theologicarum disciplinarum, inprimis apud laicos, attribuendum esse. Alias scientia theologica in mundo per eruditos viros culta fuit; hodie id neutiquam obtinet. Hinc fit, *quod ingenia, secus valde distincta, nimis exaggeratam ideam infallibilitatis pontificiae sibi formaverint. Expressionem hanc in sua larga et absoluta significatione sumentes, sibi imaginabantur, Concilium Papae contulisse privilegium Divinitati essentiale, vi cuius nunquam sive fallere sive falli potest; dum tamen isthic duntaxat de inerrantia sensu theologico sumta agitur, quae virtute divinae promissionis in determinatis casibus, et in restricta sphaera principiorum fidei et christianae moralis exercetur.* Si quis praesumeret dogmatice asserere: infallibilitatem Romani Pontificis, aut ipsius Ecclesiae quoque ultra hos limites ad cuiusvis generis materias ad religionem non pertinentes, extendi posse, profecto Papa primus foret qui istos hactenus inauditos excessus damnaret, suoque anathemate feriret.

Ceterum nos, C. Fratres! tantum abest, ut de subiectione intelligentiarum vestrarum erga auctoritatem vel minimum dubium foveamus, ut potius congratulari possimus vobis et nobismet ipsis de unanimi adhaesione, quam hae decisiones apud vos repererunt. Profecto spectaculum consolationis plenum est, nihilque melius demonstrat potentem vigorem catholici sensus, quem nonnulli interdum velut in animabus vestris fere extinctum repraesentant, quod, donec quaestio in pendenti, et ultima vox concilii necdum pronuntiata erat, vos quoad opiniones divisi fueritis, et huic vel illi solutioni, huic vel illi loquendi formulae, quam Pastori vestro libenter inspirassetis, interdum

fortassis nimio ardore adhaeseritis; ast *vix sonuit summum oraculum et clamori* huic *successit profundum silentium assensus*, non tantum quia tunc vox sinistrorum eventuum omnem attentionem absorpsit, sed quia mentes iam ad malatiam compositae erant, vel si in iisdem perturbatio quaedam adhuc remansit, haec nequaquam fidem haesitare, aut necessariam obedientiam differre fecit. Consensus itaque plenus et universalis fuit; et, si alicubi dissona quaepiam vox audita est, id neutiquam in Gallia evenit. Nam *non est habenda ratio defectionis duorum, triumve sacerdotum, auctoritate destitutorum*, ingeniorum magis infirmorum, quam persuasorum vobisque potius a quodam splendore imaginationis, quam a profunditate et soliditate doctrinae notorum; profecto aberratio horum imitatores non habebit. Viri huiusce factionis, quasi proximum suum occasum praesensissent, *veterum catholicorum* titulum sibi attribuerunt. In lingua Ecclesiae epitheton *vetus* ac *recens* synonimum est erroris et haereseos. Quod *recens* est, plenitudine vitae caret; quod *vetus* est, morti propinquum est. Quid cogitasset *S. Augustinus* de his singularibus, mirisque nomenclationibus, ille, qui contemplando immutabilem veritatem, voce admirationis et amoris exclamavit: *„O pulchritudo semper antiqua! o pulchritudo semper nova!* En verum characterem catholicae doctrinae: aeterna origo eiusdem eam praeservat a debilitate illius, quod initium habet; lex progressus eiusdem eam praemunit adversus infirmitatem illius, quod desinit.

Benedictus sit millies ille, qui se ipsum Deum concordiae et pacis appellat! Benedictus sit spiritus lucis eiusdem, qui diffusus super fideles, eosdem ad unanimitatem sensus perducit, et in necessaria unitate fidei conservat! Hoc modo adimplentur preces Iesu Christi, qui oravit, *ut sui unum sint cum ipso, quemadmodum ille unum cum Patre est.*

Utinam, C. Fratres! dispareret omne vestigium divisionis inter illos, qui eidem Domino serviunt, eundemque Salvatorem adorant! Utinam possemus, sepositis internis discussionibus et renunciando domesticis querelis, omnes conatus nostros coniungere ad removendum commune periculum, et ad communes fidei nostrae inimicos debellandos! *Pusille grex Christi! tu*

quidem debilis videris mundo, post tot, tantasque calamitates; verumtamen invincibilis eris, si omnes, qui ad te pertinere gloriantur, inter se arctissimo nexu coniuncti, circa augustum Caput suum congregati fuerint. Atque haec sacra vincula voluit Ecclesia in Concilio firmare. Quo difficiliora sunt tempora, eo magis necessarium est, ut catholici consentiant, et in luctis eodem passu procedant. Videte, quale spectaculum praebeamus seculo. Quam magna differentia! Dum omnia, quae circa nos existunt, se dividunt et dissolvi videntur, dum humana ratio, in medio omnis generis ruinarum et calamitatum, ad occasum properat, *unitas catholica, ad vocem sacri Concilii novo vigore se manifestat. Eadem sola immota stat in medio labentium omnium rerum, in medio universalis confusionis.*

Adhaereamus ergo magis magisque, C. F., *huic sanctae unitati.* Adhaereamus ei, quemadmodum *Bossuetus* dicebat, ex imis visceribus nostris; eadem sit principium et finis omnium cogitationum nostrarum, eandem omnibus bonis praeferamus. Cum fiducia, quam eadem nobis inspirat, et cum gratia, quam nobis promittit, nullum est obstaculum quod superare, nulla victoria, quam legitime sperare non possemus. „Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra."

Ex his causis, invocato sancto nomine Dei, auditisque eatenus Ven. fratribus nostris Canonicis et Capitulo metropolitanae Ecclesiae nostrae, disposuimus, et disponimus: *Constitutiones et decreta Conc. Vatic. in nostra Dioec. promulganda et pro promulgatis habenda esse.* Quod praesens decretum nostrum in omnibus Ecclesiis et Capellis Dioecesis nostrae prima a perceptione Dominica publicabitur. Lectio eiusdem, si DD. Curati aut beneficiati opportunum censuerint, ad duas vices institui poterit. Datum Parisiis die 11 Aprilis 1872 festo S. Leonis Papae et Doctoris, I. Hippolytus, AEppus Paris.

Documenta in praecedente pastorali litera provocata. 1. *Epistola AEppi Parisiensis Georgii Darboy ad Pium IX P. M. dd. 2 Martii 1871.* Separatus a mundo per obsidionem Parisiensem inde a quinque mensibus et nequiens medio clausarum literarum correspondere, utor hac libertate mihi a paucis duntaxat diebus oblata, ut Sanctitati Vestrae exprimam dolo-

rem meum de situ, ad quem per ea, quae hac hyeme Romae evenerunt, posita est. Omnis catholica anima profunde contristari debet per hunc rerum statum, qui eodem tempore sacrilegum tentamen et socialem disordinem constituit. Sperare oportet, Providentiam longiorem eiusdem durationem haud permissuram; precesque nostrae finem eiusdem accelerabunt. Interpretem ago sensorum totius cleri mei, dum homagium nostrae reverentia plenae condolentiae, simulque vota pro restitutione S. Patris ad omnia iura sua, Sanctitati Vestrae offero.

Piaculo mihi ducerem, si non uterer hac occasione ut Sanctitati Vestrae declarem: *me decretis 18 Iulii 1870 pure et simpliciter adhaerere.* Haec declaratio fortassis superflua videri potest post notam, quam 16 Iulii cum pluribus collegarum meorum Sanctitati Vestrae substernere honorem habui; verum cum hanc rem Sanctitati Vestrae, ut mihi scriptum est, gratam futuram sciam, cum gaudio eandem praesto, inprimis in circumstantiis in quibus Eadem versatur. Sanctitas Vestra recordari poterit nos in hac nota spem expressisse: unanimitatem suffragiorum obtinendam fore, si duae tresve emendationes adoptarentur, quae nequaquam meritum decreti tangebant, sed formam eiusdem leniorem reddere volebant. Quaestio opportunitatis cumprimis cordi et menti nostrae obversabatur, metusque, ne gubernia a causa Pontificatus abalienari cernere debeamus. Scio homines non esse fortes, quemadmodum experientia docet, Deumque illis opus non habere; interim nonnunquam illis utitur. Ceterum factum est.

In nexu eorum, quae in Gallia a sex mensibus evenerunt, Sanctitas Vestra forsitan opportunum iudicabit mihi instructionem dare: an iurisdictionem, quam velut magnus Eleemosynarius (grand aumonier) in nonnullas domus et personas, extra dioecesin meam sitas habui, pro subsistente adhuc considerare debeam; et num in casu negativae, ipsemet Ordinarios, ad quos pertinet, eatenus informare debeam?

Nondum mihi suppetunt sufficientia elementa, ut ominari valeam, quidnam sit facturum gubernium Galliae ex obtutu quaestionum, quae sive civilem principatum S. Sedis, sive emolumentum religionis in patria nostra concernunt. Po-

liticus et financialis situs Galliae, commotio spirituum, incertitudo futuri, totidem res sunt, quae impediunt quominus praevideri possit: quomodo sint solvendae quaepiam difficultates, ad negotia Cleri et Ecclesiae pertinentes.

Dioecesis mea multum passa est, materialiter et moraliter; in septuaginta paroeciis ad peripheriam Parisiensem pertinentibus dimidium domorum, Ecclesiarum, et parochialium aedium in ruderibus iacet. Sacerdotes mei forti ac generoso animo praestiterunt, quae pro sublevandis pauperibus, aegrotis et sauciatis facere potuerunt. Populus iisdem magna gratitudine obstringitur. Parisiis omnes ecclesiae apertae manserunt, et saltem per foeminas et proles, viris per exigentias servitii militaris potissimum foris distentis, frequentabantur. Sermones quadragesimales consueto more asservantur, et auditores iisdem devote intersunt. Si nobis successerit, quemadmodum ardenter exopto, isthic fiduciam et respectum populi conservare, omnes reliquae dioeceses, et Ecclesia quoque inde emolumentum capiet.

Prostratus una cum clero et fidelibus Dioecesis meae ad pedes Sanctitatis Vestrae, apostolicam Benedictionem imploro. Sanctitatis Vestrae humillimus obedientissimus servus. G. AEppus Parisiensis.

2. *Responsum Suae Sanctitatis ad AEppum G. Darboy.* Graviter iam consternati fuimus de infortuniis patriae tuae, cuius generosa obsequia nunquam oblivioni trademus, dum tua epistola augere perrexit dolorem nostrum narratione inauditarum calamitatum, quae hanc magnam Metropolim inprimis obruerunt. Sed Deus, ut observas, iisdem utens ad excitandam fidem et pietatem in populo dormitantem, et ad provehendam in clero charitatis et zeli aemulationem, nos in severis his flagellis divinae iustitiae patrem potius, indociles filios ad officium revocantem, quam iudicem reos castigantem agnoscere possumus. Haec cogitatio tantisper lenit dolorem nostrum, cum nobis spem abundantioris misericordiae suppeditet. *Nec minus svavem consolationem nobis affert vestra pura simplexque adhaesio erga dogmaticas definitiones Concilii oecumenici Vaticani. Persuasum tenemus: Te officii instar reputaturum, ut indilatim fidei populi tui proponi*

facias, quod te ipsum credere profiteris. Quod superest, quo maiora sunt mala quae gregem tuum oppresserunt, eo certius tenemus: te huic causae omnem attentionem et vigilantiam navaturum. Hoc scopo invocamus super te potentissimam et abundantissimam Coeli opem, precamurque, ut beatum pignus eiusdem reperias in apostolica benedictione, quam instar testimonii specialis nostrae benevolentiae tibi Ven. frater, et universae Dioecesi tuae toto corde impertimus. Datum Romae apud S. Petrum 20 Martii 1871. Pius PP. IX. — *(Annales de l' Archi-Confrérie du trés-saint et immaculé Coeur de Marie.* Mai. 1872. p. 136—148.)

1975.

Pastoralis Epistola **Eppi Aurelianensis,** qua Constitutiones Dogmaticae Concilii Vaticani publicantur. 1872.

D. Archi-Eppus Parisiensis, quemadmodum nostis, ad Clerum suum encyclicas literas dimisit, ope quarum dogmaticas constitutiones, in Concilio Vaticano promulgatas, publicavit. *Nos adinstar officii reputamus, has magni momenti Constitutiones, exemplum digni Metropolitae nostri sequendo, publicare.* Verum quidem est, vim obligantem decreti cuiusdam dogmatici neutiquam a publicatione eiusdem, in qualibet Dioecesi instituta, dependere; interim necessarium nobis videbatur, ut Vos omnes prae oculis habeatis, et in tabulariis parochiarum vestrarum conservare possitis authenticum et fidelem contextum expositionis *doctrinae, quae regulam fidei vestrae quemadmodum nostrae constituit, et instar fundamenti deservire debet in institutionibus, quas populo christiano impertiemini.*

Hic est scopus communicationis, quam vobis hodie facimus.

Citius iam id praestitissemus, nisi extraordinaria gravitas eventuum, quorum testes a prorogatione Concilii eramus, nos

a dimittendis ad vos his constitutionibus et convenientibus instructionibus prohibuissent; et nisi universalis notorietas, quam mediante prelo acceperunt, dimissionem earundem ad quamvis parochiam minus urgentem nobis stitisset.

Nequaquam distulimus, usque ad hanc diem, S. Patrem de sensu nostro certiorem reddere; nam Suae Sanctitati non secus ac vobis et fidelibus Dioecesis nostrae iam dudum expressimus adhaesionem nostram erga doctrinam, in Constitutionibus promulgatam.

Inter angustias belli et occupationis Borussicae, eo tempore, quo intra muros Aureliae reclusi, et omni communicatione cum externo mundo imo cum parochis Dioecesis nostrae privati eramus, *lenimen* tam crudelium dolorum *quaesivimus in concinnandis pastoralibus literis, ope quarum nobis proposuimus Constitutiones 25 Aprilis et 18 Iulii promulgare; hae literae volumen operis conscendae sunt, quod serius edituri sumus*, dum graves labores praesentis horae nobis eidem ultimam manum apponere permiserint; — *et iam mense Februario 1871, mox post recuperatam libertatem in epistola adhaesionis, Burdigalis ad Summum Pontificem directa, Suae Sanctitati exposuimus: nos, si contra opportunitatem definitionis scripserimus et locuti fuerimus, ipsam doctrinam semper, non tantum in corde nostro, sed etiam in scriptis, de quibus S. Patri ope tenerrimorum Brevium nobis congratulari placuit, professos fuisse, atque diximus nos huic doctrinae novitus adhaerere, felices nos reputantes, si hac adhaesione nostra Suae Sanctitati tantillam consolationem in medio amarae tristitiae procurando sumus.*

Interim, DD.! Vos ima cordis nostri nostis; enimvero *in vigilia discessus nostri Romam, vobis valedicentes, diximus, qua submissione oris, spiritus et cordis debeamus nos omnes suscipere ferendas definitiones. Et post reditum nostrum, loquendo de praeteritis controversiis, vobis scripsimus: Luctae Ecclesiae non sunt aequales luctis terrae; eaedem non finiuntur personali triumpho, sed victoria fidei, soliusque Dei in sancta voluntate eius.*

Votis vestris ac nostris itaque hodie satisfacimus, dum binas dogmaticas Constitutiones „Dei Filius“ et „Pastor

Aeternus" promulgamus, non metuentes suscitatum vanum clamorem, cui sanum iudicium verorum hominum Status resistere novit, neque eiulatum inimicorum Ecclesiae et S. Sedis.

In solitudine parochiarum vestrarum easdem cum fide legetis et meditabimini. In prima harum Constitutionum videbitis solemnem castigationem doctrinarum, quas *Fenelonius* monstra errorum appellavit, condemnationem atheismi, pantheismi, materialismi, quem paucos ante annos vobis tamquam dedecus nostri aevi et formidandum futuri periculum adumbravimus, indicando simul sociale periculum nobis imminens, et abyssum ad quam praecipitati sumus, et e qua emergere hucdum saltem incassum conamur.

Vox nostra tunc nihil fuit, et tamquam vanus rumor in aere disparuit, ast vox omnium Epporum mundi congregatorum, forsitan persuadebit hodie et populis et illis, quorum manibus sors populorum concredita est, quantopere funesti sint huiusmodi errores, et quam stricta incumbat universis obligatio, adversus eosdem affirmare et defendere necessarias et fundamentales veritates, sine quibus omnis ordo socialis et moralis cessat.

Quid, quaeso, poterit post duas tantum generationes superesse rationis, boni sensus, honestae vitae, dignitatis publicae, civilisationis apud populum, cui persuasum fuisset: nec Deum, nec animam existere, hominem tantum perfectiorem symiam, spiritum hominis plus minusve cerebro brutorum similem esse; sine alia religione, nisi cuius phantasma passiones effinxerint; sine distinctione inter bonum et malum, sine futura vita, sine providentia alia praeter coecas leges fati; et loco totius libertatis et moralis responsabilitatis, contrarii et praeponderantes motus materiae cerebralis! . . . Ita ut coram Tribunalibus rei iam non sint malefactores, sed „magistratuales qui eosdem condemnant." Istud dictum et affirmatum fuit in publicis thesibus!

Quod ad nos attinet, saepe cogitavimus, assistendo Concilio et nunc quoque relegendo haec decreta nobis ipsis dicimus, quantum dedecus pro misero humano genere! Ergo post 19 secula Evangelii et post 40 secula Philosophiae necessa-

rium est, ut 700 Eppi ex omnibus mundi partibus, sub praesidio Vicarii Iesu Christi congregentur ad denuntiandos coram mundo et damnandos huiusmodi errores: „Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit. . . .“

„Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit. . .“

Huiusmodi errores quid aliud sunt, nisi naufragium rationis et eodem tempore omnis veritatis, omnis virtutis et quidquid libertatis et moralitatis nomine apud homines venit?

Propterea vigilate, DD.! et pugnate contra malum. Nolite credere existentiam Ecclesiae, quemadmodum solis, sufficere ad dispellendas omnes tenebras. Ad id laboribus et sudore nostro opus est. Placuit Deo nos ad laborem obligare; et si vos Sacerdotes constituit, id eo scopo factum est, ut sine intermissione laboretis, quo extingui iam incipientem facem in animabus rursum accendatis, et errorem, quotidie propullulantem, sine defatigatione evellatis.

In altera constitutione „*Pastor aeternus*“ videbitis et fidelibus vestris exponetis *pulchritudinem et magnitudinem promissionum per D. N. I. Ch. Petro supremo Capiti Ecclesiae eius factarum.*

Cum sensu profundae consolationis relegetis haec *incomparabilia effata Domini Nostri; effata tam simplicia, tamque fortia, sub quibus summa potestas sensibilis redditur, quaeve tantam lucem praeseferunt, ut nihil iisdem illustrius, nihil magnificentius cogitari queat.*

Quod ad nos attinet, nunquam satis legimus ac relegimus *evangelicam hanc narrationem*, tam simplicem et magnificam, *in qua origo ipsius Constitutionis 18 Iulii promulgatae reperitur.* (Citatur pericopa S. Matth. XVI. 14—23.) En totam cogitationem Domini Nostri revelatam; en significationem primi aspectus in Petrum coniecti, et symbolici ac extraordinarii nominis, vulgari nomini eiusdem substituti! Ecce quomodo factus est *fundamentum divini aedificii* hic miser homo! Et maiora adhuc eidem dicuntur. Huic pauperi idiotae, omni scientia destituto, sed amori Dei erga homines credenti, existentiam regni coelorum et divinitatem Filii Dei profitenti,

dicitur: „Tibi dabo claves regni coelorum“ seu: has immortales claves, quae per fidem et gratiam, per spem et caritatem, per exercitium spiritualis principatus et virtutem christianae obedientiae portas coeli aperient et claudent; id est: magnam hanc moralem potestatem, religiosam auctoritatem, directionem et fulcrum conscientiarum, atque id quod his in terris summam securitatem animarum constituit. Ecce haec data sunt humillimo et debilissimo hominum!

Porro in vigilia suae passionis Dominus ait: „Simon, Simon, ecce satanas expetivit etc. (Luc. XXII 31. 32.) Et post Resurrectionem: „Simon Ioannis, diligis me plus his? etc. (Ioann. XXI. 15—17). Hac ratione ergo obtinuit *Petrus* definitive, in praesentia fratrum suorum, *divinam investituram, et constitutus est summus Pastor agnorum et ovium, parvulorum et matrum, id est, totius gregis Iesu Christi.*

Haec est ergo *summa* ista *auctoritas,* quae omnibus in Ecclesia praeest! haec *infallibilitas magisterii pontificalis, virtute cuius successor Petri, dum ex cathedra tamquam Pastor et Doctor omnium Christianorum definit, quid ab omnibus credendum sit, errare non potest;* haec magna illa *auctoritas doctrinalis, quae in sancta Ecclesia Catholica vinculum spirituale, unitatem et soliditatem fidei constituit.* Si Iesus Christus auctoritatem docendi, ad perpetuam diffusionem veritatis toti corpori apostolico contulit: „Ite docete omnes gentes. . . . Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus . . .“ eandem sublimi et prorsus singulari modo conferre voluit Principi Apostolorum, ad immutabilem conservationem unitatis: „Tu es Petrus. . . Tibi dabo claves. . . Sint unum.“

Haec unitas Ecclesiae suae fuit ardentissimum votum cordis eiusdem, pro hac oravit Patrem suum vesperi post Coenam in vigilia suae passionis: „Pater sancte serva eos etc. (Ioann. XVII 11—23.)

Itaque Iesus Christus voluit, ut non tantum hi duodecim, sed etiam millia Epporum, ipsis succedentium semper non tantum unum cor sint, sed etiam unum spiritum eandemque linguam habeant in infallibili institutione veritatis.

Hanc oeconomiam divinae intentionis miro modo explanat Constitutio 18 Iulii his verbis: *Ut vero Episcopatus ipse*

unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret; per fortitudinem quippe huius incomparabilis effati: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

Haec igitur fuit intentio Domini Nostri, dum Petrum Principem Apostolorum constituisset. Ab hoc momento *Petrus omni modo primus comparet;* ubique *primus nominatur per Evangelistas.* Paulus est magnus Apostolus, sed Petrus est Princeps Apostolorum. *Paulus* conversus, et per ipsum Iesum Christum illuminatus, *debet venire „Videre Petrum“*: (Galat. I. 18) eum videre, contemplari, studere, inquit *S. Ioannes Chrysost.*, eum videre se maiorem non secus ac seniorem, ut in perpetuum instar normae deserviat, quod, quantumvis doctus sit aliquis, etiamsi alter Paulus esset, *videre Petrum* debeat. Petrus, dicit porro magnus AEppus CPnus, Petrus est *Os Apostolorum, Chori Apostolici Coryphaeus* (Hom. in Matth. LIV—LV) Pariter *primus est in confessione fidei, primus in confessione amoris, primus in electione successoris Iudae, primus in solemni promulgatione legis evangelicae, primus in conversione gentilium, primus in gubernatione Ecclesiae, primus ubique: semper et ubique Petrus omnia dirigit.*

Verum quorsum ducetur idem per cogitationem, per voluntatem, sua manifesto altiorem? Ubi residebit, ubi sedem figet his in terris haec summa auctoritas, Petro collata, ut semet perpetuam reddat? Quaenam erit definitiva sedes Petri?

Posteaquam Ecclesiam Ierosolymis fundasset, ubi primo Conciliorum praefuit, posteaquam Antiochiae sedisset, ubi gloriosum nomen christianorum ortum sumsit, (Act. II. 26) *Romam proficiscitur, ad Metropolim idololatriae non secus ac imperii, quae tamen pro metropoli Religionis et Eccle-*

siae praedestinata, ideo propria Ecclesia Petri et sedes Apostolici Principatus fieri debuit. Nero omnia se uno ictu finiisse arbitratus est, dum Petrum, inverso capite cruci affigi, Paulum vero ense capite minui iussit. Sed crudelitas imperatoris invita concurrit ad implementum aeternae intentionis. Elevando Petrum ad crucem, Nero in perpetuum Romae affixit Principatum, quem exhorruit. *Roma, providentialis sedes Piscatoris galilaei, testis martyrii et custos venerandarum exuviarum eiusdem, ius cathedram eiusdem retinendi consecuta est; et haec Cathedra Petri, Cathedra, in qua sola unitas ab omnibus servatur, post tot secula superstes est, et post tantas persecutiones, sub manu et protectione Dei, cum suis invariabilibus iuribus, ibi perdurat, ubi Petrus eam tulit et morte sua defixit; ubi sacra ossa sua reliquit, posteaquam Magistro suo magnum documentum amoris exhibuisset; et a novemdecim fere seculis, omnia in immortali Ecclesia Iesu Christi eadem ratione conservantur.*

In exordio novae persecutionis, quae per quadrantem seculi iam contra Ecclesiam desaevit, quin eam succuteret, dum *Pius IX* in rupe *Caietae* magnis haustibus bibere coepisset calicem summae amaritudinis, quem hodie in admirabili sua senectute cum fortitudine et suavitate incomparabilis serenitatis evacuare pergit, solatio, honorique nobis fuit ad ipsum dirigere verba, quae vobis in memoriam revocare iuvabit.

Ecce Papa! dicebamus, *hic successor Petri; caput catholicae christianitatis; Os Ecclesiae semper vivens semperque apertum ad docendum mundum; centrum fidei et unitatis christianae; focus luminis et veritatis, accensus ad illuminandum orbem; Lux mundi; hic infirmus homo, debilis senex, immota basis divini aedificii, contra quam potestates tenebrarum in aeternum non praevalebunt; lapis angularis, cui insistit his in terris Civitas Dei! Ecce! hoc mortale caput, cui insident gloriosae praeteriti temporis memoriae, spes praesentis imo destinationes futurae aeternitatis! Princeps Sacerdotum, Pater patrum, Heres Apostolorum, et, ut S. Bernardus dicebat, maior Abrahamo Patriarchatu, maior quam Melchisedech sacerdotio, maior Moisc*

auctoritate, maior Samuele iurisdictione, verbo: Petrus potestate, Christus unctione, Pastor Pastorum, ductor ductorum, cardo omnium Ecclesiarum, nodus concamerationis catholicae, (clef de la voute catholique) *inexpugnabilis arx communionis filiorum Dei!*

Ecce, haec scripsimus et vulgavimus ante viginti quinque annos. Dum quis semper sic cogitavit, profecto, comprehendetis DD., *nos cum gaudio et in medio extremae amaritudinis praesentis horae, coram universali inertia debilium potestatum huius mundi, cum ima devotione quoque promulgare sublimes praerogativas Illius, qui successor est Petri et D. N. I. Ch. his in terris Vicarius.* — Versaliae, 29 Iunii 1872. Festo SS. AA. Petri et Pauli. *Felix,* Eppus Aurelianensis. — *(Lettre pastorale de M. l' Eveque d' Orleans portant publication des Constitutions dogmatiques* „Dei Filius" et „Pastor aeternus" *promulguées au Concile du Vatican.* Paris. 1872.)

1976.

AEppus Gnesnensis et Posnaniensis publicat decreta C. Vatic. 1870.

Approbante SS. Oec. Synodo Vaticana, cui interesse dedit nobis misericors Dominus, duas iam Summus Pontifex edidit dogmaticas Constitutiones, quarum altera praeprimis rationalisticos, altera *gallicanos* aliosque errores nostris temporibus serpentes condemnat, genuinamque Cath. Ecclesiae doctrinam de ordine supernaturali, et *de proxima fidei regula, quae est Romani Pontificis auctoritas atque infallibile magisterium,* fidelibus tenendam proponit. Per solemnem utriusque Constitutionis publicationem, factam in 3 et 4 Sessione Concilii, sufficienter promulgatum est universo orbi, quid hac in re credere, quid reiicere debeat; et *quia RR. Pontificum circa fidem et regulas morum decretis, ubiprimum fidelibus innotuerint, plenus mentis et cordis praestandus est assensus, omnes*

Christifideles expositam in Constitutionibus huiusmodi catholicam doctrinam, ex quo eam cognoverant, credere et profiteri, nisi salutis dispendium subire velint, obstringuntur. Cum tamen fieri possit, ut non ad singulos vestrum pervenerint hucusque utriusque dogmaticae constitutionis exemplaria, eandem vobis impressam transmitti iussimus, tum ut ipsi prae oculis habeatis clarius splendidiusque enucleatas nonnullas illius, quam Christus Iesus D. ac Salvator noster Sponsae suae revelavit, divinae doctrinae partes, tum ut fidelibus curae vestrae concreditis easdem opportune proponere et explicare, atque ita ab exitialibus erroribus animas defendere valeatis. Posnaniae die 28 Aug. 1870. — (**Amtliches Kirchenblatt** *für die Erzdiöcesen* **Gnesen und Posen**. 1870. p. 38.)

1977—1978.

Epistola pastoralis **Epporum Germaniae ex congressu Fuldae habito** ad Clerum et fideles de decretis Conc. Vaticani, signanter de infallibili R. P. magisterio; item **Breve Pontificium** ad Eppos. 1870.

1977. Vom heiligen allgemeinen Vaticanischen Concil in unsere Bisthümer zurückgekehrt, halten wir es in Vereinigung mit anderen deutschen Bischöfen, welche der Kirchenversammlung beizuwohnen verhindert waren, für unsere oberhirtliche Pflicht, an euch, Geliebte im Herrn, einige Worte der Belehrung und Mahnung zu richten. Dass wir dies gemeinsam und feierlich thun, dazu liegt Veranlassung und Grund in den vielfach irrigen Auffassungen, welche seit Monaten über das Concil verbreitet worden sind und die auch jetzt noch in unbefugter Weise an manchen Orten sich geltend zu machen suchen. Um die göttlichen Wahrheiten, welche *Christus der Herr* die Menschen gelehrt hat, in ihrer ganzen Reinheit und Unverfälschtheit zu bewahren und sie gegen jede Veränderung und

hanc Apost. Sedem devotionis et observantiae testimonium. Dum autem enixe tibi apprecamur a Domino coelestia omnia gratiarum munera, quo tuum pastorale ministerium sancte et salutariter impleas, in hac praesertim tanta temporum asperitate: confidimus pariter in tua sincera pietate ac religione, nihil tibi potius fore, quam ut nobis et Ecclesiae sanctae tuis tuorumque precibus coelestem opem et auxilium perseveranter implorare studeas; probe noscens, quanta tribulatione premamur, qui iugum hostium veritatis et iustitiae, in dies magis religionem bonosque oppugnantium perferre cogimur. Praecipuam demum tibi testamur et confirmamus, qua te in Domino complectimur, benevolentiam, eiusque pignus esse volumus apost. bened. etc. Datum Romae die 11 Febr. 1871.

2005—2008.

Eppus Albaregalensis (Vincentius Jekelfalusy) Constitutiones dogmaticas C. Vaticani promulgat. 1871.

1. *Epistola Eppi Romae agentis ad suum Vicarium, penes quam Encyclicas suas transmittit.* In rite explendo sacrosancto munere meo, quod Deo ita disponente gero, ultimis praeterlapsi anni mensibus per diuturnam infirmitatem, hodie autem per imbecillitatem meae valetudinis adhuc semper impeditus, aliam tandem ingredior viam in Domino, ne secus desim officio, quod mihi obtigit, et super quo coram divino tribunali rationes opinione forsitan citius habebo reddendas. Deo itaque auspice submitto praesentibus *Encyclicas literas meas ad Clerum meum directas* cum documentis ad illarum complementum requisitis, uti sunt a) Literae Apostolicae celebrationem Concilii Oec. Vat. indicentes; b) Literae apostolicae ad disunitos Ecclesiae Orientalis Eppos directae; c) Literae Apostolicae missae ad Protestantes et universos acatholicos; d) Literae Apostolicae super indulgentiis plenariis

pro tempore asservandi Concilii concessis ; e) tandem prorogationem Concilii Vaticani. Tum sub A) Constitutionem Pontificiam emanatam 24 April. 1870, et sub B) Constitutionem alteram sub 18 Iul. 1870 publicatam ; et quidem cum eo : 1. *Ut omnia haec acta typo subiiciantur Albae Regiae*, et utprimum ea ex prelo correcte prodiverint, *absque omni mora, et quidem manu brevissima per universam Dioecesim meam currententur*, ea cum inviatione, ut per me praescriptae publicae supplicationes quo citius quove maiori cum devotione ubique indispensabiliter asserventur. 2. *Ne autem e parte Civilis Gubernii impedimentum quodpiam hac in re ponatur, aliud harum Encyclicarum exemplar adiacens mittendum dispono D. Cultus Ministro Iosepho e L. B. Eötvös cum precibus, quatenus idem pro sua in Deum eiusque Ecclesiam fidelitate, atque suo erga iustitiam ac veritatem amore Encyclicas meas ita suffulcire velit, ut illae nemine impediente in debitam Cleri mei notitiam pervenire valeant ; si enim ipsum etiam Gubernium Austriaco-Hungaricum* (uti notum est) *urgeat, ne Papa in exequendo Summi Pontificis munere a quocunque demum impediatur : agere et ipsum debet, ut Papa cum Eppis et per hos cum ceteris sacerdotibus atque cum omnibus Christifidelibus, quorum omnium Summus Pastor, Magister, Rector et Gubernator est ab ipso Christo institutus, libere et absque omni impedimento communicare possit.* Tertium denique exemplar earumdem Encyclicarum mittere intendo ad Primatem Regni AEppum Strigoniensem et Metropolitam meum, ut idem, si necessum fuerit, disertum penes Gubernium Advocatum agere velit rei de natura sua sanctissimae, cui refragari nemini licet, minime autem ei, qui se Ecclesiae Christi filium esse arbitratur, seque Ecclesiae Catholicae fidelem esse praetendit, vel plane vindicat. 3. *Si vero alicui incideret perstringere velle me propterea, quod, ceteris Antistitibus per Hungariam tacentibus, ipse solus ac unicus procedam ad attactorum dogmatum publicationem, noverit idem, etiam in Concilio Vaticano ex parte Hungariae me fuisse solum et unicum, qui pro utraque Constitutione vindicanda stabam ; ceterorum enim nemo votisabat pro Constitutione secunda ; ut adeo ego dum ve-*

ritates ab Ecclesia docente definitas per dioecesim meam publico, non aliud faciam, quam me ipsum consequenter geram, una praebeam occasionem ceteris Eppis, eandem ingrediendi viam, si pro iisdem S. Ecclesiae Christi veritatibus consurgere voluerint. Romae 18 Ian. 1871.

2. *Encyclica litera Eppi ad Clerum.* Etsi integer annus effluxerit, ex quo a Nostra Sede et a Vobis Nos divulsit debitum quo universi tenemur Episcopi sacrosancto Oecumenico Concilio interessendi, haud tamen gratissima omnium Vestrum memoria excidit unquam a corde Nostro, et „nunquam cessavimus orare pro Vobis ac postulare, ut impleamini agnitione Dei in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes“ *). — Quae autem per id temporis gesta actaque sint, quamquam ignorare non possitis, recolere tamen iuvat, et quae oretenus Vobis significare libuisset, eadem, quoniam id hactenus non licuit, hisce saltem literis enarrare cogimur :

Oecumenicam Synodum a Summo Pontifice indictam fuisse, nemo Vestrum ignorat. Scitis etiam ea de causa id factum fuisse, ut quae ad catholicam fidem ratam, sartamque servandam in tanta temporum asperitate necessaria et opportuna, Spiritu sancto duce et auspice diiudicarentur, eadem, sacro approbante Concilio, a Sanctissimo *Romano Pontifice* constituerentur. *Qui cum a Iesu Christo Domino Nostro in persona Beati Petri plenam acceperit potestatem regendi, pascendi, et gubernandi universam Ecclesiam, eo ipso, ab omni in docendo errandi formidine immunis est.* Cum autem boni pastoris sit, nedum oves sibi adhaerentes pascere, verum et errantes quaerere, atque ad ovile reducere, minime passus est idem Sanctissimus Pontifex hanc elabi opportunam occasionem revocandi ad Ecclesiae gremium illos ex Orientalium Ecclesiarum Episcopis quos ab Apostolicae Sedis communione, in qua unitas Catholica consistit, Graecorum Schisma misere avulsit ; ut Ecclesiae illae, quae dum Apostolicae Sedi cohaeserunt uberes fructus salutis ediderant, omni tandem divisione sublata, rursum unanimiter nobiscum collaudarent Deum, qui

*) Coloss. 1. 9—10.

non vult schismata esse in nobis, sed monente Apostolo vult, ut idem omnes dicamus ac sentiamus. Hoc etiam consilio, eademque occasione, amantissimas dedit idem Summus Pontifex literas ad omnes Protestantes, aliosque Acatholicos, qui utut eundem Christum Iesum Redemptorem agnoscant, et Christiano nomine glorientur, a vera tamen Christi fide et doctrina, atque a verae Ecclesiae communione alieni sunt; eosque paterna prorsus charitate hortatus est, et obsecravit, ut suis tandem erroribus eiuratis, ad unum eiusdem Christi Domini ovile reverti festinarent. Porro, cum omne donum perfectum desursum sit, et nemo ad Christum venire possit, nisi Pater coelestis traxerit illum, idcirco publicae solemnesque preces a Sanctissimo Domino Nostro universae Ecclesiae indictae sunt, ut Spiritus Sancti gratia Oecumenici Concilii Patres cumularentur; fideles autem, qui in vias suas declinaverant, mores corrigerent, peccata deflerent; qua de causa plenariam Indulgentiam in forma Iubilaei fidelibus concessit, qui ieiunio et poenitentia expiati ad Deum se convertentes, pias preces effunderent ad tanta bona sibi, et Ecclesiae procuranda. Post haec catholici sacrorum Antistites, cuiuscunque Dignitatis et ritus ex dissitis etiam regionibus in hanc sanctam Urbem frequentissimi advolarunt, et oecumenicum Concilium in Vaticana eiusdem Urbis huius Basilica, ad Sepulcrum Principis Apostolorum feliciter inchoatum est *die octava Decembris 1869.* quae ob Immaculatam Virginis Matris Conceptionem laetissima semper affulget. Tum quatuor publicae sessiones solemniter celebratae, et duae saluberrimae, atque hac qua vivimus aetate pernecessariae Constitutiones dogmaticae editae ac sancitae fuerunt, una de *Fide Catholica,* qua errores novissimis hisce temporibus per philosophiam et inanes fallacias *) in orbem invecti condemnantur; altera de *Ecclesia Christi in qua suprema universalis auctoritas, et infallibile magisterium Romani Pontificis assertum est; quandoquidem contra Eum, uti Ecclesiae fundamentum et centrum, universi haeretici, omnesque inimici crucis Christi, postremis praesertim hisce saeculis, qua mendaciis, qua cavilla-*

*) Coloss. 2. 8.

tionibus, qua dicteriis, veluti agmine facto, insurrexerint. Has vero aliae subsequi debebant Constitutiones de fide, moribus, et disciplina ecclesiastica; multa enim iam a Patribus ad examen revocata suprema Docentis Ecclesiae auctoritate brevi sancienda erant, et promulganda, nisi Concilium ipsum, gravissimis urgentibus causis intermitti debuisset.

Atque hic statim intelligitis, Venerabiles fratres, et Filii Dilectissimi, ad ea tristissima sermonem Nostrum converti, quae in hac sancta Urbe elapsis mensibus evenisse, et adhuc infeliciter perdurare, omnes certe non sine gravissimo animi dolore atque indignatione audistis. Siquidem, militari manu alma haec Urbs vallata primum, mox hostili impetu, ac bellico more capta est, et Sanctissimus Pontifex per summum nefas *civili Principatu*, qui spirituali potestati libere et expedite exercendae mirifice inserviebat, in hac ipsa etiam Urbe, ubi sedes Eius est ac domicilium, omnino privatus, in ipsis Vaticanis aedibus ferme obsessus, captivo similis evasit; et in hac miserrima conditione post nefastam illam diem vigesimam Septembris anni praeterlapsi actutum versatur Summus Ecclesiae Pontifex, adeo, ut nedum civili suo Principatu, verum et omni humana ope destitutus, sub hostili dominatione sit, atque inimici vexationes, cedere aut flecti nescias perpeti, immo graviora etiam mala sibi, suisque exspectare compellatur; eo devenit certe, ut et Ipse exclamare possit ad Deum cum Psalte Regio *): „Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra, transimus per ignem et aquam.“ Quis unquam, si et nomine, et re catholicus est, tam nefaria, nullaque excusatione obtegenda facinora non est detestatus? Profecto, universus Catholicus orbis haec audiens ingemuit, tantamque iniuriam Ecclesiae illatam protestatus est, quod et Nos facimus; *Protestamur* enim *et Nos ipsi contra hunc ausum coram Deo, iustitiae vindice, et coram hominibus, iis praesertim, quorum erat, iniustissimum et sacrilegum hocce facinus tempestive antevertere, impedire, atque propulsare; et quorum adhuc semper est eandem iniuriam persequi, vindicare et resarcire, restitutis utique in integrum*

*) Psalm. 65.

antiquissimis, sacrisque Romanae Ecclesiae iuribus in civilem Sedis Apostolicae Principatum; quod quidem nedum religionis sanctitas, verum et ipsa communis, ac universalis iustitiae ratio, omnino exigit. Ecquod enim ius inter homines in tuto erit, aut amplius esse poterit, si ius illud certissimum, quo nullum antiquius, tam libere, tamque impudenter liceat pro lubitu spernere, impetere, et vi fortiore subvertere? Post ademptam vi et armis Romanae Ecclesiae civilem potestatem, et ita subversum Imperium tam legitimum, tamque vetustum, quinam alius civilis Principatus, quae dominatio, et quod privatum dominium erit tutum ac securum inter homines? Violato ita praepotente manu, et fracto fortioribus armis huiusmodi foedere, cui etiam inita inter Principes et Nationes conventa suffragata sunt, quod item leges, atque ipsa religio firmarunt, quodnam pactum, quod conventum, quamve stipulationem inter homines consistere posse arbitrabimur? Profecto, facinus istud, quo Romanae Ecclesiae civilis dominatio eversa est, et iura violata, nil certe boni, nullamque securitatem pollicentur reliquis per orbem politicis Principatibus, quin immo similem, fortasse etiam peiorem sortem, clademque iisdem aperte minitantur! Neque existimandum est, ex hac violenta invasione Provinciarum Pontificiae Ditionis, maxime vero e sacrilega hac occupatione Urbis Romae, in qua Beatissimus Petrus divinis praeordinationibus actus Sedem Apostolici Principatus constituit *) nihil iniuriae vel detrimenti in hanc ipsam Sedem Apostolicam redundasse; si enim civile illud imperium, uti libertatis ad Ecclesiam regendam pernecessariae pignus, ac tutamentum semper, et ab universis habitum est, nemo unus, qui in meridiana luce coecutire nolit, facile intelliget, illius privatione, Apostolicae Sedis libertatem valde imminui, et labefactari; de qua re gravissime conquestus est idem Summus Pontifex **), cuius est diiudicare, quanam libertate indigeat,

*) S. Leo M. Serm. 1-o in natali Apostol. Petri et Pauli ubi S. Petrum ita alloquitur: „Trophaeum crucis Christi romanis arcibus inferebas, quo te, divinis praeordinationibus anteibant *et* honor potestatis, *et* gloria passionis.“ — **) Litt. Apostol. d. d. 1-ae Novembris 1870.

ut expedite et utiliter sacratissimo munere suo defungi valeat. Nemo proinde mirabitur, quod Oecumenici Concilii celebrationem Sanctissimus Dominus Noster, Apostolicis litteris suis diei vigesimae Octobris anni 1870 suspendere, et in aliud opportunuis tempus ab Apostolica Sede praefiniendum amandare necessarium duxerit; praeterquam quod enim spirituales fidelium necessitates, in notissimis quae obvenerunt Europae calamitatibus et motibus, tot Pastores a suis Ecclesiis abesse haud patiebantur, iisdem insuper necessaria libertas, securitas et tranquillitas in hac Urbe suppetere amplius non poterat ad res Ecclesiae, uti opportet, cum ipso Summo Pontifice pertractandas. Quod dum ipse decerneret, precabatur una Deum, Ecclesiae Suae vindicem, ut omnibus tandem sublatis impedimentis, desideratam redderet huic pacem et tranquillitatem. Probe autem noscens, eo magis instandum esse orationibus et obsecrationibus die ac nocte, quo gravioribus malis Ecclesia Dei est obnoxia, idcirco Eadem Sanctitas Sua intermissa licet Concilii celebratione, decrevit, ut quae in memoratis Apostolicis litteris disposita fuerunt circa plenariam Indulgentiam in forma Iubilaei concessam, illa in suo vigore ac firmitate permanerent perinde, ac si ipsius Concilii celebratio perduraret; excepta tamen *Missa* et *collecta* de Spiritu Sancto, sub ipso utique Concilio sumenda.

Haec omnia, Venerabiles Fratres, et Filii Dilectissimi, Vobis coram enarrare, uti iam diximus, Nostris erat in votis, dum manus Domini super Nos ipsos aggravata est; adversa etenim valetudo, ob quam cum exeunte mense Augusto decumbere cogebamur, et relevato tantisper morbo, debilia atque aegra adhuc semper trahere cogimur membra, Nos, a Sede Nostra etiamnum abesse compellit, ad quam tamen, cum primum licuerit reverti festinabimus, ut Vos omnes, os ad os alloquamur, communemque nostrum dolorem mutuo solatio temperemus. — Verum quia pastorale, quod immerentes gerimus officium, haud sinit nos diutius tacere de iis, quae in hoc Vaticano Concilio Oecumenico gesta sunt, hinc praesentes mittimus Vobis Encyclicas Nostras Litteras; et *quamquam Constitutiones in eodem hoc Concilio circa rem fidei sancitae et promulgatae, vim eo ipso habeant obligandi omnes*,

ad quorum notitiam illae quoquo demum modo pervenerint, Nos tamen, ut eaedem singulis Nostrae Dioecesis Pastoribus, ac per eos Fidelibus Nostris et certius et tutius innotescant, authentica earundem exemplaria hisce Litteris adiecta ad Vos transmittenda censuimus, scilicet: A) Constitutionis Dogmaticae de *Fide Catholica*, cuius initium est „Dei Filius . .“ quae edita fuit in Sess. III. die 24. Aprilis anni praeteriti; B) Constitutionis Dogmaticae de *Ecclesia Christi* (in hoc merito *primae*) cuius initium est „Pastor Aeternus“ editae in Sess. IV. die 18. Iulii anni praeterlapsi. *Facimus autem hoc, ea spe ducti, quod Vos omnes, Dilectissimi Filii, veritates istas ab Ecclesia Docente ita propositas et assertas, sicut ipsi reverenter, uti par est, atque ex animo suscipitis, ita daturi sitis operam, ut illae, tamquam Catholicae fidei articuli, a cunctis vestris fidelibus excipiantur;* quare, firma fiducia Vos exoramus, satagite, ut inter eos, qui vestris curis concrediti sunt, dictas veritates in omni patientia doceatis, cumprimis autem iuventutem, quae in futura crescit tempora! tradentes utique apposite ad singulorum intelligentiam catholicam doctrinam hisce Constitutionibus expressam, eamque accuratissime explanantes. Facimus hoc, obsecrantes Vos cum Gentium Apostolo, per nomen Domini Nostri Iesu Christi „ut idipsum dicatis omnes et non sint in Vobis schismata, sitisque perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia“ *). His enim, qui catholicae Ecclesiae membra esse, atque Christo in hoc Eius mystico corpore adhaerere volunt, irreluctabilis, atque inevitabilis imminet necessitas, veritates per Ecclesiam Docentem definitas „corde et animo credendi ad iustitiam, ore autem confitendi ad salutem!“ **) Iterum dicimus, ac iterum obsecramus Vos, ut idipsum dicamus, quotquot sumus! Quemadmodum enim post praecedentium Conciliorum definitiones non defuerunt, qui spiritu erroris abducti illis contradicere auserint, aut ipsarum generalium synodorum auctoritatem aggredi, eamque labefactare velle praesumpserint, ita timendum gravissime est, ne idipsum malum, quod misere hac

*) Cor. 1. 10. — **) Roman. 10. 10.

nostra aetate (proh dolor) iterum prorupit, ultro serpat, fidelesque nostros miserrime inficiat!

Iuvabit sane isthic referre ea, quae Sanctissimus Dominus Noster die 28. Octobris anni 1870 scripsit ad Germaniae Episcopos, dum hi ex Civitate Fuldensi, ubi post Concilium Vaticanum convenerant, ad suas sedes reverterentur; in his namque Litteris, caetera inter haec dicit Summus Pontifex: „Ipsis Catholicae religionis principiis repugnat eorum assertio, qui dicere non verentur, *doctrinam in hoc Vaticano sacro Concilio definitam non contineri in divina scriptura, et Traditione, imo eidem esse contrariam!*“ „Quanto acerbiorem schismaticae istae, et haereticae sententiae animo Nostro, tot iam angustiis oppresso addiderunt dolorem, tanto magis laudamus Tuam, Venerabilis Frater, et aliorum Germaniae Episcoporum vigilantiam pastoralem, ad occurrendum ingruentibus his periculis adeo necessariam. Plenior tamen fuisset consolatio Nostra, si quo instructio Vestra pastoralis esset efficacior, omnium Venerabilium Fratrum Germaniae Episcoporum nomina iisdem Vestris Litteris subscripta vidissemus.“ „Nec vero vel minimum dubitamus, quin Antistites illi, quorum nomina desiderantur, omnes aeque intelligant, quam manifestum sacris Pastoribus incumbat officium greges suos docendi de veritatibus fidei in sacro Oecumenico hoc Concilio definitis, quo oves sibi creditas arceant a venenatis, et nutriant salutaribus pascuis catholicae doctrinae; quando in illorum praesertim regionibus, filii quidam superbiae, qui se catholicos nominant, non solum occultis fraudibus, sed aperta fronte ipsum fidei catholicae dogma oppugnant; eo enim devenerunt, ut per libellos in vulgus editos, et per publicas ephemerides, contra auctoritatem et decreta ipsius Oecumenici Concilii, atque inprimis contra doctrinam fidei in eodem hoc Concilio irreformabili sanctione definitam de Romani Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitate, rebelles audeant insurgere, et alios in eandem rebellionem ac perditionem trahere conentur.“ „Mendaciter iactant, pro more omnium, qui schismata et haereses unquam disseminarunt, *se antiquam fidem catholicam retinere,* dum ipsum fundamentale principium catholicae fidei, ac doctrinae subvertunt. Licet namque profiteantur scripturam et Traditionem esse fontes di-

vinae revelationis, Ecclesiae tamen magisterium, semper vivens, ex scriptura et traditione manifestum, atque sicut ad perpetuam custodiam, ita ad infallibilem explicationem et declarationem dogmatum in scriptura vel traditione nobis transmissorum divinitus institutum, iidem audire detrectant, atque ita seipsos singuli, per suam fallibilem et fallacem scientiam, independenter ab auctoritate, immo etiam contra divinitus ordinati huius Magisterii auctoritatem, constituunt iudices dogmatum, quae in fontibus revelationis contineantur. Quid enim aliud agunt dum *dogma fidei* a Nobis approbante sacro Concilio definitum audent dicere *non esse veritatem a Deo revelatam, et catholica fide credendam, quia ipsi, secundum suam scientiam, illud in scriptura et traditione se non reperire affirmant?* Quasi vero, non is sit ordo fidei a Redemptore Nostro in sua Ecclesia institutus, semperque retentus, ut ipsa dogmatis definitio, haberi debeat sufficiens, certissima, et omnibus fidelibus accomodata demonstratio revelationis scriptae vel traditae; unde tales dogmatum definitiones, necessario sunt, et quovis tempore fuerunt incommutabilis norma, sicut pro fide, ita etiam pro scientia catholica, ad cuius munus nobilissimum pertinet ostendere, quomodo doctrina, eo ipso sensu quo definita est, in fontibus revelationis contineatur?“ „Neque minus iidem homines, quantum in ipsis est, ad Ecclesiae et fidei catholicae subversionem tendunt, dum per calumnias ac praetextus prorsus inanes, illis suis perniciosissimis scriptis affirmare praesumunt, sive in ipsa definitione, sive in promulgatione Decretorum conciliarium, ac in specie dogmatis de Romani Pontificis infallibilitate *aliquid defuisse ad plenam auctoritatem Concilii Oecumenici constituendam!* Sane in hoc sacrosancto Concilio assistentiam Spiritus Sancti ad infallibilitatem definitionum necessariam, negare non possunt, nisi ex principiis, quibus universim supernaturali infallibilitati, atque adeo ipsi essentiali Ecclesiae Catholicae proprietati bellum indicitur. Nemo certe ignorat, similibus praetextibus aliorum etiam Conciliorum definitiones ab iis, quorum errores iam condemnati sunt, impugnari consuevisse, quemadmodum id notissimae calumniae demonstrant, quibus tum alia Oecumenica Concilia, tum speciatim Florentinum et Tridentinum a schismaticis ac haereticis recen-

tioribus ad suam perniciem, et ad spiritualem plurimorum ruinam impugnata sunt." „Tantam degenerum filiorum perversionem, ac tanta pericula in quae hi improvidos et imperitos, maxime vero incautam iuventutem coniiciunt, quomodo possemus sine intimo cordis Nostri dolore et sine amaris lacrimis intueri, et videre, quomodo hi sinum Matris Ecclesiae, a qua foti et nutriti sunt, impie lacerant, cibumque salutiferum ab ea paratum venenis commutant, atque in superbiam elati, scientiam qua alios erudire deberent ad salutem, in suam et aliorum perditionem convertunt? etc." Ex quibus Summi Pontificis Domini Nostri verbis satis intelligere licet, nos iam in eo esse, ut spiritum erroris obstrepentem audiamus, contra spiritum veritatis!

Quapropter Nos perpendentes grave illud fidei, adeoque aeternae etiam salutis periculum, cui tot animae Christi sanguine redemptae in dies magis obnoxiae sunt, *hortamur Vos, Dilectissimi, et per viscera Domini Nostri Iesu Christi obsecramus, ut quivis vestrum, pro munere ac modulo suo, ubicumque ei agendum fuerit, aut agere ei licuerit, doceat veritates istas eo amoris affectu, eoque studio, quo erga catholicam Ecclesiam fertur, ferrique debet;* „Nihil enim in sacerdote tam periculosum apud Deum, tamque turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere denunciare." [1]) Agite igitur, Dilectissimi, exoramus Vos per Deum vivum, agite Nobiscum patienter, agite fortiter, agite perseveranter, et pro Catholica fide, ad quam hae veritates definitae pertinent, et pro salute animarum, quarum a nobis districta ratio citius fortasse quam putemus aeterno Pastorum Principi reddenda erit, adlaboremus omnes, *omni omnino humana formidine deposita*, ergo Eum solum timentes „qui potest et animam et corpus perdere in gehennam";[2]) etenim „Qui pascit oves Christi, illius amor in tantum debet spiritualem crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem."[3]) Nil itaque vereamur, nec faciamus animas nostras pretiosiores, quam nos, dummodo consummemus cursum nostrum, et ministerium verbi, quod acce-

[1]) Ambros L. V. Epist. 29. — [2]) Matth. 10. 28. — [3]) August. Tract. 128. in Ioannem.

pimus; iamvero ad hoc ipsum nostrum ministerium pertinet, ut populum fideliter, atque alacriter edoceamus, quid ei agendum, quidve fugiendum sit, praesertim dum periculosa instant tempora, et consurgunt Viri, loquentes perversa, ut imperitos et incautos seducant; audiamus rursus Beatissimum Patrem Nostrum Pium Papam IX. in memoratis suis Litteris hac de re Nos ita monentem „Arcete labefactandae fidei catholicae pericula a mentibus fidelium Vestrorum, et inprimis a mentibus iuvenum catholicorum, qui in scholis erudiuntur; quantumve per divinam valetis gratiam, studete eos super quibus vigilandum habetis imbuere, atque confirmare in obedientia et amore erga Sanctam Matrem Ecclesiam, et erga Beatum Petrum (atque illius Cathedram) super quem (et quam) Ipse Redemptor Christus aedificavit Ecclesiam suam."

Et dum in luctuosissimo hoc Ecclesiae statu, Summum Orbis catholici Pontificem, Ipsius Christi in terris Vicarium, omnium nostrum Patrem et Pastorem ad miserrimam in qua versatur conditionem adactum videmus, non possumus non et Ipsi ingemiscere, Eiusque afflictionibus non compati; etenim Ille sanctissimis civilis sui Principatus iuribus exspoliatus, etsi catenis necdum constringatur, pro dolosa tamen et fallaci moderni aevi agendi ratione undique circumvallatus, et impiorum peripsema factus, spectaculo iam est Angelis et hominibus; quare etiam angitur Ipse, et dolet, non tam suam, quam Ecclesiae vicem, quandoquidem illam nec tuto, nec libere, nec expedite, (uti id pro munere suo deberet,) gubernare valeat; dolet se urgeri ab hominibus, qui catholicis accersiri volunt, atque compelli ad conciliationem quamdam cum ipsis ineundam, qua ipsius Ecclesiae iura proderentur, iusiurandi religio, qua obstrictus est, violaretur, et spiritualis Apostolicae Sedis potestas, ac proinde ipsius Ecclesiae catholicae unitas, atque libertas in apertum discrimen vocaretur; sed angimur et nos omnes cum anxio Beatissimo Patre Nostro! Verum Deus, qui nos tentari non patitur supra id, quod possumus, sed facit cum tentatione proventum, hunc etiam dolorem nostrum spirituali quodam solatio lenivit; videmus enim ipsius Summi Pontificis Nostri in tanta rerum perturbatione vere apostolicum spiritum, robur, ac fortitudinem, quam testantur propria Eiusdem verba,

quibus in Apostolicis suis Litteris die 1-a Novembris 1870. editis, mentem suam coram Urbe et Orbe ita declarare necessum reputaverat; „itidemque profitemur, Nos paratos quidem esse divinae gratiae auxilio, in gravi hac Nostra aetate, usque ad faecem pro Christi Ecclesia bibere calicem, quem Ipse prior bibere pro eadem dignatus est; nunquam tamen commissuros, ut iniquis postulationibus, quae Nobis offeruntur, adhaereamus, iisque obsecundemus; uti enim Praedecessor Noster Pius Papa VII. aiebat: [1]) Vim huic Sedis Apostolicae Imperio afferre, et temporalem ipsius potestatem a spirituali discerpere, Pastoris item ac Principis munia dissociare, divellere, et exscindere, nihil aliud est, nisi opus Dei pessumdare ac perdere velle; nisi dare operam ut religio maximum capiat detrimentum; nihil, nisi eam efficacissimo spoliare praesidio, ne Summus ipsius Rector, in Catholicos per orbem terrarum sparsos, atque inde auxilium et opem flagitantes, ea conferre possit subsidia, quae a spirituali Ipsius per neminem impedienda petuntur potestate.“ His itaque exemplis ac doctrinis confirmati, curramus, Dilectissimi, per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes inprimis ad auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet; et recogitemus Eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, neque fatigemur animis nostris deficientes, necdum enim usque ad sanguinem restitimus, adversus peccatum repugnantes.[2]) Etsi vero ea, quae Summus Pontifex Noster et facit, et docet, vim addant et robur animis nostris, tamen non possumus satis dolere vicem, gravesque iniurias Eidem Summo Pontifici iniquorum consiliis et animis illatas. Profecto, universus orbis catholicus, et quivis qui naturalis honestatis ac iustitiae omnem sensum necdum exuit, tantum scelus detestatur, et tantam Summi Pontificis Nostri virtutem miratur, tantumque malum Ecclesiae illatum dolet; quis enim est, aut dici posset filius, quem paternae calamitates non discrucient? Flet itaque ac patitur universa Ecclesia cum supremo suo Pastore flente ac patiente, et haud parvo angitur moerore ob mala,

[1]) *Allocut.* 16. Martii 1808. — [2]) *Hebr.* 12. 1—4.

quae serius vel ocyus fidelibus obventura sunt, percusso namque Pastore, dispergentur oves gregis. Tantis itaque calamitatibus pressi, et graviorum, quae expectanda sunt malorum timore perculsi, adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam inveniamus, et auxilium in tempore opportuno; misericordissimus utique Deus iam diu nos praemonuit per Ieremiam dicens; „Cum quaesieritis me in toto corde vestro, inveniar a Vobis.“ [1]) Ad orationes itaque et obsecrationes confugiendum est, ac Deus humillime exorandus, ut a populo suo tot, tantasque calamitates avertat; ut impiis atque peccatoribus aperiat oculos mentis, ut hi videant iniquitatem suam, et tacti dolore cordis, eam sincere atque ex animo detestentur; ut Ecclesiae, quam sibi desponsavit sanguine suo, et gloriosissima purpuratorum Martyrum corona circumdedit, propitius adsit; ut Sanctissimum Nostrum Pontificem, Unigeniti sui in terris Vicarium, tantas amaritudines patienter sustinentem ocyus consoletur, et in pristinum restituat! et si peccatorum nostrorum conscientia trepidantes Patrem coelestem accedere veremur, deprecatricem advocemus Immaculatam et purissimam Virginem Mariam, eiusque opem ac patrocinium fidenter imploremus, ut non relinquat Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, et non extendant iusti ad iniquitatem manus suas, neque enim abbreviata est manus Filii, et non est haec impotens ad salvandum nos.[2]) Quo igitur haec omnia, interveniente Dei auxilio ocyus assequi valeamus, ea quae sequuntur, in universa Dioecesi Nobis credita servari decernimus, atque praecipimus; videlicet: Lectis hisce Nostris Litteris in unaquaque per Dioecesim Ecclesia (nulla prorsus excepta) in qua divinus cultus peragitur, *publica* habebitur *supplicatio per tres continuos dies*, a Parocho loci praeficiendos, coram Sanctissimo Sacramento, fidelium adorationi exposito; quae supplicatio triduana ad sequentem normam fiat, oportet: 1-o) Aget Parochus (vel cuius interest) ut huius triduanae supplicationis causa, finis, et modus ad plenam fidelium notitiam perveniat, declarando, tres hos dies non esse festos, sed esse

[1]) *Ierem.* 29. 13. 14. — [2]) Bernard. ad Conradum Regem. Epist. 244.

dies Ecclesiae lugentis, ad Dei misericordiam implorandam destinatos. 2-o) Venerabilis Sacramenti expositio fiet die quavis *hora sexta matutina* cum *sacro* ad organi concentum *lecto*, in quo, post orationem de SSmo Sacramento, addentur collectae *a)* pro Papa, *b)* contra persecutores Ecclesiae, *c)* contra persecutores, et male agentes; et post sacrum sacerdos cum populo recitabit *ter Pater et Ave* pro Ecclesia, persecutionem quo magis dolosam, eo plus perniciosam perferente. 3-o) Sacramentum ita expositum manebit *usque ad horam quartam pomeridianam,* per continuas igitur *decem horas*, omni tamen cura adhibita, ut congrua habeatur securitas in Ecclesia, interea aperta, et Salvatoris nostri adoratio condigne fiat; quare Curatus cum primoribus Communitatis Catholicae cointelligenter distribuet populum suum *in classes decem,* et aget, ut dato omni hora campanae signo, decem hae classes, per totidem horas, sibi invicem ita succedant, ne Ecclesia vel momento temporis maneat sine fidelibus, Dominum suum adorantibus. Primores Communitatis per Curatum ad hoc debite requisiti agent uti sperare licet, tam ad rectum adorationis ordinem manutenendum, quam ad optatam securitatem tutam reddendam. 4-o) *Hora quarta pomeridiana* post brevem compulsum, praemissa invocatione Spiritus Sancti, servabit Curatus sermonem popularem, et quidem *prima die* ad excitandam et roborandam fidem, quae, ceu Dei donum, in sacramento Baptismi unicuique fideli obtigit; *secunda die* ad unionem cum Sede Apostolica, in qua Christi Vicarius sedet, stabiliendam, et firmandam; *tertia die* demum ad contritionem augendam, et excitandum in populo spiritum poenitentiae, cum utique tempus Indulgentiae Plenariae in forma Iubilaei nuper datae, de peculiari Sanctissimi Domini Nostri gratia adhuc semper duret. 5-o) Finito sermone, Parochus (ut melius intelligi possit) adhuc ex ambone praeorabit Lytanias, lingua vernacula, fidelibus congrue respondentibus, in specie: *prima die* de Sanctissimo Nomine Iesu; *secunda die* de Beata Maria Virgine; *tertia* autem Lytanias omnium Sanctorum; et his absolutis, pro Ecclesia afflicta recitabit cum populo *quinque Pater et Ave*, ac unum *Credo* atque descendet de ambone, iturus ad Altare; intra quod tempus, populus canet hymnum de Beata Virgine Maria, cuius de

praesenti singulare praesidium exoramus. Data demum cum Sanctissimo Benedictione, ea qua decet religione et gravitate, atque in summo silentio, tam ipso Curato, quam et organo altum silente, populus revertetur ad sua inter cantum poenitentialem: „*Miserere mei Deus*“ seu: *könyörülj Istenem én bünös lelkemen!* etc. opportunum enim est, ut si quando, nunc precemur omnes ac singuli: „Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris!“ 6-o) Ad spiritum devotionis per hoc triduum in populo conservandum disponimus, ut per hos tres publicae supplicationis dies *mane* ad *meridiem* et *vespere* post pulsum Angelicum, fiat cum omnibus omnium Ecclesiarum campanis compulsus, isque *duret per unum solidum horae quadrantem*, ut ita populus de tristissima Ecclesiae Matris praesente conditione itidem admonitus, abstinere conetur interea ab iis omnibus, quae fidelium pietatem turbarent, neque communi per Orbem catholicum luctui congruunt. 7-o) Cum autem universi per orbem catholici, communi omnium Patri et Pastori in tantis rerum angustiis constituto, collatis etiam suis eleemosynis suppetias ferre non praetermittant, ad quod pietatis officium exercendum Nostros etiam Fideles pronos futuros confidimus, idcirco praecipimus: ut per hoc triduum in quavis huiusmodi Ecclesia quotidie exponatur mensula, de more cruce ornata, et concinne adaptata, in qua „*Obuli Petri*“ pro Sanctissimo Domino Nostro colligendi erunt. Ut autem maiori commoditati offerentium consulatur, committimus singulis Curatis, ut populum suum edoceant, dictam eleemosynam in ipsis etiam aedibus Curati offerri posse, ita quidem, ut offerens, si velit, oblationem suam elencho hunc in finem apparando ipse etiam inscribere possit; et elenchus huiusmodi a singulo Curato *intra octo dies* ad officium Vicearchidiaconale, abinde autem, ut primum licuerit, ad Officium Nostrum Dioecesanum una cum oblatis mittendus erit.

In reliquo — obsecrantes Deum, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeamus in voluntate Dei veniendi ad Vos, desideramus enim videre Vos, et consolari in Vobis, — omnia coelestium gratiarum dona Vobis, Venerabiles Fratres, ac Filii Dilectissimi, Fidelibusque vigilantiae Vestrae

creditis a Deo ex animo apprecamur, atque Vobis omnibus Apostolicam Sanctissimi Domini Nostri mittimus Benedictionem, enixe Vos exorantes, ut quo impensius oretis pro Nobis! — Datum Romae (extra portam Flaminiam) *die 18 Ianuarii 1871.*

3. *Epistola Eppi ad Primatem.* Pro ea, qua erga Cels. Vestram Metropolitam meum teneor et feror, reverentia praesentibus ad altam Eiusdem notitiam perferendum habeo: debitam Constitutionum dogmaticarum in Concilio Vaticano latarum publicationem in Dioecesi mea, Deo ita favente, per me omnino praesusceptam esse. Enimvero siquidem ipse ultimis praeterlapsi anni mensibus ob infirmitatem, et nunc ob imbecillitatem virium mearum a Cathedra mea adhuc semper abesse cogar, et sic attactas binas Constitutiones in SS. Oec. Conc. Vaticano latas, sanctionatas atque publicatas Parochis meis in persona tradere necdum potuerim, uti nec modo adhuc possim; siquidem porro dictae *Constitutiones dogmaticae animarum curatoribus deservire debeant instar fontium, et illae tamquam chirographum per docentem Dei Ecclesiam editum ipsis exhiberi debeant, ex quo iidem hauriendam habeant explicitam fidei doctrinam, fidelibus suis eo ipso tradendam, nec absque gravi piaculo reticendam aut ab illis occultandam;* siquidem demum *inde ab ultima definitione conciliari die 18 Iul. 1870 lata sex iam menses praeterlapsi sint, intra quod tempus binae hae Constitutiones dogmaticae per universum iam orbem catholicum per respectivos Antistites in congruam Parochorum suorum notitiam, Hungaria excepta, perlatae sint;* sed et ipse ad huius officii mei implementum in conscientia urgear: hinc ego sub hodierno transpono Generali Vicario meo Albam Regiam Encyclicas meas cum attacti Concilii Vaticani documentis isthuc spectantibus, quae tamquam curatoribus animarum deservitura Ecclesiae docentis chirographa respectivarum parochiarum archivis inferenda erunt. Facio autem id ipsum iis cum ordinibus, ut cuncta haec acta prelo quo ocyus subiiciantur, et mox absque omni mora manu brevissima ad singulos parochos transmittantur. Sed una eademque die mitto alterum earumdem Encyclicarum exemplar Exc. D. Iosepho e L. B. Eötvös

Cultus Ministro per Hungariam iis cum precibus, ne idem me in hoc officio meo adimplendo sive ipse impedire velit, sive per alium quemcunque et quoquo demum sub titulo impediri sinat. Quae dum ad Cels. Vrae notitiam perferrem, Eandem una ceu aestimatissimum Metropolitam meum peramanter exoro: dignetur data opportunitate, occasione cumprimis opinionis, eatenus per Cels. Vram sine dubio dandae, hanc Dei causam defendere, et me ductu argumentorum in comitiva ad Cultus Ministerium per me expressorum et cum Cels. Vra abinde communicandorum praepotenter succolare, quo sic iustis meis votis potiri valeam. Romae 18 Ian. 1871.

4. *Epistola Eppi ad Nuntium Apost. Vienn.* Sextus vertitur mensis a die, quo Sua Sanctitas in publica IV Sessione Concilii Vaticani veritatem ipsi Ecclesiae Christi coaevam, approbante SS. Concilio, ceu dogma definivit, promulgavit, et de illa suam edidit Constitutionem. Binas proinde obtinuimus hactenus decisiones Conciliares, unam de 24 Apr. alteram de 18 Iul. 1870. Quis nostrum occasione discussionum super his quaestionibus in ipso Concilio habitarum *pro* et quis *contra* dictas veritates fuerit, et quis pro qua steterit parte, imo quis cuiusnam mentis fuerit, quomodove votisaverit, quomodo item DD. Eppi Hungariae pridie seu ante ultimam publicam Sessionem diei 18 Iul. 1870 semet gesserint, quidve fecerint? Excellentiae Vestrae, uti ominor, sat superque notum est. Verum quid postea factum sit, id ipsum ad altam Exc. Vrae notitiam perferre propero. *Discedentibus* itaque *abhinc reliquis DD. Hungariae Eppis, ego, cui tamquam soli et unico pro infallibilitate Papae votisanti Hungaro Eppo, ceteroquin etiam consultissimum fuit remanere Romae, ne in primo illo furente potius quam aestuante utriusque reipublicae stadio exagitatae patriae meae limites transgressus exponam me tristissimis nefors persecutionum periculis, isthic reapse etiam remansi Romae,* unde ob molestam infirmitatem cum fine Augusti 1870 me obruentem, atque ob huius sequelas hodiedum Cathedram meam repetere nequeo. *Interim medius transiit iam a tempore annus, quo secunda etiam Constitutio Pontificia ex hoc SS. Concilio Vaticano emanaverat, quae Constitutiones quod per singulum Eppum*

ad Cleri sui notitiam ex officio perferri debeant, est omnino innegabile. Tacebam quidem lucadusque et ipse: sperabam enim, quod Praesules Hungariae, postquam Ecclesia locuta et causa finita est, ad exemplum ceterorum per orbem catholicum Epporum excelso ac sancto officio suo conformiter et ipsi acturi sint; tacebam item ex modestia, ne videlicet ceteros Hungariae Fppos atque Metropolitas praecurrere velle videar. Verum audito eo, quod in Hungaria hactenus praeter Eppum Nitriensem nemo quidquam fecerit, et attacta dogmata nemo praeter illum publicaverit, amplius tacere et ultro adhuc expectare mihi ipsi haud licuit. Et ideo transpono sub hodierno literas meas encyclicas ad Parochos meos directas Generali Vicario meo Albam Regiam, ut eas prelo subiiciat, et mox ad parochos meos promoveat. Patentes autem mitto has literas pastorales, ut eas pro suo lubitu ipsa etiam Exc. Vra inspicere valeat. Ne autem in sequelam *infaustissime resuscitati Placeti Regii, de cuius genesi tristissima sparguntur*, aliquid inamoeni mihi accidat, alterum dictarum Encyclicarum exemplar submitto pariter Exc. D. Iosepho e L. B. Eötvös Cultus per Hungariam Ministro iis cum precibus, ne idem necessariam ac indispensabilem dogmatum communicationem cum meis parochis animarum curam gerentibus impedire velit; agitur enim in his Constitutionibus de rebus fidei, revelationis proinde divinae, quarum publicationem impedire nemini licet, minime autem ei, qui se christiano-catholicum esse dicit, vel plane vindicat; agitur item de libero muneris Papalis exercitio, in quo Summum Pontificem a nemine impediendum esse nuperrime, uti notum est, ipsum Austriaco-Hungaricum Gubernium urserat; agitur denique de fidelium parochorumque meorum salute, in qua promovenda onus responsionis manet praeferenter me, dioecesis meae Eppum, sed manebit etiam eos, qui me in hoc negotio impediverint aut non succolaverint. Primatem una Regni Hungariae, qui Metropolitam meum agit, sub hodierno pariter requiro, ut tempore illo, quo attactus Cultus Minister eundem pro danda hoc in merito opinione provocaverit, strenuum velit agere advocatum causae meae, ceu causae ipsius Ecclesiae Dei. *Ne autem praesentium actorum moles ad inimicorum manus*

hac vice deveniat, humillime exoro Exc. Vram, dignetur eandem sub proprio Nuntiaturae Vindobonensis sigillo promovere ad Generalem Vicarium meum D. Ioannem Pauer, Cantorem Capituli Albaregalensis, qui subin agenda aget, mihique de iis, quae postea intervenient, officiose referet. Romae 18 Ian. 1871.

2009.

Eppus Szathmáriensis (Ladisl. Biró) Circularibus literis transponit ad Presbyteros suae dioecesis Constitutiones Vaticanas. 1871.

Ope Circularium nostrarum dd. 1. Aug. 1870 nr. 966 indicavimus Vobis, ven. in Chr. fratres et filii, *decreta dogmatica Synodi Vaticanae pro singulis catholicis per ipsam Romae factam eorum promulgationem obligationem fidei inducere*).* Ut omnes et singuli genuinam et officiosam illorum notitiam habeant, eadem in distincto volumine typis imprimi curavimus, et ad omnes et singulos Presbyteros dioeceseos nostrae eo fine dimittimus, *ut in publica et privata populi institutione prout et in scholis eorum congruum et debitum usum facere valeant.* Szatmárini, die 24 Apr. 1871. — (**Circul. Dioec.** 1871. p. 20.)

*) Circulares, ad quas hic provocatio fit, ita sonant: „— Ex iis, quae in Concilio gesta sunt, nihil solemni modo adhuc publicari potest; decreta fidei, quae declarata sunt, alioquin ex se sine solemni publicatione etiam vim obligandi habent, utprimum cui innotuerint; plenam tamen lucem et claritatem tunc solum acquirent, ubi cetera, quae circa doctrinam de Ecclesia discutienda sunt, declarata et definita fuerint.“ — (*Circul. Dioec.* 1870. p. 31.)

2010.

Eppus Iaurinensis (Ioan. Zalka) decreta Vaticana typis impressa et Clero Curato transmissa, cum debita reverentia ac obedientia recipi commendat. 1871.

Constitutiones in novissima Synodo Romana editas et nuperrime typis procusas *pro congruo in scholis et Ecclesiis usu* ad Parochias Dioecesis meae via Officiorum VADiaconalium iam dimissas, *omnes et singuli debita reverentia et obedientia recipiant.* Iaurini, die 16 Maii 1871. — (**Circul. Dioec.** 1871. p. 31.

2011.

Eppi Cassoviensis (Ioan. Perger) Circulares ordines de Vaticanis Synodalibus decretis. 1871.

Decreta Synodi Oecumenicae Vaticanae, quae instituta in Urbe publicatione omnes fideles obligant, in advoluto transmitto, *ut DD. Curati eorumdem in institutione privata aeque ac publica usum facere queant.* Cassoviae, die 22 Maii 1871.

2012.

Eppus Quinque-Ecclesiensis (Sigism. Kovács) utramque dogm. Const. Syn. Vat. Clero promulgat. 1871.

Communico Vobiscum — Constitutiones SS. Oec. Conc. Vaticani, et quidem 1. Const, dogmaticam de Fide Catholica in Sessione III; 2. Const. dogm. primam de Ecclesia Christi in Sessione IV editam. Prior proponit doctrinam catholicam de Deo rerum omnium Creatore, de Revelatione, de Fide, de Fide et ratione adversus errores Rationalismi seu Naturalismi, Pantheismi, Materialismi et Atheismi; item adversus aberrationes quorumdam catholicorum, qui alienis a vera fide doctrinis seducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, verum ac genuinum sensum dogmatum catholicorum depravarunt. Altera Constitutio adversus molimina eorum, qui, ut Ecclesiam evertant, fundamentum eiusdem divinitus positum impetunt, universalis Ecclesiae fidem de Apostolici Primatus in B. Petro institutione, de perpetuitate Primatus B. Petri in Romanis Pontificibus, de vi ac ratione Primatus Romani Pontificis, et de Romani Pontificis infallibili magisterio exponit. *Has suprema docentis Ecclesiae auctoritate in causa fidei sancitas ac promulgatas Constitutiones, quae mox, ac in publica S. Concilii Oecumenici Sessione oraculo pontificio promulgatae sunt, quemvis Ecclesiae filium, citra ullam alterius cuiuscunque promulgationis necessitatem obligant, nos ipsi intima cum adhaesione et obedientia excipientes, eandem adhaesionem ac obedientiam incunctanter praestandam a Vobis, creditoque conscientiae et curae vestrae fideli populo pro munere nostro deposcimus, nobisque fidenter pollicemur.* — Quinque-Ecclesiis, festo SS. App. Petri et Pauli, 1871. — **Circul. Dioes.** 1871. p. 31.)

2013.

Eppi Vaciensis (A. I. Peitler) Circularis litera ad Clerum de decretis Syn. Vat. 1871.

Decreta Synodi Oecumenicae Vaticanae, quae instituta in Urbe publicatione omnes fideles obligant, in advoluto transpono, *ut DD. Curati eorumdem in institutione publica et privata usum facere queant.* — Vacii, 10 Iul. 1871. — (**Religio.** Pest. 1871. II. 223.)

2014.

AEppi Strigoniensis et Hungariae Primatis (Ioannis Simor) Circulares de traditione Ecclesiae Hungaricae pro infallibili magisterio R. P. 1871.

Quod mille ephemerides publicaverunt, atque etiam nunc indesinenter repetunt, nemini ignotum esse potest, nimirum in ultimo Concilio Oecumenico stabilitam esse doctrinam de infallibili magisterio Romani Pontificis, quo autem ille pollet dumtaxat in rebus fidei et morum, non vero etiam in aliis quibusve, quo porro ille pollet non ut persona et doctor privatus, sed praecise ut Doctor universalis, et Caput Ecclesiae, atque etiam hac in qualitate nonnisi tunc, dum loquitur ex cathedra, seu dum tamquam Doctor et Magister a Christo constitutus alloquitur Ecclesiam sibi creditam, proponendo illi quae ab omnibus infallibiliter credenda aut observanda sunt; stabilitam fuisse doctri-

nam de infallibilitate, et non de impeccabilitate, quae duo ab invicem prorsus sunt diversa, dicente Christo Domino:[1]) „Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei, omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere;“ de infallibili magisterio, quo Romanus Pontifex non propria virtute praeditus est, sed virtute Dei, quae ipsi in decisionibus super fidei et morum rebus edendis propter certissimam Iesu Christi promissionem sic adest, prout indubie divina virtus adest cuilibet legitime ordinato Sacerdoti, quando in SS. Missae Sacrificio panem in Corpus et vinum in Sanguinem convertit D. N. I. C., vel quando in Sacramento Poenitentiae peccata remittit, vel retinet, quin eapropter dici queat, aut prudens quis et sanae mentis aliquando dixerit, Sacerdotem perfectione divina donari vel e numero mortalium eximi. Haec de infallibili magisterio Summi Pontificis doctrina in pravum sensum detorquetur, ac velut nova, antea inaudita traducitur, ac impugnatur in hac etiam Archi-Dioecesi, atque etiam ab hominibus, qui ab exteris oris, ubi vix ab aliquo iam audiuntur, ad nos commigrant, quive, prout S. Iudas Apostolus loquitur,[2]) ceu sidera errantia, et ceu fluctus feri maris despumant suas confusiones in Hungaria nostra, cuius historiam Ecclesiasticam ne a limine quidem salutaverunt. E subnexis testimoniis meridiana luce patebit clarius, doctrinam de infallibili magisterio Romani Pontificis in Hungaria omni tempore fuisse propositam, traditam, creditam, propugnatam ab Archi-Episcopis et Episcopis, a Canonicis et Parochis, a Professoribus et aliis Presbyteris, a Clero saeculari et regulari, ab ipsis plane illustribus laicis; fuisse porro illam traditam et defensam palam et publice in Universitate, in Lyceis et Seminariis, atque ex ambone in Ecclesiis; fuisse traditam in libris ad instituendum Clerum et in

[1]) Matth. 23. 23. — [2]) Ep. v. 13.

libris ad docendum populum exaratis ac vulgatis, ut adeo nihil minus cum veritate componi queat, quam quod haec doctrina sit nova, inaudita, veteribus incognita. Testimonia quae subnectuntur, alia directe alia aequipollenter propositam doctrinam enunciant, suntque omnia excerpta e scriptis ac libris a me visis et lectis. Quamvis autem testimonia prolata sint numero bene multa, fateri tamen et declarare cogor, longe adhuc plura a me proferri potuisse testimonia. Tam sunt copiosa et illustria traditionis de hac doctrina apud nos monumenta. Horum veritatem et realitatem nullus prudens et aequus rerum ponderator inficiabitur; illi enim, qui sic senserunt, crediderunt, sic docuerunt fidem suam, convictionem suam editis libris, qui hodiedum supersunt vel exaratis scriptis, quae in publicis archivis cuilibet patent, contestati sunt.

Testimoniis, quae non aliunde, quam e patriis desumpta sunt fontibus, addidi copiam Opusculi rarissimi ac ideo vix iam non plene ignoti, quod ob oculos sistit Cornelii Iansenii de eadem doctrina mentem et convictionem, illius inquam Episcopi Iprensis, cuius sequaces se professi sunt illi, qui saeculo superiori tam atrox bellum supremae Romani Pontificis auctoritati indixerunt ac etiam intulerunt. Quod procul dubio facturi non erant, si, quo magistro gloriabantur, illius etiam mentem perspectam habuissent, aut perspectam sequi voluissent.

Quaestio de opportunitate vel inopportunitate decisionis, in praelaudato Concilio editae, ante decisionem moveri et discuti potuit, et fuit in ipso Concilio nobis Hungariae quoque Episcopis collaborantibus, amplissime discussa. Hodie omnis eatenus disceptatio superflua et inutilis est, quia causa decisa, finita est. In exhibendis testimoniis initium fit a Decreto Conventus Cleri Hungariae contra famosas quatuor propositiones Gallicanas, quod decretum die 24. Octobris 1682. edidit Georgius Szelepchény, Regni Hungariae

Primas et Archi-Episcopus Strigoniensis, cuius immortalia sunt etiam de restituta Patriae civili constitutione merita.

Propositiones sive articuli illi non recte Clero Galliarum tributi sunt, cum potius parti dumtaxat minori illius Cleri tribui debuerint, quandoquidem in Conventu, in quo articuli praedicti exarati editique sunt, per Regem irritatum et iuri Regaliarum inhiantem coacto, ex Episcopis 130 nonnisi 34 adfuerunt, totidem enim declarationi illi Gallicanae subscripserunt, qui etiam ipsi post decennium palinodiam cecinerunt, datis ad Papam Innocentium XII. revocatoriis litteris, quae, prout etiam litterae Regis ad eumdem Papam ddto 14. Sept. 1693. directae, quarum tenore Rex significat, quod articulos illos prohibuerit, legi possunt in Opere „Romanus Pontifex, Auctore Augustino de Roskovány Episcopo Nitriensi, Nitriae et Comaromii edito 1867.“ *)

„Decretum Conventus Ven. Cleri Ungariae contra Famosas quatuor Propositiones Gallicanas. **Georgius Szelepchény,** Dei et Apostolicae Sedis Gratia Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Archi-Episcopus, Locique, et Comitatus eiusdem Supremus ac Perpetuus Comes, Primas Regni Hungariae, Legatus Natus, Summus, et Secretarius Cancellarius, S. C. R. M. Intimus Consiliarius. Universis, et singulis Christi Fidelibus, in Hungariae Regno constitutis Salutem! Ubi primum Ecclesiae Strigoniensi praefecti fuimus, actutum in eam curam, et cogitationem pro adepti muneris officio incumbere coepimus, ut Nationalem Synodum indicere celebrareque possemus: quatenus Dei adiutrice gratia, illa in ea inveniretur provisio, per cuius salutiferam executionem eliminarentur errores, evellerentur vitia, corrigerentur excessus, reformarentur mores, plantarentur virtutes, roboraretur Catholica fides, S. Sedis Apostolicae firmaretur Authoritas.

Cum vero terribiles continuo in Inclyto hocce Hungariae Regno excitarentur tumultus, et gravissimae exarderent seditiones, imo (quod sine maximo animi dolore nec meminisse possumus, nec referre) augerentur in dies: adnitente nimirum

*) Tom. II. 243. 240.

humani generis hoste, aliaque ex aliis impedimenta adhuc obiiciente, ut tantum Ecclesiae Hungaricae beneficium vel prorsus auferat, vel saltem quam diutissime retardet: eapropter tam pium, ac salutare opus a nobis hactenus impleri non valuit.

Clementissimus tamen, et Misericors Dominus, qui nunquam ita irascitur, ut misericordiae non recordetur, nobis quoque pacem, et unanimitatem donare dignabitur, ut praefata Nationalis Synodus suo tempore celebretur.

Non praetermittimus interim (quantum nobis ex alto conceditur) vigili cura commissum nostro regimini gregem in viam mandatorum Domini dirigere, Divini nominis cultum protendere, fidem Catholicam ampliare, ea demum prompto corde, et efficaci desiderio inquirere, quibus Orthodoxa Romana Ecclesia exaltetur, falsa doctrina, perversi errores exstirpentur, supremi in terris Christi Vicarii potestas integra, inviolataque persistat. Inter caetera autem, quae se nobis corrigenda, et eliminanda obtulerunt, et moram pati non possunt, absque evidenti periculo animarum non ultimum locum tenent quatuor illae Propositiones, quae Cleri Gallicani nuper Parisiis congregati nomine prodierunt; videlicet:

„1-mo: Beato Petro, eiusque Successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiae rerum spiritualium, et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium a Deo traditam potestatem, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo; et iterum: Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo; ac proinde stare Apostolicum illud: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas, nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges ergo et Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque authoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide, atque obedientia, ac praestito fidelitatis Sacramento solvi posse; eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae, quam Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, et SS. exemplis consonam omnino retinendam.“

„2-do: Sic autem inesse Apostolicae Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sanctae Oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua Religione custodita Decreta de Authoritate Conciliorum Generalium, quae Sess. 4. et 5. continentur, nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiae sint authoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilia dicta detorqueant."

„3-tio: Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum, per canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta, a Regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta, et consuetudines Sanctae Sedis, et Ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant."

„4-to: In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse partes, eiusque Decreta ad omnes, et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit."

Quae quidem propositiones auribus Christianis absurdae, et plane detestabiles, cum per Hungarici quoque Regni Provincias a Satanae Ministris disseminatae sint, eo fortasse consilio, ut perduellioni, et caeteris malis intestinis pabulum, et fomentum suppeditent, et incautis fidelium animis blanda pietatis specie Schismaticum virus instillent: Nos omissa in praesens cura eas confutandi, cum perpetua SS. Patrum traditione, Oecumenicorum Conciliorum Decretis, et apertis ipsius Divini Verbi testimoniis satis explosae, confutataeque sint, quamvis nonnulla Scripturae loca Authores propositionum in suam sententiam callida, et falsa interpretatione detorqueant; neque desint insignes Theologi, qui has partes strenue exequantur: Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, qui in huiusmodi casibus unanimi Consilio, et Spiritu noxias doctrinas, et in fide periculosas proscripserunt, sicut ex variis huius Apostolici Regni Comitiis, et Conciliis, quae variis temporibus, et

occasionibus habita fuerunt, plane perspicitur, Dei nomine invocato, et praehabito ea meliori forma, qua per temporis, et loci difficultatem licuit, diligenti examine, et deliberatione matura, cum Ven. Fratribus Coepiscopis nostris, Abbatibus, Praepositis, Capitulis aliisque compluribus Theologiae Professoribus, et Sacrorum Canonum scientia praestantibus viris, praefatas quatuor Propositiones configimus, et proscribimus, et universis illius Regni Christi Fidelibus interdicimus, ac prohibemus : ne eas legere vel tenere, multo minus docere audeant, *donec super eis prodierit infallibile Apostolicae Sedis oraculum, ad quam solam Divino immutabili privilegio spectat de controversiis fidei iudicare;* cui propterea has nostras literas, declarationes, et Decreta humillime submittimus.

Insuper nos omnes Primas, S. Sedis Legatus, Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, Abbates, Praepositi totius Apostolici Archi-Regni, repetere hoc loco voluimus veterem fidei formulam, quam Maiores vestri occasione nationalis Synodi profiteri consueverunt. Videlicet:

„Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem etc. (NB. Hic sequitur Professio fidei secundum Formam a Pio IV praescriptam, de verbo ad verbum, nisi quod in plurali enuntiata sit, cum plurium simul congregatorum fuerit.)

Ita una publice, unanimi omnium ordinum consensu, atque approbatione sincere profitemur, et spondemus Sanctae Romanae Ecclesiae, quae unica est, et sibi perpetuo constans errare non potest, cum omnibus, et ex omnibus Ordinibus, et Statibus Regni perpetuo adhaesuros, et sine diminutione nunc quoque perstituros: neque ab eius institutis, totius orbis consensu approbatis, ubique florentibus, et dilatatis, quovis praetextu discessuros, quin eandem sacrosanctam Rom. Ecclesiam eiusque fidem ex tot falsis opinionibus, per rerum novarum cupidos disseminatis erutam, et a tempore S. Regis Stephani, omniumque aliorum divorum quondam Hungariae Regum constitutionibus stabilitam, pro viribus tuituros, et defensuros.

Quare nos motu proprio, zeloque impulsi, et Regnum hocce Regnum vere Apostolicum commonstraturi, sic deinceps usque ad extremam sanguinis guttam fidelem operam navabimus, ut contra Ecclesiae hostes rem fortiter geramus, et nihil

unquam a recto, nihil a debita Rom. Pontifici, et S. Sedi Apostolicae reverentia deflectamus: uti hoc in Authographo Originali ex nostrum omnium subscriptionibus a nobis suprascripto Primati porrecto constat. Datum per manus Vicarii nostri Episcopi Vaciensis, et causarum Spiritualium per Hungarium Auditoris Generalis, Ioannis Kéry in Libera, Regiaque Civitate Tyrnaviensi Typis Academiae Archi-Episcopalis die 24-ta Mensis Octobris A. D. 1682. Ex Mandato nostro Spirituali etc. Georgius Szelepchény, Metrop. Strig. Archi-Episcopus, Primas Hungariae."

Hoc praemisso Decreto, quo nullum clarius, nullum apertius fidem et convictionem Hungarorum de proposita doctrina exprimit, reliqua iam testimonia, quantum fieri potuit, ordine chronologico disposita, sequuntur:

Capitulum Budense anno 1253. ad s. Sedem Romanam sic scribit: „Ad S. Romanam Ecclesiam in omnibus articulis necessitatum, tamquam *ad portum tutissimum,* et matrem quantocyus est concurrendum, ut eius uberibus nutriantur, quia non potest matris filius uteri sui oblivisci." — Péterfy, Concilia Hung. T. 1. pag. 126. ed. Poson. 1741.

Ladislaus Cumanus Rex Hungariae anno 1279. kal. Iulii ad fideles scribens, de Sede Romana ait: „Divinae visitationis effectum, quo sanctae matris Ecclesiae visceribus adunamur, lumine cath. fidei illustrati in progenitore nostro S. Stephano rege sacrosanctam Romanam Ecclesiam recognoscimus, ut debemus. Et ut *principatum fidei in sacrosancta Ecclesia Romana consistere, eandem Christi thalamum et Trinitatis hospitium* luculentius demonstraret, non a se, vel ab alio, sed *ab eadem Romana Ecclesia, matre omnium et magistra* regni diadema meruit obtinere, ut ab ea, quasi *quodam capite principali dona sua in omne corpus diffunderet lux divina, et exsortem ministerii se intelligeret esse divini, qui a Petri soliditate recederet.*" — Péterffy, concilia Huung. T. I. pag. 63.

Pelbartus de Temesvár, Ordin. S. Francisci, vir doctissimus et a Trithemio ad finem saeculi 15-ti laudatus, plurium operum scriptor, in Opere „Aureum sacrae theologiae Rosarium" *Romanum Pontificem concilio superiorem, et in-*

fallibilem esse, iuxta mentem S. Thomae Aquinatis propugnat, ad — „Commentaria“ — super Thomam provocando. Editio Brixiensis, Part. II. de Ordine. pag. 230.

Frater Hungarus, Quardianus Conventus Franciscanorum Pestinensis, in Quadragesimali Anno 1507. impresso sermone XXX. de Ecclesiae Romanae principalitate et stabilitate prolocutus, haec dicit: „Tertio in quibus praedicta probem ratione exauditionis, praesupposito, quod Christus fuit exauditus in oratione iuxta illud Ioannis XI., quando dixit Christus: Ego autem sciebam: quia semper me audis: propterea gratias ago tibi: quoniam exaudisti me. Sed Christus oravit pro Petro: ut non deficiat fides sua, dicens Luc. XXII. Petre, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, ergo fides Petri in Ecclesia Romana usque ad finem mundi non deficiet, ubi corpus beati Petri requiescit . . . Tertio Romanam Ecclesiam probemus omnibus principaliorem ratione durationis; nam a Christi tempore semper perduravit in soliditate verae fidei, non sic ecclesia Constantinopolitana, quae diversas haereses condidit.“

Gregorius Coelius ex illustri gente Bánfyana, Ordinis Eremitarum S. Pauli Presbyter, in epistola ad Gregorium Simontornyensem, ipsum ad apostasiam a fide sollicitantem, 5. Idus Ianuarii, 1534. Trimontio, seu ex Háromhegy Comitatus Borsod exarata (vide Georg. Fejér Iurium ac libertatum Religionis et Ecclesiae Cath. in Hungaria Codicillus Diplomaticus Budae 1847) inter alia scribit: pag. 54. „An non stabulario, datis prius duobus numismatibus, ait: Quidquid supererogaveris, quum redux rediero, reddam tibi? — — Nobis alius non erit Stabularius, quam quem praefecit Christus, quem et attendi iussit ab omnibus in eo verbo: „Pasce oves meas.“ Si curam praesidentiae pastori iniungit; citra dubitationem iniungit et obedientiae munia subditis. Sed vos rebelles estis, dura cervice, et incircumcisis cordibus atque auribus, ut meditemini ac auscultetis contra legitime praesidentis auctoritatem, cui false Impostoris titulum tribuitis; tametsi non sine praeiudicio manifestaque damnatione vestra. Sed decreta pontificia vobis odio sunt, quia sanctissima sanctissime a Spiritu Dei in moderamen universalis Ecclesiae data. Vos autem non estis

huiusmodi, qui iugum sacrosanctae obedientiae (obedientiae, inquam, quam Domini iussu summo, et ei Romano Pontifici, Petri successori debemus omnes) vobis ademistis, dicentes ex actis Apostolorum: „Magis fore obediendum Deo, quam hominibus.“ pag. 55. „Ego futura Concilia nihil praestolabor, cum in praeteritis abunde decretum sit, quidquid erat decernendum. — Stat Dominus cum vicario suo, SS. Dno nostro Papa, nec cadit; cuius minister primus et praecipuus mihi Papa est, sacrosanctae Romanae sedis Episcopus, a *quo teneo omnia post Christum*, qui est Pontifex maximus, secundum ordinem Melchisedech, *nec erro.*“

Synodus Dioecesana provincialis Strigoniensis sub Primate et Archiepiscopo Nicolao *Oláh* anno 1560. cap. 16. §. IX. „Non dixit Christus Dominus Noster: ego pro te oravi Petre, ut non deficiat pietas vitaeque tuae sanctimonia, sed ut non deficiat fides tua. Quid ergo aeque scelestum esse potest, atque hoc orationibus Christi eiusque dignitati negare, de quo Spiritus Sanctus dicit: et exauditus est pro sua reverentia. (Hebr. 5.) *Si itaque certum est, ut certe est, fidem apud cathedram Petri pro reverentia Christi usque ad consummationem mundi permansuram inconcussam et inviolatam,* cur recusabimus eum audire, qui Petri sedem tenet? Cum autem fides sit Christianae vitae fundamentum, optime profecto *vel sola hac ratione gregi dominico est provisum* per Christi orationem ac merita magna nimis, quandoquidem, ut diximus, *neque fides, neque doctrina fidei usque ad consummationem seculi deficere unquam in Romana Ecclesia poterit*, in cuius primoribus, et maxime et *certissime in ipso Pontifice Summo Romano,* qualisqualis ille tandem vel reliqui omnes vitae sanctimonia fuerint, *divina dispensatione atque dispositione* ob Christi orantis reverentiam coelitus *illa fideliter asservatur.* Hanc specialem curam Ecclesiae Sanctae habiturum semper salutis nostrae Reparatorem Christum Iesum apprime noverat summus eius in terris Vicarius Petrus.“ — P é t e r f f y, Concilia Hung. T. 2. pg. 86—87. Cap. 13. §. 10. Romani Pontifices „soli sunt, quibus hanc pro reverentia sua, ut dictum est, Christus Dominus ab ipso Patre aeterno praerogativam meritis ac oratione sua sanctissima impetravit,

ne fide christiana ullo unquam tempore vel in parvis vel in magnis Ecclesiae dogmatibus constituendis aut declarandis destitui possent.“ Eodem capite §. 11. „Qui non obtemperat de cathedra Petri docentibus, pro ethnico et publicano habetur. — — Eum esse Christi Vicarium, cum pro quo Christus oravit, ne eius fides deficeret, item quod haec oratio pro Christi reverentia audita est, ne ulla ratione destituatur is, a *quo solo fidei sacramenta et doctrina est petenda*, etiam *si reliqui omnes forte amiserint aut deseruerint potius.* — — Servate ergo carissimi fratres *traditiones*, quas mater Sanctissima nostra *Ecclesia Romana inde inviolatas nobis velut mater fidissima asservavit et propinavit.*“ — Péterffy, Concilia Hung. T. 2. pg. 90.

Nicolaus **Ellebodus** Capellanus, in oratione Tirnaviae anno 1561. kal. Maii ad Archiepiscopum habita, ait: „*Confirmat Christus, nullo temporum spatio Petri fidem exstinctum iri, neque per inferorum portas opprimi et everti posse*; *cuius orationis* ea vis est, ea sententia, *quod Ecclesia neque rerum adversarum ictibus frangi,* neque oppugnationibus humanae Sapientiae de gradu pietatis deiici poterit.“ — Péterffy, Concilia Hung. T. 2. pg. 143—144.

Ferdinandus I. in decreto de calicis usu anno 1564. iun. 14. ait: „*graviores fidei causas* ad Apostolicam Sedem *divina dispositione* esse reservatas.“ — Péterffy, Concilia Hung. T. 2. pg. 159. ed. Poson. 1741.

Az Evangeliumoknac, mellyeket vasárnapokon és egyeb ünnepeken esztendő által, az anyaszentegyhazban oluasni és Praedicallani szoktanac magarazattyanac masodic resze Iratott **Telegdi** Miklostul, Esztergomi praepostul. Nyomtattatott Nagyszombatban, az Felseges Romai Csaszarnac kegyelmes engedelméből ugyanazon Telegdi Miklos hazánál MDLXXVIII. Esztendőben. pag. 715. „Nem feietlen lab az anyaszentegyhaz, feie vagyon neki, az pasztoroknac feiedelme a Christus Iesus, ki kepebeli pasztort hagyot e földön, az ü hiueinec igazgatasára, aki azt halgattya, annac ertelmehez szabia az ü ertelmét, attul kerd, es attul ert, nem könnyen eshetic teuelygésben. Azt miueltec a regiec, mihelyen valami ketelkedes tamadot ü kösztöc, mellyet magoktul meg nem feithettenec, ottan Romaba

irtanac papanac, ü vele feitettettec meg (miképpen sok papaknac, azoknac kerdesekre felelö leueleiböl meg teczic) megis maradtanac a papa magyarazattyan, es a képpen megtartatot tülök az egy pasztor alat, a léleknec eggyesege, es az bekeségnec kötele. Nem miuelic azt az eretnekec, söt engedetlenec az anaszenteghaz pasztoranac, es miuel hog feietlen labac, senkitül nem kerdenec, senkitül nem figgenec, es senkihez nem halgatnac, nem choda ha soha egy ertelemre nem iuthatnac, hanem szüntelen valo visza vonyas vagyon náloc. Szepen es igazan iria Cyprianus, hogy nem egyebünnet tamadtanac az eretnekségec, auagy szarmaztanac a szakadozásoc, hanem chac abbol, hogy az Isten papianac nem engednec, es meg nem gondollyac, hogy az anaszenteghazba, egy idö szerent valo fö pap es biro vagyon a Christus kepeben, kinec ha az Isteni tanétas szerent az atyafiac mindnyaian engednénec, senki a papoknac gyülekezeti ellen valamit nem indetana, senki az eggyességnec meg oszlatasaul a Christusnac eghazat meg nem szákasztanáia, senki maganak teczuen, es fel fualkoduán vy eretnekséget nem szerzene."

Eszterházy Miklós Nádor „Értekező levele gr. Nádasdy Ferenczhez," (szül. 1582. meghalt 1645.) kiadta Toldy Ferencz 1852. pag. 20. „Igaz dolog az *és hitünknek ágazatja, hogy az római pápának a hit dolgában definitiva sententia mondásra való hatalma vagyon,* amely sem szent Hieronymusnál sem szent Ágostonnál nem volt, sőt még szent Gergelynél is, *amennyire privatus doctor volt és nem definialt ex sede et auctoritate apostolica*, és igy nem csuda, ha azt mondotta is a bitondi püspök, hogy a *római papa ezer Hieronymusnál*, Ágostonnál, Gergelynél is többet ér az hit dolgában." „A romai pápáknak definitiva sententiara való hatalmok nem függ az ő nagy vagy kicsin tudományuktól, hanem az Ur Istentől, amely *önnön maga adja azt a hatalmat mindennek*, aki arra a tisztre igazán választatik azoktól, akiknek eféle választásra való hatalmok vagyon."

Andreas Monosloi, titulo „Polemica" contra Ioannem David. Tyrnav. 1588. pag. 27. „Azokért ez az egy igasságnak oszlopa, *mert mindenha az igasságot szepen megőrizte és megtartotta az Apostoloktul fogva, ha szinten valamely pa-*

pakban feslet erkolch találtatott, ugy mint emberekben; de Péternek szeke es méltósága eppen mindenha megmarat és megmarad.“ pag. 281. — „Erasmus ugyan ezen beszédeket (Tu es Petrus, etc.) magyarazuan, maskeppen érti, azt iruan, hogy a kőszál minden hiu keresztyen: *de az közönséges keresztyensegnec egyenlő magyarazattya Petert, ért, es utanna valo pispököket, kik nem teuelyeghetnec az hit dolgaban, mert raittok epetette Christus az anyaszentegyhazat.*“ pag. 282—283. — „Peter Christustul erőssöduen kő szallaua let az Anyaszentegyhaznak, ugy *mint kinek hitiert imatkozott, hogy megne fogyatkoznec, es ki egyebeket is erössettene az hitben.*“ pag. 284. — „Im lattia azert minden keresztyen, mi legyen az kőszál: es miuel hogy *Petert köszálnak neveze urunc, az ü utanna való pispökökcel niluan következik, hogy az igaz tökelletes es ennec hitinek ellen* az *pokolbeli kapuc nem alhatnac.*“ pag. 492. — „urunc Christus magaert hagia ez földön Petert, ugimint *lathatandó feiet, hatalmat aduan neki, königörge erette, mint az utanaualokert is, hogy az hitben erötleneket megerősítene:* mely imadsag Petert és azon szekben következendő pispököket foglalta magaba.“

Petrus Cardinalis Pázmány primas Hungariae et A.-Episcopus Strigon. „Az sz. Irasrol és az anyaszentegyházrol két rövid könyvecskék.“ Pag. 114. Hogy mi a pápát Isten gyanánt tiszteljük, bolondul fogják reánk az az Ujitók. Tudgyuk hogy Istennek nevezi a sz. Irás a papi és világi Fejedelmeket. Azt is olvassuk, hogy Constantinus Császár a nicaeai gyülekezetben Istennek mondotta a Püspököket: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Ha ki másképpen Istennek nevezné a pápát szabados szóval azt mondhatnók neki, a mit Tertullianus a romai Császárokról szolván: Non ego Deum Pontificem dicam, vel quia mentiri nescio; vel quia illum deridere non audeo; vel quia nec ipse se Deum volet dici, si homo est; satis habet appellari papa. Grande et hoc nomen est, quod a Deo traditur. Negat illum papam, qui Deum dicit, nisi homo sit, non est Papa.“ (Apolog. C. 33.) Pag. 121. „A régi sz. Atyák egyenlő értelemmel tanitják, hogy a római ecclesiát meg nem győzheti a hamisság. Ezt sz. Páltul tanulták, ki nyilván irja: hogy a romai ecclesianak

lába-alatt-rontja-meg Isten a sátánt. Deus conteret Satanam sub pedibus vestris. Maga a Sátán tapodta volna inkáb láb-alá a római ecclesiát, ha ezt istentelen tévelygésbe ejtette volna. Hallyad mit ir Cyprianus, Jeronymus, Augustinus, Bernardus. . . . Ibi fides non potest sentire defectum, haec quippe huius praerogativa Sedis est. *Ezek igy nem volnának, ha a romai ecclesia változást tett volna az apostoli tudományban.*“ Pag. 123. „*Ha a romai ecclesia megvesztegette és bálványozásra forditotta volna az apostoli tudományt;* bizonyára ezek a sz. Atyák és Conciliumok nem böcsülötték, hanem átkozták volna a romai pápákat.“ Pag. 729. „Minekelőtt tovább mennyünk, eszünkbe kell vennünk, hogy a romai ecclesia nevének két jegyzése lévén, kettőt érthetünk rajta. 1-o a Roma városában levő particuláris ecclesiát, főpásztorával egyetemben . . . . És illyen értelemben szollanak a romai ecclesiárul azok a sz. Doctorok, kik azt irják, hogy a romai ecclesia Annya, Mestere, Feje a több Ecclesiáknak; mivel annak a particuláris ecclesiának fő-pásztora, Feje, Apja és Pásztora az egész Ecclesiának. Ugyanezen értelemben szollanak, a kik azt irják, hogy minden egyéb ecclesiának a romai Ecclesiától kell hallgallgatni; annak hitit kell követni, és parancsolatinak engedni: *mert az soha tévelygésekre nem hajlott.*“

Idem, „Hodoegus“ Anno 1637. (pag. 732. et 33.) „A szent Atyák közül némellyek oly távul vetik a romai ecclesiát a *változtatástul, hogy tellyességgel lehetetlennek mongyák el-szakadását és tévelygésre jutását.* Ezt tanittya Cyprianus Mártir: Navigare audent pseudo episcopi ad Petri Cathedram, atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a Schismaticis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere *non possit* accesssum. Ezt tanittya Jeronymus: Scito Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, huiusmodi praestigias non recipere. Etiamsi Angelus aliter annuntiet, quam semel praedicatum est; Pauli autoritate munitam, *non posse* mutari. Ezt tanittya sz. Ágoston: Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est Petra, quam *non vincunt* superbae inferorum portae. Ezek után noha később Sz. Bernard: *Dignum est ibi potissimum resarciri damna*

fidei, ubi fides non possit sentire defectum, haec quippe huius praerogativa Sedis est. Vannak más rendbeli Atyák, kik azt tanittyák: hogy ő idejekig semmi ujitást és változtatást nem tett a romai ecclesia; mellyel az egész kereszténység mind egyetértett; . . . Cyprianus, ki Urunk születése után kétszáz esztendővel élt, azt irja, (a mint hallók) hogy el nem tévelyedhetik a római gyölekezet. Cornelius pápának irja, hogy ő vélle egy ecclesiában, egyenlő értelemben vagyon: mert csak az lehet tagja az ecclesiának, ki egyetért ő vélle. Valaki pedig sz. Péter székitül elszakad, nem lehet az anyaszentegyházban. sat.“ Pag. 772. „Csak a romai Ecclesiát szokták apostoli széknek nevezni, *mivel az apostoli tudomány tanitása ő benne megmaradván, soha dögleletes székké nem változott.* Pag. 785. „Ennek felette, megmutatta Christus kicsoda elől-járó és fő az Apostolok között; mikor elsőben bizonyossá tén, *hogy Péter a hitben meg nem fogyatkozik.* Másodszor, tisztit magyarázza, és ő hivatallyának mongya, hogy erősitse a több Atyafiakat, az az, mint pásztor tanitsa, vezérellye őket. Mert a sz. Irásnak folyása szerént a pásztorok mondatnak „confirmálni,“ erőssiteni azokat, a kiket tanitnak, és gondviseléssel igazgatnak. Halhadsza, mit ir egy régi Doctor, az első Leo pápával egyetemben. Pro Petro rogabat, et pro Ioanne et Iacobo non rogabat. Rogans pro Petro, pro omibus rogasse dignoscitur.“ etc. Pag. 787. „Legnagyobb oka, szüksége és haszna az egy főpásztornak az, hogy az ő legeltetése és atyafiak erősitése által az egyesség megtartassék a hivek között: ugy, hogy mindnyájan *azon igazságot* egyaránt hidgyék, értsék és vallás-tétellel erősitsék. Ne különbözzenek, ne habozzanak, ne ellenkezzenek a hit dolgaiban . . . *Ki a versengök között törvényt tehessen, sentenciát mondhasson, az engedetleneket fenyitékkel zabolázhassa.*“ Pag. 792. „Mert az Isten gondviselése, melly a főpásztor engedelmességére kötelez, nem szenvedheti, *hogy az minket hamisságra kötelezzen,* mivel a sz. Ágoston mondása szerént: in cathedra coguntur etiam mali bona docere. (Ep. 166.) És, ha magában Eretnek a pápa, noha megfosztatván az igaz hittül, melly által lészünk az anyaszentegyház tagjai, nem valóságos tagja az Ecclesiának, de tiszti szerént Gondviselője, és moraliter Caput, és feje le-

het, melytül őriztetik. *Mert nem első és felső fő a pápa; nem is maga erejével igazgattya és birja az Ecclesiát, hanem csak eszköz, és kelytartója az első főnek, mely az ő tagjaiba elevenséget adhat a tévelygő fő által is.*“

Idem in opere „A setet hajnal csillag után bujdoso Luteristák vezetője.“ Bécsben 1627, pag. 59. . . . . „Vannak, a kik azt állatják: hogy, *ha a pápa magán, tévelyeghetne is; de az Istennek gondviselése nem szenvedi, hogy a kereszténységet kötelezhesse hamisságra*, hanem a mint sz. Ágostontul ezelőtt hallók, *abból a székből kételenittetnek a gonoszok is jót tanitani.*“

Idem. Első Predikaczio sz. Péter sz. Pál napján p. 1214. „Mikor azért Christus sz. Pétert rendelte maga után az Anyaszentegyház-fondamentomának és Pásztorának, mikor neki adta a Menyország kulcsait, ismertetni akarta: először, hogy az ő tanitásához kell támaszkodnunk a hitrül és jó erkölcsökrül való tudományban. *Mert miképen falban nem maradhat a kő, mely a fondamentomon nem állapodik: ugy Christus épületibül kiesik, a ki sz. Péter fondamentomán nem viseltetik* . . . . Ne itéld, hogy a sz. Péter tiszti megszünt halálával. Mert nem csak a régi sz. Atyák egyenlő értelemmel tanittyák: hogy az Anyaszentegyház látható főpásztorsága a sz. Péter után következő Püspökökre, a romai Pápákra szállott.“ sat.

„**Matkó Hazugságainak** megtorkolása és Pósaházi Mocskainak megtapodása, 1667. (sine anno, sine loco, anonyme,) pag. 324. „És mivel a tévelygések némellykor a püspököktül is származhatnak, méltónak itélheti az okos ember, hogy a püspökök fölött is legyen, a ki őket a tanitásnak egyességében tartja. Hogy pedig az is, a ki mások fellett való, meg ne csalatkozzék a tanitásban, attól volt Krisztusunk amaz igéreti sz. Péterhez: te kőszál vagy és ezen a kőszálon fogom épiteni az én anyaszentegyházamat, és a pokol kapui erőt nem vesznek rajta. — Mit kell patvarkodnotok lutherek és calvinisták a pápának, avagy legfőbbik püspöknek az ő gazsága fölött, ha Krisztus ily nyilván (Luc. 22, 31.) csak sz. Péternek igérte, hogy hitében meg ne fogyatkozzék; a sátán eziránt való ostromlását és rostállását pedig a többi ellen is jelentette Krisztusunk, kivánt, ugy mond, titeket a sátán, de még is

csak sz. Péternek igérte, hogy meg nem fogyatkozik hitében.“ — „Bárányok a keresztény népek, szoptató juhok pedig az egyháziak, s ezeket is hogy valaki kormányozza, *igen kivántatik*, de ugy, *hogy akár csak ez az egy legyen megcsalhatatlan tanitásban.* — Ez az, a mit Krisztus mond, hogy hitében meg nem fogyatkozik sz. Péter a másokra való képest, és sz. Péter után minden, a ki sz. Péter tisztibe igaz hivatal szerint lépő.“ Pag. 144. „A pápa, mivel Szentlélektül vezéreltetik, *a hit ellen hamisat nem tanithat, ha szintén privatim, magános cselekedeteiben valami nem hit ellen való bünbe eshetik is mint gyarló ember; mert aziránt a pápát senki impeccabilisnek nem mondja.*“ Pag. 294. „Matkó azt sem tudta, hogy némely pápák rosz cselekedeti error non iuris sed facti volt, azaz: cselekedettel vétkeztek, de nem oly tanitással, melylyel az egész ker. ekklesiának törvényt szabtak volna a pápai tisztnek székibül: *mert igy hamisságot nem tanithat a pápa*, mint mikor magánosan valamit végez, ugy mint közönséges ember.“ Pag. 288. „Oh hamis emberek! minek hamiskodtok ennyire? *Hiszen ha a pápa megcsalatkozhatnék a pápai tiszti szerint való tanitásban, akkor az Ekklesia is megcsalatkoznék, minthogy köteles a főpásztor szavának megtartására.*“

Három üdvösséges kérdés. Nagyszombat 1690. p. 43. 44. 46. „Mást pedig az egész Anyaszentegyház Igazgatójának sz. Péteren kivül senkit nem hagyott: mert a több Apostolok is jelen lévén, mégis az egy sz. Péternek adta Krisztusunk a Menyország kolcsát és a kulcs adással a birodalmat. E világból készülvén, csak sz. Péternek mondotta, „Legeltesd az én bárányimat és juhaimot is. Csak sz. Pétert nevezte Petrának, az az: kőszálnak, kin az ő Anyaszentegyházát épitette Krisztusunk, ugy mint helytartóján, avagy a mint sz. István király Decretomába mondgya: quem custodem magistrumque posuit eidem Ecclesiae: *hogy sz. Pétert Krisztusunk az egész Anyaszentegyház Őrzőjének és Mesterének tötte.* Nem is bonthatta meg az ördög ezer hat száz esztendőtül fogva, ezt az egy helytartóján való Krisztusunk épületit .... Minden bizonyság nélkül mongyák, hogy az romai Pápák cserélték el az igaz tudományt.“

Illés András erdélyi püspök in opere: „Megröviditett ige.“ Bécsben Anno 1692. P. II. p. 288. „Noha az Anyaszentegyházra reá rohannak a pokol kapui, az az valami erő és dühösség a pokol kapuján kijöhet, de a kősziklán épült Anyaszentegyházon győzedelmet nem vehet, sőt ellene sem állhat: mivel a sz. Péter vallása, tanitása, gondviselése ugy, vezérli Krisztus után az Anyaszentegyházat, hogy ha némellyek fiai közül elesnek is, de mind a pogány királyok dühösködése, mind az eretnekek csalárdsága, mind a feslett keresztények botránykoztatása, mind az ördög és világ kisérteti ellen győzedelmes lészen mivel az örök igazság mondotta. Et ego dico tibi, sat. Azért noha sokképen viaskodnak ellenségi, de mint a kősziklában a tengeri habok, *ugy a szent Péter hitinek és tanitásának erősségében elrontatnak az ördögi hatalmasságok.*“

Böytös Stephanus, SS. Theologiae Doctor in opere, quod inscripserat: „Domus Domini in vertice montium.“ Tyrnav. 1695. Pag. 98. sequentia in rem nostram scribit: (in usum Parochorum Regni Hungariae) Obiiciunt quinto: Si Romanus Pontifex succederet Petro in primatu, succederet etiam in fide, sed non succedit in fide, ergo nec in primatu. Maior certa est ex principiis Catholicorum. Minor probatur; potest enim in Pontifice fides deficere, ergo non succedit Petro in fide, cuius fides post orationem Christi deficere non potuit. Luc 22. Antecedens probatur; Pontifex Romanus potest fieri haereticus, ut catholici nonnulli concedunt; sed hoc est deficere fidem in Pontifice, ergo. Ex quo rursum sequitur, quod Pontifex factus haereticus possit deponi, et iudicari ab Ecclesia, ergo non est supra Ecclesiam, quae omnia apud nos inconvenientia sunt. Respondeo distinguendo maiorem, succederet etiam in fide Petri, quantum ad officium Pontificis, concedo maiorem: quantum ad propriam et privatam perseverantiam in fide, nego maiorem. Itaque duplex quoddam erat beneficium a Christo impetratum Petro in fidei firmitate: primo, quod Petrus etiam, qua persona privata, fidem nunquam amitteret. Secundo, quod Petrus quatenus Pontifex et Pastor Ecclesiae universae *nihil unquam docere potest contra fidem, tum ipse tum omnis, qui sibi in Pontificatu succederet;* etsi autem

non ita certum sit, Pontificem succedere Petro in primo, in secundo tamen certissimum est, eum esse Petri successorem; probatum enim est Petrum et eius successores esse totius Ecclesiae pastores et Rectores, quibus tota Ecclesia obedire teneatur, et ex altera parte probatum etiam est, nihil contra fidem ab universa Ecclesia credi posse; *ergo quidquid Pontifex, ut Pastor et Doctor Ecclesiae summus, toti Ecclesiae credendum proponit, esse contra fidem nullo modo potest, ergo Pontifex deficere non potest in fide ut summus Pastor et Doctor Ecclesiae.* An autem Pontifex incidere possit in haeresim ut privatus quidam homo; quemadmodum supponere videtur Canon „Si papa Dist. 40. et Synodus 8. generalis, an vero non, ut defendit Bellarminus et Albertus Pighius, parum moror, *quando certum est, eum publice haeresim docere, aut definire non posse.*“

Illyés István, esztergomi Cantor kanonok „Catekismus avagy Lelkitéj.“ Nagyszombat 1697. pag. 16. et seq. dicit: „Továbbá csak sz. Pétert nevezte Urunk petranak, kőszálnak, kin az ő anyaszentegyházát épitené, úgymint Helytartóján . . . Kérdés. Micsoda az, a mivel Péter nagyobb a több Apostoloknál: mert ha ő Apostol, a többi is Apostolok, ha lelkipásztor, a többi is lelkipásztorok, ha fundamentum, a többi is azok? Felelet. Megértheted azt Sz. Cypriánusnak elébb emlitett és sz. Jeronymusnak e következendő szavaiból: Supra Petram fundatur Ecclesia sat. Holott mindenik e két sz. Doctor közül, hármat mond. . . . Elsőt, hogy az Apostolságot a mi illeti, abban egyenlő volt Sz. Péter a több Apostolokkal. Másodikat, hogy az Apostolság kivül sz. Péternek más tiszti volt, azaz fő volt és első volt a több Apostolok között. Harmadikat, miért kellett egy főnek lenni az Apostolok között; *tudniillik, hogy az egyesség megtartatnék és a hasonlásra vagy különnözésre alkalmatosság ne lenne a hivek között, midőn mind egytől kellene függniek* . . . És ő dolga volt főképen Christus után, gondot viselni reá: hogy az atyafiak és a hivek tellyes gyülekezete megmaradgyon abban a vallásban, mellyet ő tőn az Isten fia felől. Miképpen Urunk megmondá neki sz. Lukácsnál. Ezekből az is kitetczik, hogy a főpásztorságot nem magáért, hanem az Anyaszentegyházért és a hivek erőssitése-

ért adta Péternek Christus Urunk. Azért nevezte őtet oly kőszálnak, mellyen az Anyaszentegyház építtetett . . . És ezek a főpásztorok Apostoloktól vett *keresztyéni igaz tudományt mindeneknél legerősebben őrizték* Rómában, a mint maga is megvallya Calvinus, mondván azt is, hogy öt száz egész esztendeig semmi változás nem lett a Romai igaz tudományban. Azon öt száz esztendő alatt pedig más nem őrizte a Christus nyáját, hanem a romai pápák."

Martinus Szentiványi in opere: „Negy rövid első könyvecskek, mellyeket a hitben támadott versengesekről irt." Nagyszombat 1702. Pag. 360. „Mert Damasus pápa először tartotta, tanitotta és hitte . . . . hogy ő nála légyen az elsőség minden Ecclesiák között a kereszténységben; hogy apostoli szék légyen, hogy a római pápa feje és tanitója légyen *a makula nélkül való hitnek*. Ezt pedig nemcsak maga felől vallotta, s hitte, hanem ezen széknek minden más szentséges pápák felől is, úgymint kik Krisztus helytartói voltanak, vannak s lesznek is. Azon kivül hitte szent Damasus azt is: *hogy semmiféle gyülekezet nem lehet igaz közönséges gyülekezet a római széknek méltósága nélkül*; hogy mindenféle hit dolgai körül esendő kételkedéseket és vitatásokat a római Pápa eleibe kellessék vinni, *és annak mint Ecclesia fejének végzésibül bevenni, vagy kirekeszteni azon dolgokot, melyek körül valamely kételkedések lehetnének.*"

Idem in opere „Doctrina fidei christianae Ecclesiae primorum quinque Saeculorum." Tyrnav. 1708. Pag. 150. „Atque ex his omnibus . . . . clarissime patent sequentes conclusiones: 7-o quod Pontifex Romanus legitime electus sit omnium Ecclesiarum Christianarum Pastor et Caput. — 8-o quod ad ipsum sint deferendae omnium Ecclesiarum controversiae fidei, et quod ad ipsum spectet earum decisio. 10-o *Quod approbatio et reprobatio Conciliorum etiam Generalium ad eum spectent.* 12-o Quod decreta et Statuta illius debeant observari a tota Christianitate."

Idem in opere. „Magnum Chaos inter Confessionem Augustanam et Confessionem Augustinianam." Tyrnav. 1717. Pag. 404. „Propositio VII. modernorum Acatholicorum: Non spectat ad Romanam Sedem de doctrina Catholica sententiam

ferre et Haereses damnare. Doctrina S. Augustini: Pelagius et Coelestinus etiam a duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicae Sedis, Papa Innocentio et Papa Zozymo, nisi correcti etiam poenitentiam egerint, toto orbe christiano damnati sunt. Tom. 2. Epist. 157. ad Optatum: Quorum Diploma ad omnes universaliter Episcopos missum est. — *Ad Sedem igitur Romanam spectat diiudicare, quae Doctrina sit catholica et quae haeretica.*"

Baranyi Pál S. I. in opere: „Imago vitae et mortis." Nagyszombatban 1712. Pag. 280 dicit: „Innét inti Üdvözítőnk az Apostolokat: expetiit vos satanas ut cribraret sicut triticum, és utánna veti: ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Csudálatos mondás ez: én pedig könyörögtem éretted, hogy a te hited el ne fodgyon. A veszedelmet közönségesen az Apostoloknak megjelenti, és csak Péterért könyörög. Mi ennek az oka? Nem más, hanem ez: mert Péter feje, és fő-pásztora vala a többinek és az egész Krisztus nyájának . . . Feje levén azért Péter a többinek, ő érette kellett leginkább Krisztusnak könyörögni, ő reája kellett legnagyobb gondot viselni, *mert ha ő elesett volna, veszedelemben forgott volna a többi is,* a mint jól eszébe vette Aranyszájú Sz. János: qui Pastorem ipsum de medio tulerit, totum simul gregem dissipabit."

Sub Auspiciis Nicolai Comitis Illésházy, Regni Hungariae et Aulae Regiae Cancellarii, Laurentius Sablik, Ordinis Cisterciensium presbyter in Aula Reg. Pragensi proposuit, et defendit sequentes assertiones: XXXVI. praeter scripturam dari debet, et de facto datur aliqua fidei regula, qualis est Concilium generale approbatum et Pontifex ex Cathedra definiens. XXXVII. Qui etiam extra Concilium generale definiens, *est infallibilis fidei nostrae regula.* Vide Librum, cui titulus: „Theses ex Universa theologia scholastica, quibus adiecta est Centuria Casuum resolutorum V. Pragae 1713.

Anonymus in opere: „Az hitnek igaz és csalatkozható reguláiról. „Nagyszombat 1724. Pag. 165—169. „Mivelhogy azért a római Pápa szent Péter Successora az Anyaszentegyháznak igazgatásában, őtet illeti a hitben támadott, vagy támadható controversiáknak vizsgálása és az Irások magyarázá-

sáról való igaz itélet; ő neki mondatik Luc. XXII. v. 32. és Te valamikor megtérvén, erősítsd meg (kétségkivül a hitben) a te Atyádfiait. És Matth. XVI. v. 19. Te neked adom Mennyek országának kolcsait, az az: hatalmat mennyeknek országa kapuinak megnyitására, a kik előtt azok be volnának záratva; mennyeknek országa kapuit bezárja a hitben való tudatlanság. — Ioan. XXI. v. 17. Legeltesd az én juhaimat, tudniillik a hitnek eledelével. Ezen Szent-Irásbeli bizonyságokat igy magyarázzák a római Pápáról a szent Atyák és a közönséges Anyaszentegyház. *Nem is csalatkozhatik meg, sem nem vétkezhetik a hit dolgában, mikor valamit végez, ha végez ugy mint Pápa, szólván ex Cathedra, avagy hivatalos tisztiből:* azaz, mikor szándékozik az egész Anyaszentegyházat kötelezni a pápai sentenczianak bevételére, példának okáért, mikor a Szentek Lajstomába ir valakit, avagy valamely Eretnek büzü tudományt átok alá vét etc. *mert az Istennek kegyelmes Gondviseléséhez illik, hogy ötet ne engedje megbotlani s megcsalattatni.* Oka az: Először. Mert az Ecclesia tévelygést nem taníthat, a mint megmondók Num. 83. tehát a Pápa sem, ki azt igazgattya. Másodszor. A Pápának adattak Mennyország kolcsai, hogy azt megnyissa; de ha tévelygést tanitana, bezárná Mennyeknek Országát, nem hogy megnyitná! Harmadszor. Mikor Krisztus a Pápának mondá; „Legeltesd," minden szükséges eszközt adott neki a legeltetésre, *erre pedig főképpen szükséges a hit dolgában és a tanitásban való csalatkozhatlanság;* mert ha ebben megbotlana, nem legeltetné, hanem inkább megmételyesitené a Krisztus juhait. *Tehát a hit dolgában meg nem csalatkozhatik.* Negyedszer. A pápának mondatott: Erősitsd meg az Atyádfiait; ha pedig tévelygést tanitana, nem hogy erősitené, sőt lábokról leejtené az Atyafiait és megcsalná. — Ötödször. Ez az szent Atyáknak és Anyaszentegyháznak közönséges értelme, mert valamelly eretnekséget megátkozott a Pápa, azt átkozta meg az Ecclesia is. Végezetre: az Ecclesia hamisságot nem tanithat; *az Ecclesia pedig azt tanitja, hogy a Pápa az ő végzésiben, mellyek a hitre néznek, meg nem csalatkozhatik; tehát a Pápa a hit dolgában megcsalatkozhatlan igazságra vezérli a kereszténységet.* Egyébiránt megcsalatkozhatik az ő végzésiben, mikor

valamit végez úgymint privatus Doctor, vagy pedig in Quaestionibus facti, tudniillik olyan dolgokban, mellyek nem a közönséges Ecclesiának hitit nézik, hanem egyéb különös személyeket vagy dolgokat illetnek, mert az illyenekben természet szerint való itéletiben és okoskodásában meghagyattatik. Azokáért, ha szinte a Pápa nem igen példás életet viselne is, az nem árt a tudomány tisztaságának, sem az ő végzésinek igazságát fel nem bontya, ha ugy végez mint Pápa. . . . . Ugyanis lehetett-e istentelenebb személy Kajphásnál, ki Krisztust itélte? de mivel-hogy azon esztendöben Fö-Papi méltóságot viselt, profetált az az tanitott ollyat, a mi igaz volt Joan. II. V. 49. Az okáért mondá Kristus Urunk, *Valamiket mondanak néktek, tartsátok meg, és cselekedgyétek meg; az ö példájok-szerint pedig ne cselekedgyetek.* Matth. 23. V 2. Mely tanitása által világosan jelentette, hogy a Fö-Papnak példátlan élete nem árt a tudomány igasságának, és affelöl az Ecclesiát az üdvösségnek partyára kormányozhattya. Sem az Istennek dicsöségében az szeplöt nem ejt, kinek szokása a világnak eröttelenit választani, hogy megszégyenitse az erösseket. Miképpen az ö csudálatos cselekedete az, hogy az Halászok által meg hóldultatta a világ Urait; hogy a gyarló elementomokhoz ugymint a vizhez, olajhoz, kenyér-s bor szinhez kötelezte a Szentségeknek foganatos erejét: hogy a meg feszittetettröl-való prédikállásnak bolondsága által üdvöziti a hiveket; hasonló-képpen az ö dolga az-is, hogy halandó embereket, és bünösöket tészen Anyaszentegyháznak Kö-szálivá, és Igasságnak támasz Oszlopivá; kik noha különös, és magok személyit illetö dolgokban megbotolhatnak-is, de az Anyaszentegyháznak hitiben-járó munkákban az igasságtól soha el-nem tévelyedhetnek."

Iulius Caesar Coturius S. I. in opere „Epitome Controversiarum." Tyrn. 1728. Pag. 58 „Quam praxim semper in Ecclesia Apostolica et primitiva viguisse, ut videlicet *per Pontificem*, aut Concilia a *Pontifice approbata* res omnes de fide controversae deciderentur, omnium omnino Doctorum Apostolicorum testimonia confirmant."

Tirocinium Theologicum authore **Balthassare Francolini** concinnatum, et candidatis pro laurea doctorali in Universitate Tirnaviensi a condiscipulis A. 1729. mense Iunio dicatum et

Tirnaviae e. a. typis academicis impressum: Part. II. §. II. n. 60. „Ex eo autem, quod Pontifex Romanus sit verus Petri successor, Ecclesiae Caput, et Pastor supremus, sequitur 1. quod ipse sit supra Concilium: Patres enim in unum congregati non desinunt esse oves, quarum cura Petro committitur, cui soli dictum fuit: Pasce oves meas, confirma fratres tuos. Quare iure optimo Concilium Lateranense ultimum sess. 2. abrogatis Concilii Basileensis decretis contra Pontificis authoritatem factis subdit: Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum sacrae Scripturae testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat.“ Ibid. n. 61. „Sequitur 2. quod *Pontificis definitiones sint infallibiles absque assensu Concilii*, nam cum Christus Petrum, et in eo ipsius successores fecerit Ecclesiae Pastores, eisque dederit claves scientiae, et potestatis, sine fundamento asseritur, non esse illis datam potestatem absolutam docendi, sed conditionatam, et pendentem ab assensu Concilii, Ecclesiaeque sibi subditae, ut sine fundamento diceretur, non tradi absolutam potestatem docendi ei, qui in Universitate aliqua legitima, et approbata fit Doctor et Cathedram actu accipit, et discipulos quos erudiat. — — Et confirmatur authoritate Conciliorum, quae hanc in Pontifice Romano infallibilitatem agnoverunt. Concilium siquidem Chalcedonense lecta S. Leonis Papae epistola, qua Eutyches damnabatur, acclamavit; Anathema ei, qui ita non credit: Petrus per Leonem locutus est, eique tamquam certissimae fidei regulae subscripsit actione 4. Idem fuit Concilii Constantinopolitani 2. sensus erga Pontificem Agapetum in causa Anthymi, et Concilii Oecumenici 6. erga Agathonem, de cuius litteris tota Synodus ait: Quas ut a summo Apostolorum vertice divinitus conscriptas agnoscimus. Demum pleraeque haereses hoc modo damnatae sunt, nempe per solam Romani Pontificis sententiam, quae videlicet emerserunt a tempore Apostolorum usque ad Concilium Nicaenum I., nempe

Marcionis, Montani, Novatiani, aliorumque: nullum enim eo tempore intermedio fuit Concilium Generale celebratum. Sic aliae multae postea damnatae fuere, ut Pelagianismus, Semipelagianismus, Priscillianismus etc." — „Epitome im-et opportuna — — exposita disputationi publicae in Ecclesia Franciscana Quinque Ecclesiensi anno 1729. *praeside Venantio Vertarich*, defendentibus Caietano Zangerer, Adalberto Filoczy, et Narcisso Zombori eiusdem Ordinis ac instituti studiosis. *Budae* typis Georg. Nottenstein (sine anno) Cap. I. quaes. 11. resp. 10, pag. 20: „In hac Monarchia hierarchica habetur iudex controversiarum ipse summus pontifex si quae in rebus fidei oriuntur; *cuius infallibili definitione standum est iis, qui veri christiani volunt esse et audiri.*" Cap. III. Nr. 30. quaes. 21. pag. 78—79. „Haec potestas Petro non ob propriam personam, sed ob Ecclesiae conservandam unitatem collata est; atque hanc pariter adepti sunt illius in doctrina et pastorali munere legitimi Successores Romani pontifices, *apud quos ut Christi legitimos vicarios suprema ecclesiastica potestas cum infallibili fidei articulorum explicatione constanter permansit;* ne fides Christi unquam deficeret. Luc. 22. Quam potestatem agnoverat etiam Lutherus, cuius dicta videas superius quaesito 5. n. 14. (p. 30—31.) Beatissime Pater, prostratum me pedibus B. T. offero, cum omnibus quae sum et habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit, Vocem tuam, *vocem Christi in te praesidentis et loquentis in te agnoscam.*"

Anonymus in opere „Lapis Lydius controversiarum fidei." Tirnaviae S. a 1736. Pag. 92. haec de summo Pontifice disserit: „Et in N. T. Pontifici nostro, nempe Petro, eiusque Successoribus a Deo dictum est: Tu es Petrus etc. Matth. 16. 18. — Uni nempe Petro praecepit Dominus omnes docere et spiritualiter regere: Simon Ioannis pasce agnos meos, pasce (graece ποίμανε, guberna) oves meas, Ioann. XXI. 15. *Ergo et solus, sive absque concilio infallibiter id potest.* Pro uno Petro in communi Apostolorum periculo rogavit peculiariter Christus Luc. XXII. 32. Rogavi pro te (Simon) ut non deficiat fides tua, et tu confirma Fratres tuos. Quia ut exponit Theophylactus (in C. XXI. Lucae) Te habeo principem discipulo-

rum, confirma ceteros; hoc enim decet te, qui post me Ecclesiae petra es et fundamentum. Unus ille iussus est fratres, id est reliquos omnes Apostolos confirmare. *Si vero errare ille posset ex Cathedra publice docens; non tam confirmaret aliquando fratres, quam forte deciperet;* non tam pasceret oves Christi, quam forte intoxicaret; nec tam fulciret, quam forte pessumdaret Ecclesiam Dei. Manet igitur invictissima Ecclesiae Petra et Beatus Petrus, qui (ut scribit D. Chrysologus ad Eutycheten) in propria Sede vivit et praesidet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem. . . *Hinc denique plurimas haereses Romanus pontifex sine Concilio generali damnavit*, ut Pelagii, Priscilliani, Iovinian, Vigilantii, et aliorum multorum, quas eo ipso, pro veris haeresum monstris, tota Christi Ecclesia exhorruit, quod a Romano Pontifice essent damnatae. Idque evidenti est argumento, totam, quantaquanta est, Ecclesiam sentire, *Pontificem in eiusmodi rebus errare non posse.* In editione „Lapis Lydius" altera verbis citatis sequentia praemittuntur: Punctum 48-um „Summus Pontifex etiam extra Concilia est quoad eadem decreta Ecclesiae facta aut facienda *aeque infallibilis.*"

Anonymi Institutionum Christianarum, quae sunt de fidei Controversiis. Pars secunda Tirnaviae typis Academicis per Leopold. Berger impressa, et auditoribus a. 1736. oblata, dum Stephanus Laukovics Dioecesis Agriensis presbyter pro prima theologiae laurea publice disputaret. pag. 128 legitur: „Controversia vero nostra gravissima omnium est; an pontifex Romanus, ut talis, ex cathedra definiens aliquid sine Concilio Generali, a tota Ecclesia credendum, aut agendum, in ea sententia sua errare possit: nam si cum Concilio id Generali definiat, iudicium eius esse infallibile, nemo nisi haereticus apertus negat: quae disputatio pertinet ad eum locum, in quo proxime de infallibilitate agemus Ecclesiae. *Dico itaque, sine Concilio etiam esse illum Iudicem controversiarum infallibilem. Haec est communissima, et ab universa fere Catholica Ecclesia receptissima sententia: ita ut opinio contraria, etsi nondum prorsus haeretica, eo quod aliquomodo ab Ecclesia tolerata; error tamen, et haeresi proxima dicatur a sapientissimis maximisque Theologis.*

Compendium Manualis controversiarum, a R. P. Martino **Becano** S. I. Tyrnaviae 1738. L. 1. cap. 4. Nr. 23. p. 167. „Ex quibus convincitur: quod omnes christiani quando oriuntur dissensiones in fide, debeant adhaerere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, seu sedes apostolica, si non velint errare.“ Prius dixit: „a cuius (Pontificis) sententia non liceat appellare.“ Pag. 175. „Si est aliquis episcopus universalis Ecclesiae, tunc illo apostatante caderet tota Ecclesia. Respondeo: Deus providit et providebit porro, ut non deficiat fides Petri.“ Cap. V. pag. 147—48: „Asserimus: Ecclesiam duplicem sententiam pronunciare posse: vel per Pontificem, qui est Caput et Pastor Ecclesiae, vel per concilia a Pontifice approbata. *Et utroque modo sententiam esse infallibilem; neque Pontificem in fide errare posse,* cui in Petro dictum est: ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; neque concilia legitime celebrata.“

Iaroslaus a S. Alexio, e scholis piis Iaurini in seminario SS. theologiae Professor, in opere suo „Theologia historico-dogmatica.“ Iaurini 1738, Parte II. pag. 122. „Pontifices Romani, omnibus Ecclesiae saeculis, de quaestionibus fidei et morum in Ecclesia universali exortis tulere sententiam, secundum evangelicam promissionem: oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ Hoc demonstrat multis pag. 122—125. Removet difficultates pag. 126—132.

Theses, quas **Ioannes Bobics**, Sem. Dioec. Iaurinensis alumnus, SS. theol. emeritus auditor, anno 1742. 19-a aug. in Aede summa cathedrali defendit. – Ex tract. virtutum theologicarum thesis VIII. IX. — ad opus S. Podlusani „De rebus gestis Hungariae.“ Iaurini 1742. „Caput visibile (Ecclesiae) et vicarius est *Pontifex* legitime electus, qui *est iudex infallibilis controversiarum fidei*, — sicut et omne concilium legitime congregatum.“

Hertzig Franciscus „Manuale Controversisticum.“ Tyrnaviae 1745. p. II. C. II. pag. 326. defendit: „Pontificem extra Concilium definiendo *errare non posse.*“

Iosephus Erdélyi de Keresztur, alumnus Dioec. Vaciensis, „Assertiones theologicas“ Tyrnaviae publice propugnavit. (Adiectae ad initium operis: „Antonii De Gvevara, epistolae

ac dissertationes.“ Iaurini 1746.) Thesi VIII. IX. „Haec (Ecclesia R. C.) infallibilem auctoritatem habet quaestiones fidei controversas decidendi. Nequit errare in damnatione propositionum continentium aliquod dogma fidei, item in canonisatione Sanctorum, et approbatione ordinum religiosorum. *Hanc eandem infallibilitatem habet Romanus Pontifex etiam extra concilium, dum quidpiam definit, tamquam Ecclesiae caput.*“

Matthaeus Petitdidier „Tractatus Theologicus de authoritate et infallibilitate summorum Pontificum Gallice primum conscriptus, dein latinitate donatus, dum conclusiones theologicas Stephanus **Stokker,** presbyter Archidioec. Strigoniensis 1746. publice propugnaret, **Iosepho Zbiskó** de Kis-Kolacsin Archidiacono Comaromiensi oblatus, Tirnaviae 1746.“ Cum auctor cursu totius operis pag. 1—272. infallibile magisterium Summorum Pontificum invictissimis argumentis propugnet, sit eius e dedicatione ad Innocentium XIII. Papam directa enunciatio instar speciminis: „Huc labor meus collimat, ut omnibus catholicis authoritatem summorum Pontificum, *eorumque* in *quaestionibus fidei infallibilitatem palam faciam;* authoritatem quidem ex eo, quod huiusmodi fidei quaestiones ad eos semper delatae fuerint; infallibilitatem vero ex eo, quod definitiones, quas desuper tulerunt, et ad universam Ecclesiam direxerunt, *semper tamquam oracula, quae in dubium vocare non liceret, habitae fuerint.* — — Temporibus ad has calamitates superioribus *in huius praeclarae veritatis,* super sacram Scripturam Salvatorisque promissiones fundatae *professione unanimis* semper fuit Ecclesia. Graeci, quamdiu in Ecclesiae sinu permanserunt, aeque parum eam in dubium vocaverunt, ac Latini, Oecumenicaque concilia, ut et particulares doctores semper fassi sunt, quod divus Petrus per os suorum successorum loquatur, hique illius super quam Ecclesia fundata est, organa dumtaxat sint.“ (Hoc idem opus latino sermone Posonii sine anno procusum et Georgio Klimo, Episcopo Noviensi, Canonico Strigoniensi et Principis Primatis a latere oblatum.)

Gotti Vincze Lajos (ford. Sipos M. sz. Ferencz rendü) „Az igaz utnak megválasztása a külömböző vallásu keresztények között.“ Egerben 1757. pag. 236 et sequen. „Mindazáltal

a több ujitók között leginkább Luther és Kalvinus dühösködik ezen egy főpásztor ellen . . . és minden tehetséggel azon vagyon, hogy ezt az Ekklesiabul kigyomlálja. De nem veszi észre, hogy nem győzedelmeskedhetik Krisztus ereje ellen, a ki azt igérte, hogy az Anyaszentegyházon, melyet Péteren fundála, a pokolnak kapui erőt nem vesznek. Megmutatta Krisztus az Evangeliomban, hogy az ő Anyaszentegyházát egyen épitette, egy által erősitette meg az Atyafiakat az hitben, egy által legelteti juhait, és ez nem más, hanem Péter. Akarod-e tudni, hogy Péternek a hitben állandóság igértetett? Hallyad önönmagát, a Krisztus Luc. XXII. egyedül Péternek igért azoknak s magának a hitben való megerősitésére állandó erősséget . . Akarod hallani, hogy Krisztus felmenvén Mennyekben Pétert rendelte maga helyett az ő juhainak és bárányainak vezérlésére? Olvasd Ioann. XXI. és feltalálod, hogy háromszor mondotta Krisztus Péternek: Legeltesd az én juhaimat. Mi lett volna belölünk, ha e földön maga helytartóját nem hagyta volna a kinek hiteért könyörgött, hogy el ne fogynék és hogy abban megerősitené atyafiait és egybegyüjtse. Ha minden Apostolokat kiván vala a sátán, hogy megrostáltatnának, mint a buza, miért nem kiváltképen mindnyájáért, hanem egyedül Péterért és ennek a hitben való állandóságáért könyörgött? Miért akarta, hogy minden vetekedések, melyek az Anyaszentegyházban támadnának, egy által végződnének, és azért egynek t. i. Péter hitéért könyörgött kiváltképen, hogy mind magában, mind másokban épen s tisztán a hitet megőrizné . . . Hidd el, sok zür-zavar és szakadások történnének az Ekklesiában, ha nem volna egy fő, kinek itéletivel és hatalmával mindezek lecsendesitetnének. Rendelt tehát Krisztus az Anyaszentegyházban egy fő-pásztort, kinek engednének mindnyájan, és a ki *megcsalhatatlanul vezérelné az Ekklesiát, ez pedig nem más, hanem a római Pápa.*"

Ioannes Gisbert S. I. in Prolusionibus et Dissertationibus theologicis Anno 1750. dum Ioannes Piacsek sub auspiciis Iosephi Caroli Zbisko de Kiskolacsin, electi Episcopi Vegliensis, Ins. Coll. Eccl. Posoniensis Praepositi theses theologicas defenderet, editis, in dissertatione prima. pag. 47. haec scribit: „Sed Nilus iste supra alveos veritatis quam late exundat!

nam etiam in sensu Authorum, qui Romanis Pontificibus magis favent, infallibilitas Romanorum Pontificum non ea est, ut non errent Pontifices errore privato, sed ut non errent ex Cathedra loquentes, *hoc est, nunquam errorem proponant toti Ecclesiae credendum, cum obligatione acquiescendi.* Ergo quamvis daremus errasse Petrum errore privato, non inde elevaretur, quam stare volunt, Romani Pontificis infallibilitas; dummodo staret non errasse Petrum ex Cathedra loquentem. Atqui evidens est, Petrum ex Cathedra loquentem non errasse: neque enim Petrus iudaizans definivit iudaizandum esse, et gentes sic coegit, utique non coegit definitionis aut imperii vi, sed exempli. Quare, si quod eius vitium fuit, inquit Tertullianus, conversationis vitium fuit, non praedicationis. Sed neque hoc ipsum Nilo permittimus: errasse Petrum iudaizantem errore privato. Nam iste est Petrus, cui dictum est: Rogavi pro te ut non deficiat fides tua."

Anton Steinsiess, Ord. Fratr. Minorum prov. S. Mariae „Panoplia dogmatica Iaurini" (sine anno, licentia imprimendi est ex anno 1752. 6. mai.) §. 12. pg. 325. „Quidam episcopi Galliae ad ravim se opposuerunt. — — Respondeo pessime; enimvero pauculi isti contumaces praetendebant, ut universalis Ecclesiae gubernator Romanus Pontifex ipsis, ut privatis rectoribus, in doctrina fidei et morum reddere rationem teneatur, dogmatizantibus, quod illorum spiritus privatus instruendum et regulandum habeat spiritum universalis Ecclesiae, quem Christus *soli Petro summati Ecclesiae suae visibilis, eiusque legitimis successoribus cum perpetua assistentia promisit.*"

Pongrácz Ignatius, Ord. S. Pauli Erem. „Triumphus Pauli pio dolo a Deo decepti." Posonii Anno 1752. pag. 326. „Duplex ergo horti istius bis conclusi pessulus est, nimirum firmitas fidei et constantia sanctitatis. Utrumque praestat illi vigilantia Pastorum Ecclesiae, ac Episcoporum eius ac praesertim Summi in terris Vicarii Christi, Pontificis Romani; qui nempe omnes haereses, abususque subnascentes illico damnat, proscribitque. Sic quidem *continuam habeat assistentiam Spiritus sancti, ut in rebus, quae fidem et rectos*

mores concernunt, definiendis, sanciendisque errare non possit.“

In **Viti Pichler,** Societatis Iesu, et SS. Canon. Doctoris Theologia Polemica in Usum Discipulorum Universitatis Tyrnavienis Tyrnaviae 1755. recusa, et quidem Partis I. pag. 556. haec continentur: „Dico 1. Papa etiam extra Concilium Generale habet supremam potestatem obligandi totam Ecclesiam per leges a se latas.“ porro pag. 557. „Dico 2. Papa, etiam extra Concilium Generale, ex *Cathedra loquens, est infallibilis.* Intellige cum illa limitatione, quam de infallibilitate Conciliorum statuimus.“ Demum pag. 561. „Dico 3. Papa ex Cathedra loquens est *infallibilis independenter a consensu Ecclesiae*, vel intra vel extra Concilium dando. Adeoque decreta fidei et morum, a Pontifice extra concilium facta, habent vim suam ante acceptationem et assensum Ecclesiae, ita ut omnes teneantur credere definita, et parere eius legibus iustis.“

Opusculum de Hierarchia Ecclesiastica et de Primatu S. Petri Apostoli, eiusque Successorum Romanorum Pontificum. Agriae 1756. pag. 102—103: „Constituto demum capite et supremo pastore fidelium, reliquum committit Ecclesia Deo, *cui cura est de populo suo; nec patitur, ut a quocumque demum, praesertim vero a suo summo pastore decipiatur, et in errorem inducatur seu in fide seu in moribus.* Ille enim Spiritus Sanctus, qui praestat sanctitatem et infallibilitatem Ecclesiae, ne a fide, vel bonis moribus aberret, *idem praestat, aut impedit, ne quid dissonum fidei vel bonis moribus Pontifex proponat Ecclesiae universae, eamque ad illud sequendum et tenendum obliget.* Hinc bene dicitur et ipse Pontifex infallibilis propter Ecclesiam, etsi Ecclesia non sit infallibilis propter solum Petrum, ut privatum hominem, sed propter *Spiritum Sanctum, qui et Ecclesiae et Pontifici assistit.* Illi, ne passive teneat, quod revelationibus divinis repugnat; *huic, ne quid ultra, aut praeter id doceat active Ecclesiam*, quam quod vel ex scripturis vel ex traditionibus divinis et apostolicis ad salutem vel cultum divinum utile vel plane necessarium esse cognoscit. — — Atque haec est illa publica fides Petri, pro qua Dominus oravit, fides nempe Ecclesiae, quae nunquam deficit, quam quidem omnes legitimi

Pontifices tueri ac custodire, docere ac profiteri tenentur, *eamdem tamen vel minimo labefactare, aut contra eam quidpiam definiendo statuere non possunt.*"

Sub auspiciis Iosephi Szent-Illonay, Episcopi Arbensis, Canonici et Vicarii Generalis Strigoniensis A. 1756. in Universitate Tirnaviensi pro obtinenda laurea doctorali publice propugnatae sunt per Franc. Conrad. de Waldinutz, philosophiae magistrum et Seminarii Mariano-Szelepcsényiani alumnum sequentes etiam assertiones. VI. per regulam fidei intelligimus id, quod continet, vel infallibiliter proponit veritates a Deo fallere, ac falli nescio revelatas, et ad fidem catholicam pertinentes. Dividitur in mortuam, et vivam. Regula mortua est Scriptura et Traditio: viva est Ecclesia, Pontifex, Concilium. VII. Divus Petrus accepit a Christo in totam Ecclesiam primatum honoris et potestatis. In hoc iure divino ei successit Romanus pontifex, estque caput Ecclesiae etiam in Synodo Generali congregatae, et supra Concilium. VIII. Haec (Ecclesia) infallibilem auctoritatem habet, quaestiones Fidei controversas decidendi. IX. „*Hanc eandem infallibilitatem habet Romanus Pontifex etiam extra Concilium, dum quidpiam definit tamquam Ecclesiae Caput*" V. Librum, cui assertiones insertae sunt: „Generalis temporum notio." Tirnaviae A. 1737. impressum.

Theses per Ant. Illyés parochum privilegiatum oppidi Jász-Árokszállás anno 1759. mense aug. Agriae propugnatae, ad opus: „Institutio Parochi" auctore Segner, Agriae (sine anno) adiectae, thesi 22: „Iudex controversiarum fidei est ipsa Ecclesia in pastoribus suis, interdum per concilia generalia, *interdum per solos Pontifices.*" Thesi 23: „Pontifex Romanus *ex cathedra (ut dicitur) loquens, infallibilis est in decidendis fidei et morum quaestionibus, ac supra concilia.*"

Schmitth Nicolaus S. I. in opere „Institutiones Theologicae Dogmatico-Scholastico-Morales." Tyrnaviae 1759. (Editio altera) pag. 410. sequentem habet, quam fuse probat, assertionem: „Pontifex Romanus non solum cum Generali Concilio sibi consentiente, verum etiam extra Concilium e Cathedra loquens est infallibilis controversiarum iudex, *ita ut in decretis*

fidei et morum universae Ecclesiae proponendis errare nequeat.“ pag. 423. ait: „*Ad infallibilitatem definitionis Pontificiae non est necessarius consensus Ecclesiae extra Concilium.*“

Guszténi János egri káptalannak egyik tagia, s óri Apátur „Üdvösség Mannája.“ Egerben 1759. pag. 23: „Ezért neveztetik az egész világon levő Anyaszentegyház Rómainak, mivel a római püspöknek szavát hallja, és annak engedelmeskedik. Ezt a dicsőséges apostoli római széket helyheztette az isteni gondviselés az anyaszentegyháznak közepette, hogy az egész keresztény világban látszatos tzimer légyen, melyre vigyázván a több szentegyházak, magokat minden *tévelygések és szakadások ellen abban az egységben megoltalmazzák.* Ennek tehát az apostoli anyaszéknek adott a Kristus Jézus világ végezetig *tartó állandóságot*, és fényességet. Főképen ezen apostoli székre nézve következik, hogy a katolika Ekklesia és annak törvényes papjai s pásztorai soha el nem fogytak, soha meg nem szakadtak. Mert ámbár némely különös egyházak, valamint a fáknak ágai, attul a fő Ekklesiatul most elvágattanak, a *római apostoli szék mindazáltal, mint kereszténységnek törzsöke és gyökere mindenkor épen, tisztán, és állandóképen megmarad.*“

Selectae propositiones ex universa theologia, per Mich. Zákó parochum in Szent-Balázs, Ant. Tann, Christoph. Kónya Martino Biró eppo Vesprim. oblatae, anno 1761. mense Aug. biduo propugnatae Vesprimii, — additae ad initium Operis „De initiis et maioribus Hungarorum“ a Ios. Disericio e scholis piis, 1760. thesi 5: „Concilia (oecumenica) hoc habent praerogativae, ut iis Spiritus Sanctus ex promissione assistat, ac proinde in quaestionibus iuris decidendis errare non possint, sicut *nec summus Pontifex errat, dum ex cathedra, ut aiunt, loquitur.*“

Ioan. Damiani, Eccl. cathedralis Vaciensis Canonicus, Seminarii Rector „Doctrina verae Christi Ecclesiae ad usum alumnorum episcopalis seminarii Vaciensis ad s. Carolum Borromeum.“ Posonii 1760. Controversia 79. pag. 320—321. „Atqui si Petrus in fide errare posset, iam non fulciret ut petra, ut fundamentum, sed everteret Ecclesiam Dei, neque

clavibus suis Coelum, sed infernum aperiret, neque pasceret oves Christi, sed intoxicaret: ergo. . . . Insuper Luc. 22, 31. Simon, Simon etc. Ubi specialiter notandum, Christum coepisse loqui in plurali, statimque mutata loquendi formula, usum esse singulari, *ut indicaret, se capiti, non membris infallibilitatem impetrasse, ita ut Petrus etiam sine membris, adeoque sine concilio, esset indeficiens et infallibilis*, non enim dixit: rogavi pro vobis, ut non deficiat fides vestra, *sed rogavi pro te*, ut non deficiat fides tua. *Quod autem Christus impetravit Petro, impetravit et eius successoribus, Ecclesia enim semper indiget aliquo, qui eam infallibiliter confirmet in fide.*" Pag. 322. „Christus Luc. 22, 32. non solum Petro eiusque successoribus impetravit, ut tamquam Pontifex et ex cathedra docens, nil contra fidem proponeret, sed ut nec ipse personaliter in fide erraret. Nam si errasset, iam fides ipsius defecisset, et falsa fuisset Christi oratio, quod nemo, nisi blasphemus, dixerit." Controv. 80. pag. 323. „Romanus Pontifex est supra concilium generale. Matth. 16. 18. Luc. 22, 32. Ioan. 21, 15. Quae omnia soli Petro, eiusque successoribus, non autem concilio dicta sunt. Cum ergo ius divinum non possit seu a Papa seu ab aliis hominibus tolli, minui, limitari, vel immutari, non potest etiam Papa, etsi vellet, se concilio iuridice subiicere."

Theologia Prolegomenorum libri duo in usum scholae theologicae conscripti a P. Ioan. B. **Prileszki** e S. I. Viennae Austriae 1761. Cap. 4. p. 270. 271. „Romanum Pontificem S. Petri Apostolorum Principis Successorem, Ecclesiae totius Caput, Christique in terris Vicarium esse inter catholicos convenit. Ac ceteri quidem facile consentiunt *decreta dogmatica etiam extra concilium, et non exspectato aliorum episcoporum consensu a summo Pontifice edita, infallibilia prorsus et irretractabilia esse, quoties is ex Cathedra loquitur.* Episcopi cuiusvis de fide et moribus placita, accedente aliorum consensu irretractabilia reddi scimus; quidni igitur Petri Cathedrae id concessum peculiariter fateamur, ut decreta eius dogmatica, etiam ante aliorum consensum sint iudicia?"

Idem Tirnaviae A. 1761. typis academicis edidit et Francisco Comiti Barkóczy Primati et Archi-Episcopo dedicavit

Sancti Cypriani Carthaginensis Archi-Episcopi et Africae totius Primatis Acta et Scripta omnia, in summam redacta, et proloquiis, atque annotationibus illustrata, in cuius libri pag. 123. hanc legimus sub c) observationem „Ecclesia Christi iuxta Catholicos omnes in fidei, et morum dogmatibus infallibilis est; *at dum Romani pontifices Successores Petri de fide, aut moribus loquuntur ex Cathedra, Ecclesiae nomine loquuntur, non secus ac Petrus, dum Christum Dei Filium esse confessus est; igitur infallibile pariter, et omnino irreformabile eorum ex Cathedra loquentium iudicium est.*"

Assertiones ex universa theologia, quas in univ. Tyrnav. anno 1763. mense aug. propugnavit **Anton. Nagy** Semin. Gen. Cleri reg. Hungariae Vice-praefectus, adiectae ad initium operis: „Institutiones doctrinae Christianae" auctore Petro Lud. Danes. Tom. 2. Recusae Tyrn. 1755. prop. VI. „S. Petrus accepit a Christo primatum honoris et iurisdictionis in omnes fideles, adeoque in universam Ecclesiam. Hic primatus transit ad omnes eius successores, qui sunt episcopi Romani. *Nullus unquam Pontifex erravit in fide, loquens ex cathedra; nec errare potuit.*

Anonymus „**Kézi Kalauz.**" Váczon e. n. (1764.) pag. 104. legitur. Tizedik Vetekedés: *A római pápának csalhatatlanságáról.* „K. T. A római Pápa, ugymint Pápa, a ki az egész anyaszentegyházat tanitja mind az hitnek dolgaiban, mind pediglen a jó erkölcsökben, melyek az egész Ecclesiának eleibe adatnak, mind az üdvösségre való dolgokban, vagy pedig azokban, a mellyek önként jók, vagy roszak, *semmiképen meg nem csalathatik, ugy hogy a megcsalhatlanság nem a püspökök sem a belső tanácsosok gyülekezetin, hanem a Pápán helyeztetik és találtatik.*" P. 112. „Irva vagyon tehát, hogy a Pápa meg nem csalattathatik, sem meg nem csalhat; ellenben pedig nem olvassuk irva, hogy a pápa megcsalhat vagy megcsalattathatik."

Sub auspiciis Francisci Comitis Barkóczy primatis et Archi-Episcopi Strigoniensis a. 1761. Tirnaviae per P. Florianum Bertoni Ordinis S. Pauli primi Eremitae theologiae Auditorem sequentes binae assertiones sunt propugnatae: 34. „*Summus Pontifex est infallibilis in rebus fidei et morum*

decernendis.“ 35. *„Idque etiam extra Concilium, nam et supra hoc est.“* Eiusdem S. Ordinis theologiae Auditor P. Petrus Zsolnay, itidem Tirnaviae die 5 Aprilis 1771. publice propugnavit, hanc quae sequitur, Paulo Eszterházy, tunc Paulinorum Generali, tardius Episcopo Quinque-Ecclesiarum inscriptam thesim: „27. Romanus Pontifex est supra Concilium Generale, et infallibilis in decretis ad fidem et mores pertinentibus. Vide a) Acta sincera S. Pauli Thebaei studio et opera P. Mathiae Fuhrmann Ordinis eiusdem S. Pauli primi Eremitae, Neostadii Austriae 1760. item b) Supplementum ad Annales Veteres Hunnorum, Avarum et Hungarorum congestos, opera, et studio Georgii Pray, Tirnaviae a. 1764. — ubi illae assertiones impressae leguntur.

Olsavszky Michael eppus Rossensis, Munkácsiensis etc. „Sermo de Sacra occidentalem inter et orientalem Ecclesiam Unione.“ Anno 1761. — Tirnav. 1764. pag. 29: „Patres, ne infinitus sim, in testimonium vocare praetermitto, sufficiat ex illis S. Irenaeus, qui sic scribit: ad Ecclesiam, nempe Romanam, propter principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam. Item S. Cyrillus Alex. in hunc modum scribens: oportet nos tamquam membra caput sequi R. Pontificem et ap. Sedem, a qua debemus petere: quid credere, quid sentire debeamus ac tenere: quia *ipsius est tantum confutare, redarguere, confirmare et ligare.* Nec non S. Theodorus Magnus Studites ita ad R. Pontificem Paschalem scribens: Audi Apostolicum Caput a Deo electe Pastor ovium Christi, claviger regni coelorum, petra fidei, super quam aedificata est Catholica Ecclesia. Nam tu es Petrus, Petri sedem exornans, et gubernans, tibi namque dixit Deus Christus noster, et tu quandoque conversus, confirma fratres tuos. Item ad Michaelem imperatorem ita loquitur: *si vero aliquid dubitare* vel non credere videtur vestrae divinae Magnificentiae, *eius rei explicatio a Pontifice pie expostulata est. Iubeat a veteri Roma capere declarationem, ut a principio a patribus nostris est traditum.*

Iosephus Krusper de Varbó, presbyter dioecesis Nitriensis anno 1765. mense Augusto pro laurea doctorali disputans de fide, thesim statuit et defendit: „S. Petrus accepit a Chri-

sto primatum honoris et iurisdictionis in omnes fideles, adeoque universam Ecclesiam. Hic primatus transit ad omnes eius successores, qui sunt episcopi Romani. Est proinde legitimus Pontifex Romanus visibile caput Ecclesiae, in concilio congregatae, *et supra concilium. Est infallibilis iudex controversiarum fidei, etiam extra concilium.*" (In opere: „Demonstratio veritatis Catholicae adversus Sectas patriae." Auctore L. Conrado Vogler. S. I. Tyrnav. 1765.)

Statutis Dioecesis Agriensis altera vice Agriae 1767. impressis praemissae leguntur assertiones, quas propugnavit, et Carolo e Comitibus Eszterházy, Episcopo Agriensi dicavit Iosephus Zábráczky, eiatis Seminarii Alumnus, praelectionum Scholasticarum in quartum annum auditor. Inter assertiones de Deo uno et trino, Incarnatione, Gratia, Ecclesia, et Virtutibus theologicis, numeris 44. et 45. occurrunt sequentes: „Qui (Romanus Pontifex) in decidendis fidei quaestionibus *ex cathedra, (ut dicitur) loquens, est infallibilis.* Iudex controversiarum fidei est ipsa Ecclesia in Pastoribus suis interdum per Concilia Generalia, interdum per Pontifices iudicans.

Assertiones ex Universa Theologia, quas in Academia Budensi Anno Salutis 1770. mense Iunio publice propugnavit Franciscus Xaverius **Fux**, AA. LL. et Philosophiae Magister, SS. Theologiae Baccalaureus formatus, ac pro suprema laurea candidatus, Illmi D. L. Baronis **Caroli Andrássy** Generalis Campi Vigil. Praef. ac S. C. R. A. Maiestatis Camerarii Herulorum Praefectus, A. Dioecesis Strigoniensis Presbyter — (tardius Episcopus Nitriensis, tum primus Archi-Episcopus Agriensis) Budae typis Leop. Francisci Landerer 1770. *De virtutibus theologicis.* Assertio XX. S. Petrus accepit a Christo Primatum honoris et iurisdictionis in omnes fideles, proinde in Universam Ecclesiam. Hic Primatus transit ad omnes eius Successores, qui sunt Episcopi Romani. *Adeoque legitimus Pontifex Romanus est visibile Caput Ecclesiae, infallibilis Iudex Controversiarum fidei, etiam extra Concilium*, est verus in terris Christi Vicarius.

Csapodi Ludovicus S. I. in opere „**De Religione revelata**", eius Regulis. Tyrnaviae 1771. P. II. pag. 287. „Quid vetat igitur, aiebam, viri sapientissimi et ab omni as-

sentationis umbra remotissimi Bossueti vestigiis insistere, bonaque eius ac cleri Gallicani venia profiteri palam: uti Conciliorum ita Pontificum Romanorum Decreta, *si legitime lata sint,* errori nulli obnoxia esse: an porro legitime lata sint, non aliunde certius intelligi posse, quam ex consensu Ecclesiarum, qui tamen infallibilis, irreformabilisque iudicii vim non tribuat, quam Concilia et Pontifices ab assistente sibi Spiritu S. immediate recipiunt.

Bene Ferencz „A hitnek külömbféle ágazatirol vetélkedő Levelek." Nagyszombat 1772. II. r. p. 37. „Ha a sz. Péter *után következő Pápák* nem volnának ilyenformán csalhatatlanok, ha az anyaszentegyház ezt a méltóságot, privilegiumot, ezt a hivek bátor és üdvösséges kormányzására oly szükséges Isten ajándékát mindjárt az Apostolok halála után elvesztette volna, szükségképen következne, hogy az anyaszentegyház a hit dolgairol tett végezési és az eretnekekről: az Arianusokrol, Matzedonianusokrol sat. kárhoztato itéleti igen kétségesek."

Idem IV. r. p. 291. „Azonban nincsen itt erről beszéd. Az Anyaszentegyház elfogyhatatlansága és csalhatatlansága nem azoknak, kik azt kormányozzák, bölcseségén vagy tőkélletes szentségén, hanem a Krisztusnak igéretén fundáltatik, és a Sz. Léleknek szüntelen való segedelmén, melyeken se a tudatlanság, se az üdő előtt való hirtelenkedő itélet, se az emberi indulatosság, se a pokolnak kapui soha erőt nem vesznek . . . . Noha pedig azok a hét vagy nyolcz pápák feslett életüek voltak, mégis soha tévelygést nem tanitottak." Pag. 295. „Honorius senkivel nem közölvén a dolgot, megengedé, a mit kére Szergyius. Ebből is tehát kitetszik, hogy ez is csak személy szerént valo fogyatkozás és gyarloság volt. Már pedig még azok a Theologusok is, kik a szentszéknek leginkább kedveznek, soha azt nem állitották, hogy a Pápa csalhatatlan legyen, hanem csak mikor ex cathedra, a szent székből, azaz: midőn a hit dolgában maga bullájával, ön pecsétes levelével valamire kötelezi a hiveket mindnyájokat: külömben hogy egyéb cselekedetiben ne vétkezhessen a Pápa, azt ezek a Theologusok sem tanitják."

Venceslaus Entshelyi, Ordinis S. Pauli primi Eremitae presbyter a. 1772 Tirnaviae in Aedibus S. Iosepho Sacris

publice defendit assertiones ex Universa Theologia ad mentem Doctoris Angelici Divi Thomae Aquinatis, proposuit autem assertiones quinquaginta, e quibus 28 sic sonat: „Fide profitendum est, Romanum pontificem Sancto Petro in primatu authoritatis et iurisdictionis in universam Ecclesiam succedere.“ 29 sic sonat: „Est quoque authoritate, et iurisdictione omni Concilio Superior.“ 30. sic se habet: „Cuius iudicium loquentis ex cathedra in rebus fidei et morum est infallibile, et independens a consensu Ecclesiae.“ Assertiones legi possunt ad initium 1. Tomi operis: Archi-Episcopi Strigonienses compendio dati a p. Nicolao Schmith, Editio altera.

Sapiens Architectus a Mathia Nándory de Nándor Incl. Com. *Zoliensis Tab. iud. assessore* et superiore eiusdem Commissario Neo-catholico. Tyrnav. 1775 cap. 3. pag. 20: „Simon, Simon, ecce satanas etc. cum oratio Christi D. ut auctor est s. Paulus, exaudita semper fuerit, iniurius profecto Christo fieret, qui non id eum pro Petro consecutum *existimaret, videlicet, ne eius fides unquam deficeret, ut fratres in fide confirmare posset.*“ Cap. 4. p. 22. „Caput, membrorum volebat esse basim *et fundamentum, quod in fide nunquam deficeret*, neque sanctitatem morum eversum ire posset. Cap. 6. p. 35. „Ego certe ea firmus sum in sententia, quod fides nusquam omnino poterit alibi tam pura vel tam nitida reperiri, sicut in Ecclesiae Romanae vicario. Ea, (Ecclesia Romana) *lapis ille Lydius, in quo reliquarum per orbem Ecclesiarum doctrinae puritas non secus ac aurum probari deberet.* Neque istud a vero alienum cuipiam videatur, quando per os Romanorum Pontificum e cathedra Petrus loqui solet.“ Cap. 11. p. 93. Quidquid hactenus pro firmitate verae Christi Ecclesiae a me allatum est, id utique de firmitate Ecclesiae Romanae, prout haec omnium per orbem sub uno visibili in terris capite Pontifice Romano existentium Ecclesiarum mater et communionis catholicae centrum est, intelligendum venit; cum praemissa maior e 6-o capite certa sit.“

Conclusiones ex theologia speculativo-dogmatica, quas in vetustissima S. Petri apostolorum principis basilica Quinque-Ecclesiensi anno 1777 mense aug. publice propugnavit, *Gabriel Döry* de Jobbaháza, episc. seminarii s. Pauli alumnus,

presbyter ex praelectionibus Steph. Szalagyi et Mich. Taucher — additae ad initium Libri 7-mi operis: „Stephani Salagii presb. Quinqueeccl. SS. theol. Doct. de statu Ecclesiae Pannoniae — Quinqueecclesiis 1777. — Conclusione 11. 12. „Ex eadem vi et ratione primatus, s. Irenaeo praeeunte, conficimus, necesse esse, ut omnes omnino fideles unius et eiusdem fidei vinculis colligentur cum Ecclesia Romana, hoc *est cum sedente in Petri cathedra Pontifice*, ita ut si quis a doctrina cathedrae Romanae dissentit, eo ipso a doctrina Ecclesiae dissentire convincatur; *satisque sit unius Ecclesiae Romanae traditionem consulere, ut hac semel cognita, illico aliarum Ecclesiarum traditio* et sententia, atque *doctrina cognoscatur.*" „Hinc autem liquido patet, *aliam* esse *non posse aliarum Ecclesiarum fidem et traditionem a fide et traditione Romanae Ecclesiae;* hoc enim tam impossibile est, quam promissiones Christi, quibus perpetuam caput inter et Ecclesiam doctrinae unitatem pollicitus est, frustrari. Quamobrem, *qui cognita* Romani Pontificis e cathedra proloquentis sententia, suum eousque iudicium suspendunt, donec Ecclesiae consensum pariter cognoverint, hi impossibilem *comminiscuntur hypothesim, qua contra promissiones Christi contingere posse supponunt, ut caput inter et Ecclesiam doctrinae dissonantia existat.*"

Gánóczy Antonius Canonicus M. Varadinensis in opere „A Credonak vagy is az Apostolok Vallásának magyarázása." Nagyváradon 1780. pag. 70. haec scribit: „Hasonlóképen a Római Pápa is, ki a Krisztus Anyaszentegyházának fő Feje, Pásztora, Gondviselője és Igazgatója, az hit dolgában támadott versengéseknek megcsalhatatlan itélő birája, és fő Regulája, midőn tudniillik ex Cathedra beszél, azaz: midőn valamely czikkelyt az egész Anyaszentegyháznak törvényesen eleibe ád, hogy azt isteni hittel hidgye. Mert nem tagadjuk, hogy a római Pápa ugymint különös, magános személy véthet és tévelyeghet, mivel olyankor meg nem igérte Kristus, hogy a Szent Lélek fogja őtet elkerülhetlenül igazgatni és megcsalhatlanul vezérelni. De az olyan magános tévelygését elejbe nem adhatja — ugymint hitdolgait a kereszténységnek, mert ebben a Szent Lélek vezérli őtet . . Ime! Krisztus igéretiből

soha el nem fogy a Péter és az utánna következő Pápák hite, tudniillik hogy valami tévelygő czikkelt az hit ágazattya gyanánt eleibe adnák a Kereszténységnek.“

Migazzi Card. et administrator Episcopatus Vaciensis anno 1781. ad Regem: (ex Archivo Primatiali:) „Nemo Catholicorum fuit hactenus, aut salva religione esse potuit, qui Pontifices in tradita sibi a Christo ligandi solvendique potestate, in dogmatibus, rerumque credendarum declarationibus per principes stringi aut prohiberi posse docuisset. Hi nempe *unici sunt depositarii fidei, hi custodes* arcae *foederis novi testamenti*, his datae sunt claves regni coelorum et potestas, ut quodcumque ligaverint super terram, ligatum sit et in coelis, et quodcumque solverint in terris, solutum sit et in coelis. Haec potestas impugnari potuit quidem, nec absque perturbatione rei catholicae impugnata fuit saepius, sed tolli nequivit Pontificibus, quia a Deo est tradita, et quia nisi cum a Deo tradi potuit, vindicare sibi etiam nemo poterit, nisi a Deo fuerit tradita.“

Proiectum Simonis Faba, Surrogati Gen. Vicarii Strig. Anno 1781. pro responsione ad intimata regia, ordines religiosos, placetum regium, bullas „*Unigenitus*“, et „Coenae“ concernentia. (Ex Archivo Primatiali.) „Nec Austriaca pietas id a me exigit ut pluribus disseram, quod Romanus Pontifex, qua vicarius Christi, caputque et magister universalis Ecclesiae a Deo constitutus habeat plenam et absolutam potestatem iudicandi de dubiis fidei, et doctrina morum ac factis dogmaticis, quodque *eius iudicium ex Cathedra* prolatum, *ex speciali assistentia Spiritus Sancti tanquam ore Dei procederet, pro certa regula ab omnibus fidelibus cum reverentia sit habendum.* Nulli hanc potestatem Christus Dominus dedit, praeterquam Vicario suo et universali Ecclesiae seu per orbem diffusae, seu in generali concilio in unum congregatae.“ — — „Postquam gravior aliqua quaestio fidei aut doctrinae devolvitur ad visibile caput Ecclesiae, Romanum Pontificem *si assumta plenitudine potestatis et auctoritatis Apostolicae, e cathedra Petri, cui Spiritus veritatis praesidet*, universalem Eccesiam docens, ita controversiam dirimit, ut omnes toto orbe fideles inconcussa fide iudicio eius teneatur acquiescere. Qua

quidem divina potestate summi pontifices etiam extra concilium generale semper usi sunt."

Ioann. Szily, eppus Sabariensis 1781. Maii 26-a ad Principem Primatem: (Ex Archivo Primatiali, Nro 559.) „Cum enim Pontifex Rom. iuxta Concil. Florentinum et Trid. (Sess. 14 de poenit.) per totam Ecclesiam primatum non solum dignitatis sed etiam potestatis et iurisdictionis habeat, et Ecclesia Romana sit omnium Ecclesiarum *mater et magistra* (Trid. 7. Can. 3 de bapt.) *cuius decreta in materiis mere spiritualibus ac dogmaticis ab omnibus catholicis velut filiis reverenter recipi debent.* Secus enim eius potestas et iurisdictio frustranea esset, si ab inferioribus iudicari et pro suo iudicio omnino fallibili reiici quiret, daretur occasio cuivis libere sentiendi loquendi et agendi, omnes superiorum dispositiones eludendi, *non esset certus Iudex controversiarum in materia religionis, nec esset certa regula falsos prophetas in vestimentis ovium venientes discernendi,* qui sub specie commodi innocentes seducunt. Denique si pontificiae constitutiones circa dogmata editae negligi, reiici ac contemni possint, fateri cogeremur, Deum fidelibus suis de certa veritate ac salutis via sufficienter non consuluisse."

Andreas Szabó. Canon. Strig. Director Fac. theol. Budae, postea primus Episcopus Cassoviensis, in dissertatione super bulla „Unigenitus" ad Princ. Primatem data. 1781. mai. 10: (Ex Archivo Primat.) „Constitutiones Rom. Pontificum, tunc sunt stricte *regula fidei*, quando aliquam propositionem damnant ut haereticam, quoniam opponitur verbo Dei scripto vel tradito, item quando aliquid praescribunt fide tenendum." Idem qua Alumnus Seminarii S. Stephani R. Tirnaviae pro laurea Doctoris in SS. Theologia obtinenda sub auspiciis Francisci C. Berchtold Canonici Strigoniensis, subin primi Episcopi Neosoliensis 1760. assertiones ex universa Theologia propugnavit, quas inter de fide, spe, et charitate sub num. 24 occurrit sequens: „Haec (Ecclesia Romana) *infallibilem* authoritatem habet quaestiones fidei controversas decidendi." Sub num. 25-to ponitur assertio sic sonans: „Hanc eandem infallibilitatem habet Romanus Pontifex etiam extra Concilium, dum quidpiam definit tamquam Caput Ecclesiae. Concilium quoque

Oecumenicum a Romano Pontifice approbatum, eadem authoritate est praeditum.“ Vide tom. 2-dum Tirnaviae e. a. editi operis „Notitia Conciliorum“ authore Ioanne Cabassutio, ubi assertiones impressae leguntur.

Ignatius Comes de Batthyán Episcopus Transilvaniensis Albae-Carolinae a. 1785. typis vulgavit tomum I. vastissimi operis, quod inscripsit: „Leges Ecclesiasticae Regni Hungariae et Provinciarum adiacentium“, cuius reliqui duo tomi subseque ibidem impressi sunt. Praememorati Tomi I-mi pag. 234. et seq. haec. leguntur: „Eadem confidentia superioritatem suam supra Concilium absque ambagibus edisserit. Alibi recitavimus verba Synodi Nicaenae et Sardicensis, quae assertioni Gelasianae plene consonant. Similia prorsus habemus in relatione Concilii Chalcedonensis ad Leonem Papam. Indicant enim Patres, qua spe freti definitiones suas ad illum referant: „Scientes quia et Sanctitas vestra addiscens (i. e. intelligens) et probatura, et confirmatura est eadem.“ Tandem sic concludunt relationem suam: „Omnem vobis gestorum vim intimavimus, ad comprobationem nostrae sinceritatis, et ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam.“ Si itaque firmitatem definitionum suarum a Sede Apostolica mutuar necessarium crediderant Patres Chalcedonenses, procul dubio aliquid illis ad robur deesse existimarunt, atque ideo confirmationem earumdem exorarunt, ut fieret irretractabile, quod firmae illius petrae soliditate esset firmatum. Haud degeneri voce usum est Concilium oecumenicum sextum i. e. Constantinopolitanum III. In Epistola itaque ad Agathonem Papam dicunt Patres: „Orthodoxae autem fidei splendidam lucem vobiscum clare praedicavimus, quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, Vestram oramus paternam Sanctitatem“. Si supremo iure Concilio non praecellit S. Petri Successor Episcoporum vertex, cur ergo confirmari orant, si secus etiam valere potest, quidquid statuere voluerunt? Merito dicebant haec Patres Constantinopolitani, teste enim Concilio Chalcedonensi in relatione praedicta *vocis beati Petri omnibus constitutus interpres eius fidei beatificationem super omnes adducit Papa.* Vanum ergo est de iudicio sedis Apostolicae dubitare, quum ipsa totius Ecclesiae definitio inde suam expetat et ex-

pectet firmitatem. Tanti sane semper habebatur ab Episcopis doctissimis et praeclarissimis Sedis Apostolicae effatum, ut illo tamquam firmissimo fundamento, velut validissimo et irrefragabili argumento uterentur, et pugnarent adversus exsurgentes haereses. Erexit caput suum Pelagius et naturae vires iactabat temere ac impie. Quo argumento eius refutabatur superbia ab episcopis Africanis? nullo alio, quam Vicarii Christi irreformabili effato. In Epistola nomine quinque episcoporum ad Innocentium I. data ait S. Augustinus, splendidissimum praesulum lumen, de Pelagio: „Postquam amici eius hunc librum non modo episcoporum catholicorum, sed praesertim tuae Sanctitatis autoritate . . . anathematisatum viderint, non putamus ipsos ultra obloqui ausuros.“ Definitione fidei obtenta aiebat idem: „Finita est causa, utinam finiatur et error.“ Mercator anno Christi 429 in libello contra Pelagianos, quem Ecclesiae Constantinopolitanae inscripsit, de Pelagianis ait: „multi, qui Iulianum sequebantur ipso derelicto Pelagium damnaverunt, Sedique Apostolicae se submiserunt. Potestne dubitari de fonte, unde tam limpidi rivi salutaris doctrinae profluunt? *Mira* profecto et *paradoxa illorum assertio* mihi semper visa fuit, *qui summi Pontificis irreformabile iudicium negant, nisi Ecclesiae accedat consensus.* Nescio, unde magis posset Ecclesiae consensus constare, quam ex Conciliis Universalibus? Summi Pontifices toties declararunt, ad suam pertinere iurisdictionem Conciliis oecumenicis robur firmitatis, eadem confirmando, adiicere, adeo, ut absque eo nullius vigoris sint. Adduxi quatuor Concilia oecumenica idipsum adserentia. Accessit proinde in idipsum Ecclesiae consensus. In sensu ergo vestro optimi adversarii! etiam vos certum habere debetis Summos pontifices supremo iure Concilia confirmare, et quod idem est, supremo iure Concilia praecellere. Irreformabile est Summi Pontificis iudicium, ita dicitis vos, si Ecclesiae Consensus accedat; Summi Pontifices dixerunt: Concilia non habere firmitatem, nisi a Vicario Christi confirmarentur. Accessit ad id Ecclesiae consensus. Quis iam negabit *irrefragabile esse Sedis Apostolicae iudicium?* quae etiam de Conciliis oecumenicis iudicat.“

Idem Episcopus pag. 294. eiusdem Tomi ad epistolam Vigilii Papae ad Episcopum Tomitanum Scythiae observat: „Neque rursus alter nobis obiiciat, Vigilium Papam suum revocasse constitutum, adeoque Summi Pontificis non esse irreformabile iudicium. His enim omnibus occurro et obiecta diluo . . . Si itaque de fide actum non fuit, si de fraterna dilectione laedenda quaerebatur, *quid amabo contra summi pontificis infallibilitatem inde deduci queat.*“

Positiones centum et una de famoso illo Conventu Gallicano anni 1682. et opposito illi conventu V. cleri Hungarici (anonymus sine loco typi) 1789. In praefatione ad finem: „Nemo fortassis in futurum, qui verus catholicus, praesertim qui verus simul Ungarus, ad illam (auctoritatem conciliabuli 1682) vel verbulo provocare audeat.“ Ad positionem 86. pag. 32. „Sed et illud notandum, nec horum quidem doctorum, i. e. episcoporum ullam tunc esse auctoritatem, si eorum doctrinam supremus Ecclesiae doctor et pastor non approbavit, sed improbavit, et si praesertim tunc, cum satanas eos cribrat velut triticum, prout tunc in Gallia factum novimus, ab eo confirmantur in fide, pro quo Christus rogavit, ut fides eius non deficiat. *Cuius infallibilitatem saltem tunc nemo catholicus in dubium vocaverit*, cum maiorem episcoporum partem, imo maximam sibi consentientem habuerit.“ Positio 90. p. 33. „Imo in eadem propositione illi ipsi Pontificem declararunt infallibilem, si consensus Ecclesiae accesserit.“ Ad hanc: „qui ergo a capite suo divisi forent episcopi, etsi forte numero vincerent, auctoritate tamen non vincerent, ac maior pars saniori cedere tunc deberet; quamquam certissime confidimus nunquam Deo ita providente talem futuram de fide discordiam, ut maior episcoporum numerus errori consentiat.“ Posit. 92. p. 35. „*Tota extra* Galliam *Ecclesia* catholica *consentit* in Italia, Hispania, Portugallia, Belgio, Germania, Polonia, et *specialissime in nostra Ungaria, infallibilitatem Pontificis pro veritate revelata habentibus.*“

Telek Josef, szeraf. sz. Ferencz keményebb rendtartáson lévő szerzetének S. Salvatoriana magyar provinciának érdemetlen tagja, Négy világító, Urnapi Lámpások az az — Négy prédikácziók, melyeket Urnapján Ketskemét mezővárossának,

tágas piaczán — — élő nyelvével mondott — s nagyméltóságú Gróf főtisztelendő Kalocsa Érsek Battyány Jósef ő Excellencziájának — — felajánlott. Kalocsán nyomtattatott Érsek bötükkel Wagner János Jósef által é. n. pag. 126. et 129. Az is rendes észbevévés a törvény-túdók között, hogy a Királyi *Donatio* s-adomány-által nyert örökségek-felől, nem sutban, nem falusi, vagy Várasi birák-előtt; hanem a Királyi táblán kelletik törvénykezni, ott kell a birtokost meg-nyerni, meg-győzni, ki-forgatni; egyéb-ként, ha rendetlen *forumon* s biró-előtt törvénykezne a fel-peres, ottan az örökségnek birtokassa, *excipial* ki-vészen a biró, és törvény szék-ellen; és ámbátor ezer *Deliberatiót* mutatna-is a fel-peres azokat egy exceptióval, vagy törvényes ki-vétellel mind el-rontya, semmivé tészi. Innét Magyarhazánkban, mivel a Koronás Király jelen nem lehet a Királyi táblán, minden időben rendel egyet, a ki az ő jelen létének *Personálissa*, személlyes-hely-tartója légyen. Ennek van hatalma a Királyi adományokkal nyert örökségekiránt támasztott vetekedésekben, törvényes végzést tenni, és minden únalmas pereket el-végezni, le csillapitani. — — Az Úr *Jézus* jelen-létének *Personalissa* s-Helytartója pedig a Sz. Péter székében ülö Szentséges Pápa, a kinek mondá vala Úrúnk Péterben: *Tibi dabo claves Regni Coelorum.* Te néked adom Menyországnak kultsát. *Pasce oves meas.* Legeltesd az én juhaimat. Itten, ezen a táblán ez előtt a Biró-előtt kelletik elvégződni minden Hitbéli vetekedéseknek."

Stankovátsi Leopoldus, Ord. S. Franc. in opere: „Ünnepnapokra való Prédikácziók," Győrben 1788. Tom. I. pag. 296—8 dicit: „Szerencsés római katholika Anyaszentegyház! örülj és vigadj ezekben a te választott oszlopidban és fő-vezéreidben: mert midőn Péter, nemkülömben mint Mojses főpásztori méltóság hegyének tetején felemelt kézzel tartja *az igazságnak vesszejét*, a pásztori pálczát, és Pál nemkülömben mint Josue a pogányságnak és eretnekségnek völgyében, erősen harczol a tudománynak fegyverével, minden bizonnyal meggyőzöd a pokolbéli Amalaket. Valameddig *Péter igazgat* és Pál védelmez tégedet (igazgat és védelmez pedig mindenkor) addig a pokol kapui erőt nem vehetnek rajtad . . . Ti pedig Péternek gondviselését, akarom mondani: a szentséges római

pápának, a Sz. Péter igaz Succesorának igazgatását elhagyván, mint fejetlen lábak és pásztor nélkül való nyájak héába dicsekedtek Pállal, mert csak azoknál vagyon a Pál igaz tudománya, a kiket vezérel a szent Péter pásztori hatalma.“

Anonymus: Responsorum ad eas huius temporis obiectiones, quibus fidelium animi percelluntur Tom. II. Cassoviae 1789. p. 435. „Eiusdem Mozzii est illud quoque loco laudato: qui infallibilitatem Pontificis oppugnant, errores eorum referunt vel imaginarios, vel duntaxat personales, vel in ea materia, in qua etiam Concilia oecumenica sunt subiecta errori.“ Quae cum asserit nos pro confirmando hoc asserto ad Ballerinium, Veithium, Petitdidierium, Sangallum Demarcumque iam laudatum relegat. Cur nostris ergo illuminatis nova haec lux vel non videtur, vel non probatur? dicant amabo, qua regula delectus sit utendum?

Hajós István „Egyházi Pásztor. Győr 1790.“ I. 747 l. „Az apostoli hagyományokra, hogy tisztaságokban megmaradjanak, hasonló vigyázással voltak mindenkor az egyházi gyülekezetek, mellyekben az apostoloktól, vagy az apostolok tanitványitól fel állitatott püspöki székek sokáig üresen nem maradtak és az apostoloktol vett tanitástol el nem szakadtak. Mivel illyen a *Romai sz. Szék, abban az apostoli hagyományok tisztán minden hiba nélkül megmaradtak.*“

Szeredai Antal erdélyi károlyvári káptalannak prépostja „Szentirásbeli dolgokról való Beszélgetések“ II. r. Pozsonyban 1791. pag. 142. „Hogy továbbá ezen állitásból mint régenten a pogány bölcsek Porfiriussal, mind az akkori és mostani ellenkező Atyafiak az Római pápák és anyaszentegyház hatalma és *tudományoknak fedhetlenségc* ellen okot és alkalmatosságot vehettek, az semmit nem tészen, mert azon dolognak is értelmét nem ugy vették, a mint kellet volna, hanem a magok értelmekre, és találmányokra tekerték, facsarták.“

Iosephi Szentilonay, Episcopi Arbensis, Canonici et Vicarii Generalis Strigoniensis sumptibus primum Tirnaviae a. 1754 impressum, anno autem 1793 Pestini recusum est opus, in linguam Hungaricam translatum Gregorii Rippel sub titulo „Anya Szentegyháznak Ceremoniai és Szertartatási, in quo pag. 307. habetur: „Gonoszok valának (némely pápák) mint ma-

gányos emberek, nem mint Istentől rendeltetett közönséges pásztorok, mert soha egy vétket vagy bünt, melyet elkövettek a kath. községnek mint igazat vagy igazságot eleibe nem adtak, sem nem hirdettek.“ Pag. 34. „A Római Egyház soha az igaz hitről el nem pártolt, sem eretnek püspöki vagy pápai nem voltak, mint egyéb egyházaknak. — — — — Innét méltó, hogy a Római egyház első legyen, és minden egyéb egyházak neki hódoljanak, a mint Irenaeus a második seculumban ir. — Miből elégségesen kitetszik, a mindeneket átallátó Isten, mi kivált gondviseléssel és segitséggel örzi és oltalmazza a Római egyházat.“

Keresztény-tanitási Beszédek, melyeket a *Pétsi Deákságnak* mondott, most magyarrá forditott a kaputzinus szerzetbéli *Ligvándi Fr. Zosimus.* Első Rész, *A Hitről és Hiszek-Istenről* Po'sonyban, Nyomtattatott Patzkó Ferencz Betűivel. 1794. In suo Sermone Feria II. Pentecostes asservato, pag. 464. 465. sic se enunciat: „Kellet azért Krisztus Urunknak, minekutána látható testi jelenlétét tőlünk megvonta, valakit maga Helytartójának tenni, és azt renddel-való következés-által Eklesiájának számára mindenkor megtartani, *ki a támadó versengéseknek végét szakassza, és a birtoka alatt lévő tagokat egyességben tartsa, tévelygésektől oltalmazza.* Nem elegek erre az Egyházi Nagy Gyülekezetek; mert egy az, hogy azokat nem mindenha tarthatni; mint az első három században, ámbár sok volna az eretnekség, nem tarthatott egyis: *más az, hogy azok is a Pápának méltósága és jóvá hagyása nélkül tévelyeghetnek,* a mint az Arimini és Efezusi másodikban tapasztaltatott; *s hátha a Gyülekezet önmagával nem egyezne, nem kivántatnék-e oda Itélő-Biró?*“

Egyed Joákim „Oktató beszédek“ I. rész. Váczon 1794. p. 562. „Ezt pedig Péter nem cselekedhette volna ha csak mozdulhatlan kőszál nem lett volna, azaz: ha a hit dolgában *csalatkozhatatlan* nem lett volna, és azért mondá neki Jézus, én könyörögtem éretted, hogy el ne fogyjon a te hited, és te valamikor megtérvén erősitsd meg a te Atyafiaid. Mozdulhatatlan kőszál volt tehát Péter . . . Jóllehet tehát kőszál vala is a Krisztus, mindazáltal kőszállá tette Pétert is és mind az ő utánna következő Római Pápákat egész világ végezeteig.“

Ugyanaz „Ünnepnapi Prédikácziók.“ Váczon é. n. Pag. 652: „Honnan érdemelte sz. Péter hogy nem a Moyses székébe, hanem a Krisztus székébe fölmagasztaltassék és magának az Isten fiának helytartója legyen a kinek végzési a földön oly erősek legyenek, hogy azok a mennyben is helybe hagyattassanak?“ ... Pag. 672. „Péterre és az ő székében törvényesen ülő római pápákra bizta Jézus az ő egész aklát, az egész Anyaszentegyházat. Valaki tehát a Péter aklában és az ő nyája közül nincsen, nincs a Krisztus aklában, és a Krisztus nyája közül: mert a kettő között tökélletes az egység. Pétert és a római pápákat illeti tehát igazgatása és legeltetése az egész nyájnak, az egész Anyaszentegyháznak. Valaki tehát az üdvösséget illető dolgokban magát a Péter pásztori botja, az igazgató hatalma alól kivonja, a Krisztus hatalma és vezérlése alól vonja ki, és örökre elvész, mert ezen az aklon kivül nincs üdvösség. Ez az a nagy hatalom, ez az a nagy méltóság, melyet érdemlett Péter az ő erős hite és Krisztussal való különös egyessége és szeretete által.“

Ugyanaz. „Toldalék a keresztény tudományról való oktató Beszédekhez.“ Pag. 63. „Nincs különben K. K! csak egy a láthatatlan fő-pásztor Krisztus, a kinek tudománya változhatatlan; és senki az ő pásztorsága alatt nem lehet, hanem egyedül csak az a társasága a Kereszténeknek, a mely magában mindenkor egy marad; tudniillik a római közönséges Anyaszentegyház, a mely egy látható főpásztor által igazgattatik, a kire maga Krisztus bizta a pásztorságot, és a kinek tudománya *mindenkor állandóképpen egy marad.* És ez czélja mai beszédemnek.“

P. Hermolaus, a Kaputzinusok szerzete-béli papnak, és Bétsben a N. magyar nemzet néhai Lelkitanitójának Egyházbeszédi. Az első esztendőre való Innepi beszédek vagyis ötödik kötése. Posonyban. Nyomtattatott Patzkó Ferentz betüivel 1794. Pag. 404. Mennyi Hitünk' veszedelmi mind a Tévelygők, mind szinte a katholikus keresztény Tanítók részéről is? Erre-való-nézve mely szükséges vala e Hitünk megtartására, s állandóságára egygyet, és ugyan erős, *változhatatlan igasság oszlopát* rendelni, mely mind a nem keresztény, mind a keresztény tévelygők-ellen-is ki-állhatna, s az Hiveket az

igasság-mellett meg tarthatná. És illyet rendelt Jézus mind Sz. Péterben, mind az ő Követőiben a Római Pápákban. Pag. 410. Igy ismerték, mondom: Pétert az első Keresztények, s magok az Apostolok annak, kinek Jésustól rendeltetett: t. i. *Igasság oszlopának*, az egész Keresztény Anyaszentegyháznak, a nyájnak s a Pásztorok fejedelmének. Ugyan ennek ismérték a következendő időkben is minden Sz. Atyák, s igaz Keresztény Hivek. Azok: *a közönséges Egyházi gyülekezetekben se mervén mi ellenkezőt a Péter hitével, s tanitásával végezni, s tanitani.* Ezek: igaz egyházi végezésnek, *s isteni valóságnak nem ismervén mind a rendelésöket, s tanitásaikat, ha csak a Péter hitével meg nem egyegyeztek.* Amint az Egyházi történetekből könnyü munkával megbizonyittatik. Mondám: a Péter hitével: azzal, mely nem tsak Sz. Péter személyjében, hanem minden ő követőiben is, a Római Pápákban fennmarad: és azért ezek is valamint Sz. Péter, Jézustól rendeltetett Anyaszentegyházának Fejedelmi, kő-szálai, *igasság oszlopai.* Mert valamint Jézus maga után rendelte Pétert Anyaszentegyháza Fejedelmének: és azt azért, hogy mivel ő látható-képen velek nem lévén, e volna, *kiben ők hitök reguláját*, az egygyességnek ponttyát, *s az igazságnak próba-kövét* találhatnák; kire minden támadandó kétségekben figyelmezvén, az igasságat el ne véttenék: ugy mivel Péter is a világ végezetig élendő nem vala, a Jesus hite pedig mindaddig maradandó: szükség vala, hogy ő utánna is, és minden következendő időkben volna ez Anyaszentegyházban egy látható Fejedelem, mely *Péternek hitével, és minden hatalmával birván, ugyan azon igasságat*, s egygyességet egész a világ végezetig fenntartaná, *minden hamis tanitást eltávoztatna,* s az Ur Jesus aklát a pokolnak minden ereje ellen védelmezné. Pag. 413. Végre az Egyházi Fő-fejedelmek, a Fő-, vagy közönséges Püspökök által szerezthetett-é ez egygyesség? Éppen nem: mert valamint annyi Püspök-megyék másmás Egyházi fejedelmet ismérnek: ugy ezek is a Püspökök az egyházi, s hit-dolgokban nagyobbat náloknál nem ismérnek, hanem kit az Isten, s az örökös egyházi szokás, s törvény felibek rendelt: és mivel ezek is sok félék, megeshetik hogy külömbözőt hiddjenek is, s tanitsanak: sőt meg esett nem egyszer, és ugyan a legfőbb, nevezetesb Püs-

pökön meg esett: azokban, kik szinte az Apostoloktól vették székőket, hogy a hitben megtántorodtak, a hitbéli egygyességet megszegték, s hiveiket is tévelygéseikre birták. Mindezek által tehát meg nem álhatott a keresztény egygyesség, a hitnek változhatatlansága; mivel is nem vették eziránt a tsalhatatlanságnak, s hitben való változhatatlanságnak Isteni igéretét: *hanem az egy Római Pápa*, s Sz. Péter követője vala, a ki valamint Péternek székébe, *ugy minden igasságiba, tisztébe, hatalmába* különös fő tulajdonságiba, s helyébe lépvén, valamint maga, az Ur Jesustól Péternek igért hitben való állandósága miatt *abban állandó s változhatatlan vala mindenha, ugy másokban is, s az egész Anyaszentegyházban, mint annak ismért Fő-Fejedelme s Pásztora, azon állandó változhatatlan igasságot*, s hitben-való egygyességet meg-tarthatta. Meg-is tartotta, mind azokban kik valamint magát Jesust, s ö ígéjét betsülték, ugy e Hely-tartójára-is minden támadó hitbéli vetélkedésekben figyelmeztek. A mint-is erre figyelmeztek a tévelygö, s külömbözö tanitások habjai-között, *s ettől kérték, várták az igasságos végzést* nem tsak minden Keresztény jámbor Hivek, hanem azoknak fö Pásztori is minden időkben: ugy-annyira: hogy se külön, se egygyetemben is, *még közönséges Egyházi gyülekezetekben se végeztek a hit vagy erkölts dolgában egyebet, hanem a mit ez ismért igasság oszlopa, Jesus hely-tartója, Péter követöje*, s a Keresztény egygyességnek *közép pontya, a Római Pápa, végezett, vagy leg-alább helyében-hagyott*. S ha végeztek is e nélkül valamit, az, a Keresztény közönségektöl soha igaz egyházi s Isteni végzésnek tsalhatatlan igasságnak nem tartatott. *Erre, a Követöiben mindenkor épen meg-maradott Péter hitére s tanitására támaszkodtak*, valakik az Ur Jesus igaz hitében meg maradtak. Pag. 416. De mi azonban látván, s meg ismérvén e Hitünk Jesustól rendelt meggyözhetetlen kö szálát tsak annyival erösbben a'hoz kaptsolkodgyunk, s tartsunk. Minden támadandó hiti kérdésekben, s kétes ügyben ennek szavát, hitét, itéletét keressük, végezését kész engedelmességgel kövessük. Tévelygőnek, s tévesztőnek tartsuk, valakinek hite, s tanitása Ezével nem egygyez. És inkább: ha ezével ellenkezik-is vagy e Fő-Pásztorunktól megvettetett, s mint hamis

tanitás nyilván meg-átkoztatott. Ne hallyuk mi az ollyant, ha szintén Isten Angyalának mondaná, vagy tettetné magát. Tudván hogy tsak Péterben, s ö Követőiben állott-meg mind eddig-is, a mint Maga az Isten Fia igéré, az ö igaz tanitása, változhatatlan hite, s annak igassága: hogy ezentúl-is tsak ezen álhat, s bizonnyal meg-is áll egész a világ végezetig. Oly bizonyossan, mely bizonyos az Úr Jesusnak szava, s tsalhatatlan igérete. Hogy tehát tsak az, a ki e Jesustól fel-állitatott igasság oszlopától el-válik, hibázhat hitében. Söt tsak azért-is hogy ez igasság közép-pontyát el-hagyja, már nem Apostol, nem igaz Pásztor, hanem öldöklő béres, s ragadozó farkas. Már nem Anyaszentegyháznak igaz élő tagja, nem a Keresztény igasságnak s' világosságnak fia, hanem a tévelygéseknek s setitségnek bitang prédája. Tudván: minden Sz. Atyák bizonyságiból, s nyilvánságos tapasztalásból: hogy, a mint Sz. Ágoston a többi Sz. Atyákkal nyilván mond: tsak a Római Szentegyház tartotta-meg állhatatosan, s közlötte más Egyházokkal-is azon hitet, melyet Sz. Péter, Sz. Pál Apostoloktól vett. Tudván végre s vallván minden Sz. Atyákkal, s Egyházi közönséges Gyülekezetekkel: hogy ez, a Római Pápa, Isten rendeléséből, s az Anyaszentegyháznak mindenkori hite, s ismérete-szerént Péternek az ő székében követöje, Jesusnak e világon helytartója, az egész Kereszténységnek Fö-pásztora: az igasságnak fel-dönthetetlen oszlopa, a Keresztény Hit egygyességének közép-pontya: ettől soha el-ne válljunk: ezt minden hiti dolgokban hallgassuk, s kövessük. E' hez mint Jesustól nékünk rendeltetett kö-szálhoz *támaszkodjunk: és soha hitünkben meg-nem tántorodunk.*

Analysis libri ad utramque aurem dicti a I. Kenyeres C. E. Rosnav. C. et Can. Pars. I. Pestini 1796 P. I. Cap. 6. Pag. 286. Ex verbis s. Hieronymi „Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet etc.“ concludens ait: „a quo (Romano Pontifice) qui in doctrina religionis dissentiunt eos esse extra Arcam Noe, idest extra Ecclesiam, — — — *qui in negotio fidei, posthabitis tot vicinis episcopis, ab eo* (Hieronymo) *ad securitatem conscientiae comparandam consulendus censebatur:* cui exsors quaedam et ab omnibus eminens potestas competat.“ Eodem capite pag. 300. e verbis s. Cy-

priani „Navigare audent etc.“ infert „Sedes Romana est in Ecclesia principalis, *ibi est cathedra Petri, perfidia eo accessum habere non potest.*“ p. 304—305. Ad verba s. Aug. „Inde de hac re rescripta venerunt, causa finita est“ ait: „*an certitudo fidei oriatur ex iis duobus provincialibus conciliis Carthagine et Milevi habitis, an ex Sedis Romanae definitione, an ex utrisque? Primum ne tyro quidem dicet*, qui locos theologicos delibavit. Si alterum, ergo esto ab Hieronymo et Augustino Pontifex vocetur episcopus romanus, *causam tamen in fidei negotio exortam finit ita, ut nemini liceat de eius definitionis veritate ambigere:* episcopos proinde alios auctoritate superat. Si tertium obtinere dicas, ergo ex duobus principiis solum probabilibus oritur certitudo fidei, quae maxima est. Id est ex duobus obscuris nascitur claritas, et ex duobus incertis ea certitudo, pro qua non ficti catholici mori non recusant. — Ne ergo haec absurda sequantur, *reliquum est finem causis figi sola Sedis romanae definitione.*“ Cap. 7. p. 362. Ex praemissis conclusiones faciens ait: „quod maiores causae cuiuscunque Ecclesiae ad sedem Romanam referri debeant; quod *Ecclesia Romana nunquam erraverit; quod catholicus non habeatur, qui Romanae Ecclesiae non concordat.*“

Zsivics Matthiae Cath. Eccl. Quinque-Eccles. Canon. „Sermones in Solemnitatibus Domini et Sanctorum.“ Pestini 1799 pag. 273. „Quocirca neminem vestrum esse reor, qui non illico intelligat, Petro, eique, qui in Ecclesia locum ipsius tenet, prompte esse parendum, *doctrinam eius suscipiendam*, leges servandas; secus enim nec fundamento per Christum posito insisteremus, nec regnum coelorum nobis apertum iri sperare possemus.“

Bielek László, a pesti királyi fő anya oskolában a tanúlttak egyik tagja; a filozófiának, mathézisnek, históriáknak, és dogmatica theologiának volt profeszora; mostanában nagy Károlyban az isteni igének magyar hirdetője: Arany gondolatok. Bécsben, Schuender Károly Jánosnál. 1800. VII. Rész, §. 14. pag. 212. „Ezt (propositio 4-a gallicana) nem úgy kell érteni, mintha a pápának a hit és erkölcsi dolgokról szóló törvényei, mikor azokat a cathedrából szólván, hozta, a többi

püspököknek jóváhagyásától vennék csalhatatlanságokat; mivel oda alább a IX-dik résznek 5-dik paragraphusára tett jegyzésben megmutatom, *hogy a római pápa Krisztus rendelése szerént függetlenül a többi püspököktől, mikor a cathedráról szól, a hit, és erkölcsi dolgok iránt csalhatatlan, és a közönséges zsinatnál is főbb auctoritásu.*“ IX. rész, §. 5. pag. 272. „Tudni szükséges, hogy a pápa, ugy mint különös, s privát tanitó, hibázhat a hit és erkölcsi dolgokban tudatlanságból, nem külömben mint más tanitó. *De ugy mint feje az anyaszentegyháznak, és közönséges tanitó, vagy is mikor a cathedráról szól, nem hibázhat.* Szóljunk már a dologhoz. Hogy ha megmutatom, hogy Pétert a többi apostolok között a hivatalnak és hatalomnak különös privilegiumával felruházta a Krisztus, mely a csalhatatlanságból, és az apostolok között, az anyaszentegyház dolgaiban való főhatalomnak gyakorlásából áll, megmutatom 1) hogy *a római pápa*, ugymint Péternek hivatalbeli követője, mikor a cathedráról szól, csalhatatlan. 2) Hogy feljebb auctoritásu a közönséges zsinatnál. Már mind a kettőt könnyü megmutatni. A mi az elsőt illeti: tagadhatatlan az, mert sz. Máté bizonyítja, hogy minekutánna Péter a Krisztust Isten Fiának vallotta volna, a Krisztus ezeket mondá hozzá: boldog vagy Simon Simon Jónás fia! mert a test és vér nem jelentette néked, hanem az én Atyám, ki a mennyekben vagyon. Én is mondom néked, hogy te Péter vagy, és e kőszálon fogom épiteni az én anyaszentegyházamat, és a pokol kapui erőt nem vesznek rajta. Tagadhatatlan az is, hogy a Krisztusnak ezen igéi egyedül Pétert illetik, nem pedig mindnyájokat az apostolokat. Mert: senki egyéb az apostolok közül a Krisztus Istenségét akkor oly nyilván nem vallotta, mint Péter; senki egyéb Péteren kivül Simonnak Jónás fiának nem mondattathatott; senki egyéb nem hivatatott Cephásnak, vagy is *kőszálnak;* mert a Krisztus nem mondotta, a mint a deákban olvassuk: tu es Petrus, te Péter vagy; hanem, amint a syriai nyelven fenvagyon; tu es Cephas, azaz: te kőszál vagy, vagy is Pétra, és e kőszálon, vagy is e Pétrán, a hol is a pronomen, „e“ nyilván kijegyzi azon Petrát, vagyis kőszálat, a melyről vala elébb a beszéd; mintha mondaná: te Petra, vagyis kőszál vagy, a melyen fogom épiteni az én anyaszent-

egyházamat. — — Atqui a Krisztusnak ezen igéjében foglaltatik Péter csalhatatlanságának privilégiuma. Ami nyilván való. Mert a Krisztusnak ezen igéi: és a pokol kapui erőt nem vesznek rajta, az anyaszentegyházat illetik; ki nem tudja pedig, hogy azok által neki csalhatatlanságot igér a Krisztus? hogy hogy lehet pedig az anyaszentegyház, vagyis az épület csalhatatlan, hogy ha annak fundamentuma, melyen épül megcsalatkozható? Innen mondja sz. Tamás Origenes után: nem jelenti ki, ugymond, ha erőt nem vesznek-e a kőszálon, melyen építi a Krisztus az anyaszentegyházat vagy az anyaszentegyházon, melyet épít a kőszálon: mindazáltal nyilván való: hogy sem a kőszálon, sem az anyaszentegyházon a pokolnak kapui erőt nem vesznek, Péter tehát a Krisztusnak azon igéi szerént csalhatatlan. „S. Thomas super his verbis: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, dicit ex Origene: non exprimit utrum petrae non praevalebunt, in qua aedificat Christus Ecclesiam, aut Ecclesiae, quam aedificat supra Petram: tamen manifestum est; quia nec adversus Petram, nec adversus Ecclesiam portae praevalebunt inferorum.“ De ezen privilegium illeti a római pápát is ugymint Péternek hivatalbeli követőjét; mivel a Krisztus akarta, hogy az ő anyaszentegyháza egész a világ végezetéig fenmaradjon; másképpen pedig fen nem maradhat, hanem egyedül a Péter hivatalbeli követőjén; a mint ezt magok az ellenkező felek is megismerik. *A római pápa tehát a hit s erkölcsi dolgokban, mikor a cathedrából szól, csalhatatlan.* A pápa felsőbbségét pedig a közönséges zsinat fölött szerző megmutatja pag. 283. „Elsőbben: a Krisztusnak ezen igéi szerént: te Péter vagy, és e kőszálon fogom építeni az én anyaszentegyházamat; Péter és annak hivatalbeli követői, a római pápák, az anyaszentegyháznak fundamentomai. Atqui ha a pápa fundamentoma a közönséges zsinatnak, annál főbbnek is kell lennie; mivel a háznak fundamentomát ugy kell tekinteni a házban, mint a főt a testben, a fejedelmet a közönségben. Megvilágositom szavaimat. Ezen igéket: e kőszálon fogom építeni az én anyaszentegyházamat, vagy úgy mondotta Péterről a Krisztus, a mint ő külömbözött az anyaszentegyháztól: vagy a mint képzelte (képviselte) az anyaszentegyházat, vagy a mint össze vala kapcsolva véle, úgy

hogy az azokban foglalt igéretet az egész anyaszentegyházra intézte: ha az elsőt megengedjük; tehát Péter, és annak hivatalbeli követője a római pápa lészen egy önmagában való fundamentum, függetlenül az anyaszentegyháztól, és ekkor a zsinat elválva a Pápától, annyit fog érni, a mennyit ér a ház, mikor a maga fundamentumától elvált. Hogyha helybe hagyjuk a másodikat, e féle, kaczagásra méltó, értelem sül ki belőle: az én anyaszentegyházamat az anyaszentegyházon fogom építeni. Mert az anyaszentegyházat képzelő Péter nem egyéb, hanem a Péterben képzelt anyaszentegyház, és az egész testtel egybekapcsolt Péter, önmaga a közönséges anyaszentegyház. Vajmi sületlen lepény volna ez! Másodszor: a sz. irás s traditióként a római pápa a közönséges anyaszentegyháznak feje, pásztora, atyja, tanitója, vezérje: nemde pedig a fő nagyobb tekintetre méltó a maga tagjainál nem csak különösen s izenként, hanem mind egybe számlálván is azokat? Nemde a pásztor is nem csak minden egy egy juhánál, hanem mind összességgel feljebb való, és az egész nyájat kormányozza? Nemde az atya is nem csak ennek, vagy amannak a magzatjának, hanem az egész familiájának; nemde a tanitó is, nem csak ennek vagy amannak a tanitványának, hanem az egész oskolájának; nemde a vezér is, nem csak ennek, vagy amannak a katonájának, hanem az egész seregének parancsol, annál feljebb való? Szinte ugy tehát a római pápa is nem csak minden hiveknél fejenként, avagy ennél, avagy amannál a szentegyháznál, hanem közönségesen az egész anyaszentegyháznál; nemcsak a közönséges zsinatban lévő minden egy egy püspöknél különösen; *hanem mindnyájoknál* csoportosan *főbb auctoritásu? sat.* Nem kell tehát a pápának a közönséges zsinat előtt, magát a többi hivekkel együtt megaláznia, nem kell nékie sem a hitbeli, sem az erkölcsi dolgokban meghódolnia; hanem ellenben a zsinatnak a pápa előtt mind ezeket meg kell tennie; mivel ugyis szükségképen, a mint a VI-ik paragraphusra tett jegyzésben megmutattam, mindenkor a közönséges zsinatok kérték a pápáktól a helybe hagyást s az általok folytatott dolgoknak megerősitését.“

Kovács Ágoston, sz. Ferencz rendb. Szentek Dicsérete és Követése. Pesten 1801. Pag. 278. „Péter tehát az Anya-

szentegyháznak erős, megmozdulhatatlan kőszála; s ugyan erős és megmozdéthatatlan kőszála, mind a Krisztus rendelésére nézve, mind tennen buzgó cselekedeteire tekintve.“ Pag. 284. „Ez a Róma, minekutánna Sz. Péter Apostolnak prédikállásából Krisztust egyszer megkezdette ismerni, soha az időtül fogva csak egy oráiglan se szakadott el az ő engedelmességétől és hitétül; soha a Római székben hamisság tanitó püspök nem ült Sz. Pétertől fogva ez ideiglen. Vegyétek számba u. m. Sz. Ágoston D. az Atyákat, kik egymást renddel követték a Péter székében; és nem találhatjátok, hogy a római Ekklesián erőt vett volna a tévelygés.“

Negyedes Pál, győri püspökségbeli egyházi pap „Apostoli kalászat“ Győrött. 1802. Pag. 270. „Első lenne szent Péter, hanem ismertetni akarván, mely bőv kézzel jutalmazza azokat, a kik ő róla vallást tesznek, oly méltóságra emelé sz. Pétert, hogy amennyire ereszkedhetik az emberi felség az *isteni hasonlatossághoz*, szinte anynyira vele közlötte a maga tisztit és méltóságit . . . Neked adom a menyország kulcsait. Mert ezt senkinek az Apostolok közül nem mondotta, hanem csak Péternek, de még azt is csak magának Péternek mondotta Krisztus, hogy az juhait és bárányit legeltesse, ezzel is tehát azt is jelentette, hogy valakik Krisztus juhai és bárányi akár nagyok akár kicsinyek, akár tudósok akár tudatlanok, akár Apostolok, akár Próféták legyenek, mindazok a sz. Péter pásztorsága alá adattak: az ő gondviselésére bizattak, hogy legeltesse őket tanitásával, őrizze gondviselésével, gyogyítsa orvoslásával; megfenyitse, s büntesse hatalmával: elszakassza és az akolból kirekessze a rühes juhokat, ha jobbulni nem akarnak.“ Pag. 274. „Örüljetek s örvendezzetek mindnyájan, mert vagyon a keresztény Anyaszentegyházban két hatalmas apostoli Fejedelmünk, a kik oly hathatósan védelmezik a Krisztus religióját, hogy azon semminémü ellenség erőt nem vehet; vagyon az Anyaszentegyházban két erős oszlopunk, a mellyeken oly állhatatos bátorsággal és megmozdulhatlansággal áll a mi keresztény hitünk, hogy nincs az a pokoli erő, a mely azt az ő igazságának helyéből kimozdithassa; vagyon az Anyaszentegyházban *Péterünk, kinek hite Krisztus igérete szerint soha elnem fogyhat*,“ sat.

B. Perényi Imre Katekizmus. Nagy-Szombatban 1804. pag. 67. „K. Nincs-e más Feje az Anyaszentegyháznak? F. Van: a római Pápa, a ki Péter hatalmát viseli; ugymint Péternek a római püspöki székben követője, Jésus Kristus helytartója, és az egész Anyaszentegyháznak látható feje, *az igazságnak, egyességnek* megkülömböztetője."

Farkas Bernárd, sz. Ferencz rendb. „Vasárnapi és ünnepi Magyar Homiliák" Egerben 1808. pag. 495. „Ezen szavaival ösmértetni akarta Krisztus Urunk, hogy az Apostolok közül, és azok után egyenesen következő egyházi főbb rendü lelki-pásztorok közül, legfőbb módon Péternek és az ő személyes Apostolságában ő utánna következőinek légyen hivatallya, a hitvallás dolgaiban forgó kérdésekre megfelelni, és minden kétséges vélekedésekről, melyek az isteni tiszteletet illetik végső itéletet és határozást tenni. Mert noha a többi Apostolokat s ő utánnok következő főbb rendü egyházi pásztorokat is tanittya a sz. Lélek, de még is különös módon tanittya azt, a ki mindnyájoknak fejedelme; és ugy visel gondot reája, hogy annak itéletéhez bátorságosan támaszkodhassanak az alattvalók, midőn magok közt kérdezkednek, és a feltett kérdésnek nem tudgyák végét szakasztani. Ezen okon mondá Krisztus Urunk Péternek a végvacsora felett: én könyörögtem éretted . . . . könyörögtem, hogy *se te,* se a te *következőid* a hit dolgaiban semmiféle tévelygő hamisságot ne tanithassatok, hanem inkább még azokat is, kik valami észveszést szenvednek, te erősítsd meg, és a kik te utánnad fognak következni a te személyedben."

Ioannes Nep. Alber e scholis piis, linguarum orientalium in archi-episcopali Lyceo Colocensi, tardius in Regia Universitate Pestiensi Professor „Interpretatio Sacrae Scripturae." Pestini 1804. tom. 13. pag. 344 et seq. „Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. — — Satanas expetivit omnes, ut cribraret sicut triticum. Pro solo Petro Christus oravit, ne eius fides deficeret. Haec ergo oratio Christi non spectabat ad rem, quae ista nocte acta est sive a Petro, sive a reliquis Apostolis. Alias sequeretur Petrum etiam orante pro se Christo, tamen gravissime lapsum esse, et a

fidei confessione erga Christum defecisse, nec Christi orationem pro eo valuisse, vimque habuisse; sed eiusmodi fuisse, ut stabiliores fuerint ceteri Apostoli, quamvis pro illis Christus non oraverit, quam Petrus, pro quo oravit. „An audebis dicere, ait S. Augustinus lib. de Corrept. et Grat. cap. 8. etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse?“ Alio ergo, et ad aliud tempus haec oratio Christi pro Petro, ne eius fides deficeret, pertinuit. Quodnam ergo istud tempus fuit? Illudne, quod deinde, posteaquam a casu suo surrexisset, ad obitum usque suum vixit? Tumne ipse Christi hac oratione ita stabilitus in fide fuit, ut in ea fratres etiam suos confirmare deberet? Apostoli omnes die Pentecostes Spiritum sanctum acceperunt, et per eum sic confirmati sunt, ut et ipsi in fide immobiles essent, et in ea docenda errare non possent: nec ulla confirmatione per Petrum opus habuerunt. Apostoli igitur, ut firmi in fide, atque stabiles essent, et ne ab ea inter docendum deflecterent, Petri opera opus non habuerunt. Hocne ergo Petro Christus commisit, hoc demandavit negotium, quod futurum nullum erat? Si ceteri Apostoli peraeque, ut Petrus firmi in fide futuri erant, ut Christus peculiariter pro Petro oraret, ne eius fides deficeret, idque ad ceteros confirmandos, quaenam ergo causa fuit? Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Sollicitudinem hoc Christi erga discipulos, illorumque periculum demonstrat, ne cribrando exagitati ex cribro more palearum excidant. Pro Petro peculiariter orat, ne eius fides deficiat, huicque ceteros tradit confirmandos. Ergo ipsi uni securitatem adversus defectionem pollicetur, ceteros omnes ostendit expositos defectionis periculo, nisi in fide a Petro confirmentur. Quantumcumque me versem, non reperio, qua ratione istud constiterit inter Petrum ceterosque Apostolos. Fortasse de hoc Petrum Christus securum reddere voluit, ne iam postea in suis actionibus uspiam impingeret, ubi ab eo lapsu consurrexisset, quem illa nocte facturus erat? At vero Petrus etiam postea reprehensibilis fuit, et quod ad veritatem Evangelii non recte ambularet, Paulus ei in faciem restitit. Gal. 2. v. 11, 14. Ergo ne istud quidem est, in quo, ne eius fides defectum subiret, Christus pro eo oraverit, nec hoc fuit, in quo Apostolos confirmare de-

buerit, qui in hoc, monitore Paulo ipse usus sit. Cum Christus non frustra pro Petro peculiariter oraverit; et aliquid certe fuerit, in quo stabilitatem fidei eam consecutus sit; ut ab hac ipse unus non posset deficere, illius vero fratres possent deficere, quosque ipse in fide, qui ab ea solus non posset deficere, confirmandos acceperit; nec reliqui Apostoli fuerint ii, qui Petri confirmatione indiguerint, utpote non minus, quam ille ab errore inter docendum, et in credendo futuri immunes; non aliud relinquitur consequens, quam orationem hanc Christi esse factam pro Petro, non tantum, *ut is inter Apostolos futurus erat princeps*, nec istis terminis circumscriptum fuisse munus, quod ei confirmandi fratres datum est; sed Christum pro eo oravisse, et munus confirmandi fratres illi tradidisse, prout *caput futurus erat totius Ecclesiae*, quam supra ipsum veluti petram aedificavit, et de qua dixit, non futurum, ut portae inferi praevaleant adversus eam: Matth. 16. v. 18. eidemque Petro nunc officium impositum esse ab eo confirmandi fratres, cui post resurrectionem suam dixit: „Pasce oves meas.“ Ioan. 21. v. 27. Quemadmodum ergo, moriente Petro, haec Petra, supra quam Christus Ecclesiam aedificavit, Ecclesiae subducta non est, neque enim, ipsa stabit, si id, supra quod aedificata est, non perseveret; nec Pastor Ecclesiae esse desiit, sed in Petri successore utraque haec auctoritas perseverat; ita *oratio haec quoque Christi pro Petro, ne eius fides deficeret, non tantum pro Petro sed pro omnibus eius successoribus fuit*, iisdemque omnibus ius confirmandi suos fratres commissum est. Et recte illi dicitur, ut confirmet fratres suos, qui positus pro fundamento est, cuius est firmitatem tribuere aedificio. „Oportet, ait S. Bernardus Epist. 50. ad Innocentium II. de Abaelardi erroribus scribens, ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque, et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo, quod sequitur, a Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ Ergone Romanus Pontifex, successor Petri, in docendo et in proponendis

fidei decretis immunis ab errandi periculo est? In dubiumne ergo hoc vocare audebis, dum audis Christum pro illo orasse, ne deficeret fides illius? Quin illud tibi insuper respondeo, nisi ille infallibilitate fidei polleat, et instructus sit, illam autem intelligo, dum Ecclesiam, ut supremus illius Pastor docet, fideique controversias definit, et quid tenendum sit, proponit, nam privatim, quoad se, errare illum posse, eo minus negandum est, quando etiam Petrus hac eadam ratione reprehensibilis fuit, et secundum veritatem Evangelii reperitur non ambulasse, illud inquam assevero, atque respondeo, *nisi in illo haec infallibilitas sit, ne Ecclesiam quidem universam immunem ab errore in credendo persistere posse, imo necessario illam debere totam falli et in contrarios fidei errores labi.* Est enim de fide catholica, Romanum Pontificem, Petri successorem, tenere in universam Ecclesiam non tantum honoris, verum etiam iurisdictionis primatum. Quisque igitur fidelis, et tota Ecclesia obstringitur ad sequendum, et credendum id, quod Romanus Pontifex credendum in rebus fidei et tenendum docet, quodque ut teneant, fidelibus, atque ovibus, quorum Pastor est, iniungit. Secus enim non pollebit iurisdictionis auctoritate, cui omnes obedire teneantur. Et quomodo Pastor ovium esset, si oves Pastorem audire, atque sequi non tenerentur? Quod si ergo contingere posset, ut ille falsum aliquid, rectaeque fidei alienum Ecclesiae proponat, et ut ita credat, atque teneat, ei praeciperet; consequens esset, ut tota Ecclesia, dum Pastorem suum sequitur, ut debet, errare et a recta fide desciscere non tantum possit, verum etiam debeat. Si autem Ecclesia errare a fide tota non potest; sequitur, ut nec Romanus Pontifex, supremus illius Pastor, et caput, offerre aliquid ei possit, quo ad contrarium fidei errorem inducatur. „Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam." Matth. 16. v. 18. Si firma est Ecclesia, eo magis intelligitur firmum esse debere fundamentum. Non enim ab aedificio fundamentum, sed a fundamento aedificium firmitatem accipit. Quod si autem aliquis se separaverit ab hac Petra, super quam aedificata est a Christo Ecclesia, et a Romano Pontifice, nolens illud sequi, quod ille ad credendum proponit, ne in Ecclesia quidem permanere potest, siquidem haec ex-

structa supra illam Petram sit. Atque hoc est, quod patres, et Concilia docent, communionem cum Romano Pontifice ita esse necessariam, ut in Ecclesia non sit, qui in hac communione non est. Producant, et exhibeant ii, quibus in contrarium placet disputare, vel unicum exemplum, ut refractarius aliquis fidei decretis, quae Romanus proposuit Pontifex, quemque ille damnaverit, a suaque communione excluserit, non sit habitus ab Ecclesia pro haeretico. Si quem alii damnarunt episcopi, etiam in suis conciliis, erat is quidem excommunicatus; sed tamdiu sententia non habebatur ut certa, quamdiu non Apostolicae etiam sedis ad eam accessisset confirmatio. „Iam de hac causa, ait S. Augustinus Serm. 132. duo concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.“ Duo haec concilia erant, Millevitanum, et Carthaginense adversus errores Pelagii. Certum ergo fuit S. Augustino, posteaquam ab Apostolica sede damnata esset aliqua sententia, nullum relictum esse locum alicui dubitationi, quin illa falsa esset, atque fugienda, veluti rectae fidei contraria. Nam nisi certum, et persvasum habuisset, in sententia, quae per Apostolicam sedem in re fidei fieret, nullam esse posse falsitatem, et id, quod in ea esset decretum, esse indubitatam veritatem; quomodo dicere potuisset in controversia fidei, quae de Pelagianis ad Apostolicam sedem ab Episcopis Africae missa est, ubi inde rescripta venissent, causam esse finitam? Nam, si Pontifex in definienda fidei controversia errare potuit, nec sententia ipsius recipi poterat, tamquam indubitate vera, et tamdiu de illius veritate debuisset remanere dubitatio; quamdiu non universae Ecclesiae ad eam accessisset manifestus consensus, et approbatio. Ubi vero rescriptum Roma venit, S. Augustinus, et omnes Africae episcopi, quod de suorum conciliorum sententia certum non habuerunt, id indubitate de Apostolicae sedis iudicio recognoverunt, et sententiam, quae ab ea erat lata, sic veram habuerunt, ut ulteriori iam quaestioni, et discussioni locum negaverint esse concedendum. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error. Et merito. Dicit enim S. Epiphanius in Ancorato: „Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est, qui caeli claves accepit.“ Et S. Gregorius Nyss. Serm.

2. de S. Stephano, de S. Petro sic loquitur: „In quo, inquit, Dei Ecclesia solidatur, qui iuxta praerogativam sibi a Domino concessam firma, et solidissima Petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit, cuius fides firma est, et totius simul Ecclesiae firmamentum.“ Quis ergo locus remanebit totius Ecclesiae iudicio, et generalibus conciliis, in quibus ad haereses comprimendas, et ad definienda dogmata, quae catholice credenda essent, Ecclesia semper iudicavit sibi arcem esse, et praesidium? Et ita est. Num vero propterea rem illo priore modo iudicatam per Apostolicam sedem oportebit esse non etiam certam, veram, et indubitatam? Dei potius providentia erga suam Ecclesiam laudanda est, quod tam hoc, quam illo modo illi providerit, ut dum erroris aliqua nubes assurgit, tempestatemque minatur, quae multis fidelibus exitiosa esse potest, paratam hi veritatis anchoram, ubi se figere possent, ac deberent, semper haberent. Neque enim concilia tam facile cogi possunt, et saepe eiusmodi tempora inciderunt, ut cogi ne quidem potuerint. Dum ergo interea error aliquis se latius iam diffudit, qui ipsos episcopos magno numero sibi habeat addictos, ut saepe factum est, quando synodi etiam generaliter convocatae in errorem concesserunt vi aliqua, vel fraude, quemadmodum accidit in Ephesino secundo concilio, et sub Photio, vel saltem generalis synodi ius, atque nomen sibi usurparunt, ut factum est per Iconomachos; ubi tandem certum aliquid erit fidelibus, quod complecti debeant, et tenere, ne erroris etiam grassantis impetu abripiantur, nisi hanc sciverint esse Petram, cui firmiter adhaerere debeant, ut sint in Ecclesia? Cathedrae Petri consocior. Supra hanc Petram aedificatam Ecclesiam scio. Fuitne aliqua haeresis, quae non pro se semper etiam habuisset aliqua concilia? Illane ergo aliquem certum de veritate fidei facere possunt, quando ipsa concilia, num vera sint, atque legitima, non aliunde agnosci possunt, quam si cum illis consentiat Romanus Episcopus? Fuerunt generalia concilia, Ephesinum secundum, cuius iam mentio facta est, Ariminense, addo etiam Basileense: num illorum aliqua in fide auctoritas est? nonne etiam errarunt, quando se cum Papa in eo, quod definiverunt, non tenuerunt? Conveniant ex toto orbe Episcopi quotcumque. Statuant, de-

cernant, et condant decretum aliquod fidei. Non illis autem consentiat, sed contradicat unus Romanus Pontifex. Num illud validum erit decretum fidei, quando nullum etiam sine illo esse potest generale Ecclesiae concilium? Ergo versent se, qui contra disputant, quantumcumque volent; tamen ab uno homine, et ab uno Romano Pontifice etiam in Episcoporum qualicumque concilio debent agnoscere pendere illam infallibilitatem, quae est in Ecclesia ad diiudicandas controversias fidei. Ille est Petra, supra quam aedificata a Christo est Ecclesia. Non aedificium fundamento, sed fundamentum aedificio tribuit standi firmitatem. Petra, supra quam aedificata est Ecclesia, unde habet firmitatem? Hinc: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: Et Ecclesia unde? hinc: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Non placet istis disputatoribus uni homini esse commissam infallibilitatem. Quot ergo debuissent esse? Si per unum hoc Christus effectum potuit dare, ut Ecclesiae semper praesto esset Magister, et Iudex, qui eam ab errore servaret immunem, quid opus fuisset pluribus? Aut ne unum quidem vellent ista potestate praeditum datum esse a Christo suae Ecclesiae? Meliusne ergo esset, si Christus suas oves pastori, qui eas seducere posset, commisisset, et oves tutiores sub eo pastore essent, a quo sibi metuendum haberent, ne falsae doctrinae pabulum ipsis praebeatur, in erroremque inducantur? Pastoremne hoc fuisset praeficere gregi, an lupo exponere oves? Quemadmodum Christus uni homini Petro dixit: Pasce oves meas, et super illum unum aedificavit Ecclesiam; ita unitatis servandae causa unam etiam in eodem Petro constituit cathedram, unumque tribunal. Videant, quis fructus istius disputationis adversus Romanum Pontificem sit: quis nisi ut ei minus obediatur, eiusque decreta parvi pendantur, dum in iis, quae definit, potuisse errare cogitatur, et cuius auctoritate debilitata, tanto minus ceteri Pastores, et sacerdotes curantur. S. Cyprianus docet hinc nasci haereses, et schismata, et quibus eiusmodi cuniculis suam etiam factionem conflaverit adversus Cornelium Papam Novatianus. Quod illud est dissidium, cuius hic mentionem fecit Cyprianus. De eo, qui Ecclesiam negat esse infallibilem, quaero quid Catholico sentiendum sit? Num vero

interest, solumne eius fundamentum, vel moles tota appetatur? Numquid fundamento laeso non ipsa etiam moles labefactatur?“

A pápa a katholicismusra, avagy Anyaszentegyház közönséges voltára nézve. Nagyszombat 1817. (ford. Szeder Fábián). pag. 6. „Ezért mondja az Evangelista is, hogy Kaifás, ki azon esztendőben vala hivatalban . . . prófétált, *azaz: Isten igazságát szóllotta.* Az uj törvényben a Krisztus Jézus hasonló őrt, Pásztort vagy Vigyázót rendelt, *hogy a tárgyképpen adatottakat, tárgyasan fentartaná!* Alapul vagy fundamentomul tette Pétert, s ezen fundamentomra állitá a többi oszlopokat (Apostolokat) . . . s ezen Anyaszentegyháznak e kőszálon világ fogytáig fenn kell maradnia.“

Votum et promptum cuivis subsidium *Unionis in unam salvificam Ecclesiam*, hanc ingredi anhelantibus suggestum a SS. Theologiae Doctore, ac emerito professore regio publico Ordinario, (qui fuit *Tobias Mollik*, *Benedictinus Pannonius)* Budae 1821. pag. 18. „Christus itaque aedificavit Ecclesiam suam supra petram, ne portae inferi praevaleant adversus Ecclesiam. Perconsequens tamen certum fit e Christi D. sententia: portas inferi, sicut adversus aedificium Ecclesiae, pariter adversus eiusdem aedificii fundamentum seu Petram, nunquam esse praevalituras: si enim adversus aedificii fundamentum praevalerent, ipso facto etiam adversus aedificium, seu Ecclesiam praevalerent; adversus neutrum igitur praevalebunt unquam portae inferi.“ pag. 87. „Non ignoro, illud quoque nobis opponi; quod reipsa factum non raro est, ut videlicet Episcoporum quoque phalanges inter se doctrinae dissensione, ac celebratis etiam ad mutuam reprobationem Conciliis acerbe decertarent: indeque sint enatae vel auctae haereses Arianorum, Macedonianorum, Donatistarum, Eutychianorum, Monothelitarum, Iconoclastarum, Photianorum etc. Verum nullumne Christus pro afflictissimo eiusmodi Ecclesiae suae statu providit instituitque remedium, quo oves suae inter dissentientes Episcoporum phalanges et Concilia valeant, si sincere velint, dignoscere: quanam in dissidentium parte persistat vera fides veraxque Christi Ecclesia, quae semper visibilis manere debet? — — Num ergo Christus (vel sciscitari exhorreo) adeo parum

fidelis est Sponsae suae custos, ut huic pro gravissimo divortii periculo nullum intemerate servandae fidelitatis praestet adminiculum? Num adeo incurium est Corporis sui Caput, ut in maximo rescindendae unionis unitatisque fidei discrimine nullum membris suis praestiterit perseverantiae subsidium? Ut nullam denique pharum constituerit cum exitialibus procellis et caligine luctanti fluctuantique Ecclesiae, quam acquisivit sanguine suo? Hancne potestis fovere diffidentiam erga pastorem magnum Ovium in Sanguine Testamenti aeterni D. N. I. C.? Hanc profecto non potuit ita deserere ac despicere Christus, ut in maximo inter dissentientes Episcopos quoque et Concilia, amittendae verae fidei salutisque discrimine, nullum constituerit signum, ex quo sincere studiosi Ecclesiae ipsius filii dignoscere queant quanam in litigantium parte sit vera Ecclesia Christi, supra Petram ab ipso aedificata, et ovile Christi, quod commisit Petro, mandans: pasce agnos meos, pasce oves meas. Hoc quippe Ovile est indagandum: estque facile detegere. — — Dum ergo portae inferi, per Episcoporum quoque ac Conciliorum dissidia nituntur Ecclesiae Christi praevalere; ipse utique — sententia sua (Tu es Petrus etc.) docuit nos: illa in dissidentium parte duntaxat esse Ecclesiam suam, quae innititur Cephae seu Petrae, super quam aedificavit Ecclesiam suam, ne portae inferi praevalerent adversus eam. Docuit nos, tunc omnium firmissime debere nos consentire cum vicaria fundamentali, ut Ecclesiae, ita et verae fidei, Petra. Tutissime proin inter Arianismi assultus — pronunciavit S. Ambrosius: Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia: ibi nulla mors, sed vita aeterna, et portae inferi non praevalebunt ei."

Idem auctor, qua actualis Professor Theologiae Dogmaticae in Regio Generali Pestano Cleri Seminario elucubravit, et Agriae typis vulgavit a. 1786. eruditissimum Opus sub titulo „Dissertationes de Ecclesia Christi." In huius operis Dissertatione Nona defendendam suscepisse se scribit gallicanam propositionem Nro 4-tam, quam vero non modo non defendit, immo vero solidissimis argumentis conficit, ac refellit. Nro 27. pag. 10. hanc elicit memoratu notatuque dignissimam professionem: „Declaratio illa, nomine Cleri Gallicani edita, continuo a Georgio Szelepchény Archi-Episcopo Strigoniensi in Concilio

nationali, acri sententia est adfecta, nec ante nostram aetatem in Hungaria Cathedram obtinuit," seu quod idem est, propositio quarta Gallicana in Hungaria primum tempore Iosephi II. doceri coepit. Nro 263. pag. 76. innuit Auctor qui factum sit, ut declaratio illa non cathedram, sed cathedras in Hungaria obtinuerit. En auctoris verba: „Cedite amici! ut post adducta tanta causae momenta, sincere depromere possim mentem meam. Equidem ita sentio, neminem ingenuum, tantilla mentis acie praeditum, nec partium studio, aut praeiudicio sibi ereptum, lectis his argumentis posse omnem omnino infallibilitatem Pontifici prae ceteris Episcopis peculiarem, negare; etsi nil ambigam, de eiusdem exercendae methodo disceptari posse, nec tamen ideo in huius periclitationem illam quoque retrahendam esse; num enim de gratiae efficacia, de gratuita praedestinatione, de Dei providentia etc. dubitandum est, quod harum methodum assequi, vix, aut ne vix quidem liceat? Utique et de Conciliorum gener. infallibilitatis methodo, requisitis, limitibusque semper disputatum fuit; quin ideo horum singularis infallibilitas neganda sit. — Ac porro enixe oro Theologiae et Canonum Doctores, ne partium, sed veritatis inter partes aliquomodo communis studia modeste ac firma cum fiducia, erga Lucem illuminantem omnem hominem, consectentur: at *Principes quoque exorandos sumant, ne modestissimam eam veritatis indagationem vetent*: neque in quaestione *Iuris Divini* Iudices se constituant; quin potius Divinae huius veritatis tranquillae consectationi favere dignentur."

Mindennapi Lelki-Táplálás, azaz a lelki Üdvösség Keresésének nyomos Oktatása, mellyet egybe szedegetett és az Hivek Hasznára kiadott *Német Mihály* néhai Sövényházi Plébános, és a Győri felső Megyének Al-Esperestje 1821 Esztendőben. Második Rész. Pozsonyban, Belnay Örököseinek betűivel, 1824. In Capite 171. sic intitulato: „*Esedezzünk Isten előtt az Anyaszentegyháznak Fejéért, a Római Pápáért*;" pag. 14. haec continentur: „A mi Üdvözitőnk Krisztus Jézus, az ő Anyaszentegyházának láthatatlan fő Papja, Feje, és Főpásztorja, annak Gondviselését magára válalta; de mivel ő láthatóképen mivélünk nem akart maradni, hanem a menyei Dütsősségbe vissza térni, azért maga helyett *szent Pétert Apostolt*

és annak Követőit az ő Helytartójává, az Anyaszentegyháznak látható *Fejévé*, Főpapjává és fő Pásztorává választotta, hogy az *ő tsalhatatlan Itélete és Oktatása* által fentartassék az Hiveknek Egyessége, az Hitnek Igazsága, a Szentségeknek Kiszolgáltatása, az Anyaszentegyháznak egész Épületje, az Isten-Igéjének egyforma Hirdettetése.“ Idem Caput 172. praefati operis sui sequenti insignivit themate: *„Az Anyaszentegyháznak, az ő Római fő Pásztorja által tanitatott Igazsági tsalhatatlanok.“* Vide pag. 17.

Mellyik az igaz vallás. Kiadta Szentmiklósi Sebők Endre. Nagyvárad 1848. „Mert ha a' pokol' kapui, Krisztus' ígérete szerént, az egyházon, melly minden időre alapítatott, soha sem diadalmaskodhatnak: úgy azon kősziklának, mellyen az egyház építetett, egész az idők' végeig szüntelen rendületlenűl kell felállani. A' kőszikla pedig Péter. A' római püspököt nevezik a' szent atyák Péter' utódjának, legfőbb püspöknek, a' hivők' apostoli és közönséges atyjának. — Ő hozzá kell folyamodni, mondják, *ha a' hit' dolgában és egyházi igazgatásban*, fenyitékben 's szertartásban kérdés támad: *az ő itélete Péter' ítélete*, és a' ki ő vele egységben van, az igaz egyházban van. Ez, az első kereszténeknél olly igen tudva és meghatározott volt, hogy még egy pogány római császár is, Aurelianus, ki üldözte a' kereszténeket, csak azt ismerte el igazi püspöknek, ki Rómával együtt tartott. Így áll a' római szék Isten' rendeléséből, mint az *igazság' ismertető jele* minden népekért, mellyek Jézus Krisztust és annak egyházát keresik. Egy dicső magasságban, egy meggyőzhetlen hatalom és uradalomban áll e' szék, és állani fog egész az idők' végezetéig, mint *legegyszerűbb és legmeggyőzettetőbb ismertető jele az igaz egyháznak:* mint egy *folytatott csuda*, melly által Krisztus miden időben bizonyságot tesz arról, hogy az ö egyházát el nem hagyta, sőt azzal vele van, 's mind végig vele fog lenni.“

Márkfi Samu, sz. Benedekrend pannonhegyi tagja, *a pesti kir. Egyetemnél* ny. *R. Hittanár.* Hitkételyek. Pesten nyomatott Kozma Vazulnál 1849. pag. 87: „Miután tagadni nem lehet, hogy a római pápának, mint első és egyetemes főnöknek kötelessége a hitegységet fentartani: következik, hogy neki

joga van az eltérő hitvélemények közt itéletet hozni, mely az egész egyházra nézve kötelező legyen.“ pag. 90. „Nincs tehát egyéb hátra, mint a római főnököt Krisztus rendelete folytán elismerni az egyház képviselőjének s tisztelni *azon hatalmát, miszerint hitkételyek fölött nem csak a zsinat élén, hanem kivüle is eldöntő, másithatlan itéletet hozhat, mely az egész kath. egyházra kötelmes.*“

Georgius Haulik, Episcopus Zagrabiensis primam encyclicam Epistolam Pii IX. cum Clero Dioecesano communicans, pastorales suas ddto 31. Januarii 1847 exaratas litteras sic concludit: „His aliquid addere velle nedum superfluum, sed pene temerarium foret. Nihil itaque residuum est Nobis, quam ut iterum, atque iterum hortemur Vos, — — ut ne minus attentis auribus, vel tepido corde excipiendam arbitremini hanc tam piam, tam sanctam, tam plenam amoris vocem summi Ecclesiae Capitis, in quo residet corona gloriae nostrae, quod centrum est unitatis Catholicae, sacerdotii honos, *Petra et firmamentum veritatis, ipsi inhaerens angulari lapidi Christo Iesu, divino Redemptori nostro.*“

Ioannes Bapt. Scitovszky, Primas Hungariae, et Archi-Episcopus Strigoniensis in suo ad Capitulum et Clerum occasione solemnis installationis die 6-a Ianuarii 1850. pronunciato et Pestini, typis Lukács et socii impresso Sermone (pag. 4.) dixit: „Sed recipe quoque grates aeternas Sanctissime Urbis et Orbis Pontifex. —— Rege hanc et totam Ecclesiam Christi quam diutissime, et prosperrime! Praecipe nobis, et *voci infallibili* promte obsequemur.“

Iosephus Kunszt, Episcopus Cassoviensis anno 1850. 6-a Octobr. in sermone pastorali occasione Canonicae suae in Sedem Episcopalem introductionis. (Strigonii 1850.) pag. 13. dicit: „Sollicitae curae mihi erit, ut fidei catholicae sacrum depositum illibatum custodiam. Cum porro fidei huius *irreformabile Magisterium* ab ipso Salvatore fundatum in Ecclesia Romana consistat, et in Cathedra eiusdem Ecclesiae sedeat Petri successor, verus Christi Vicarius, Ecclesiae totius Caput, et omnium christianorum Pater et Doctor: omnem dabo operam, ut in viva cum illo communione, ac intemerata erga illum obedientia persistamus.“

Alexander Sterka Sulutz, Episcopus graeco-Catholicus Fogarasiensis. — Sermo pastoralis occasione solemnis cathedrae Episcopalis occupationis ad Clerum et populum materno idiomate habitus, latinitate donatus. Blasii 1852. pag. 16. „Nonne est illa summa animi exultatio, et spiritualis pro nobis consolatio, quod per s. unionem *in una salvifica Fide simus cum eadem Sancta et apostolica sede Romana, ubi ea puritas Fidei apostolicae viget*, quam S. Petrus fundavit, et adversus quam portae inferi non praevalebunt. Matth. 16, 18. pag. 18. „An non decori, laudi et gloriae sibi ducere nostra natio debet, quod salutari ac glorioso fidei et sanguinis vinculo devincta sit capiti primae Apostolicae Sedis et successori ipsius Beati Petri Apostoli? *pro cuius fide, ut non deficiat, ipse* Salvator noster D. I. Christus intercedit Patri coelesti.“ pag. 20. „Nobis obligatio adimplenda, ut in sacra hac, divinaque verae libertatis aede, *fidei deposito inviolabili*, iuramento appromittamus, quod nos religionem salvificam Maiorum nostrorum . . . unionemque aeternam cum Sacra apostolica Romana Sede, quam Maiores nostri *ut veritatis columnam* agnoverunt, ad quam et sanguinis nos alligat origo, inconcussa fide simus servaturi.“

Ius Ecclesiasticum, practicis rationum momentis illustratum potissimum in usum Cleri Curati elucubravit **Ioannes Krajcsik,** Abbas S. Hippolyti de Monte Zobor, Nitriensis Canonicus. Tom. I. Viennae 1854. pag. 80. 81. „Pontifex gaudet iure decreta in causis fidei et morum edendi. Profecto — ut in Instit. Ecclesiasticis Mauri Schenkl ab Iosepho Scheil editis ad §. 244. in nota egregie observatur — haud bene consultum esset Ecclesiae, si quotiescunque unus alterve luxuriantis ingenii homo sanam maculare doctrinam conatur, aut exortae controversiae litesque ecclesiasticam turbare minitantur Unitatem, totus Orbis ad Concilium generale evocandus, aut omnium per orbem praesulum consensus explorandus, expectandusque foret, interimque error serperet, et Ecclesia alio tuendae restaurandaeque Unitatis careret remedio. Fluit itaque ius hoc ex ipso scopo primatus, qui est Unitas fidei. Hic valet a saeculis usu veniens apud Catholicos principium illud: Papa est ultimus iudex controversiarum in rebus fidei. — Continua Traditio docet, occurrente in rebus fidei dubio, ad Papam re-

cursum fuisse, cuius definitioni fideles semet semper humiliter subiecerunt; ii autem, qui definitionem Sedis Apostolicae acceptare recusabant, pro haereticis habebantur; uti id factum cum Valentinianis, Cerdonianis, per Victorem damnatis, Quartodecimanis per Cornelium, Novatianis per Innocentium I. Pelagianis per Coelestinum I. Nestorianis etc.“ pag. 137. „Interim stantibus his (Articulis nempe Gallicanis ac inspecie quarto) sequeretur Ecclesiam universam adminus provisorie, et quidem usque asservandum Concilium generale, seu longo tempore in iis, quae ad fidem et mores pertinent, errare posse, quod utique promisso divini Statoris adversum foret, cui conformiter homo Catholicus tenet, Ecclesiam ne una quidem die aut hora vel minuto errori obnoxiari posse. Dein dum fide tenemus, Pontificem esse centrum Unitatis; qui Catholico nomine censeri cupit, in communione Sedis Apostolicae manet, et tacite etiam recognoscit, per Pontificiam sedem, semper veram fidem conservatam fuisse. Iam S. Cyprianus de Unitate Ecclesiae enunciat: „Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?“ — Et octavum generale Concilium, Constantinopoli anno 869 celebratum, qua fidei articulum proponit: „Prima salus est rectae fidei regulam custodire, et a Patrum Traditione nullatenus deviare, quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio.“

Religio, egyházi és irodalmi folyóirat. 1855. Tulajdonos és szerkesztő **Danielik János** 2. sz. jan. 7. — „*Igen korszerüleg történtnek hiszszük azt is, hogy a dogmatisatio modorában az ex cathedra szóló Krisztus helytartójának hibázhatlansága iránti balfogások, és kételyek eloszlattak* — és a josephinismusnak még nem régiben ezen becses lapokban is kisértő szellemei örök álmukba visszariasztattak“ . . .

A történet szelleme. Történet-bölcselmi Értekezés. Irta **Danielik János** Pesten, nyomatott Herz Jánosnál 1857. A Pesti országos egyetem tekintetes s tudós Theologiai karának tisztelete jeléül a szerző. 15. §. A pápaság. pag. 96. 97: „A

megváltási eszme a tanoknak s gyakorlati kötelmek — és tanácsoknak egész rendszerét foglalja magában. E rendszer valamint magában egy összehangzó egész, ugy külre is összehozólag, összetartólag, tehát egyesitőleg hat. Rendszer-egység nélkül nincs valódi külső társadalmi egység. S rendszer-egység közös főnök nélkül lehetetlen. A megváltási, mint egyetemes világtörténeti eszmének tehát, egyetemes, világ-kormányzó főnök felel meg. S egy ilyet bir a kereszténység a pápában. A pápa tehát a megváltásnak, s igy a történet szellemének nélkülözhetlen tényezője; *helyettes látható orgánja a megváltó és megváltását foganatositó láthatlan Istennek; tehát az emberiség istenileg hivatott vezére, oktatója s tutora a földön.* A megváltás eszméje szellem-erkölcsi eszme, s a pápának hatalma is ilyen. Ő nem határoz a világi dolgokban, hanem kötelezi mindazokat, a kik erre hivattattak, hogy határozataikban az általa képviselt eszméhez alkalmazkodjanak, azt szem előtt tartsák, minden ellenkezőt kerüljenek, intézményeiket vele összhangzásba hozzák, sőt azt ezek által is előmozditani törekedjenek. Ő tehát az eszme által, a melyet képvisel, a világi dolgokban is irányadó, s igy a történetek egyetemes egyesitő lelke. Történtek e tekintetben tulhágások? Ez emberek müve, s meglehet, egyes korszakok társadalmi szüksége volt. *Maga az intézmény birja Isten igéretét, hogy hite meg nem fogyatkozik, s a Szentlélek vele van a világ végezeteig.* Voltak néhány (mi annyi száz közt oly sok századokon keresztül épen nem felötlő dolog,) romlott erkölcsü pápák; *de olyan, ki eszmeileg a megváltás rendszerét csak egy pontban is meghamisitotta volna, nem találtatott egy sem.* Az okoskodás kikelhet ezen állitásunk ellen, de a történetre, a mely mellettünk szól, nem hivatkozhatik. Hol az a történeti emlék, mely a keresztény hitrendszernek időben történt meghamisitásáról tanuságot tenne? Ugyanazon hit, ugyanazon kötelmek, ugyanazon szentségek, ugyanazon áldozat, ugyanazon papság, s ennek ugyanazon feje, a római pápa. Változott a pápák ideiglenes állása, mint változott például a templom — és oltárépitészeti styl és fény, vagy a hit — demonstratio rendszere? E változás csak a külhéjat illeti, mely gazdagabb

fényesebb, müvésziebb lehet, de a *mag* megmarad örökké. A pápa elveszthetí Rómát: de Róma ott lesz, hol a pápa leend."

Kopsz Ioannes „Presbyter dioecesis Sabariensis in synodali examine." Sabariae, 1855. pag. 22. „Ex principiis fidei Romano-Catholicae certum est: Summum Pontificem in diiudicandis fidei controversiis praecipuas partes habere, eiusque iudicium, si Ecclesiae consensus accesserit, esse irreformabile. Imo *hoc eius iudicium etiam ante Ecclesiae consensum infallibile esse pia fide tenemus;* quia impossibile est corrupto capite corporis integritatem conservari, quia absurdum esset fundamentum per aedificium sustentari; quia denique ridiculum esset pastorem per oves pasci ac devium in viam revocari. *Infallibilitas ergo Romani Pontificis* — ut aiunt *ex cathedra loquentis — in praerogativa primatus a Christo D. instituti iam implicite continetur*, iisdemque plane argumentis, quibus ipse primatus innititur."

Franc. Szenczy, Episcopus Sabariensis: Litterae Pastorales ad secularem regularemque dioecesis suae clerum, in festo Purificationis B. M. V. anno 1858 — Sabariae: „Doceamus a Christo institutam fuisse auctoritatem, quae verum revelatae doctrinae sensum doceret, controversias in rebus fidei et morum infallibiliter dirimeret, ut non circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; ostendamus vivam hanc auctoritatem in ea Ecclesia vigere, quam Christus D. supra Petrum aedificavit, et *quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia, ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur, et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet; doceamus verbum Dei in eo sensu sumendum esse, quem tenuit, et tenet b. Petri Romana cathedra*, quae *omnium Ecclesiarum mater et magistra, fidem a Christo traditam integram inviolatamque semper servavit.* Foveamus unionem cum Ecclesia catholica, extra quam nulla est salus, adhaereamus cathedrae s. Petri, cui ceu firmissimo fundamento tota divinae religionis moles innititur."

Concilium Provinciale Strigoniense a. 1858. celebratum Titulo V. de S. Sede Apostolica et Summo Pontifice alia inter enunciavit. pag. 59. „Si itaque de rebus fidei et morum aut disciplina ecclesiastica controversia excitata fuit: haec,

Roma loquente, finita exstitit. Si dubia oborta: Romani Pontificis sententia sublata sunt. Si communi malo communis medela adhibenda fuerat: vocanti ad Concilium Papae Episcopi sine mora obediverunt. Si vero Pontifice non interveniente Concilia celebrata fuere: eorum sancita obligandi vim non habuerunt, nisi confirmantis Papae suffragio et auctoritate munita.“ pag. 60. „Petrus Princeps Apostolorum, Caput et Columna fidei ad hoc usque tempus et semper in suis Successoribus Romanis Pontificibus vivit, iudicium dicit,[1]) ac pascendi, regendi, et gubernandi universam Ecclesiam sibi a Domino Nostro Iesu Christo traditam plenam potestatem exercet;[2]) Romana Ecclesia, quae semper immaculata mansit et Domino providente, et B. Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit, sine ulla haereticorum insultatione firma et immobilis omni tempore persistet;[3]) Ecclesia Romana est omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, Catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua est integra et vera Christianae Religionis soliditas, et ex qua traducem fidei omnes reliquae Ecclesiae mutuentur, oportet.[4]) Unde Petro in rebus fidei et morum per os Pontificis loquenti omnes per orbem fideles et Pastores citra omne dubium assensum semper praebuerunt. Hanc erga Cathedram Petri obedientiam, reverentiam, et inconcussam adhaesionem sicut fideles, ita et Pastores Ecclesiae et Provinciae huius eo libentius profitemur, et inviolabiliter nos servaturos spondemus, quo magis beatae memoriae Praedecessorum nostorum exemplo ad id provocamur. Grata est memoria Georgii Szelepcsény Strigoniensis Archiepiscopi, qui quatuor propositiones Cleri Gallicani Anno 1682. editas, una cum ceteris Ungariae Praesulibus, eodem adhuc anno, ceu auribus christianis absurdas, et plane detestabiles proscripsit, ac universis istius Regni Christi fidelibus interdixit, ne eas legere vel tenere, multo minus docere auderent.[5]) Pariter omnem exeruerunt zelum, ut nullus schismati occidentali in Hungaria adhaereret,

---

[1]) Conc. Ephes. act. 3. — [2]) Conc. Floren. — [3]) S. Hieron. ep. ad Damasum c. 14. caus. 24. q. 1. — [4]) Hadrian. P. ad Conc. Oecum. 8. et Pius Papa IX. in Bulla „Ineffabilis.“ — [5]) Péterffy Concilia Hung. P. II. p. 438.

utve schisma orientale per commendatam et acceptatam s. Unionem multum minueretur. In hac erga Successores S. Petri fide et pietate eo amplius firmamur, solidamurque, quo certius est Summos Pontifices praeter sollicitudinem pastoralem erga omnes fideles communem, specialem etiam protectionem, et benignitatem genti nostrae exhibuisse. Quantam auri argentique vim saepius profuderint, ut adflicto huic Regno cum agmine Turcarum dimicanti opem ferrent, ad contestandum grati animi affectum memoramus dumtaxat, pro merito vero enarrandum annalibus patriis relinquimus."

Porubszky Iosephus „Ius Ecclesiasticum catholicum." Agriae, 1858. pag. 53. „Petrus Summus fuit in Ecclesia Doctor. Quamprimum enim Christus Petrum petram suae Ecclesiae esse voluit, eum implicite etiam summum Doctorem voluisse censendus est. Ecclesia enim absque integra et propria Christi doctrina, adeoque absque Summo Doctore institutum Christi esse desineret. At vero Christus illud apertius adhuc significavit; praesentibus nempe in ultima coena cunctis Apostolis ait Petro: „Simon, Simon! ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum," tum sermonem (non in plurali sed singulari) prosecutus dicit Petro: „Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua"; demum Petro singulare ius dat, et officium iniungit: „et tu aliquando conversus confirma fratres tuos," h. e. in fide nefors errantes ab errore averte, nutantes corrobora, supremam docendi auctoritatem habe." pag. 419. „Pontifex tamquam supremus in Ecclesia Doctor potest dogmatica decreta edere, *controversias fidei et morum in ultima instantia decidere, symbola fidei parare, e. s. p.*"

Idem auctor: Katholikus Egyházjogtan. Főleg a jogakademiai ifjuság számára. Egerben, 1863. pag. 23. „Az egyház főnöke, a pápa, Krisztus helytartója e földön, hatalma az egész egyházra nézve teljes, legfőbb, rendszerinti, és közvetlen főnöksége nem csupán tiszteleti, hanem joghatósági is. A főnökség alapitásának czélja: nem csak az egyház egységének épentartása, hanem javának előmozditása is; miből következik, hogy mindazon jogok, melyek e czélra szükségesek, neki sajátjai. — Még itt a pápárol mint az egyház főnökéről megemlitendő, hogy mivel hatalma a trienti határozat szerint is,

az egész egyházban *legfőbb*, a püspökök sem egyenként, sem együttesen a zsinaton fölötte semmi joghatóságot nem gyakorolhatnak, — — *az ő ítéletétől nincs további fölebbezés.*“

Horváth Ferencz, kalocsai érsekmegyei áldozár. „Unio“ Kalocsán 1859. Pag. 144. „Mily magasztos értelem rejlik e szavakban! Az Üdvözitő imádkozott Péterért, hogy ennek hite rendületlen legyen és hogy egykor megtérvén ez erősitse a hitben testvéreit! Nem annyit tesz-e az, mint tanitani tévelygőket, tanitani, hogy senki sem habozzék a hitben? Nemde másutt minden apostolnak meghagya: „menjetek az egész világra, tanitsatok minden nemzetet.“ Miért tehát Péternek különösen? bizonyára azért, hogy Péter legyen az első, a legfőbb tanitó az egész egyházban, hogy mindenki annak szavára figyeljen, mindenki ugyanazon értelmet, ugyanazon szellemet tegye sajátjává; hogy ő legyen az isteni mesternek, Krisztusnak helyettese e földön.“ Pag. 163. „Mily dicsően ragyok a pápai primátus isteni alapjának egyetemes hite e kettős vallomásából! — A pápa egyetemes zsinat szine előtt bizonyságul meri fölhivni az egész katholikus világot, minden egyetemes zsinatot, miként a romai széken ül az apostoli fejedelemség, és körülötte áll az egész keresztény világ elfogadni az apostoli — tehát *csalhatatlan* hittanitást. — És a zsinat! — *valódi hitszabályul ismeri el a pápa nyilatkozatát.*“

Krisztus egyházának története, hittankönyvül a felsőbb gymnasium számára, irta Dr. Feszler József, fordità *Szabó Imre,* felső iszkászi plebános, alesperes és szentszéki ülnök. Bécsben a cs. k. iskolakönyvek kiadásában, 1860. Pag. 252—253. „Hanem valamint mindennek, a mit az ur egyházába letett, életteljes csirája van, mely lassankénti fejlődésre van rendölve, igy van ez a Romai püspök elsőbbségére nézve is az Isten egyházában. Ezen fejlődés bizonyos külső körülmények közt folyt le, melyek a felsőbb hatalom föllépését és beavatkozását mindig szükségesbbé tették, habár a szeretet szelleme képezi is az egyház felsőbb hatalom lelkét. Különösen a nehéz küzdelmek idején az első és következett századokban tartotta az egyház mindenkor szem előtt, a mit az Ur egykor Péternek mondott: „Én pedig könyörögtem éretted, hogy meg ne fogyatkozzék hited, és megerősitsd a te rokonidat;

(Luk. 22, 32) *és a mi az ő utódaiban is hathatósan tovább munkálódik.* Azért a nagyfontosságú kérdésekben mindig a Római pápához fordultak itéletért. — *Már akkor erősen tartották mindnyájan, hogy hitkérdésekben a Római pápát illeti a legfőbb itélet, melytől soha el nem tértek* (legfőbb tanhatóság), hogy senki a kath. egyházhoz, Krisztus élő testéhöz nem tartozik, aki ő vele közösségben nincsen. Az Atyák atyjának, a püspökök püspökének neveztetett."

Iosephus Strossmayer, Episcopus Bosnensis seu Diacovarensis et Syrmiensis. Litterae Encycl. a. 1860. 14. Febr. ad Clerum directae. Vide Opus „La Sovranitá temporale dei Romani Pontefici." Vol. I. Part. III. pag. 559. „Quo magis odia inimicorum contra Cathedram Sancti Petri, *inconcussum veritatis et iustitiae fundamentum;* item contra Sanctissimum Patrem, *irrefragabilem fidei et omnium eorum, quae cum fide cohaerent, custodem et interpretem* intenduntur; eo magis studia caritatis, pietatis et reverentiae nostrae erga Caput Ecclesiae augeri et multiplicari oportet."

Synodus Provinciae Colocensis celebrata A. D. 1863. Tit. II. C. I. decrevit: „Pari plenitudine potestatis et omnium Ecclesiarum sollicitudine ceterorum Apostolorum in episcopatu Successoribus praevalent, eosque in partem legitimae sollicitudinis admittunt, depositum fidei *summo et irrefragabili oraculo* custodiunt, Concilia oecumenica cogunt, praesidio regunt, oraculo confirmant, atque iisdem succenturiati ita faciunt plena, ut eadem capite truncato sint nulla. Unde propositiones Cleri Gallicani a. 1682. editas, quas iam piae memoriae Georgius Szelepcsény Archi-Episcopus Strigoniensis una cum ceteris Hungariae praesulibus eodem adhuc anno publice proscripsit, itidem reiicimus, proscribimus, atque cunctis huius Provinciae fidelibus interdicimus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere auderent."

Ios. Mayrhofer. Theol. Moralis Christ. Cath. Principia. Iaurini 1863. T. 1. p. 8. „Fontes theologiae moralis sunt d) decisiones Summi Pontificis Romani." „Etenim Redemptor ipse pro Petro singulariter oravit, ut non deficeret fides eius, sed ut ipse potius confirmaret fratres suos. Luc. 22. Memorabile

est eatenus dictum S. Augustini: *Roma locuta, controversia finita est.*“

Antonius Sujánszky „Hit, remény és szeretet“ Imakönyv mivelt ker. katholikusok számára. Második bővitett kiadás. Pesten, 1863. „Mily szerencséseknek érezzük mi magunkat katholikusok, hogy az igaz egyház tagjai, s mint ilyenek Péter székével egyesülve vagyunk. *Mig e sziklához ragaszkodunk, hitünk nem fog inogni; ha szavaira hallgatunk, tévutra nem jutandunk.*“

Michael Fogarasy, Episcopus Transilvaniensis. Sermo pastoralis, quem occasione installationis suae anno 1865. dominica 6-a post Pascha in diem 28-am Maii incidente ad clerum dioecesanum dixit. MVaradini 1865. p. 8. „Sit nobis sedes s. Petri, in his mundanis perturbationibus firma Petra, sit *veritatis tutum praesidium.* In hac sede error *nunquam habuit refugium.* Haec leges a falsi nominis scientia semper reiicit, haec potens, tum fraudibus impervia, doli insidias admirabili sagacitate detegit, haec nobis in incredulitatis caligine *lucerna ardens est, cuius lumen exstingui non potest.*“

Népszerü egyházi Archaeologia. Irta **Lonovics József.** Harmadik bővitett kiadás. Pesten, 1865. I. kötet. pag. 93. „Ezt cselekedte egyházával is, melynek nehogy az idők folytán szétoszoljék, egységre, — hogy szervezetét sem az előljárók uralkodási vágya zsarnoksággá, sem az alattvalók önkénye s dacza fejetlenséggé ne torzitsa, főkormányzóra, — hogy hittanaiban a kétely s ujitás csábjait meglábolhassa, biztos vezérre, — s hogy az üdvös fegy sem az egyesek tulbuzgalma által természetelleni szigorrá ne sanyaruljon, sem pedig mások engedékenysége által féktelenséggé ne fajuljon, felsőbb hatalommal felruházott tanitóra, mesterre s bíróra levén szüksége: Ő mind erről Péter személyében ennek utódjaiban, a romai püspökökben akkint gondoskodott, hogy az egész világon elterjedt egyház bennök ismerje, vallja s tisztelje fejét, főpásztorát, vezérét, bíráját s főkormányzóját. Mind Péter mind utódjai hozzánk hasonló gyarló emberek voltak: *azonban ők isteni Üdvözitőnk biztositásából azon bámulatos kiváltsággal birtak s birnak, hogy hitök soha meg nem fogyhat.*“ **Idem** III. köt. pag. 229. „A ki hitének szilárditására csodát keres, azt min-

den uj pápa választásában feltalálhatja: mert az apostoli széken egymást csaknem két évezred óta szakadatlan lánczolatban követő pápák tiszteletreméltó sora nem egyéb, mint Jézus által Péter apostolnak adott s reá s utódjaira vonatkozó azon isteni igéret folytonos teljesedése, hogy a kőszirtre épitett egyházon a pokol kapui, azaz a sátán és világ, az erőszak és tévely tusakodásai soha nem fognak diadalmaskodni: „Számláljátok meg, ugymond sz. Ágoston, a Péter székén ült főpapokat, és lássátok az atyák e sorában mint követte egyik a másikat. Ez valóban a kőszál, melyet nem győzhetnek meg a pokol kevély kapui.“ Pag. 230. „Kevéssé ismeretes, pedig az apostoli széknek hitbeli ingadozhatlanságára s a hitőrzés tekintetébeni örök rendeltetésére nézve igen fontos, mit Liberius pápa († 366.), midőn az ariánok által lenyügözött egyház legszomorubb napjaiban az üldözött sz. Athanáz püspök pártolása miatt Konstancz Arián császár által Milánóba idéztetett, ennek válaszolt: „Imperator Liberio dixit: Quota pars es orbis terrarum, ut solus homini impio suffragari velis? . . . Liberius dixit: *Etiamsi solus sim, fidei causa non idcirco minuitur.*“ *Theodoret.* Hist. Eccl. L. 2. c. 16.

Az Ó és Uj Szövetségi Szentirás a Vulgata szerint, Káldi György forditása nyomán jegyzetekkel átdolgozva. Egerben, 1865. In praefatione Excellentissimus D. **Adalbertus Bartakovics** de Kis-Appony, Archi-Episcopus Agriensis, cuius cura et larga munificentia haec Bibliorum versio adornata typisque vulgata est, ita proloquitur: „Ama nagytudományú s még nagyobb szentségű férfiú, kit Isten a szentirás értelmezésében anyaszentegyházának legnagyobb tanitóul rendelt, az egész keresztény világ oraculuma, sz. Jeromos, az ő műveinek jóváhagyását sz. Péter székétől kérte, s az atyák hagyományaira támaszkodott. — Hogy a magyar szentirás jelen új átdolgozásának kellő tekintélyt szerezzek, én is a kathol. anyaszentegyház látható fejéhez, IX. Pius pápa Ő Szentségéhez folyamodtam, hogy ezen munkát apostoli tekintelyével és jóváhagyásával megerősiteni kegyeskedjék. Ő Szentsége örömest hajolván kérelmemre, jelen vállalatom átvizsgálására a magyar püspöki kar nagymélt. és főtiszt. Tagjai közől neveztetett ki birálókat névszerint: nagymélt. és főtiszt. **Lonovics József**

amasiai érseket, nagymélt. és főtiszt. **Fábri Ignácz** kassai, mélt. **Szenczi Ferencz** szombathelyi, mélt. **Csajághi Sándor** csanádi, s ennek elhunyta után, mélt. **Viber József** halyai püspököket — kik a szentirás könyveit e fordításban egyenkint nagy gonddal átvizsgálván, az apostoli Székhez fölterjesztett véleményök nyomán adatott ki az eredeti nyelven alább következő apostoli jóvahagyás, mely ezen fordítást, a kathol. anyaszentegyház magyarajku híveihez vezérli. — — —

A megtestesült örök Ige áldása kisérje és tegye foganatossá az ő nevében, Isten dicsőségére, a kathol. magyar Egyház használatára s a hivek lelkiépülésére czélzó jelen sz. vállalatot, hogy az irások vigasztalása által reményünk legyen, mely meg nem szégyenit, s ne hajtassunk ide s tova a tudomány minden szelétől az emberek gonoszsága által, a tévedésbe ejtő álnokság által; hanem rendithetlen hűséggel ragaszkodjunk Ahhoz, kinél az örök élet igéi vannak, *ki anyaszentegyházát ama köszálra épitette, melyen a pokol kapui nem vesznek erőt, ki azt igazság oszlopává és erősségévé tette*, ki mindenek fölött áldott Isten mindörökké. Amen.“ In his Bibliis Matthaei cap. 16. v. 18. sic intelligendum esse docetur: „Én is kitüntetlek téged fölöttük, és neked földi országomban, hiveim látható községében elsőséget adok előttök, hogy te légy látható alapköve ezen külső épületnek, mely által ez *oly erőt nyer, hogy a pokol ördögi hatalmasságai, kik az igazságot és erényt tévedéssé és gonoszsággá igyekeznek elferditeni, nem vehetnek azon diadalmat.* Krisztus világosan hívei látható községéről szól; mert „Ecclesia“ néven nevezi azt, melynek a héberben Kahal (gyülekezet) az izraeliták látható társasága (Móz. III. 4, 13) felel meg. A többjelentésü „mennyország“ kifejezést, ugy látszik, szándékosan kerülte, hogy a láthatatlan egyházzal leendő fölcserélésnek elejét vegye. Ha itt az egyház látható gyülekezet, akkor ezen látható épület alapkövét is, mint láthatót, kell érteni; mert a láthatlan alap és szegletköve csak maga Krisztus (Zakar. 3, 9. Máté 21, 42. Efez. 2, 20). A többi apostolok is neveztetnek ugyan (Jel. 21, 14. Gal. 2, 9.) alapoknak és oszlopoknak, de világosan csak oly értelemben, hogy egyes falak és részek alapjai és támaszai, a mennyiben az apostolok egész országokat és népeket meg-

téritettek, — nem pedig oly értelemben, mintha az egész épület alapjai volnának. Továbbá kitünik a fönebbi szavakból, hogy Krisztus nem Péter hitét és vallomását tette az anyaszentegyház alapjául, hanem magát Pétert az ő hiteért és hitében; mert valamint az anyaszentegyház nem hitből, hanem hivő emberekből áll, ugy a látható egyház kőszála is csak hivő kőszál (Péter) lehet. Mindig is a *látható személyes kőszál volt az, mely hitében az anyaszentegyházat a pokolnak, a tisztátalan hamis tanoknak megtámadásaitól megvédelmezte.* Mialatt az anyaszentegyháztól elszakadt felekezetek eredeti tanaiktól idő folytával többé-kevesbbé eltértek, mert nem birtak látható egységponttal, *a kathol. anyaszentegyház, az ő látható alapköve által, menten tartotta magát a hit és erkölcsre nézve minden hamis tanitmánytól.* — — Ezt tanitják mindnyájan a sz. atyák.“ Ad versum 19. „Megkötni és feloldozni, Izai. 22, 22. szerint, annyit tesz, mint a mennyországot bezárni és kinyitni, a keresztény községbe valakit felvenni vagy abból kizárni; azután pedig; a bünöket megbocsátani vagy megtartani, mert ezen alapszik a fölnyitás vagy bezárás; végre: *valamit megengedni vagy eltiltani, s ilyennek nyilvánitani;* mert az igaznak vagy nem igaznak megismerésén és annak kijelentésén is alapszik a fölnyitás vagy bezárás. A többi apostoloknak is megadatik később (Máté 18, 18. Ján. 20, 23) a megkötő és feloldozó hatalom, hanem csak akkor, miután már Péter alapkövül, a kulcsok legfensőbb hatalmával, ünnepélyes módon megválasztatott, mi által oda utasittattak, hogy isteni hatalmokat csak a fővel egyességben gyakorolják; mert csak egy választatott az egész anyaszentegyház alapkövévé, melyen az épület egész külső alkotmánya nyugszik; csak egy a háznak látható urává, a bezáró és fölnyitó hatalommal. Egyébiránt, hogy sz. Péter hatalmának az ő minden törvényes utódjaira át kellett szállania, ez már magában világos, és hogy ezen utódok a római püspökök, ez történelmi tény.“ Lucae cap. 22. v. 31. autem sic: Értelme ez: Simon! te anyaszentegyházam alapköve! a sátán tégedet, a te társaidat és minden hiveimet igyekezni fog tanitásom egy vagy más pontjában elpártolásra birni; hanem én Atyámat különösen kértem éretted, kitől, mint főtől, függ minden, hogy

a te hited az igaz Krisztusban, „a mint te őt megvallottad, soha el ne fogyatkozzék. Te is fogsz ugyan ingadozni, de ismét megtérsz. Ha majd ez megtörténik, erősitsd meg a hitben atyádfiait is. Az Ur igéretet tesz itt az anyaszentegyház fejének és minden ő törvényszerü utódainak, hogy az igaz Krisztus vallása, mint azt Péter kijelentette, az igaz hit nálok soha sem fog megszünni. Ez akkor történnék, ha nyilván az egyház előtt valami tévtant hirdetnének, vagy abba beleegyeznének. *Ez soha nem történt, és soha sem is fog történni.* (Leo, Cyprián, Bellarmin stb.)“ Biblia haec pro usu Cleri et populi destinata esse per se patet, quae ego, qua Episcopus Iaurinensis condigna laude prosequutus sum, et Clero meo, fidelique populo impensissime commendavi. Ita pariter praeattacta classica loca interpretatur in sua germanica Bibliorum editione Iosephus Franciscus Allioli, cuius germanica lingua cum annotationibus edita Biblia manibus suis versat populus fidelis huius labii etiam apud nos. Etiam haec editio per Ordinariatus Strigoniensem et Agriensem suo tempore commendata fuit. (Vide Vierte Auflage, Landshut, 1839 et editionem a. 1850. ibidem et Monachii.)

Ioannes Ev. Zádori, theol. fundam. et dogmat. Professor, SS. theol. Doctor, in „32 májushavi szent beszéd.“ Pest 1865 pag. 14 et 15. „Midőn az Anyaszentegyház tanitása fejlesztetik, midőn valamely hitágazat kihirdettetik, mi katholikusok nyugodtan lehetünk, mert a mi egyházunkra felvigyáz a Szentlélek, *azaz a kath. egyház feje, a pápa, hit dolgában nem hibázhat.* Hit dolgában mondottam, nem egyébben, tehát midőn arról van szó, hogy valami világi tudományos tárgyat megfejtsenek a tudósok, s a pápa is közbe szólna, itt neki úgy mint bármi más embereknek hinnénk, itt ő csalhatatlan nem lenne. Azt sem kell a pápa csalhatatlansága alatt érteni, hogy ő bűnt nem követhet el ; a pápa csak ugy gyónik, mint mi. Hanem azt kell alatta érteni, hogy midőn valamely hitágazatot a pápa kimond, azt minden katholikusnak hinni kell. És pedig azért, mert Krisztus Urunk Péternek — a kinek utódja a pápa — azt mondta: „Te Péter vagy, és ezen sziklán épitem anyaszentegyházamat és pokol kapui erőt nem vesznek rajta,“ *vagyis meg nem győzi őt a hiba és tévelygés.*

Tehát Krisztus Urunk midőn megigérte Apostolainak a Szentlelket s ezek fölé helyezte szent Pétert, csalhatatlansággal ruházta fel az anyaszentegyházat. Nem a magunk eszének igazságait hirdetjük, mert nincs könyebb, mint hogy tévedjen az ember; oh szerencsétlen azon egyház, melynek papjai a maguk igazságait hirdetik! — hanem csak azt halljátok a katholikusok templomában, a mit a *csalhatatlan pápa tanit, vagyis amire tanitja Szent Lelke* által *maga Jézus Krisztus.*"

Jézus és Mária Élete — irta *Intay* Vazul, sz. Benedek rendbeli pap. Pest 1867. Pag. 286. „Tehát az egyházi legfőbb kormányhatalom isteni tekintélyü intézet; mert az Isten-ember által léttesittetett, és pedig oly isteni biztositékkal, miszerint a pokol hatalma nem veend erőt rajta, valamint a reá alapitott Anyaszentegyházon sem: igenis, e biztositék mind az igaz egyházat, mind annak legfőbb kormányhatóságát illeti; mert amaz erre van Krisztus által alapitva; ha pedig az alap megdöntethetnék, ugy az sem maradhatna fön, a mi rá van alapitva. De az igy biztositott fönmaradásból az is értetik, hogy sz. Péternek hivatali utódai, vagyis a Római pápák is, valamint a szent hatalomnak, ugy amaz isteni biztositéknak is örökösei, a mit az évszázadok történetei is bizonyitanak; mert noha Krisztus egyházának pokoli ellensége leginkább a lelki pásztorok legfőbbikét, a római pápát minden időben legveszélyesebb üldözésekkel zaklatta, mégis az ő legszentebb hivatalát ki nem irthatta; mert a Mindenható annak valamint szerzője, ugy védője is."

In opusculo **„Mi az egyház?"** A nép számára szerzé Segur Abbé. Forditotta és kiadta a pesti növendék papság magyar egyház irodalmi iskolája. Pest 1861 pag. 15. „A Pápa az ő személyében a tanitó egyház tekintélyének teljét egyesiti, *ő a tanitásban csalhatatlansággal és legfőbb hatalommal bir a nélkül, hogy itéletétől, parancsa- és tilalmától fölebb lehetne hivatkozni.*"

Szent-István-Társulati Naptár 1866-ik évre. Pest. Pag. 25. 26. I. *Vallás.* — „Minthogy a pápa Jézus Krisztus helytartója, *az egyház legfőbb és csalhatatlan* tanitója, a püspökök püspöke, a kath. világ főpásztora, magától értetik, hogy midőn az ily körlevélben valamit parancsol vagy tanit, —

minden bármily rendü és rangu katholikus lelkismeretében köteleztetik magát annak alávetni, következésképen kárhoztatni mindazt, mit a pápa kárhoztat, elvetni mit elvet, s föltétlenül alkalmazkodni rendeleteihez. Ha valaki megveti a pápa tekintélyét, magának az Isten Fiának tekintélyét veti meg, s mindazok, kik Jézus Krisztus földi helyettesének tanitmányait el nem fogadják, egyenesen Üdvözitőnk ellen lázadnak föl.“ Item pag. 36. „Igen a pápa Krisztus a földön; Krisztus közöttünk; Jézus Krisztus, kit helytartója képvisel, ki helytartója által kormányozza az egyházat, helytartójának szája által tanit minden népet. Engedelmeskedni a pápának annyit tesz, mint Jézus Krisztusnak engedelmeskedni, s ha Jézus Krisztusnak engedelmeskedünk, Istennek engedelmeskedünk. A közöttünk oly buján tenyésző botrányok és tévelyek közepett soha se tévesszük szem elől a katholika hit eme sarkalatos pontját: *minden ettől függ;* mert ha a *pápával vagyunk*, *Jézus Krisztussal*, *Istennel vagyunk.*“

Theses ex universa Theologia propugnatae a Ioanne Vályi, dioecesis Munkácsiensis Presbytero et Episcopo Munkácsiensi oblatae. Anno 1869. febr. 25. Viennae Thesis 4-ta. Pag. 5. „Romanum Pontificem in decisionibus dogmaticis *infallibilem esse propugnamus.*“

Theses ex universa Theologia, in Universitate Pestinensi publice propugnatae per **Ludovicum Szely**, Presbyterum dioecesis Iaurinensis. Anno 1869. iun. 26. Pestini Thesis 6. Pag. 11. „Romanus Pontifex *ex Cathedra definiens in rebus fidei et morum infallibilis est.*“

Sigism. Kovács episcopus Quinque-Ecclesiensis. Sermo pastoralis, occasione canonicae suae in sedem episcopalem introductionis, 1869. aug. 25. ad clerum dioecesanum. Pestini. 1869. pag. 7. „Studium hoc conservandi in omni sua integritate et puritate depositi insignem per omnia secula reddidit S. Romanam Ecclesiam, quae merito *columna et firmamentum veritatis* salutatur, ad quam propter potiorem principalitatem omnem oportet convenire Ecclesiam, ad cuius auctoritatem referebantur semper laesiones fidei et omnes iniuriae Christi, praesentium scandala et pericula posterorum, ut optime *ibi*

resarcirentur damna fidei, ubi fides nunquam potest sentire defectum. In hunc imprimis finem Christus sibi Vicarium in terris constituit, *cuius* munus prout religione sanctissimum, ita stabilitate contra superbas inferorum portas *coelesti praesidio communitum*, nullis seculorum aetatibus interiturum est. Cathedra quippe S. Petri, arx apostolici culminis, in qua Dominus *inexpugnabile posuit Ecclesiae suae fundamentum, veritatis iustitiaeque propugnaculum est*, ita ut ore episcoporum Romae in unum congregatorum unusquisque nostrum inclamare debeat: *„Pontifex tu sanae nobis doctrinae magister, tu unitatis centrum, tu populis lumen indeficiens a divina sapientia praeparatum. Te loquente Petrum audimus, te decernente Christo obtemperamus.* En igitur sacerdotii palmare officium, ut mente et corde s. Sedi adhaerentes, in veritate, ad rectissimam doctrinae Christi normam, permaneamus. Plane apparet in quanto errore versentur illi, qui ratione abutentes, ac Dei eloquia, tamquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, cum *Deus* ipse *vivam constituerit auctoritatem, quae verum* legitimumque *coelestis suae revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei et morum infallibili iudicio dirimeret.* Quae quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum, totius Ecclesiae caput, principem et pastorem, cuius fidem nunquam defecturam promisit, aedificata, suos legitimos semper habet pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in eius cathedra collocatos, *et eiusdem doctrinae*, dignitatis, honoris ac potestatis *haeredes* et vindices. Et quoniam *ubi Petrus ibi Ecclesia*, ac *Petrus per Romanum Pontificem loquitur*, et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem, ideo divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit et tenet haec Romana beatissimi Petri cathedra, quae omnium ecclesiarum mater et magistra fidem a Christo Domino traditam integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam et incorruptae veritatis doctrinam.“

Testimoniórum prolatorum plurima expresse docent infallibile magisterium Summi Pontificis, alia eamdem aequipollentibus verbis exprimunt doctrinam, dum dicunt, Ecclesiae ipsius infallibilitatem niti inconcussa Petri fide, vel in stabilitate sedis Apostolicae solidari, vel Petri voce exstare, qui in successore adhuc loquitur, vel dum Petri Sedem vocant rectae fidei fundamentum, vel in ea dicunt esse integram religionis soliditatem.

Vestrum iam est FF. et Filii in Christo carissimi, iudicare, an quod erat demonstrandum, adductis testimoniis demonstratum sit, doctrinam nimirum de infallibili Magisterio Romani Pontificis, e Cathedra definientis, in Hungaria non esse novam et inauditam, sed antiquissimam, bene cognitam, nullo non tempore traditam, et propugnatam. Vos ipsi iudicate, an possit nova dici, debeatque primum recipi doctrina illa, quam, ut alios praetermittam, crediderunt et docuerunt, Nicolaus Oláh, quia a. 1568; Petrus Cardinalis Pázmány, immortalis conditor Universitatis Hungaricae et cognominis Collegii, qui a. 1637; Nicolaus C. Eszterházy, Regni Palatinus, qui a. 1645 supremum diem obierunt. Georgius vero Szelepcsény Archi-Episcopus ac Primas Hungariae cum reliquis Episcopis, Abbatibus, Praepositis, Capitulis, nec non Theologiae et ss. Canonum professoribus quam doctrinam a. 1682. proscripsit, interdixit, ac prohibuit velut absurdam, detestabilem, in Hungaria novam et antea inauditam, non in Hungaria, sed in Gallia excogitatam? nonne illam, in quatuor Gallicanis propositionibus, signanter in 4-a contentam, quae negat irreformabile esse iudicium Romani Pontificis in definiendis fidei quaestionibus, nisi Ecclesiae consensus accesserit, seu quae negat infallibile Romani Pontificis magisterium. Haec Gallicana doctrina fuit a. 1682. sicut in Gallia, ita etiam apud nos nova, ac iccirco acri censura confixa ac proscripta. Haec illa est doctrina, de qua Tobias Mollik, ss. Theologiae Doctor et reg. Professor palam pronunciavit, quod ad

sua usque tempora Cathedram in Hungaria non obtinuerit, seu in scholis proposita ac tradita non fuerit.

Falso etiam asseritur, fidem et doctrinam de infallibili magisterio Summi Pontificis, definientis e Cathedra, noxiam esse statui publico. Haec doctrina apud nos per plura saecula sola docebatur et tradebatur. Quaerere licet, ubinam sunt facta excitatarum per doctrinae illius assertores et sectatores rebellionum ac seditionum? An, ut alios brevitatis causa rursum praeteream, Nicolaus Oláh, Petrus Cardinalis Pázmány, Palatinus Nicolaus C. Eszterházy, Georgius Szelepcsény non etiam fide in Regem, et amore in patriam excelluerunt? Quis iura apostolica Hungariae Regis adversus curiam Romanam acrius defendit Petro Cardinali Pázmány? Quis iura Regis calamis et armis fortius, feliciusque propugnavit, quam Palatinus C. Eszterházy? „suae aetatis oraculum," ut legere est in marmoreo sepulchrali lapide Tirnaviae. Quis plus pro restituenda avita patriae constitutione laboravit, quam Georgius Szelepcsény? Vel forte illustris ille Regni ac Regis Cancellarius Nicolaus C. Illésházy iura Regis ac Regni prodidit, quod doctrinae de infallibili magisterio Pontificis faverit? Vel forte Illmus ille Generalis Campi Vigiliarum Praefectus Carolus L. B. Andrássy non in fide erga Regem et amore erga Patriam educandos curavit suos filios, quod eorum educationem crediderit viro, hanc doctrinam in Academia Budensi publice defendenti? Tam omnes illi viri illustres bene noverunt, quam etiam nos novimus, omnem Ecclesiae, adeoque etiam Capitis Ecclesiae potestatem spiritualem esse, non civilem, non temporalem, non politicam, et Ecclesiae ac Pontifici nullum esse ius in temporalia Regum et Regnorum. Similes suspiciones interim non sunt novae, suo quoque tempore illas viguisse testatur et scribit celeberrimus Cameracensis Archi-Episcopus Fenelonius. *) En illius verba: „Haec vero fuit criticorum, et imprimis Ianseni-starum dexteritas et astutia, ut Regi et Regni proceribus persuasum fuerit, Romanos Pontifices arrogaturos esse sibi omnimodam in regna temporalia potestatem, si semel concesseris,

*) L. de auctorit. Papae cap. 44.

Romanam Sedem in fide docenda deficere non posse. Inane autem est hoc terriculum" addit, et probat idem Archi-Episcopus, qui si a. 1791. supervixisset, expertus fuisset Ludovici XIV. thronum in nepote Ludovico XVI. non ab illis eversum fuisse, qui gallicanis articulis contradixerunt, sed qui illos primum quidem acerrime defenderunt, postmodum vero omnem Religionem exuerunt.

Qui ad Bullam Bonifacii VIII. „Unam Sanctam" provocant, quasi in ea Pontifex definivisset, omnia mundi Regna ad arbitrium Papae auferri et distribui posse, illi verum sensum Bullae non sunt assecuti, quem ipse Papa Bonifacius, optimus suorum verborum interpres, declaravit in oratione, quam a. 1303. in Consistorio ea de re habuit: „Quadraginta anni sunt, inquit, quod sumus experti in iure, et scimus, quod duae sunt potestates ordinatae a Deo. Quis ergo debet credere vel potest, quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit, vel fuerit in capite nostro?" Sed declaraverunt etiam Cardinales per epistolam Anagniae exaratam ad duces, comites et nobiles Franciae: „Volumus vos pro certo tenere, quod praedictus dominus noster, Summus Pontifex, nunquam scripsit regi praedicto (Philippo Pulchro,) quod de regno suo sibi subesse temporaliter, illudque ab eo tenere deberet." [1]) Doctrinam et sensum Ecclesiae exprimit hymnus divini Officii: [2]) „Non eripit mortalia, qui regna dat coelestia." — Vehementer etiam erraret, qui putaret, pontifici fas esse doctrinales decisiones aliunde haurire, quam prout Concilium Trident. loquitur,[3]) ex verbo Dei scripto, vel sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt. S. Scripturae et traditiones dominantur Ecclesiae universae et Pontifici, qui proinde Scripturae et traditionibus subest, et cuius est observare tam mandatum Christi dicentis: [4]) „Scrutamini scripturas", quam praeceptum S. Pauli: [5]) „State et tenete traditiones, quas accepi-

---

[1]) Hist. du différent. etc. — [2]) Epiphan. in Brev. Roman. — [3]) Sess. IV. de canon. script. — [4]) Ioan. 5. 39. — [5]) 5. Thess. 2, 15.

stis.“ Nemo autem est, qui nesciat nihil in divinis Scripturis, nihil in divinis traditionibus, unde hauriendae sunt definitiones in fidei et morum rebus, contineri, unde periculum quodpiam in Civitatem et Statum publicum posset redundare.

Domestica tantum prolata sunt testimonia, nec illa omnia, quae recenseri potuissent, potissima eorum latina sunt exarata lingua, quae apud nos illis temporibus fuit institutionis, legislationis, publicae administrationis et cultioris conversationis lingua, et cuius cognitio tam late patuit, ut non deessent matronae, latini sermonis bene gnarae.

Ceterum cum Catholici simus, nostra insuper sunt omnia de hac doctrina testimonia, SS. Patrum, aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum, puta S. Irenaei M.[1]) Tertulliani[2]) S. Cypriani M.[3]) S. Hieronymi[4]) S. Augustini[5]) S. Leonis M.[6]) S. Bernardi[7]) S. Thomae Aquinatis[8]) S. Bonaventurae[9]) S. Ioannis a Capistrano[10]) (nam etiam fortissimus hic herois Ioannis de Hunyad commilito testis est doctrinae huius) S. Francisci Sal.[11]) S. Alphonsi de Ligor.[12]) quae testimonia in eorum libris cuilibet patula sunt. Addo, quod de **Ferdinando II.** Caesare et Hungariae Rege adnotavit eius Poenitentiarius P. Guilelmus Lamormaini in libello, de virtutibus praelaudati Caesaris et Regis conscripto, ac annuente Ferdinando III. a. 1638. latine, germanice, italice et boemice typis vulgato. In Caes. regio Decreto die 8. Martii eiusdem anni 1638. Posonii eatenus edito, dicitur, libellum prius revisum, censum, et approbatum fuisse. Huius libelli pag. 63. et seq. haec leguntur: „Ferdinandus Apostolicam Romanam Sedem, Catholicaeque Ecclesiae in terris Caput, Romanum Pontificem non modo in honore summo semper habuit, sed etiam humillima demissione veneratus est. Vicariam illi authoritatem a Christo tributam,

---

[1]) Adv. Haer. libr. 3. c. 3. — [2]) de praescript. c. 36. — [3]) epist. 11. 45. 55. item 1. de Unit. Eccl. — [4]) epist. ad Damas. — [5]) ep. ad Concil. Cath. serm. 131. — [6]) serm. 2. et 3. de assumpt. sua. — [7]) epist. 190 174. 198. — [8]) 2. 2. quaest. 1. art. 10. — [9]) Apol. paup. Sent. libr. 4. — [10]) de Papae et Conc. auctor. Vide Controv. infallib. Ludov. a Castropolano. — [11]) des Regles de la Foi. — [12]) Theol. Mor. dissert. de Roman. Pontif.

Ecclesiasticasque eius sanctiones, arbitrabatur veritatis cortinam esse ac coeli oracula.“ Concludam verbis Ioannis de Hunyad ad Pontificem Nicolaum V. scriptis: „Usum, ac iura modestiae christianae, quo pacto propagare oporteat, ab Sancta Apostolica Sede cum institui, tum vero decerni dignum atque accomodum putavimus. Nempe, quae *sola in terris provecta est* moderatrix et moris et iuris humani, ut eam recte atque ordine parem rebus nostris profiteremur *iudicem, bene memorem fandi atque nefandi.*“ *) Datum Strigonii, die 8-a Septembris, festo Nativitatis B. M. V. 1871.

APPENDIX ad circulares dioecesanas Nr. 4200. Mens et sententia illustrissimi et reverendissimi domini **Cornelii Iansenii** quondam S. Th. Lovanii Doctoris et Professoris atque Episcopi Iprensis. De quaestione: An iudicium Romani Pontificis, cum universae Ecclesiae aliquid sub anathemate tenendum esse definit, sit infallibile, nec ne? Lovanii, Apud Aegidium Denique cum approbatione. Quaestio Theologica de Regulis Fidei, quam pro prima ad gradum Doctoralem responsione defendit Lovanii Anno 1617. die 9. Octobris Cornelius Iansenius Leerdamensis. De Regulis fidei quaestio Theologica. Quae sint Regulae Fidei? Propositiones: *Et non potest solvi Scriptura.* Ioan. 10. *Tenete traditiones quas accepistis,* etc. 2. Thess, 2. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Matt. 16. *Visum est Spiritui Sancto et nobis.* Act. 15. *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.* 1. ad Timot. 3. Conclusio prima. Regula nostrae Fidei est verbum Dei, quod tamen externas regulas non excludit. Hoc verbum partim scriptum est, partim traditum; aequali utrumque veneratione prosequendum. Scriptum, aliud Veteris, aliud Novi Testamenti, paris auctoritatis, imparis excellentiae. Vario idiomate originaliter

*) Epist. Ioan. de Zredna Schwartner scriptor. rer. hungar. folio II. pag. 92.

conditum est, Hebraeo, Chaldaeo, Syro, Graeco, Latino. Hebraica editio integra est nonnullis Typographorum erroribus oblita. Chaldaicae pondus detrahunt inserta anicularum deliria, Syriacae novitas, Graecae errores, qui in septuaginta Interpretes irrepserunt. Inter Latinas praestat Vulgata, seculorum usu, et Synodi Tridentinae auctoritate recepta: quae quos libros Canonicos agnoscit, agnosco; etiam Esther, Iudith, Tobiam, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, totum Danielem, Machabaeos, Epistolam ad Hebraeos, Apocalypsim. Traditio est illud, quod dixi, verbum non scriptum. Hoc necessarium est, ne et scriptum evanescat. Aequali sunt ergo pondere, honore, robore, non necessitate vel tempore, cum traditum longe praecesserit: et hoc facilius sine illo, quam illud sine hoc possit consistere, et ab iniuriis se tueri. Secunda. Externae regulae sunt, Romanus Pontifex, Concilia, Ecclesia. Christus itaque Dominus visibilem suam praesentiam militanti Ecclesiae subtracturus, visibile ei caput, suum Vicarium Pontificem, Apostolorum verticem B. Petrum constituit, cui omnes omnium Nationum fideles, Plebei, Principes, Laici, Ecclesiastici, ipsique Apostoli subiicerentur. Huius verus ac legitimus Successor Romanus est Pontifex. Potestatem eius in temporalia directam nullam agnoscimus, indirectam fatemur. Utraque tamen in personam Pontificis potest concurrere. **Supremus est omnium de religione controversiarum Judex: cujus judicium rectum, verum et infallibile est, cum universae Ecclesiae aliquid sub anathemate tenendum esse definit.** An ut privata persona labi possit in haeresim, nec ne, esto problema. Tertia. Concilium est Episcoporum ad emolumentum Ecclesiae legitima congregatio. Unde est id in Ecclesia, quod in regnis comitia. Aliud est Generale, aliud Nationale, aliud Provinciale. Haec duo saepe necessaria, rarius primum: quod a solo Romano Pontifice legitime indici potest, non Imperatore, non Rege, non Patriarcha. Numero non definitur, sed sufficit, ut ex praecipuis regionibus ubi viget religio, aliqui, excommunicatis exclusis, conveniant. Decisivum iudicium ordinario iure soli habent Episcopi. Provinciale ab Archi-episcopo indicitur, Nationale a Primate. Omnibus Conciliis commune est, ut eorum decreta, non tantum inquisitionis formam, sed iudicii robur obtineant,

ita ut sine piaculo discedere inde non liceat. Similiter omnibus convenit errare non posse, nec unquam errasse, postquam summi Praesulis confirmatio accessisset. Quarta. Ecclesia ab Irenaeo rectissime, ac adaequate definitur esse Coetus fidelium: sive boni sint, sive mali. Ab ea Pagani, Turcae, Iudaei, Apostatae, Haeretici, Schismatici, Excommunicati, Catechumeni alieni sunt. Unica est; extra quam nulla salus, certissimum exitium. Quare ut Pharos in Mari fluctuantibus et iactatis, non modo visibilis, et conspicua est, sed etiam expers defectus, senii, et ruinae. Lux est mundi, mons in vertice montium: caecus ergo, qui hanc non videt, improbus qui mavult in montem offendere, quam ascendere. Perfacile a sathanae synagogis discernitur; suis enim characteribus lucet, quod Una, Sancta, Catholica, Apostolica. Qui vero ex verbi praedicatione et Sacramentorum administratione eam vult noscere, inexplicabili labyrintho se involvit, et vere invisibilem, et investigabilem quaerit Ecclesiam.

Pro prima sua ad Magisterium in S. Theologia responsione defendet **Cornelius Iansenius** Leerdamensis. Lovanii 9. Octobris 1617. Extractum ex libro prooemiali damnati operis **Cornelii Iansenii,** in quo sub finem capitis 29. habentur sequentia: „Mihi enim constitutum est, eandem quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum ad extremum spiritum usque ducem sequi, Romanam Ecclesiam et Beatissimi Petri in Romana Sede successorem. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit; apud quem solum incorrupta Patrum servatur haereditas. Quidquid ab ista Petri Cathedra, in cuius communione a teneris vixi, et porro vivere et mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri vicario, ab isto Ecclesiae Christianae universae Capite, Moderatore, Pontifice, praescriptum fuerit, hoc teneo, quicquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.“ — Extractum ex epilogo damnati operis **Cornelii Jansenii,** cui titulus Augustinus, in quo Iansenius sic loquitur: „Quicquid de rebus tam multiplicibus et arduis, non iuxta meam, sed iuxta Sancti Doctoris (Augustini) mentem pronunciavi, ex Apostolicae Sedis Ecclesiaeque Ro-

manae Matris meae iudicio, sententiaque suspendo, ut illud iam nunc teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnem et anathematizem, si damnandum et anathematizandum esse iudicaverit. Nam quemadmodum istius Ecclesiae ac Sedis mysteriis infantulus initiatus, et eius fide cum lacte matris imbutus fui, et crevi, et adolevi, et senui, nec ab ea ad latum unguem, quod sciam, animo, aut facto, aut sermone deflexi; ita porro ad extremum usque spiritum vivere, ac Deo adiuvante mori, Divinoque iudicio sisti, mihi constitutum est; ut iuxta sacratissimam eius Regulam, quae a temporibus Apostolorum per successionem continuam Romanorum Pontificum per universum orbem praedicata et credita est, referam a Dei misericordia aut iustitia bonum aut malum." — Extractum ex commentariis **Cornelii Iansenii** in Caput 22. Evangelii secundum Lucam, in quibus ad vers. 32. habet ut sequitur: „*Ego autem rogavi pro te*, peculiariter tamquam pro capite caeterorum, per quem reliquos ad salutem adducere decrevi: *ut non deficiat,* id est, non penitus eradicetur, et extinguatur *fides tua.* Nam quamvis cribrandus, et concutiendus esset usque ad negationem Christi, quam ore fecit, fidem tamen internam, qua ad iustitiam corde creditur, non amisit: sicut arbor folia vi tempestatis abiicit, non tamen vitam in radice permanentem, ut sentit Ambros. in vers. 12. Psal. 43. et explicat Theophyl. Et hoc quidem personale fuit Petri privilegium, de quo August. lib. De corrept. et Gratia cap. 8. Quando, inquit, rogavit, ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Sed quia confirmare fratres, quod sequitur, ad officium Pastoris pertinet, et proinde perpetuum esse debet: hinc iuxta sensum antiquorum impetravit ei et aliud privilegium, ad Successores propagandum, ut videlicet tamquam caput Ecclesiae numquam, nec ipse, nec Successores eius in docenda vera fide deficerent, iuxta illud Leonis Serm. 3. De assumptione sua ad Pontificatum: „In Petro, omnium fortitudo munitur," et illud Bernardi Epist. 190. ad Innoc. „Dignum arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum." Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando, *Ego rogavi pro te*, etc. *et*

tu aliquando conversus, a peccato negationis tuae, inquit Theophyl. Quamquam alius percommodus possit esse sensus, ut illud, *aliquando*, iungatur cum: *Confirma fratres tuos*, et illud, *conversus*, non significet conversionem ad poenitentiam, sed ad eos, quos confirmaturus erat, hoc sensu: Et tu aliquando, cum opus fuerit, et aliquos in fide nutantes videris, ad eos conversus, confirma illos: quomodo dicitur Psal. 84. v. 7. Deus tu conversus, scilicet ad nos, vivificabis nos." — Extractum ex Testamento Perillustris ac Reverendissimi Domini **Cornelii Iansenii** Episcopi Iprensis ab ipso dictato vix media hora ante mortem, prout praefigitur operi eius damnato: „Ego *Cornelius* Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Iprensis de mea libera voluntate do et dono omnia mea scripta ad explicationem Sancti Augustini spectantia Capellano meo Reginaldo Lameo, partim quia magno labore ea scripsit vel dictavit, partim quia sine originali, copia corrigi non potest. Hac tamen mente hanc donationem facio, ut cum Doctissimis Viris Magnifico Domino Liberto Fromondo, et Reverendo Domino Henrico Caleno Canonico Mechliniensi conferat, et disponat de editione quam fidelissime. Sentio enim aliquid difficulter mutari posse. Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiae, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis, obediens sum. Ita mea postrema voluntas est. Actum sexta Maii 1638."

Infrascriptum erat: Cornelius Episcopus Iprensis, et impressum Sigillum eiusdem. Ita Testor. Et erat signatum. Henricus Calenus. — Ad lectorem. Quivis cordatus Lector facili negotio ex praemissa Thesi Iansenii et sequentibus extractis colliget haec tria. 1. Quod Iansenius steterit usque ad mortem pro *infallibilitate* Decisionum Summi Pontificis, dum in materia fidei aut morum Ecclesiam universam obligat ad credendum quod definit. 2. Quod si, vivente Iansenio, Pontifices librum ipsius et extractas ex eius libro Propositiones condemnassent: ipse primus isti condemnationi fuisset subscripturus. 3. Quod si hodie viveret Iansenius, abominaretur fanda infanda molimina quibus suae doctrinae sequaces, Quesnellus aliique, ausi sunt et audent hodiedum illam, contra tot Apostolicas

Constitutiones, cum ingenti scandalo sustinere. Humili proinde Iansenio, superbisque eius Discipulis recte applicaveris effatum Vincentii Lirinensis Commonit. cap. XI. *O rerum mira conversio! Authores eiusdem opinionis Catholici, Consectatores vero Haeretici iudicantur: Absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli: Conscriptores librorum filii regni erunt, assertores vero gehenna suscipiet. — Approbatio.* Quaestio haec Theologica cum annexis opportune et utiliter imprimetur. Lovanii 12. Feb. 1718. Hermannus Damen S. T. Doct. Regens. Librorum Censor.

2015.

Extractus e Protocollo **Consultationis Colocensis,** sub praesidio AEppi (Lud. Haynald) cum Clero Dioecesano habitae 25 et 26 Oct. 1871. de decretis dogmaticis Conc. Vaticani.

I. *Ex Sermone AEppi ad congregatum Clerum.* — Concilium Oecumenicum in sacris Vaticanis S. Petri aedibus 1869 exeunte, anno item 1870 asservatum fuit; cuius decreta oppositionem intra muros Concilii legitimam, extra illos autem utplurimum illegitimam, praesertim a quo universus catholici orbis Eppatus vix aliqua cum exceptione consensum suum iis addidit, experta sunt. Oppositio haec in nonnullis praesertim Germaniae oris unitati Ecclesiae et saluti fidelium perniciosa fieri pergit, Civilibus quibusdam Guberniis praetextum indebito modo rebus Ecclesiae se ingerendi praebuit praebetque.

II. *Ex decisis Consultationis. Primam considerationis materiam decreta Oec. Vat. Concilii, signanter vero dogmatice enunciata Romani Pontificis, dum ex Cathedra loquitur, infallibilitas, dogmaticorumque eius decretorum irre-*

formabilis ex sese et non ex consensu Epporum character effecerunt. In qua materia illustranda *AEppus* suam et reliquorum Hungariae Epporum durante Concilio, post illud item agendi rationem, dogmatica rei expositione addita, explicuit, simul vero *enunciavit*: *decretis illis, queis universus iam Ecclesiae Catholicae Eppatus assensum suum addidit, quem proin universa docens Ecclesia profitetur et ad credendum proponit, reluctari absque dicrimine fidei ac salutis integrum haud esse;* quemvis catholicum divino magisterio in Ecclesia stabilito quoad res fidei et morum subiectum eadem interno fidei obsequio amplecti debere, quaecunque demum personalis eiusdem scientificaque circa eorum materiam convictio fuerit. Quare *AEppus ipse quoque suam dictis decretis adhaesionem S. Sedi Romanae declaravit, doctrinam iisdem expressam docet ac docebit, doceri per cunctos vult et procurabit; una tamen enuncians: solemnem eorum cuivis notorum publicationem necessariam haud esse.* His ita prolatis *Ioannes Nehiba* Eppus Tinniniensis, Praepositus Maior, AEppique in Spiritualibus *Vicarius et Causarum Auditor Generalis nomine praesentis et per praesentem repraesentati universi ADioecesani Cleri, cunctis congregatis ultro assentientibus, solemniter declaravit: omnes se plene adstipulari AEppo, Sacrique Concilii Vaticani decreta pie revereri, iis contentam doctrinam credere, profiteri, docturosque esse.*

2016.

Primatis Hungariae Circulares de traditione catholica pro infallibili magisterio R. P. 1871.

Ad calcem encyclicarum mearum ddto 8. Septembris h. a. Nr. 4200. dimissarum, quarum ope ob oculos stiti ac recensui traditionis de infallibili Romani Pontificis Magisterio apud nos monumenta, observavi nostra insuper esse omnia, quae de hac doctrina exstant, SS. Patrum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum testimonia, haecque in eorum libris cuilibet patere. Quia vero SS. Patrum opera non omnibus praesto sunt, et plures e V. Clero huius Archi-Dioecesis testimonia illa propius nosse cupiunt, operae pretium me facturum existimavi, si illa nimirum SS. Patrum et aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum testimonia proposuero.

Initium itaque facio cum Testimonio **S. Irenaei,** Episcopi Lugdunensis et Martyris. Vixit ab a. 140—202. S. Irenaei Episcopi Lugdunensis et Martyris testimonium non tantum propter tenorem, sed etiam propter testantis personam maximi est momenti. Recte enim Irenaeum S. Hieronymus [1]) virum apostolicum, S. Basilius [2]) vicinum Apostolorum temporibus appellant. Ipse namque S. Irenaeus loquens de Polycarpo, haec profert [3]): „Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum Nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quae

[1]) In cap. 64. Esai. — [2]) l. de Spir. S. c. 29. — [3]) l. contra Haeres. III cap. 3. n. 4.

est Smyrnis, Ecclesia constitutus Episcopus, *quem et nos vidimus in prima nostra aetate* — — haec docuit semper, quae ab Apostolis didicerat, quae et Ecclesiae tradidit, et sola sunt vera.“ Igitur S. Irenaeus, qui Polycarpum Apostolorum immediatum discipulum novit, qui proinde limpidissimo e fonte hausit, loquitur sic [1]): „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos. — — — Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis Traditionem et annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum, pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel sibi placent, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per coecitatem, et malam sententiam praeterquam colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem* (iuxta alios potentiorem) *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his*, qui sunt undique, *conservata est ea, quae est ab Apostolis Traditio.*“ Principalitas, quam S. Irenaeus asserit Ecclesiae Romanae, idem significat ac primatus, quod liquet ex Tertulliano [2]): „Ad hoc, inquit, dispicere superest, principalitas ubi est, idest, qui cui praeest.“ Etiam in libello precum Marcellini et Faustini ad Valentinianum et Theodosium dicitur: „Vestrae principalitatis imperium,“ porro principalitatem sive primatum Romanae Ecclesiae seu Sedis, quam S. Cyprianus aeque *principalem* vocat [3]), non honoris tantum sed potestatis et iurisdictionis innuit S. Irenaeus, cum illam *potiorem* aut *potentiorem* esse asserat. In hoc S. Irenaei eloquio suprema Romanae Ecclesiae, Romanaeque sedis praerogativa clarissime comprobatur: primo, quod illa sit maxima, non utique numero fidelium, de quo

[1]) libr. eod. cap. eod. — [2]) de anima. cap. 13. — [3]) ep. 55.

tunc temporis cum illa aliae etiam Ecclesiae contendere poterant, sed auctoritatis amplitudine; antiquissima, non tempore erectionis; Hierosolymitaua enim et Antiochena v. g. citius erectae fuerunt, sed quia praecipua et princeps. Secundo, quod sit ab Apostolis Petro et Paulo fundata, quo, ut Massuetus recte observat [1]), ruit absurdum illud recentiorum quorumdam haereticorum commentum, qui tota reclamante antiquitate, negare ausi sunt Petrum Romam usque venisse. Tertio, quod sit illa stabilis fidei regula, per quam confundimus eos, qui ab ea regula deflectunt, sive ex ignorantiae caligine, sive ex vanae gloriae ambitione, sive ex prava sui complacentia. Quarto, quod necessarium omnino sit, omnes Ecclesias ad hanc Romanam Ecclesiam convenire propter potiorem, sive potentiorem eius principalitatem; denique quinto: quod in hac Romana Ecclesia puritas nostrae fidei, ab Apostolis traditae, semper fuerit conservata. In quem S. Patris locum adnotat Fenelonius Archi-Episcopus Cameracensis [2]): „Certe non dicit Irenaeus ad hanc Ecclesiam conveniendum esse, ut omnes fideles, i. e. omnes Ecclesiae catholicae ad eam nunquam non conveniant. — — Necesse (autem) est ad hanc convenire Ecclesiam, quia in eius sinu, tanquam in centro semper conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio. Haec autem conveniendi ratio nunquam cessare poterit, quandoquidem nunquam non convenire unitatis servandae causa necesse est. — — Ea vocula *semper* ratio praecisa est credendi sine intermissione quidquid in ea traditione conservatum reperitur. Traditio semper conservata in hoc centro in causa est, ut huic centro singulis temporum momentis tutissime credatur.“ Locus iste Irenaei, ut loquitur iam citatus Massuetus, male habet eos omnes, *qui per coecitatem et malam sententiam, praeterquam collegerunt*, id est, qui Catholicae fidei simul et obedientiae, quam exhibere Romanae tenebantur Ecclesiae, iugum excusserunt. Quare nullum non lapidem movent, ut importunissimi loci pondus declinent. Contendunt itaque cum Chamerio et Grabio [3]) „per conventum omnis Ecclesiae, id est eorum, qui sunt undique fidelium, ad

---

[1]) Dissert. in Irenaei libros part. II. edit. Ven. — [2]) de Summi Pontif. Auctor. C. X. — [3]) V. Massuet. l. cit.

Ecclesiam Romanam, propter potentiorem principalitatem, intelligendum esse confluxum eorum, qui ab omni Ecclesia Romam mittebantur, ut causam Christianorum agerent apud Imperatores, quorum potentior erat principalitas, id est suprema potestas.“ Sed eam explicationem ad Irenaei verba, nisi prorsus delirasse videatur, quadrare ulla ratione posse invictissimis argumentis probat idem Massuetus: Si enim de confluxu eorum, qui ab omni Ecclesia Romam mittebantur, ut causam Christianorum agerent apud Imperatores, intelligendus sit; sensus erit, necesse est omnem Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, Romam venire, ut causam agerent Christianorum apud Imperatores. Atqui tantum abest, id necesse fuerit, ut ante Irenaei aetatem factum aliquando fuisse ne uno quidem exemplo probare possit Grabius. Et, quae necessitas Christianis adeundi Imperatores ethnicos, a quibus nihil, nisi ius omne fasque violatum sperare poterant? Scribit Irenaeus necesse esse, fideles convenire ad Romanam, non urbem, sed Ecclesiam. Ut quid igitur verbis eius vim apertam inferendo, per Ecclesiam intelligi Grabius vult urbem? Quasi vero Romana urbs et Romana Ecclesia, idem prorsus sic sonent, ut quisquis urbem adibat, illico ad Ecclesiam convenire dicendus esset? Romanae urbis, aulae Imperatorum, ne verbo quidem hactenus meminit Irenaeus, sed solius Romanae Ecclesiae; et tamen verba haec: „ob potentiorem principalitatem,“ si Grabio fides, non ad Ecclesiam, de qua ex professo sermonem instituit, sed ad Urbem, Aulam, Imperatores, quorum nulla facta est mentio, referenda sunt? Ecquis stomachus absurda haec concoquere valeat? Denique (et hic cardo rei est) negare nec potest, nec audet Grabius, quin Irenaei toto hoc capite scopus sit probare, unam et eandem in omni Ecclesia traditionem apostolicam et fidem esse, qua confundantur haeretici, eam vero puram et illibatam per continuam Episcoporum successionem ad suam usque aetatem mansisse. Quia vero longius et molestius fuisset omnium et singularum successiones Episcopales enumerare, sufficere, si unius Romanae Ecclesiae successio attendatur ac recenseatur, quia ob potiorem huius Ecclesiae principalitatem omnes reliquas cum illa in fide convenire oportet, in qua semper conservata est ea, quae est ab Aposto-

lis traditio. Quamobrem recensita Episcoporum Romanorum successione, concludit S. Irenaeus: „Hac ordinatione et successione ea, quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio, et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate.“ Idem S. Irenaeus [1]) aliud insigne testimonium profert supremae auctoritatis Romani Pontificis, scribens de S. Clemente Papa, „qui et vidit ipsos Apostolos, *et* contulit cum eis et quum adhuc insonantem praedicationem Apostolorum et Traditionem ante oculos haberet, non solus“; adhuc enim multi supererant tunc ab apostolis docti; „sub hoc igitur Clemente, continuat Irenaeus, dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quae est Romae Ecclesia *potentissimas litteras* Corinthiis, ad pacem eos *congregans et reparans fidem* eorum.“ Ergo vivente adhuc S. Apostolo Ioanne Romana Ecclesia sive Clemens Romanus reparavit fidem Corinthiorum per potentissimas suas litteras.

Testimonium **Tertulliani**. Tertullianus, de quo S. Hieronymus quaerit [2]): „quid Tertulliano eruditius, quid acutius?“ Alibi [3]) vero dicit: „Vidi ego quemdam Paulum Concordiae, quod oppidum Italiae est, senem, qui se Beati Cypriani iam grandis aetatis Notarium, quum ipse admodum esset adolescens, Romae vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem praeterisse; ac sibi crebro dicere: Da magistrum, Tertullianum videlicet significans.“ Tertullianus inquam scribit [4]): „Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt.“ Romanae Ecclesiae inde repetendam felicitatem praedicat, quod illa Sedes Apostolicam doctrinam una cum apostolico sanguine fusam in suo sinu retineat. „Videamus, continuat, quid (Ecclesia Romana) didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit,“ quorum verborum significatio et vis patet ex iis, quae referuntur Actione 4. generalis 8-vi

[1]) Libr. cit. c. 3. — [2]) Epist. ad Magnum. — [3]) in Catal. Scriptor. Ecclesiasticor. — [4]) De praescript. c. 20.

ubi refertur: „Solet Romana Ecclesia ab omnibus advenis professionem fidei exigere, ac tum demum ad S. Petri aedem, admittere“ [1]). Antequam itaque ad communionem admitterentur advenae, etiam episcopi, de quibus in praecitata Actione Concilii sermo est, quaerebatur ab eis, num eorum tessera seu professio fidei cum Romana fide conveniret, atque unius eiusdemque fidei professione emissa in communionem recepti in sacra Apostoli limina admittebantur. Sed quo pacto professionem fidei exigere poterant ab omnibus advenis Romani, si de inerrantia suae Ecclesiae et suae Sedis in fide plenissime persvasi non fuerant. Idem Tertullianus [2]) clare indicat suo iam tempore Romanos Pontifices fidei decreta, eaque peremptoria pro universa Ecclesia publicavisse, cum sic Catholicis illudat iam Montanista: „Audio esse edictum propositum, et quidem peremptorium: Pontifex Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.“ Romanus itaque Eppus ceu Eppus Epporum colebatur Tertulliani tempore a Christianis ea submissione, ut is peremptoria decreta ferret, hi susciperent. In hunc Tertulliani locum observat eruditissimus Aurelianensis Episcopus Albaspinaeus: „Quacunque igitur ratione aut mente de Romano Pontifice hoc dixerit Tertullianus, serio vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum potestatem fuisse de rebus fidei iudicia peremptoria ferre, et totius orbis Episcopos monere et docere, quis non agnoscit?“ [3])

Testimonium **S. Cypriani** Episcopi Carthaginensís ab a. 248—258, quo Martyrio coronatus est. Fabianum et Cornelium, Romanos pontifices, S. Petri successores nominat [4]): „Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei et Christi eius iudicio, — — cum Fabiani locus, idest, cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret.“ Ibidem porro ait, „Cornelium sedisse intrepidum Romae in sacerdotali cathedra, cum tyrannus infestus Sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur: cum multo patientius et tolerabilius audiret, levari adversus se aemulum principem, quam constitui Romae aemu-

---

[1]) Mansi Collect. Concil. t. XVI. — [2]) L. de pudicit. — [3]) S. Opt. M. opera. Parisiis 1631. — [4]) ep. 52.

lum Sacerdotem." Profecto minus recte compellaret Cyprianus Papam Cornelium Imperatoris Romani aemulum Sacerdotem, nisi uti Imperatores summo simul apud ethnicos sacerdotio insignes erant, ita et Cornelius summum pariter sacerdotium inter Christianos obtinuisset. Idem S. Cyprianus postquam [1]) diaboli fraudes enumeravisset, quibus is rapere homines de Ecclesia consvevit, ita mox prosequitur: „Hoc eo fit, fratres dilectissimi! dum ad *veritatis originem non reditur, nec Caput quaeritur,* nec Magistri coelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis." His praemissis indicat S. Pater, quale Caput quaerendum et attendendum sit, dicens: „Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. . . . Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. *Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas.*" Magnum revera est et facile, quod Cyprianus proponit ad veritatem tuto indagandam compendium, si nimirum attendas, quid S. Petrus et Successores eius in S. Petri Cathedra doceant. Iccirco in eodem libro de Unitate quaerit: „Qui Ecclesiae renititur et resistit, *qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?*" Ergo e mente S. Cypriani Cathedram Petri deserere non licet, nisi quis ab ipsa velit avelli Ecclesia, quae Cathedrae Petri adhaerendi obligatio omni fundamento careret, si illa in rebus fidei erroris periculo subiaceret. Hunc Cypriani locum laudavit Clerus Gallicanus Parisiis a. 1682. coactus in litteris ad Archi-Episcopos et Episcopos etc. scribens: „Fidenter cum B. Cypriano pronunciamus, eum, qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia non esse" [2]). De Felicissimo et Fortunato schismaticis, ad Papam Cornelium appellaturis scribit [3]): „Navigare audent, et ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principa-

[1]) libr. de unit. Eccl. — [2]) Vide Petr. Baller. de vi ac ratione primat. Cap. XIII. §. 3. — [3]) epist. 55.

lem, unde unitas Sacerdotis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, *ad quos perfidia habere non possit accessum.*" Si perfidia, idest error in fide ne accessum quidem invenire possit ad Romanos, nimirum ad Petri Cathedram et Ecclesiam principalem, haec profecto Cathedra et Ecclesia erroris in fide expers sit, est necesse. In hac, prout et in alia ad Cornelium Epistola [1]) Cyprianus Romanam Ecclesiam vocat Ecclesiae Catholicae radicem et matricem; in priori scribens: „Miseramus nuper — conlegas nostros — — ut ad Catholicae Ecclesiae unitatem scissi corporis membra componerent — — — sed diversae partis obstinata et inflexibilis pertinacia non tantum *radicis et matricis* sinum atque amplexum recusavit, sed etiam adulterum — caput (Novatianum intelligit antipapam) extra ecclesiam fecit." Et in alia epistola: „Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut *Ecclesiae Catholicae radicem et matricem* agnoscerent ac tenerent." Ecclesia Romana radix et matrix est ceterarum omnium Ecclesiarum eatenus, quatenus hae ab illa trahunt et recipiunt succum et nutritionem verae fidei, sine qua hae non essent membra verae Ecclesiae, et si radix vitiaretur errore, planta quoque ipsa emarcesceret, illa inquam radix, quam S. Cyprianus et agnoscendam et tenendam docet. Sed nonne S. Cyprianus citato de unitate libro dicit: „Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur." S. Pater eo sensu vocat episcopatum unum, quo sensu ibidem et Ecclesiam universam dicit unam esse, praeprimis quidem unitate Capitis visibilis, sic enim allata verba prosequitur: „Ecclesia una est — — quomodo solis multi radii, et lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi difluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. — — Sic et Ecclesia — — per orbem totum radios suos porrigit . . . . *unum* tamen *Caput* et *origo una.*" Quod vero Caput, quamve originem intelligat,

[1]) 45.

eodem libro explicat dicens: „Ut unitatem manifestaret, unitatis eius originem ab uno (Petro) incipientem, sua auctoritate disposuit.“ Manifestius id ipsum declarat [1]) inquiens: „Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et *cathedra una*, *super Petrum Domini voce fundata* — — quisquis alibi collegerit, spargit.“ Eatenus itaque est iuxta mentem S. Cypriani Episcopatus unus, Cathedra episcopalis una, quatenus Episcopi omnes, Cathedrae ac Ecclesiae omnes, quarum illi Episcopatum in solidum tenent, super Petrum Domini voce fundatae sunt, quatenus porro illi singuli inter se, subque uno capite et unitatis fonte uniuntur, in quo eminentior etiam dignitas, praeter communem singulis Episcopis potestatem residet, qua ipsis quoque Apostolis aut Episcopis ad unitatem custodiendam et conservandam praeest. „Inter beatissimos Apostolos, ait S. Leo M. [2]), in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praemineret.“ Ex adductis S. Cypriani sententiis patet, et Episcopatum unum esse, et primatum unicum, imo ideo esse unum Episcopatum diversarum licet Ecclesiae partium, quia et Episcopatus et Ecclesiae unus est Primatus, unumque Caput. Quaestionem de Baptismo haereticorum S. Cyprianus non ut quid ad fidem, sed tantum ad disciplinam spectans respexisse videtur. Notum autem cuilibet est, quod ea, quae disciplinam spectant, diversa in diversis Ecclesiis esse potuerint, et possint. Praxis baptisatum ab haereticis rebaptisandi, iam prius, quam S. Cyprianus ad Episcopatum evectus fuisset, in Ecclesia Carthaginensi viguit, eamque rectam et contraria S. Scripturae magis conformem arbitrabatur, inde factum, ut censeret se auctoritati S. Stephani Papae cedere non teneri. Constat illum errasse, et S. Augustinum, qui omnem conatum adhibuit, ut ipsius errorem minueret, non tamen illum omnino a culpa excusare. Doctissimus Thomassinus ad calcem dissertationis suae in Synodos de Baptismo haereticorum observat [3]): „Inaniter ergo ganniunt, exemplo Firmiliani, Dionysii, Cypriani, non necessario standum esse de-

[1]) Epist. 40. — [2]) epist. ad Anast. Thessal. — [3]) Dissert. 2. in Concilia. Lucae, 1728.

finitionibus Sedis Apostolicae. Contra enim, ut ex superioribus constat, errasse demonstrati sunt, qui illis non cessere, et hunc errorem eluendum vel cruento, vel incruento quopiam martyrio habuisse... Qui Stephano (Papae) non obaudiere, nec traditioni Apostolicae et consuetudini morem gesserunt: ex eorum ergo sententia non licet quidquam in ius trahere." Aeque memoratu dignum est, quod laudatus auctor iis respondet, qui quod Asiatici in causa celebrandi Paschatis Victori Papae haud morem gesserint, hac illorum inobedientia ad enervandam Summi Pontificis auctoritatem abutuntur: „Si, inquit [1]), renitentium pervicacia principantem auctoritatem enervare potis esset, quae usquam residua foret umbra legitimi imperii? Nicaenae etiam et Constantinopolitanae Synodo illusere Quartodecimani: an ideo cassa, et effoeta oecumenicarum Synodorum maiestas blaterabitur?" Denique iis, qui S. Cypriani verbis saepe detortis et male intellectis abutuntur, generatim dicendum est cum S. Augustino [2]): „Vos certe nobis obiicere soletis Cypriani litteras, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium. Cur auctoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, et eius exemplum pro Ecclesiae pace respuitis?"

Testimonium **S. Hieronymi**. † 420. S. Hieronymus, qui ab Ecclesia Doctoris maximi nomen in sacris litteris est assecutus, a. 377. e Chalcidis eremo, ad quam ante circiter quinquennium concesserat, ad S. Damasum Papam celeberrimam exaravit epistolam [3]), qua quaerit, an tres in Deo hypostases dicendae sint, et quocum communicandum sibi sit Antiochiae, ubi tunc quaestio illa maxima animorum contentione agitabatur, et Ecclesiam illam in partes scindebat, aliis trium hypostasum nomen catholico, aliis haeretico sensu accipientibus. S. Hieronymus de communione et unitate fidei sollicitus ita ad Papam scribit: „Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, desuper textam, minutatim per frusta discerpit, — — ideo mihi Cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam. — — Apud vos solos incorrupta patrum servatur haereditas. . .

---

[1]) Dissert. 1. l. c. — [2]) contra Donat. l. 2. n. 4. — [3]) ep. 15. edit. Vallars. Veronae, 1734.

Vos estis lux mundi, vos sal terrae, vos aurea vasa et argentea. . . Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio . . Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam — — ut mihi epistolis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.“ Et in sequenti ad eundem Papam in eodem obiecto epistola scribit: „In tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat, — ego interim clamito, si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi haerere se dicunt, possem credere, si hoc unus assereret. Nunc autem aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam, — ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes.“ Fatetur S. Hieronymus, se id unum scire, quod Ecclesia per fidem Romanae Cathedrae fundata sit, adeoque ad dignoscendum, quid in controversiis fidei sit sentiendum, consulere statuit Romanam Cathedram, sive Romanum Pontificem, cui omnino est adhaerendum ita, ut extra Ecclesiam sit, qui a fide Romanae Ecclesiae, sive Romani Pontificis recedit. Adiit itaque Damasum Papam, atque ab eo petiit, ut controversia per irrefragabilem suam auctoritatem resoluta, quid esset tenendum, declararet. Non novi Vitalem, Meletium respuo, Paulinum ignoro, scribit S. Doctor; nulli enim, quicumque ille sit, a Deo concessum est, ne in fide deficiat, praeterquam Petro, eiusque Cathedrae haeredi, quem proinde cum de dogmate res est, veluti unum fidei magistrum agnoscit. Paulinum quoque Antiochenum Patriarcham, a quo ordinatus est Presbyter, ignorat S. Hieronymus, qui nempe falli poterat, prae Damaso, Romano Pontifice, quem in definiendis fidei controversiis errare non posse scivit S. Doctor, qui iccirco mox addit: „quicumque tecum (cum Damaso) non colligit, spargit.“ Falsum itaque est, quod quidam supponunt, iccirco solum se in re tantae indaginis ad Damasum Ecclesiae Romanae Pontificem convertisse S. Hieronymum, quia ipse in

Ecclesia Romana baptismum susceperat, vel quia autoritatem illius Ecclesiae totus Occidens agnovit; nulli enim, quam S. Hieronymo magis constitit de summa Romani Pontificis non in Occidente tantum, sed in Oriente etiam auctoritate in fidei quoque negotiis definiendis; ipse enim, qui Romano Pontifici S. Damaso ab epistolis fuit, scribit: [1]) „Ante annos plurimos, quum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum, Romanae urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem.“ Quam in rem observat doctissimus Anton. M. Merenda: [2]) „In quo tum optimum eiusdem Damasi iudicium laudes, tum supremae Romanorum Pontificum in Ecclesia potestatis argumentum inde capias certissimum. Nam totum, qua patet, orbem si mente complectaris, quaenam alia tibi occurret Ecclesia, cuius perinde, ac Romanae tanta fuerit dignitas et auctoritas, ut ab ea difficilium obscurarumque tum in fide, tum in disciplina quaestionum constantia tanta, ac diuturnitate, fiducia praeterea, atque humilitate, explicatio postularetur, ac tanto sinceroque obsequio exciperetur?“ Et quis dubitet S. Hieronymum scivisse, quod S. Damasus pro suprema sua potestate Concilii Ariminensis acta ad se relata diiudicaverit ac reiecerit his verbis: „Neque enim praeiudicium aliquod fieri potuit per numerum congregatorum (600) Episcoporum, quando constat, neque Romanum Episcopum, cuius ante omnia decebat eos exspectare decretum — praebuisse consensum.“ [3]) De S. Hieronymo adhuc commemorandum, quod cum Ruffinus sub nomine Pamphyli Mart. Origenis apologiam edidisset, neque sub hoc specioso nomine errori adhaesuram esse Ecclesiam et Sedem Romanam asseruerit, inquiens [4]): „Scito Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi praestigias non recipere, etiamsi angelus aliter annunciet, quam semel praedicatum est.“ Idem S. Hieronymus scribit: [5]) „Pene praeterii, quod vel praecipuum est. Dum esses parvula, et sanctae ac beatae memoriae Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de

---

[1]) Epist. 123. ad Ageruchiam. — [2]) Prolegomena in S. Damasi Opusc. et gesta. Edit. Migne, Patrolog. I. 13. — [3]) Epist. 3. ad Episc. Illyr. — [4]) Contra Ruffin. l. 3. c. 12. — [5]) Epist. ad Demetriad.

Orientis partibus haereticorum saeva tempestas simplicitatem fidei, quae Apostoli voce laudata est, polluere et labefactare conata est. Sed vir ditissimae paupertatis et apostolicae sollicitudinis, statim noxium perculit caput, et sibillantia hydrae ora compescuit. Et quia vereor, imo rumore cognovi in quibusdam adhuc vivere et pullulare venenata blandaria, illud te pio caritatis affectu praemonendam puto, ut sancti Innocentii, qui apostolicae cathedrae successor est, teneas fidem, nec peregrinam, quantumvis prudens callidaque videaris, doctrinam recipias.“ Quibus quidem verbis clare indicat S. Doctor, quod ad vitandos errores secura fidei, professionisque norma sit, esseque debeat Romani Pontificis, velut Petri cathedrae successoris doctrina.

Testimonium **S. Augustini** E. et D. † 430. S. Augustinus, qui „in Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae viguisse principatum“ agnovit ac docuit,[1]) Donatistas ad revertendum in unius Ecclesiae gremium sic hortatur[2]): „Venite fratres, si vultis, ut inseramini in vite: dolor est, cum vos videmus praecisos ita iacere: numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: et in ordine illo patrum, quis cui successit, videte: *ipsa est Petra,* quam non vincunt superbae inferorum portae.“ Et ad Generosum, quem Donatistae ad suam pertrahere factionem volebant, scribit: [3]) „Si angelus de coelo diceret: Dimitte christianitatem orbis terrae et tene partes Donati, cuius ordo tibi exponitur in epistola Episcopi tuae Civitatis, anathema esse deberet: quia te a toto praecidere, et in partem contrudere conaretur, et alienare a promissis Dei. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter *ab ipso Petro numeramus*, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens (enumerantur Pontifices Romani usque ad Anastasium) Siricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur.“ Donatistas impugnare et ostendere volens S. Augustinus exemplo S. Irenaei et Optati ad successionem Summorum Pontificum

[1]) Ep. 162. — [2]) Psalm. contra partem Donati. — [3]) Ep. 53.

in Sede S. Petri confugit, eorumque enumerationem usque ad Papam Anastasium, qui tunc temporis Ecclesiam gubernavit, complectitur. Ad quid autem ita S. Augustinum egisse censebimus, nisi ut nobis palam faceret, quod fides S. Petri in ipsius Successoribus semper incorrupta perseveret, ac iccirco non possit quisquam esse catholicus, nisi in fide concordet cum Ecclesia Romana, seu cum Sede Petri. Profecto nisi S. Augustinus pro certo habuisset, fidem Petri in omnibus suis successoribus Romanis Pontificibus illibatam permanere, quamobrem etiam dicit, ipsa nempe Sedes Petri est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae, nullum debilius motivum adhibere potuisset, quam hoc successionis motivum. Cui quantum ponderis tribuerit S. Pater inde patet, quod ad illud etiam scribens adversus Manichaeos provocet[1]) dicens: „Tenet me in Ecclesiae gremio ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum.“ S. Augustinus, prout e historia novimus, cum Pelagianis per duo decennia decertandum habuit. A. 416 Pelagius et Coelestius damnati fuerunt tam in Carthaginensi, quam in Milevitana Synodo, cui interfuit etiam S. Augustinus. Patres utriusque Synodi acta cum litteris transmiserunt ad Innocentium I. Papam. In epistola Synodica Carthaginensium[2]) haec leguntur: „Hoc itaque gestum Sanctae Fraternitati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam Apostolicae Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, et quorumdam perversitate etiam corrigenda.“ Milevitani autem alia inter scribunt: [3]) „Quia te Dominus gratiae suae praecipuo munere in Sede Apostolica collocavit — — magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quaesumus, adhibere digneris. Arbitramur . . . Auctoritati Sanctitatis tuae — — facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros.“ S. Augustinus eodem anno 416. post memorata bina concilia, sed ante decretum Innocentii I., quo damnata est haeresis Pelagii et Coelestii, scripsit ad Hilarium Episco-

---

[1]) Cont. Epist. fund. C. 4. — [2]) Epist. 175. inter epist. S. August. — [3]) Epist. 176 ibidem.

pum[1]), edocens eum de exorta haeresi, et de illis duobus Africanis conciliis: „Nova, inquit, quaedam haeresis, inimica gratiae Christi contra Ecclesiam Christi conatur exurgere; sed nondum evidenter ab Ecclesia separata est . . Iam enim cum ista scriberem, cognoveramus in Ecclesia Carthaginensi adversus eos episcopalis Concilii conditum fuisse decretum, per epistolam Sancto et venerabili Papae Innocentio dirigendum; et nos de concilio Numidiae ad eamdem Apostolicam Sedem iam similiter scripseramus.“ Innocentius I. tam Carthaginensibus, quam Milevitanis patribus anno mox sequenti rescripsit, et haeresim Pelagianam damnavit. Quod postquam factum fuisset, S. Augustinus habito ad populum sermone[2]) edixit: „Fratres mei, compatimini mecum. Ubi tales (Pelagiana haeresi infectos) inveneritis, occultare nolite; non sit in vobis perversa misericordia. — — Redarguite contradicentes, et resistentes ad nos perducite. *Iam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: Inde etiam rescripta venerunt: causa finita est, utinam aliquando finiatur error.*“ Utriusque Synodi Patres, ac inter illos S. Augustinus, qui fuit anima Synodi Milevitanae, facto, atque suis synodicis epistolis ad Innocentium I. directis expresse fatentur, sententia in synodis lata causam haeresis Pelagianae non finiri, sed ad hoc maiorem, cuius irrefragabilis sit sententia, requiri, ideo dicunt: „Statutis nostrae mediocritatis Apostolicae Sedis adhibeatur auctoritas, cui errantes facilius cessuros arbitrantur.“ Papa Innocentius I. in suo ad Carthaginenses rescripto non dubitat pronunciare, quod definitivam in fidei quaestionibus sententiam ferre, ad Sedem Apostolicam pertineat, ut „tota pronunciatio huius Sedis auctoritate firmetur, indeque sumant caeterae, quid tenere debeant.“ [3]) Sed nisi definitiones Sedis Romanae in causis fidei infallibiles essent, vim obligatoriam habere nequirent. Hanc autem vim inesse decretis dogmaticis Romanae Sedis nemo clarius et fortius expressit, quam S. Augustinus in citato sermone ad populum. Qui enim post duo Concilia, sed ante Romani Pontificis iudicium nondum eviden-

[1]) Ep. 178. — [2]) 131. — [3]) Vide Innocenti I. resriptum apud Constant. col. 889.

ter ab Ecclesia separatam existimat Pelagianam sectam, mox atque Innocentius I. Papa sententiam suam pronunciavit, dicere non dubitavit: „Inde (a Sede Apostolica) rescripta venerunt; causa finita est, utinam aliquando finiatur error.“ Quomodo S. Augustinus post iudicium Romanum causam finitam esse dicere potuisset, si illud iudicium pro supremo, irrefragabili, infallibili non habuisset? Necdum enim controversia quaevis finita est, quando ab eo, qui sententiam tulit, ad superius Tribunal appellare licet. Quod S. Augustinus per haec verba: „Causa finita est“ generale principium, in Ecclesia vigens, pronunciare voluerit, inde liquet, quod eumdem loquendi modum saepius adhibuerit.[1]) Iudicium Sedis Apostolicae pro supremo et irrefragabili susceptum fuisse a S. Augustino inde quoque patulum fit, quod sententiam per Summos Pontifices latam omne aliud examen excludere asserat;[2]) dicit enim: „Quid adhuc quaeris examen, quod apud Apostolicam Sedem iam factum est?“ Mentem S. Augustini optime perspectam habuit eius biographus Possidius Episcopus, qui in vita S. Doctoris loquens de Pelagio et Coelestio, Summorum Pontificum Innocentii I. et Zosimi adversus hos haereticos sententiam, Ecclesiae Catholicae iudicium vocat, quod in rebus fidei et morum nullus catholicorum non velut infallibile agnoscit. „Illi, inquit, tantae Sedis Antistites (Innocentium et Zosimum intelligit) his diversis temporibus eosdem notantes, atque a membris Ecclesiae praecidentes, datis litteris ad Africanos, ad Orientis et Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos et devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis *Ecclesiae Catholicae probatum iudicium,* etiam piissimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos inter haereticos haberi debere constituit.“ Sed Pelagius etiam et Coelestius haeretici, qui tantas S. Augustino et Catholicis facessiverunt molestias, confessi sunt Papam esse supremum controversiarum fidei iudicem, nec eius Auctoritatem in dubium vocare ausi sunt, nisi cum contra ipsos lata fuit definitio, qua in re posteriores quoque haeretici horum duorum

[1]) Vid. epist. 157. libr. 1 contr. Iul. c. 2. n. 9. — [2]) Contr. Iul. l. 2.

vestigia fideliter presserunt. Pelagius in libello fidei ad Innocentium I. misso sic ait: „Haec est fides, Pater Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, — — in qua si minus perite, aut parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri fidem et Sedem tenes. Sin autem haec nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me haereticum comprobabit.“[1]) De Coelestio autem refert S. Augustinus[2]) illum, quamvis obiectos sibi a Paulino errores damnare noluerit, „tamen Beati Papae Innocentii litteris non esse ausum obsistere, imo se omnia, quae sedes illa damnaret, damnaturum, promisisse.“ Patriarchae Antiocheno Paulino errores suos damnanti restitit Coelestius, Papae Romano obsistere ausus non est, ut ait S. Augustinus.

Testimonium S. **Leonis M.**, qui Romanam Cathedram tenuit ab a. 440—461. De hoc ait Photius in epistola ad Michaelem Bulgariae Regem: „Leonis sanctissimi Papae — gloria magna, magnusque pietatis ac religionis zelus fuit, et studium.“ Menologium autem Graecorum Basilii Imperatoris iussu digestum sic de eo loquitur: „Leo admirabili virtute animi, sapientia et sanctitate praeditus — praeclarissimis monumentis virtutem suam, praecipue autem rectam fidem testatam reliquit.“ Ad Episcopos Provinciae Viennensis scribit:[1]) „Huius muneris (praedicationis nempe Evangelii) sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocarit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari dicendo: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: *ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consisteret.*“ Sermone anniversario tertio assumptionis suae ad

[1]) Vide Append. Aug. — [2]) Vl. 2. de pecc. orig. c. 23. — [3]) Epist. 10. edit. Fratrum Ballerin. Venet. 1753.

Summum Pontificatum dicit:[1]) „Commune erat omnibus periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et *pro Petri* fide proprie supplicatur; tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium formido munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.“ In sermone anniversario quarto suae assumptionis,[2]) inquit: „Subiungit autem se, ad rationem solemnitatis nostrae, non solum apostolica, sed etiam episcopalis beatissimi dignitas Petri, *qui sedi suae praeesse non desinit, et indeficiens obtinet cum aeterno Sacerdote consortium. Soliditas enim illa, quam de Petra Christo ipse Petra factus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes.*“ Sermone anniversario suae assumptionis secundo:[3]) „Firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiae superponitur altitudo, nulla incumbenti sibi templi mole lacessit. *Soliditas enim illius fidei*, quae in Apostolorum Principe est laudata, *perpetua est;* et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit . . *Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans*, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit . . . Si quid itaque a nobis recte agitur recteque discernitur . . . illius est operum atque meritorum, *cuius in sede sua vivit potestas, et excellit auctoritas* . . Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque haeretica unquam perrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. His itaque — modis rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meae ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cuius etiam dignitas in indigno haerede non deficit.“ Nisi Christus infallibile Ecclesiae magisterium in Petro Apostolorum Principe instituisset, hocque in successoribus Petri perpetuo perduraret, potuissetne Magnus Leo dicere, „soliditatem Petri ad ipsius

[1]) Cap. 3. — [2]) Cap. 4. — [3]) Cap. 2. et 3.

haeredes sese transfudisse, hanc soliditatem fidei Petri in Petri Sede perpetuam esse, et Petrum suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquisse, in Sede Romana vivere Petri potestatem et auctoritatem ; — a solida fide Petri repetendum esse, quod Sedis Romanae fides nunquam errore ac haeresi maculata fuerit.“ . . Haec attendendo nemo sane mirabitur Patres Chalcedonensis Synodi audientes dogmaticam huius S. Papae epistolam exclamavisse: „Petrus per Leonem ita locutus est.“ [1]) Eidem S. Leoni tribuitur Romanum Sacramentarium, a Fratribus Balleriniis et a Muratorio editum, in quo signanter in praefatione Missae XIV, die Natali SS. Petri et Pauli haec leguntur: „Qui secundum promissionis tuae inviolabile constitutum Apostolicae confessioni superna dispensatione largiris, ut in veritatis tuae fundamine solidata, nulla mortiferae falsitatis iura praevaleant; et quantalibet existat errantium multitudo, illi sint redemptionis tuae filii, et illis Ecclesia tota numeretur, qui ab electorum tuorum *principali* traditione non dissonant: ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quae te dispensante devota obsequitur, quidquid Sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius Ecclesiae *Principatum*.“ Haec S. Leonis stilum redolent, et tam vetustissimum Romanae Ecclesiae sensum, ac principalem, seu principalis Sedis traditionem exhibent, quam infallibilitatis pontificiae fundamentum, Christi promissioni innixum, satis indigitant.

Testimonium **S. Petri Chrysol.** E. et E. Doctoris † 450. Ad Eutychetem novae haereseos auctorem scripsit: [2]) „In omnibus, ait hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo Papa Romanae Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria sede et vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.“ Generalem exprimit S. Doctor, certamque regulam definitionibus Summorum Pontificum communem, nimirum S. Petrum ita in suis Successoribus Romanis Pontificibus vivere, ut in quaestionibus fidei praestet quaerentibus fidei veritatem. In hunc sensum locutus est in Comitiis Cleri Gallicani a. 1681. Meldensis Episcopus Bossue-

[1]) Mansi. Collect. Concil. T. 6. — [2]) Sermon. editi a Sebast. Pauli August. Vindel. 1758.

tus dicens: „non posse dici Petri Ministerium cum ipso extinctum . . . Petrus loquetur semper in sua Cathedra, ut confirmarunt Patres sexcenti in Concilio Chalcedonensi.“

Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiae Diaconus, virtute et doctrina praeclarissimus, qui saec. VI-to temporibus Iustini et Iustiniani floruit, a Severo Scholastico Constantinopolitano requisitus, ut suam „propter eos, qui Deum nostrum Iesum negant unum esse de sancta et individua Trinitate“ sententiam panderet, sic illi rescribit [1]): „Loquantur et praedicent quibus honor sacerdotii docendi auctoritatem tribuit; nos discere parati sumus; docere alios non praesumimus. Interroga igitur, vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, *principaliter apostolicae sedis antistitem, cuius sana doctrina constat iudicio veritatis, et fulcitur munimine auctoritatis.*“ Idem de Synodo Chalcedonensi dixit [2]): „Appellationi forsitan secundum consvetudinem locus pateret: sed quo iret, aut ubi maiores reperiret iudices? Ante se habens in legatis suis apostolicam sedem, *qua consentiente*, quidquid illa definivit synodus, accepit *robur invictum.*“ A consensu Sedis Apostolicae derivat robur invictum Generalis Concilii. Hoc ipsum enunciat eiusdem epistolae cap. 7. scribens: „Universalia Concilia praecipue illa, quibus Romanae Ecclesiae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post canonicos libros tenent.“ Is, cuius consensu Synodus Chalcedonensis robur invictum accepit, et cuius consensu fit, ut universalia Concilia secundae auctoritatis post Sacram Scripturam locum obtineant, in fidei morumque quaestionibus errare nequeat, necesse est.

Testimonium **Rheginonis** Prumiensis Abbatis. In Chronico [3]) ita scribit: „*Stultitiae quidem elogio denotandi,* qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quae nec se fefellit, neque ab aliqua haeresi unquam falli potuit.“ Quae confessio tam lucida est, ut nulla egeat clarificatione.

---

[1]) Epist. 5. edit. Migne pag. 914. — [2]) Epist. 6. ad Pelagium et Anatolium Diaconos urbis Romae. cap. 6. — [3]) Ad a. 865 edit. Migne pag. 84.

Testimonium **S. Petri Damiani** S. R. E. Card. Eppi Ostiensis et Ecclesiae Doctoris † a. 1073. S. Petrum Damianum orator et poeta praeclarissimus Petrarcha [1]) vocat „virum haud dignitate clariorem, quam lingua, qui quietissimam solitudinem honoribus praeferendam duxit, ubi non minus gloriose postmodum latuit, quam innotuerat primum Romae, et cui non dedecori fuit, alti verticis rutilum decus squallenti cilicio permutasse.“ Cardinalis Baronius vero haec de S. Petro Dam. annotat: [2]) „Sic Deus hoc deploratissimo saeculo, cum excrevisset ad Ecclesiam obruendam diluvium carnis, dedit mundo tantum virum, qui austerissimae vitae exemplo verbique praedicatione, et scriptis exsiccaret tantam putredinem: pariterque pugnaret adversus Simoniacam haeresim, quae ubique locorum grassabatur impune.“ S. Doctor scribit: [3]) „Petrum prae caeteris mortalibus de toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii iure concessit, ut quisquis divinum aliquid et profundum nosse desiderat, ad huius praeceptoris oraculum, doctrinamque recurrat. — — Quid mirum, si sacerdos, licet eloquiis divinis vehementer instructus, ad Apostolorum Principis magisterium misit, ad quem etiam Angelus docendi gratia primitias gentium Cornelium destinavit? Pauli etiam ad Galatas haec verba sunt: „Paulus Apostolus neque ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem.“ Hic itaque, qui non ab hominibus, sed ad ipso Christo, et Deo Patre fuerat factus Apostolus, atque ab Auctore Sapientiae sufficienter instructus, ad Petri tamen magisterium venit, et non in transcursu; sed plurimos dies apud eum in coelesti schola permansit. „Veni, inquit, Ierosolymam videre Petrum et mansi apud eum dies quindecim.“ Dignum ergo fuit, ut ad sedem illius vestra sancta prudentia solvendam dirigeret quaestionem (intelligit quaestionem de processione Spiritus S. a Patre Filioque) ad quem et ignarus fidei vir angelitus mittitur: et a quo Apostolus etiam, qui iam a Deo instructus fuerat, plenius eruditur.“ Idem a Clericis Mediola-

---

[1]) Libr. 2. tract. 3. c. 17. de vita solitaria. — [2]) Annal. Eccl. ad a. 1072. — [3]) Libr. 3. ep. 1. sive opusc. 38.

nensibus Nicolaitis ac Simoniacis, ad quos compescendos qua Legatus Apostolicae Sedis missus est, hoc iusiurandum fidei recepit: [1]) „Profiteor me eam fidem tenere, quam sacrosancta septem Concilia, et quam beatissimi Pontifices Romani ad diversos data praedicatione lucidissimae veritatis exposuerunt.“ De se ipso autem ibidem scribit, aequiparans definitiones Romanorum Pontificum definitionibus Conciliorum oecumenicorum: „Nos si quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus et retractationis opprobrium non veremur. Haec est enim illa, ut ita loquar, officina fabrilis, cui nimirum is, qui Fabri dicebatur filius, praesidet; ad cuius regulam omnis merito moneta recuditur; ad cuius rectitudinis lineam, quidquid uspiam depravatum fuerit, reformatur.“ Non potuisset clarioribus verbis infallibilitatem magisterii Romani Pontificis clarius praedicare. Idem [2]) postquam innuisset, quid ab Episcopis suggerendum sit Summo Pontifici de non reordinandis simoniacis Episcopis, dicit: „Immo, qui vice Petri claves tenet Ecclesiae, ipse potissimum adversus novum dogma consurgat, et introductores pravitatis dignae sententiae iaculo confodiat.“

Testimonium **S. Anselmi,** AEppi Cantuarensis et Ecclesiae Doctoris † 1109. S. Doctor librum suum de fide Trinitatis et de incarnatione Verbi Urbano II. Summo Pontifici dedicavit, ita disserens: „Domino et Patri universae Ecclesiae, in terra peregrinantis, Summo Pontifici Urbano, frater Anselmus . . . quoniam divina providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam et fidem christianam custodiendam, et Ecclesiam suam regendam committeret; ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, *ut eius auctoritate corrigatur;* nec *ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur*, ut eius prudentia examinetur. Quapropter, sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius praesentem epistolam, quam vestrae destino sapientiae; *quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur, et quod regulam veritatis tenet, vestra au-*

[1]) Cit. libr. opusc. 5. — [2]) Libr. qui appellatur Gratissimus c. 34.

ctoritate roboretur.“ In epistola ad Humbertum Comitem[1]) ait: „Qui cum dedignantur Apostolici (Papam sic vocat) *decretis, quae ad robur christianae religionis facit*, esse obedientes, *Petro utique* apostolo, cuius vice fungitur, *imo Christo* — -- se probant *esse inobedientes.* Quaerant igitur, qui Vicarii Petri et in eo Petri et Christi decreta christiana contemnunt, alias regni coelorum portas; quia certe per illas non introibunt, quarum claves Petrus Apostolus portat.“ Papam pro erroris experte credidit S. Anselmus, alioquin non dixisset, nulli se tutius, quam illi disceptationes suas de fide examinandas committere, tanto minus dixisset, illos, qui Papae decretis, ad religionis robur editis, non obedirent, ipsi Christo non obedire, ac ideo regno coelorum fieri extorres.

Testimonium **S. Ivonis,** E. Carnotensis, quem Baronius lucernam occidentalis orbis, decus et ornamentum ac fulgorem Ecclesiae Gallicanae merito nuncupat. † 1115. Rocherio Senonensi Archi-Episcopo scribit:[2]) „Contra Sedem Apostolicam caput erigitis . . . cuius iudiciis et constitutionibus obviare, plane est haereticae pravitatis notam incurrere. Sit ergo (utitur verbis S. Gregorii M.) ruinae suae dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis.“ Si apostolicae Sedis iudiciis et constitutionibus contraire sive non obedire idem est, ac haereticae pravitatis notam incurrere, illa iudicia ab errore immunia sint oportet. Idem S. Ivo alio loco[3]) asserit, „iudicia Romanae Ecclesiae a nemine retractari posse.“

Testimonium S. **Bernardi,** C. et Eccl. Doctoris † 1153. Ad Innocentium II. scribit:[4]) „Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala, emergentia in regno Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, *ubi non possit fides sentire defectum.* Haec quippe huius praerogativa Sedis; cui enim alteri dictum est: „Ego pro te rogavi Petre! ut non deficiat fides tua“ . . Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: „Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“

---

[1]) Libr. 3. epist. Migne t. 159. — [2]) Epist. 8. edit. Migne. — [3]) Epist. 159. eius. edit. — [4]) Epist. seu Tract. de error. Abael.

Id quidem modo necessarium: tempus est, ut vestrum agnoscatis Pater amantissime principatum, probetis zelum, Ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis Sedem, si vera admonitione corda in fide confirmetis; si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.“ Idem prolixam ad Canonicos Lugdunenses epistolam suam sic concludit: „Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc sicut et coetera, quae eiusmodi sunt, reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.“ Idem epistola ad Mediolan. scribit: „Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est; qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.“ Testimonia e S. Bernardi libris de Consideratione ad Eugenium III. Papam congerere nolui, ut brevitati studerem. Verissime scribit Ioannes Sianda[1]): „Inter Doctores Ecclesiae, si quis de Petri Cathedra, — optime meruit, rectissime sensit, obsequentissime locutus est, magnificentissime scripsit, hunc esse D. Bernardum, non relinquitur ambigendi locus, eius libros de Consideratione percurrenti, in quibus conscribendis fuit plane mirabilis.“ Quod cum ita sit, mirum sane Iacobum *Ruttenstock* Instit. Hist. Eccl. Vienn. 1834. III. 203. vestigia legentem acatholici Historiarum scriptoris Aug. *Neanderi* (der h. Bernard und sein Zeitalter, Berl. 1813) inter alia haec de S. Bernardi operibus adnotare haud fuisse veritum: „Inter S. Bernardi opera singularem attentionem merentur Sermones, Epistolae et Libri V. de consideratione sui ad Eugenium, qui multa continent veritatis testimonia. Commendantur imprimis ob libertatem, minimo tamen Romae inter caetera illius scripta pretio habentur, ibique tantum tolerantur ob eminentem viri huius sanctitatem.“ Qua in re Iacobum Ruttenstock hallucinatum fuisse, liquet e praefatione Ger. *Vossii* praepositi Tungrensis, qui libros V de consideratione e codicibus manuscriptis Romae 1594. separatim edidit et S. Pontifici Clementi VIII dedicavit, his verbis eosdem commendans: „Quantum inter alios pontifices *Nicolaus* V. hisce libris tribuerit, re ipsa

[1]) In Libros S. Bernardi de Considerat. Commentarii Romae 1749.

ostendit, dum libros eosdem, ante usum typographiae inventum, adeo magnifico et insigni charactere separatim pro suo aliorumque usu describendos curavit. Quorum etiam amore et studio flagrans Pius V., re et nomine pius, eorumdem lectionem mensae lubens adhibebat, ponderabat, et magni faciebat, sicut et ab eius in pontificatu successore *Gregorio* XIII. factum intelligo. Quos et *Urbanus* VIII. in episcopatu, ac post in cardinalatu multum sibi familiares habuisse dicitur. Quem brevi in pontificatu secutus *Gregorius* XIV, plurimum quoque iisdem Bernardi libris tribuere, eosque frequenter in ore habere solebat: et seorsum, ut ab omnibus ecclesiasticis, maxime autem praelatis commodius circumferri, legique possent, exstare peroptabat; sicut a fide dignissimis de eo adhuc cardinale accepi, ipseque ex eiusmet ore non semel audivi.“ Idem testatur laudatus Ioannes Sianda, qui in libros S. Bernardi de Consideratione editos abs se commentarios Benedicto XIV. dedicavit, scribens: „In his itaque de Consideratione libris Deuteronomium Summorum Pontificum sisto tibi — opus inquam illud, quod tot Sanctissimi tui praedecessores habuere in deliciis, inter quos potissimum recensentur Nicolaus V., S. Pius V., Gregorius XIII., Urbanus VIII, Gregorius XIV., Clemens XI., qui libros de Consideratione ita frequenter in ore habebant, ut omnes Ecclesiasticos, et singulariter praesules, ad eorumdem lectionem saepenumero adhortarentur.“ Quae sola ad cavillationem Ruttenstocki refellendam sufficiunt. Neque tamen illud praetermittere licet, A. *Caraffa* virum litteris aeque ac meritis illustrem Pio V. Pontifice, qui eum titulo S. Eusebii Diaconi Cardinalis dignitate ornavit, jubente Antverpiae in celeberrima officina Plantiniana S. Bernardi libros de Consideratione abs se recognitos, seorsim impressos evulgasse.

Testimonium S. **Thomae** Cantuar. AEppi et Martyris † 1171. Sanctum hunc praesulem Ecclesia simul gloriosum praedicat, quippe qui pro Ecclesia Dei gladiis impiorum occubuit.[1]) In epistola ad suffraganeos Cantuariensis Provinciae scribit:[2]) „Doctor gentium, qui gloriatur se non ab homine, neque per hominem Evangelium didicisse, sed instructum esse a Christo,

[1]) Vide Collect. Missae de eodem. — [2]) Ep. 74. edit. Migne.

post annos quatuordecim ascendit Hierosolymam, et cum Ecclesiarum principe de fide contulit, ne forte in vacuum curreret vel cucurrisset. Et ut plurimis patet exemplis, singula Evangelii flumina ad mare, unde orta sunt redeunt, ut iterum fluant. Siquidem fons paradisi unus est, sed in plura rescinditur flumina, ut undique irriget terram. Quis Romanam Ecclesiam ut caput omnium Ecclesiarum *etfontem catholicae doctrinae ambigit esse?* Quis claves regni coelorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in fide et doctrina Petri totius Ecclesiae structura consurgit? . . . Quicunque sit, qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum nisi illi, *qui plantavit in fide Petri et doctrinae ipsius acquiescit.*" Alexandro Lincoln. Episcopo scribit:[1]) „Romanum Pontificem Principis Apostolorum non ambigimus esse Vicarium: qui ei reluctantur constat damnationis in se provocare sententiam." Alexandro III. Papae scribit:[2]) „Nos etenim per misericordiam a fide Romanae Ecclesiae, ab obedientiae famulatu, non carcer, non gladius, non si qua gravior est persacutio separabit;" item ad eundem:[3]) „Habent a capite membra, ut vigeant, et a sancta Romana Ecclesia, Domino auctore, salus est omnium Ecclesiarum." Ita loqai nequit, nisi qui plene persvasus est de Romani Pontificis in fidei rebus inerrantia.

Testimonium **S. Thomae Aquinat.** C. et Eccl. Doctoris †1274. Ad quaestionem: utrum ad Summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare, respondet:[4]) „Dicendum, quod nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. *Ad illius ergo auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.* Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores et difficiliores quaestiones referuntur. . . . . Unde et Dominus Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: Ego pro te rogavi Petre! ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et huius ratio est, quia una fides esse debet totius Ecclesiae, secundum illud:

---

[1]) Epist. 83. inter Oper. Ioan. Sarisb. edit. Migne. — [2]) Ep. 102. ibid. — [3]) Ep. 129. ibid. — [4]) Summa 2. 2. quaest. 1. art. 10.

Id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Quod servari non potest, nisi quaestio de fide exorta determinaretur per eum, qui toti Ecclesiae praeest; ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur; et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli: sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam, uti congregare Synodum generalem et alia huiusmodi." Summo Pontifici vindicat auctoritatem figendi, ordinandi symbolum, quo determinantur, quae sunt fidei, quaeve ab omnibus inconcussa fide credi debent. Sed in exercitio huius tantae auctoritatis Summus Pontifex errori obnoxius esse nequit, quae inerrantia teste S. Thoma fundatur in promissione Christi Petro et Successoribus eius facta his verbis: „Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua."

Testimonium **S. Bonaventurae,** E. et Eccl. Doctoris †1274. „Papa non potest errare, suppositis duobus: primum, quod determinet quatenus Papa, et non ut doctor particularis: alterum, ut intendat facere dogma fidei." [1]) Item:[2]) „Honorius Episcopus, — episcopus utique non alicuius partis, sed totius universitatis: quodsi unus non esset, qui in omnes exerceret iurisdictionem, ubi maneret status Ecclesiae; si partibus discordantibus non esset, qui posset manum mittere in ambabus, fuisset synagoga felicior, quam Ecclesia; quia illa habebat unum Summum Pontificem. qui omnes discordias poterat terminare, ut patet in Deuteronomio." Juxta mentem Seraphici Doctoris Papa jure divino potest terminare discordias, qui non potest errare in sanciendo aliquo fidei dogmate, sine cuius suprema auctoritate Ecclesiae status integer et incolumis esse nequit.

Testimonium **S. Ioannis** a Capistrano. Vixit ab 1385. usque a. 1456., quo Ujlakini in Syrmio obiit. Coaevus Constantiensi Concilio, post quod edidit Tractatum de Papae et Concilii auctoritate, qui reperitur in magna illa 25 voluminum in folio collectione, quae sub titulo „Tractatus iuris universi in unum congesti," vulgata est Venetiis, 1584. Tractatus S. Ioannis a Capistrano continetur Tomo

---

[1]) Summa Theol. q. 1. a. 3. d. 3. — [2]) Exposit. in Reg. fratr. minor.

13. S. Auctor acerrime defendit tam Romani Pontificis infallibilitatem, quam eiusdem supra Concilium superioritatem. Quod patet ex extractibus sequentibus: „An in Concilio universali celebrando requiratur auctoritas Papae quoad convocationem tantum, aut quoad continuationem? Respondeo breviter, quoad utrumque.“ Et traditionis documentis probat, nulla esse ac irrita, quaecunque a conciliis statuuntur, nisi Romani Pontificis accesserit consensus. „Quaero de majoritate potestatis Papae et Concilii: videlicet an Papa praesit, vel subsit, vel par sit concilio generali?“ Fuse probat Romanum Pontificem superiorem esse omni Concilio. Dein adversarios sic perstringit: „Quis igitur non miretur in aspectu venenosorum oculorum basilicorum, qui ad omnes nostras veridicas allegationes torvo aspicientes intuitu, uno tantum putant collirio omnes eorum oculorum maculas abstergere . . . . ad miserorum refugium gressu concito recurrentes, et asserentes, quod Petrus a Christo potestatem accepit super singularia membra, non autem super universalem Ecclesiam? Cupio dissolvi et esse cum Christo, ut ab eius ore sanctissimo percipere queam, si super membra unita est caput, vel divisa. Si dicas super unita, ergo super universum corpus — si dicas super divisa, ergo super te, schismatice, qui te ab unitate corporis rescidisti. Si dicas, tam super unita, quam super divisa, ut reintegret, et errantes oves revocet, et reducat ad caulam, ne pereant, mecum sentis.“ „Ex quibus omnibus — patet, quod non solum urbis, sed orbis et totius mundi, et omnium fidelium, tam quoad membra dispersa, quam quoad unita et invicem congregata Petrus a Christo suscepit plenitudinem potestatis, cum ceteri Episcopi a Petro, sic et a Papa, Petri successore quocunque, sollicitudinis partem capiant, et impendant.“ „Cum igitur durante mundi cursu Papa catholicus universis Christi fidelibus praeesse debeat vice Christi, omnes Christi fideles sub eius regimine esse debent, tamquam oves sub cura pastoris, etiam oecumenico Concilio insimul congregato, per verbum Christi, dicentis Petro: „pasce oves meas.“ Dei namque Vicarius principalis est Papa; ergo supra Concilium. Idem tenet Thomas . . . Pudeat igitur os ad coelum ponere, et ordinationem Domini blasphemare: jura namque positiva Papam ligare minime

valent.“ „In ambiguitate opinionum magis credendum est legi canonicae, quam dictis sanctorum vel magistrorum: quia soli Papae, non alteri data est talium interpretatio dubiorum. Hoc etiam firmat beatus Thomas in praedicto tractatu contra errores Graecorum, — ubi determinat, causas fidei per Papam determinari debere. . . Christus oravit, ut non deficiat Petri fides: ad Petrum ergo Petrique successores, quid credendum, quid confitendum, quid tenendum ac praedicandum de fide sit, pertinet declarare. Hinc etiam beatus Thomas dicit: Editio symboli ad auctoritatem Summi Pontificis pertinet, ad quem pertinet sententialiter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur, ad quem etiam majores et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur.“ „Patet igitur expressissime, Papam supra Concilium, et non Concilium supra Papam, jurisdictionem plenariam in omnibus obtinere, et Concilium quantumlibet oecumenicum et universale Papae subjici et obedire teneri, a quo salus omnium fidelium post Christum pendet.“ „Cum dicitur, quod par est auctoritas Papae et Concilii — respondeo, verum esse, cum Papa validat et confirmat decreta Conciliorum, et non aliter.“ Vel ex his oppido liquet, quam firmiter crediderit et docuerit sanctus vir tam infallibilitatem quam superioritatem Romani Pontificis super Concilia oecumenica.

Testimonium S. **Francisci Salesii** E. C. † 1622. „Haereticorum, ait,[1]) ministri omnem lapidem movent, ut quantum possint, inquinent fontem Evangelii, ne Petrus ibi reperiat claves suas: nihil intentatum relinquunt, ut nos avertant ab obedientia, quae debetur Vicario Christi. Quid autem fecerunt? Dixerunt: S. Petro promissionem a Domino factam nomine totius Ecclesiae sic, ut nullum peculiare privilegium concessum fuerit ipsius personae. Si igitur hoc interpretandi modo non pervertatur Scriptura, nunquam ab aliquo in alienum sensum detorquebitur. Nonne enim Petro loquutus est Dominus? Et quomodo clarius mentem suam exprimere poterat, quam his verbis: Et ego dico tibi, dabo tibi? Cum enim immediate antea locutus fuisset de Ecclesia, dum ait; Portae inferi non

[1]) Discurs. 32. de Ecclesia.

praevalebunt adversus eam, quidnam obstat, quominus adiunxisset: et dabo illi claves regni, si illas immediate dare voluisset Ecclesiae? Non dixit: illi, sed dabo tibi. Quodsi liceat explicare loca clara, nihil omnino in Scripturis reperietur, quod in omnem sensum detorqueri non possit.“ Item:[1]) „Ecclesia semper eget confirmatore infallibili, ad quem confugere liceat; et fundamento, quod portae inferi et praecipue error nequeat subvertere; et pastore, qui suos filios ad errorem ducere nequaquam possit. Successores ergo S. Petri his omnibus privilegiis potiuntur, quae non personae, sed dignitatis et muneris publici privilegia sunt.“ Item:[2]) Summum Pontificem vocat „Christi Vicarium et interpretem infallibilem.“

S. Alphonsus M. de Ligorio, E. et Doctor Ecclesiae † 1787. Dissertatione de Romani Pontificis authoritate[3]) scribit: „Quarta vero communis sententia, cui nos subscribimus, est, quod licet Romanus Pontifex quatenus particularis persona, sive privatus Doctor possit errare, (sicut etiam est fallibilis in quaestionibus meri facti, quae ex hominum testimoniis praecipue pendent) cum tamen Papa loquitur tamquam Doctor universalis definiens ex Cathedra, nempe ex potestate suprema, tradita Petro docenti Ecclesiam, tunc dicimus: Ipsum in controversiis Fidei et Morum infallibilem esse.“ Hanc sententiam tuentur, continuat S. Auctor, Divus Thomas, Turrecremata, Sotus, Cajetanus, Alexander de Ales, S. Bonaventura, B. Augustinus Triumphus, Nicolaus de Lyra, S. Franciscus Salesius, Spondanus, Thomassinus, Ludovicus Bail, Duvallius aliique innumeri citati a Milante Episcopo Stabiensi in suis doctis Exercitationibus sub propositione 29. Alexandri VIII. et communiter reliqui Theologi omnes.“

Latinorum Patrum et Scriptorum testimoniis accedant Patrum et Scriptorum Graecorum testimonia, ut appareat, ab his quoque agnitam, creditam et praedicatam

---

[1]) De auctorit. et primatu S. Petri et success. — [2]) De quibusd. Controv. Serm. 19. — [3]) Theolog. Mor. T. 1. Edit. Bassani, 1847.

fuisse doctrinam de infallibili Romanae Sedis sive Romani Pontificis magisterio. Ac primum quidem audienda sunt encomia, quibus Romanam Ecclesiam celebravit **S. Ignatius**, Apostoli Ioannis discipulus, Episcopus Antiochenus, qui Trajano Imperante, Romae leonibus obiectus, palmamque martyrii pro votorum suorum summa adeptus est a. 116. Is in epistola, quam ad Romanos scripsit, Ecclesiam Romanam vocat „misericordiam consecutam in magnificentia Patris altissimi et Iesu Christi, filii eius unici: Ecclesiam dilectam et illuminatam voluntate eius, qui vult omnia, quae sunt secundum charitatem Iesu Christi Dei nostri; quae etiam *praesidet* in loco regionis Romanorum, dignam Deo, dignam quae beata praedicetur, dignam laude, dignam, quae voti compos fiat, digne castam, *universo coetui charitatis praesidentem*, Christi et Patris nomine insignitam.“ Ipsos autem Romanos laudat, quod sint „gratia Dei indivisim repleti, *et ab omni alieno colore expurgati.*“ [1]) Praesidere dicit Ecclesiam illam non tantum in loco regionis Romanorum, sed etiam toti coetui charitatis, esse illam illuminatam voluntate Dei, dignam caste i. e. immunem ab omni errore, dignam iccirco, quae beata praedicetur, sicut beatus a Domino praedicatus est, qui illam Ecclesiam fundavit, Petrus Apostolus, cui dixit Christus: „Beatus es Simon Bar Iona,“ [2]) ipsos autem Romanos tamquam gratia Dei indivisim sive inseparabiliter repletos et ab omni alieno colore liberos, ab illis nempe noxiis herbis, a quibus monet idem S. Pater abstinere Philadelphienses.[3]) Has autem laudes congerit in Romanos, de quibus iam S. Paulus scripsit:[4]) „Fides vestra annunciatur in universo mundo.“

Origenes, ob assiduum litterarum studium Adamantinus dictus, ingenii et eruditionis prodigium, ac saeviente in Christianos Decii persecutione fidei confessor † 254. Non tantum docet[5]) Petrum Romam venisse ibique martyrium subivisse; Petrum mundum universum docuisse fidem et religionem,

---

[1]) V. Cotelerii PP. Apostolicor. opera recus. Ioannes Clericus Amstelod 1724., item eadem opera edita a Car. Ios. Hefele Tubingae, ed. 3. 1847. — [2]) Matth. 16, 17. — [3]) Vide l. c. — [4]) Rom. 1, 8. — [5]) T. 3. in genes.

Paulum quoque et reliquos per tempora magistros; [1]) „Petro datas esse claves non unius coeli, sicut caeteris Apostolis, sed multorum coelorum, ut quaecunque ligaverit super terram, sint ligata non tantum in uno coelo, sed in omnibus coelis, et quae solverit super terram, sint soluta non solum in uno coelo, sed in omnibus coelis;“ [2]) Origenes inquam non tantum haec docet, sed etiam, quod verba Salvatoris Matth. 16. „Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam,“ sic intelligenda sint, quod portae inferi nec adversus petram, Ecclesiae nempe fundamentum praevalere possint. „Hoc ergo, inquit,[3]) existimo nec adversus petram, super quam Christus Ecclesiam aedificat, nec adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt.“ Si vero ita, Petri successores tam parum possunt errare in fide, quam parum potest in fide errare et vinci ab errore Ecclesia. Hanc fuisse Origenis mentem manifestissime colligitur ex verbis, quibus exponens haec Psalmi: „substantia mea tamquam nihilum ante te“ dicit:[4]) „Ad comparationem Dei vero, etiamsi Petrus sim, adversus quem portae inferi non praevalebunt, substantia mea ante eum nihil est.“ E qua confessione prono fluit alveo, non tantum in Petro Apostolo potestatem supra inferorum portas considerari ab Origene, verum etiam in Petri successoribus. Cum enim dicat: Adversus quem portae inferi non praevalebunt, nequaquam Simonem Bar Iona intuitus est, qui iam obierat, sed Successores eius in Pontificatu: qui uti Simon erant Petra, adversus quam portae inferi non praevaluerunt. Non sane dixisset Origenes, non praevalebunt, sed non praevaluerunt, si ad Simonem intendisset sermonem. Verba itaque Origenis non de praeterito, sed de praesenti et successivo tempore, nimirum de Petri Successoribus intelligenda sunt. Idque tanto magis, quod de fide Romanorum explicans notissima illa verba S. Pauli: „Fides vestra annunciatur in universo mundo“ dicat, „quod fides ista, quam Romani habent, ipsa eademque sit, et non alia, quam

---

[1]) In c. 29. Proverb. (Editio Cardin. Maii.) — [2]) T. 13. n. 31. — [3]) Comment. in Matth. t. 12. — [4]) Homil. 1. in Psalm. 38, 10.

quae in universo mundo annunciatur et creditur: quae non solum in terra, sed etiam in coelis praedicatur.“ Iam certum est, in universo mundo sive ab omnibus Christianis non posse credi, tanto minus posse in coelis praedicari fidem, quae non sit vera, illibata, ab omni errore immunis. Sed Origenes facto quoque comprobavit, se in Romano Pontifice supremum fidei magistrum suspicere; Zephyrino enim Pontificatum tenente, Ecclesiam Romanam invisit, teste Eusebio[1]), certe non sicut alias accessit Asiae et Europae urbes, harum scilicet Antistites coadiuvandi causa in ministerio praedicationis, in conversione infidelium, in confutandis haereticis, verum ut Romae imbueretur Petri fide et Apostolica traditione.[2]) Cum autem postea ob sua scripta varie impeteretur, et in haereseos suspicionem venisset, teste eodem Eusebio l. c. c. 29. praesertim ad Fabianum Romanum Pontificem ope litterarum se convertit, ut se ab impactis sibi erroribus apud eum purgaret, certioremque eum de sua orthodoxia redderet. Subin etiam Origenis discipulus Dionysius, Episcopus Alexandrinus, teste S. Athanasio,[3]) dum a nonnullis Ecclesiae illius fratribus accusaretur apud cognominem Dionysium Papam, quasi docuisset: Dei filium rem factam, nec Patri esse consubstantialem, apud hunc Pontificem se ab errore purgavit. Quid vero impulit Origenem, ut praesertim Fabianum Papam de sua orthodoxia certum faceret? Quid accusatores Dionysii Alex. incitavit, ut Episcopum suum Romano Pontifici deferrent? cur causam illius non egerunt apud viciniorem Patriarcham Antiochenum, vel non commiserunt examinandam toto orbe celeberrimae scholae Alexandrinae, in qua tunc Philosophia et Theologia tanta cum gloria et auditorum frequentia docebatur? cur Dionysius tantae sedis, ut fuit Alexandrina, Episcopus, examini et sententiae Romani Pontificis datis ad eum litteris se subiecit? Nimirum firmissime tunc omnibus persuasum fuit in remotissimis etiam illis regionibus, examen et definitionem quaestionum fidei ad supremum et inappellabile iudicium Romanorum Pontificum, velut S. Petri successorum, pertinere.

---

[1]) Libr. 6. c. 12. — [2]) Vide: Origenes vindicatus per Al. Vincenzi. Vol. 2. p. 2. Romae, 1864. — [3]) In epist. de Synod. et in alia de sententia Dionysii.

S. Basilius M. Caesareae in Cappadocia Episcopus in epistola ad S. Athanasium Alexandrinum a. 369. exarata[1]) non dubitat declarare Romanorum Pontificum esse, fidei controversias suo iudicio definire, et suprema sua auctoritate ea corrigere, quae in numerosissimis etiam Conciliis perperam acta sunt. Scribit enim: „Visum est mihi consentaneum, ut scribatur *Episcopo Romano*, ut quae hic (in Oriente) geruntur, *consideret, et sententiam suam expromat:* et quoniam difficile est, ut communi ac synodico decreto aliqui illinc mittantur, *ipse sua auctoritate in ista causa usus* viros eligat idoneos ad perferendum itineris labores — — secumque habentes quaecumque post Ariminense Concilium gesta sunt, ad eorum, quae per vim illic acta fuerant, dissolutionem . . Requiritur autem et illud — — ut Marcelli haeresim, illi cum venerint, tamquam malam ac noxiam, et a sua fide alienam exterminent.“ Non existimat S. Basilius ad veram confirmandam fidem, ad haeresim damnandam et reprimendam necessariam esse Concilii Generalis convocationem, sed sufficere, *ut Summus Pontifex rem consideret et sententiam suam expromat.* Ad ipsum vero Damasum scribit:[2]) „Omnis propemodum oriens, Pater Colendissime, (dico autem orientem quidquid ab Illyrico ad Aegyptum) ingenti tempestate ac aestu exagitatur: cum dudum quidem sparsa haeresis ab inimico veritatis Ario, nunc vero imprudenter emergens, ac veluti radix amara fructum exitiosum proferens iam dominetur; — — Horum omnium solutionem expectavimus, miserationis vestrae visitationem, ac nos semper consolata est mirabilis vestra caritas praeterito tempore, et laeto rumore allato, fore, ut a vobis inviseremur, animis ad breve tempus corroborati sumus. Postquam autem spe excidimus, — eo devenimus, ut vos per litteras obsecremus, ut ad opem nobis ferendam excitemini.“ Apud Summum Pontificem contra haeresim, late in oriente dominantem et grassantem, quaerit remedium. Quo facto supremam eius auctoritatem in rebus etiam fidei ac morum agnoscit. Ad Summum Pontificem pertinent, quae in alia S.

---

[1]) Epist. 69. edit. Migne. — [2]) Epist. 70. edit. Migne.

Basilii epistola[1]) occurrunt: „Revera enim, inquit, laude summa dignum est, quod a Domino pietati vestrae datum est, adulterium quidem a probo ac puro discernere. Patrum vero fidem sine ulla dissimulatione praedicare: quam quidem et nos suscepimus, agnovimusque apostolicis notis signatam.“ Alludit manifeste ad illa Christi Domini ad Petrum: Beatus es Simon etc. De Damaso Papa, quem S. Basilius interpellavit, scribit Sozomenus: [2]) „Cum haec quaestio agitaretur, et contendendi studio magis magisque in dies cresceret, Episcopus urbis Romae scripsit ad orientales Ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem, ac honore gloriaque aequalem una cum occidentalibus Episcopis confiterentur. *Quo facto, utpote controversia iudicio Romanae Ecclesiae terminata, singuli quievere eaque quaestio finem accepisse visa est.*“ Unde liquet illo tempore viguisse persuasionem controversias fidei terminari, et pro definitis habendas esse, prolata per Romanum Pontificem sententia, atque hunc esse in definitionibus huiusmodi edendis ab erroris periculo immunem; alioquin illius sententiae contendentes singuli non acquievissent, quod factum fuisse Sozomenus testatur. Hinc est, quod Gratianus Imperator aedes sacras, ab Arianis vi ac dolo ereptas catholicis, his restituturus, lege lata sanxerit, ut „*dictae aedes iis traderentur, qui cum Damaso Papa communicarent;*“ hac nota tutissime discerni veros catholicos a pseudocatholicis pro certo tenuit Imperator.[3]) — Denique exstat eiusdem S. Damasi epistola ad Ioannem Episcopum Antiochenum, cui simul formulam fidei adiunxit, subscribendam ab omnibus, qui Ecclesiae copulari vellent: „Unde, inquit, ne aut tibi scrupulus resideret, et volentes forsitan Ecclesiae copulari, tua cautio probanda differret, *fidem nostram misimus* non tam tibi, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, *idest nobis* per te voluerint sociari.“ [4]) Exprimit obligationem concordandi cum Romanis Pontificibus in fide, quae fundamento caret, nisi illi in definienda et exponenda fide sint ab omni errore liberi.

[1]) Epist. 92. e. edit. — [2]) Hist. libr. 6. c. 22. — [3]) Theodoret. Hist. libr. 5. c. 2. — [4]) Labbe t. 2.

S. Gregorius Naz. E. et Ecclesiae Doctor. „quem facile dicunt Graeciae christianae vatum et oratorum principem“ [1]) de Romana Sede in comparatione cum Constantinopolitana sic canit:

„Natura binos haud quidem soles dedit:
Dedit ipsa tamen binas mundi faces,
Romas, vetustam scilicet Urbem ac novam:
Hoc discrepantes invicem, quod, qua cadit
Sol, illa fulget; fulget haec, qua se exerit.
Par utriusque pulchritudo, par decus.
Fides vetustae recta erat iam antiquitus
Et recta perstat nunc, salutis dogmate
Quodcunque labens sol videt, devinciens:
Ut universi praesidem mundi decet,
Totam colit quae numinis concordiam:
Nova vero quondam (de mea iam non mea
Nunc sermo nobis) rectipes erat in fide,
At non item post, mersa sed letho gravi,
Ex quo laborans urbs Alexandri nota —
Levitatis, omni criminum genere obruta,
Sine mente fervens, Arium infandum tulit“ [2]).

Praedicat primatum in universum orbem vetustae Romae, i. e. Sedis Romanae, illiusque inconcussam in fide firmitatem. simulque fatetur, Sedem novae Romae sive Constantinopoleos in haeresim prolapsam fuisse.

S. Cyrillus Alexandrinus † 444. Breviter et compendiose summam rei sic exprimit: „Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, idest, firmamentum atque magister esto illorum, qui per fidem ad me accedunt.“ Qui firmamentum et magister simul, adeoque firmus magister omnium in Christo sine discrimine credentium, ergo etiam, doctorum constituitur, is donum inerrantiae in fide possideat, oportet; alioquin de-

---

[1]) Card. Pitra Iuris Eccl. Graecor. Historia et Monumenta t. 2. Romae 1868, — [2]) Vide l. c. p. 154. — [3]) Nova PP. Bibliotheca T. 2.

mandato sibi divinitus muneri respondere non posset. Vide Cardin. Maii [1]), qui in hunc locum observat: „En Petro, consequenterque successoribus eius privilegium a Deo datum.“ S. Cyrilli Alex. de Romani Pontificis auctoritate mentem luculentissime demonstrant Acta Concilii Ephesini.

Testimonium **Eutherii** Thianensis et **Helladii** Tarsensis Episcoporum. Alia inter scribunt ad Xistum Papam [2]): „Et olim saepius ex Alexandria haereticis zizaniis insurgentibus suffecit vestra Apostolica Sedes per universum tempus istud, ad mendacium convincendum, impietatemque reprimendam, et corrigenda, quae necessarium fuit, muniendumque orbem terrarum ad gloriam Christi, tam sub illo ter beato Episcopo Damaso, quam pluribus aliis.“ Haec, quae de Papa Damaso proferuntur, ad Petri Alexandrini in Sede confirmationem, et Lucii Ariani damnationem pertinent, ut adnotavit Christianus Lupus l. c. quem Baluzius vehementer errare inquit [3]) existimans, Damasum non solum, sed cum Concilio Italiae et totius Occidentis damnase Lucium. Sed falli Baluzium, nec in Synodo illa Romana, sub Damaso habita, alios praesentes fuisse, quam Petrum Alexandrinum, et suburbicarios Episcopos recte asserit Antonius M. Merenda [4]). Quae autem fuerit in Romana Synodo Episcoporum Italiae pars et auctoritas, ipsi fatentur et explicant, cum ad clericos et monachos orientales haec scribunt [5]): „Quoties intra Italiam propter ecclesiasticas causas, praecipue fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor praesulum Sedis Apostolicae ex persona cunctorum Italiae sacerdotum, iuxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui caput est omnium“.

Theodoretus Cyrensis Episcopus in latrocinali Ephesina synodo a Dioscoro Alexandrino depositus Renato Presbytero Romanae Ecclesiae scribit[6]): „Quam ob causam oro — sanctissimo et beatissimo Archi-Episcopo (Leoni M.) persuadeat, ut apostolica potestate utatur, et ad Concilium Vestrum ad-

[1]) Nova PP. Bibliotheca T. 2. — [2]) Lup. in Synodic. c. 117. — [3]) Collect. Concil. nov. n. c. — [4]) Prolegom. de Damasi opusc. et gestis. — [5]) Labbe Concil. t. IV. edit. Paris. 1671. — [6]) ep. 116. edit. Migne. Theodor. op. t. 4.

volare praecipiat. Habet enim illa sedes Ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab haeretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed apostolicam gratiam integram conservavit.“ S. Leoni M. vero, ad quem a sententia latrocinalis synodi seu Dioscori appellavit, haec alia inter scribit [1]). „Si Paulus, praeco veritatis, tuba Spiritus Sancti ad Magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multo magis nos humiles et pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit. Multis siquidem praerogativis ornatur Sedes vestra . . . *praecipue autem illam fides ornat.* — — — Habet praeterea communium Patrum magistrorumque veritatis Petri et Pauli sepulchra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatissimum ac divinum par in Oriente quidem exortum est, et radios quaquaversum diffundit; sed in Occidente vitae occasum subiit, atque inde nunc orbem universum collustrat. Hi Sedem vestram nobilissimam reddiderunt: hic bonorum vestrorum apex est. At illorum Sedem nunc etiam illorum Deus illustravit, dum in ea Sanctitatem Vestram rectae fidei radios fundentem constituit. — Nos spiritualem sapientiam tuam admirati, Spiritus Sancti gratiam, quae per vos locuta est, laudibus extulimus, rogamusque et obsecramus et precamur, et supplices oramus Sanctitatem Vestram, ut tempestate iactatis Dei Ecclesiis opem ferat. — Ego Apostolicae Vestrae Sedis expecto sententiam, et oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi ad rectum ac iustum tribunal vestrum provocanti opem ferat, iubeatque advenire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere. — Ante omnia, ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere an non; vestram enim sententiam expecto. Quodsi in iudicatis manere me iusseritis, manebo, neque ulli deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque iudicium expectabo.“ Theodoretus, vir, prout ipsius scripta perhibent, eruditissimus Romanum Pontificem

[1]) epist. 113. ibid.

velut supremum ac ideo etiam infallibilem suspicit controversiarum fidei iudicem, alioquin per iudicia illius nec remedium acciperent ulcera Ecclesiarum, nec his, tempestate haeretica iactatis, succurreretur. Ad se provocanti Theodoreto rescripsit S. Leo: „Benedictus, inquit, Deus noster, cuius invincibilis veritas ab omni haereseos macula mundum te, *secundum Sedis Apostolicae iudicium demonstravit*“ [1]). Scivit procul dubio Theodoretus verissimum esse, quod Innocentius I. Papa Milevitanis Patribus scripsit [2]): „Quoties fidei ratio ventilatur, nonnisi ad Petrum episcopos, id est ad sui nominis et honoris auctorem referre debere.“

Ioannes Nicopolitanus Episcopus ad Hormisdam Papam scribit [3]): „Ad vestras orationes concurro; ut iuxta consuetudinem Apostolicae Sedis vestrae, quae cunctarum Ecclesiarum curam habet, et Nicopolitanorum habere dignemini . . . Audent nos impugnare tamquam vinculum concordiae sine ratione vitantes. Votum autem mihi est, *vestram sequi* doctrinam. — Rogo autem plenius atque perfectius, quae servari oportet, commonete, et a quibus abstinere debeam vestris custodibus litteris intimate. Ut si fortassis adhuc inexercitatus ordini deputor lectionum, seu dixi, sive egi *apostolicis doctrinis vestris incongruum, vestris imbutus sermonibus possim haereticorum obsistere machinis.*“ Nisi persuasus fuisset de inerrantia Summi Pontificis in fide, non potuisset Hormisdam Pontificem rogare Nicopolitanus Episcopus, ut a Papa plenius intimetur, quid sibi tenendum sit, ne aliquid doceat vel agat incongruum doctrinis Apostolicis, utque per custodes litteras Pontificias haereticorum machinationibus possit resistere.

Stephanus Larissae Episcopus libellum misit ad Bonifacium II. acclusum actis Concilii Romani sub eodem Papa 531. celebrati, in quo haec occurrunt [4]): „Etenim dixi, quia auctoritas Sedis Apostolicae, quae a Deo et Salvatore nostro Summo Apostolorum data est, omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit: in cuius confessione omnes mundi requiescunt Ecclesiae.“ — In fide et confessione Sedis Aposto-

---

[1]) epist. 113. bis ibid. — [2]) Inter Augustinianas epist. 181. — [3]) Labbe t. 4. — [4]) Labbe t. 4.

licae requiescere omnes mundi Ecclesiae non possent, nisi illa sedes in fide docenda et confitenda foret infallibilis.

Sergius Cypriensis Episcopus ad Papam Theodorum direxit litteras synodicas, lectas in Synodo Lateranensi sub Martino I. a. 649. habita, in quibus haec occurrunt: „Firmamentum divinitus fixum et immobile, nec non lucidissimum monumentum fidei *tuam Apostolicam Sedem* constituit Christus Deus noster. Tu enim, ut veraciter divinus proclamavit sermo, existis Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt. Tibi et claves Regni coelorum commisit: atque ligare et solvere potestative, quae in terra et in coelis sunt, promulgavit. Tu profanarum haereseon eversor constitutus es, utpote princeps et magister orthodoxae et immaculatae fidei“ [1]). Graecus non latinus Episcopus ita scribit, non ergo possunt criminari S. Sedis inimici, palpi non veritatis affectu haec dicta fuisse, quod de latinis proferre non verentur tanta mentis coecitate laborantes, ut existiment palpum esse observantiam Canonum, et inobservantiam esse affectum caritatis. In eadem Synodo recensitus est libellus supplex Ep. Dorensis in causa Monotheletaruma S. Sophronio Patriarcha Hierosolymitano ablegati, cuius haec in illo libello occurrunt verba: „Quantocyus ergo — dixit Sophronius ad Episcopum Dorensem, a finibus terrae ad terminos eius deambula, donec ad *Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta* existunt, non semel, non bis, sed multo saepius aperies — omnia secundum veritatem, quae in istis partibus mota sunt, et non quiescas instantius exorans eos, donec *ex apostolica providentia*, quae in Deo est, *ad victoriam iudicium producere debeant* et *noviter introductorum dogmatum perfectam faciant secundum Canones destructionem.*“ Confiteri, quod Orthodoxorum Dogmatum fundamenta in Apostolica Sede sint, et quod huius Sedis iudicio errores circa fidem recens enati, perfecte destrui possint, idem est, ac infallibilitatem in rebus fidei dictae Sedis agnoscere.

S. Maximus Monachus et fidei Confessor illustris ad

---

[1]) Apud Labbe t. 6.

Marinum Diaconum scribit [1]): „Omnes enim orbis terrarum fines, et quo ubique gentium Dominum vera rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam Romanam Ecclesiam, eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt, ex ipsa effulgurans expectantes iubar, patrum doctrinae sanctorumque, prout sincere omnique pietate Numine afflatae atque divinae sanctae sex synodi exposuere, explicatissime fidei symbolum edentes. Ab initio enim quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, *unicam firmam basim ac fundamentum* omnes ubique Christianorum Ecclesiae, quae ibi est, maximam nactae sunt, habentque Ecclesiam: *ut in quam iuxta ipsius Salvatoris promissionem portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae rectae fidei in ipsum ac confessionis claves habeat, iisque, qui cum pietate accedunt — — aperiat, claudat vero atque obstruat os haereticorum.*“ Clarissime docet Romanae Ecclesiae infallibilitatem: ait enim illam esse unicam firmam basim omnium reliquarum Ecclesiarum, quam e divina promissione portae inferorum evertere nunquam poterunt, et quae possidet claves fidei, non errandi privilegio donatas. In epistola ad Petrum illustrem exarata de Pyrrho Constantinopolitano ait [2]): „Itaque si vult haereticus non esse, neque audire, non isti aut illi satisfaciat; — — festinet pro omnibus Sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimae Romanorum Ecclesiae beatissimum Papam, idest Apostolicam Sedem, quae ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus Synodis secundum sacros canones et terminos universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit, et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi et solvendi. Cum hoc enim ligat et solvit etiam in Coelo Verbum, quod coelestibus virtutibus principatur.“ S. Maximus inter Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem non distinguit;

[1]) Opusc. theol. et polemic. edit. Migne. t. 2. — [2]) ibid.

dicit enim Papam, idest Apostolicam Sedem ab ipso incarnato Dei Verbo accepisse imperium, auctoritatem, potestatem item ligandi ac solvendi in *omnibus* ac *per omnia*, ergo etiam et praecipue quidem in proponenda recta fide. Si quis itaque vult neque esse, neque audiri haereticus, fidem profiteatur necesse est illam, quam profitetur ac docet, vultque amplecti Romanus Pontifex. Quae omnia luculentissime probant, S. Maximum de inerrantia Romani Pontificis *in* fidei rebus fuisse persuasissimum. Qui sic credidit ac docuit, vir erat eruditissimus, prout ingenii faetus, hodiedum exstantes, monstrant, sanctissimus ac fortissimus, qui ad sanguinis usque profusionem verbera, carceres, exilia sustinere, dextera truncari, lingua ipsa, e faucibus exsecta, privari, quam fidem orthodoxam negare maluit. Ceterum quod S. Maximus a Pyrrho deposcebat, ut nimirum se catholicum esse Pontifici Romano probaret, hoc idem in fide lapsos Episcopos Ursacium ac Valentem saeculo IV. iam praestitisse refert S. Epiphanus dicens [1]): „Ursacius et Valens poenitentiam agentes una cum libellis profecti sunt ad Beatum Iulium Romanum Episcopum pro ratione reddenda de suo errore, ac delicto.“ Quo pacto Papam omnium etiam Episcoporum Caput, fideique iudicem esse agnoverunt.

Testimonium **S. Theodori Studitae**. Theodorus, a Studio monasterio, cui ipse praefuit, Studita dictus, auctor magni nominis. Multa ipse tulit pro defensione sacrarum imaginum, et institutorum ecclesiasticorum adeo, ut universa eius vita, diis, ut vulgo aiunt, iratis genioque sinistro transacta fuerit. Illius nimias miserias, carceres, exsilia, atque oppressiones fuse docteque prosecuti sunt Michael Monachus, et alius incertus, qui eius vitam conscripserunt. Ita Leo Allatius [2]). Natus est Theodorus Constantinopoli a. 759. mortuus 829. — Paschali I. Pontifici, eius adversus Iconomachos opem implorans, scribit: „Audi, Apostolicum Caput, a Deo praeposite pastor ovium Christi, ianitor regni coelorum, petra fidei, super quam aedificata est Catholica Ecclesia. Petrus enim tu, Petri fidem exornans et gubernans . . . Huc igitur ab Occidente, o

---

[1]) Haer. 68. — [2]) Diatriba de Theodor, apud Ang. Mai, Biblioth. Nov. t. 6.

Christi imitator, exurge et ne repellas in finem. Tibi dixit Christus Deus noster: „Et tu aliquando conversus confirmabis fratres tuos“ — — Opitulare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus: porrige manum quantum fieri potest: habes potestatem a Deo — Terrete, supplicamus, haereticas feras calamo divini verbi tui.“ Et in sequenti ad eundem Papam epistola: „Respexit nos Oriens ex alto, Christus Deus noster, tuam in Occidente Beatitudinem, tamquam facem quamdam divinitus lucentem, ad Ecclesiae, quae sub coelo est, illuminationem, in Apostolica prima Sede constituens. — — *Vos igitur illimis revera ac sincerus ab initio fons orthodoxae veritatis: vos adversus omnem haereticam procellam tranquillus sepositus Ecclesiae universae portus; vos a Deo electa civitas refugii salutis.*“ In epistola 53. ad Naucratium Romani Pontificis aliorumque occidentalium decreta contra Iconomachos celebrans alia inter scribit: „— non dereliquit in finem Dominus Ecclesiam suam; sed illam vires suas adhuc habere docuit, fratres nostros excitans ab Occasu ad reprehensionem temulentiae nostratium, et illuminationem haeresi noctu dimicantium — — Testor nunc coram Deo et hominibus: seipsos avulserunt (Iconomachi a Papa damnati) a corpore Christi et supremo verticali throno (Sede Petri) *in quo Christus claves posuit fidei: adversus quam non praevaluere hactenus, nec praevalebunt usque ad consummationem, portae inferi, ora scilicet haereticorum; sicut pollicitus est, qui non mentitur.* Gaudeat igitur beatissimus et Apostolicus et nomine suo dignus Paschalis, quoniam Petri opus adimplevit.“ In epistola ad Leonem Sacellarium, de causa fidei, circa quam disceptabatur, scripta dicit: „Mittenda est ad Romanum Episcopum ex utraque parte legatio, *et inde fidei accipienda certitudo.*“ Eodem sensu iam prius suo et omnium praepositorum nomine scripsit ad Michaelem Imperatorem: „Quodsi quid est eiusmodi, de quo ambigat aut diffidat magnificentia vestra pie a Patriarcha (Constantinopolitano) dissolvi posse; iubeat magna ipsius et a Deo confirmata manus, — *a vetere Roma suscipi declarationem*, prout olim et ab initio paterna traditione transmissus mos fuit. *Haec enim*, Christi aemule Imperator, *suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus fidem primus tenuit, ad*

quem Dominus dixit: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“ [1]) — S. Theodorus Studita prout e citatis liquet, suam de suprema et in definiendis fidei controversiis infallibili Romani Pontificis auctoritate convictionem ac fidem tam claris verbis expressit, ut illa nulla egeant interpretatione. Iuvat interim in medium proferre, quae Baronius de S. Theodoro Studita, illiusque epistolis observat,[2]) ut nimirum amplius constet, quantum ponderis illius testimoniis etiam de auctoritate Papae tribuendum sit: „Sed et si earum (epistolarum) vim consideres; totidem esse fulmina coelitus missa, dices, quibus omnes Hagiomachi et Iconomachi, stolidi novatores, faeces haereticorum percussi valide penitus conterantur. Nam vel unum hunc ostendere catholici dogmatis defensorem, virum Dei amicum, sapientia et scientia affatim praeditum, iteratis crebro confessionibus celebrem, sanguine saepe fuso decorum, vitaque ab adolescentia optimis moribus instituta fulgentem, ingentibusque miraculis illustratum, ad victoriam satis: cum ab illorum parte nonnisi scelestissimos omnium homines habeant, quos ostendant.“ Ita Baronius. Haec, quam S. Theodorus in Romano Pontifice suspexit et confessus est, suprema in fidei quoque rebus auctoritas, nec haereticos ipsos latuit; noverunt imo vero, quod Apostolicae Sedis Pontificem catholici omnes in negotio fidei libentissime audiant et sequantur. En irrefragabilem huius assertionis testem S. Athanasium, qui scribit:[3]) „Nam neque Liberio Romano Episcopo — pepercere, sed usque ad eius urbis cives suum propagarunt furorem, nihil reveriti, quod apostolicus thronus ille sit, — nec recordati sunt, se antea illos apostolicos viros in litteris suis nuncupasse. Cum enim Liberium cernerent sanae fidei cultorem, Arianaeque haeresis adversarium, auctoremque omnibus esse, ut eam aversarentur, ab eaque declinarent, arbitrati sunt impii homines, *se, si Liberium seducere possint, omnes illico superaturos.*“

---

[1]) V. S. Theod. Studitae Epistolae aliaque scripta dogmatica, — Sirmondo interprete Parisiis, 1696. — [2]) Ad ann. 825. n. 72. — [3]) Historia Arianor. usque a. 357. ad monachos. Edit. Migne t. 1.

S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Nicolaum I. scripta et in actione V. Synodi octavae generalis lecta scribit: „Dixit Petro Magno et Summo Apostolorum: Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Tibi dabo claves regni coelorum. Tales enim beatas voces non secundum utique sortem Apostolorum Principi solum circumscripsit, et definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundum ipsum efficiendi erant Summi Pastores, et divinissimi, sacrique Pontifices senioris Romae, transmisit. Et ideo ab olim, et prisco tempore in exorsis haeresibus et praevaricationibus Eradicatores et Interemptores malorum zizaniorum, et labefactorum, et penitus insanabiliter aegrotantium membrorum multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem, et summam paternitatem tuam illic praecesserunt, scilicet Principis Apostolorum, et illius zelum in fide, quae secundum Christum est, imitantur.“ Qui ipse errori in fide Christi obnoxius est, eradicator et interemptor haeresum esse nequit, manifesto igitur S. Ignatius Romani Pontificis supremam potestatem, sed et inerrantiam agnoscit.

Barlaamus Hieracensis Episcopus de unione utriusque Ecclesiae Latinae et Graecae circa a. 1303, varias scripsit litteras,[1]) in quibus Romani Pontificis summam auctoritatem, et in docendo infallibilitatem profitetur. In Epistola I. inquit: „Cum divina providentia nihil inordinatum dimittat, omnisque multitudo ordine per se careat, nisi reducatur ad unum principium; pluralitas enim principiorum et carentia principii similis sunt inordinationis, Romanae gentis universa multitudo sub uno est ordinata principio: Ecclesia videlicet Romana et eius Praesule, quem omnes honorant, non tamquam armis et vi, sed tamquam a Domino Christo ordinatum . . . . illius mandata omnes non tamquam Apostolica tantum, verum etiam dominica scripta recipiunt et adorant — — et omnes ab illo corrigi sua et retractari suscipiunt.“ Loquitur dein de malis ex anarchia et polyarchia Graecorum exortis. In Epist. 2. causam adfert, a qua repetendum, quod in remotioribus a Romana

[1]) Vide Bibl. Patrum T. 3.

Sede regionibus haereses emerserint, non autem Romae et circa Romam: „Quod, inquit, in machina universi contingit, quod quae longinquius a Deo distant, procliviora sunt ad peccandum, et minus determinata et mutabiliora: quae vero propinquiora sunt, eadem in bono permanentiora et stabiliora et magis determinata: idem in Ecclesia etiam profecto contingit. Plurimae enim et teterrimae haereses in partibus magis a Romana distantibus ortae sunt: Romae vero vel prope authores haeresis facti non sunt. *Matre enim Ecclesiarum omnibus veritatis radios emittente,* profecto contingebat propinquiores magis, quam longinquiores illuminari.“ Item: „*Et ex illa quidem (Romana) Ecclesia nulla haeresis superioribus temporibus ortum habuit: nulla vero aliunde ortarum occidit sine illius providentia.*“ Et in alia Epistola resolvit dubium, an solius etiam Romanae Ecclesiae fides necessario amplectenda sit, an vero insuper Generalis Concilii sive totius Ecclesiae auctoritas requiratur? „Necessarium autem, inquit, arbitror, adhuc et illud tibi ostendere, quod licet tria dixi superius esse, quae coegerunt me credere et ex Filio Spiritum Sanctum procedere: hoc est: multos magnorum Sanctorum hoc apertissime tradere: matrem Ecclesiarum (Romanam) hoc semper dicere: per Generale etiam Concilium hoc fuisse affirmatum: tamen quodlibet horum sine aliis per se visum, non habent reliqua duo opposita, satis se habere considero, ut idipsum credatur.[1])

Georgius Trapezuntinus e saeculo XV. „Credendum est, inquit, fieri non posse, ut Romana Ecclesia, quae prima est, et per quam universalis, ut una sit, habet, in haeresim labatur. Etenim si et ipsa cum haereticis aberraverit, in quamnam unam et sanctam nos Christiani credemus? necesse enim omnino erat, nobis tradi divinitus Ecclesiam firmam, minime lubricam, et quae in pietatis dogmatibus falli non posset, ut haberemus ab haereticis vexati, sive etiam nos ipsi addubitantes, quo possemus confugere. Haec vero est Romana . . . Virtus enim illius, qui dixerat: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam,“ conservavit et conservabit ipsam praeterea maculae et labis expertem, inculpatam, intaminatam, ab

[1]) Vide Thomassin. Dissertat. 18. in Synod. Rom. a. 532.

omni haeresi disiunctissimam, rectumque veritatis interpretem."[1]) Infallibilitatis Ecclesiae Romanae causam repetit a virtute Christi, quae erat, est et erit apud Supremum Ecclesiae illius Doctorem, qui sicut aberrare non potest: ita rectus est aeternae veritatis interpres.

Ioannes Plusiadenus in dissertatione, pro Florentino Concilio scripta:[2]) „Salvator, inquit, volens Ecclesiam suam in ordine perseverare, Petrum Apostolorum primum esse, lege sanxit; et illius Successores eodem ac illum principatu pollere; curare, et gubernare Ecclesiam; alias in Dei Ecclesia confusio potius, quam unio esset;" cumque obiici sibi animadvertisset, *ferri* id quidem *posse*; *sed Pontificem esse, qui universam Ecclesiam tamquam regula dirigat, et praescribat fidem, percipi non posse:* Tum „hoc, inquit, ab ore Salvatoris habuit. Dixit enim Salvator: Petre pasce oves meas: et Tibi dabo claves regni coelorum etc. et rursum: Simon, saepius voluit satanas cribrare vos, ut frumentum; ego autem oravi pro te, ne deficiat fides tua etc. *Ab his auctoritatem accepit confirmandi et examinandi, et dirigendi, et circa fidem corrigendi.*" Respondet ad obiectionem schismaticorum, et ex verbis Christi probat infallibile Romani Pontificis magisterium, quod illis conceptu difficile apparuit.

Bessarion, Archi-Episcopus Nicaenus, postea Cardinalis et Patriarcha Constantinopolitanus dictus, a. 1463. exaravit ad suos encyclicam epistolam,[3]) in qua scribit: „Agnoscite matrem, et magistram. Percurrite volumina. Si accurate perpenderitis, Ecclesiam Romanam reperietis supra omnes statim ab initio habere principatum, et adeo universae Ecclesiae praeesse, ut *sine ea nihil omnino ecclesiasticarum quaestionum ac dogmatum aliquando conclusum, creditumque sit.* Haec illa revera est, super quam Christus aedificavit suam Ecclesiam. Haec est illa, quae Petri fidem tenet, et conservat, aliisque praedicat. Qui eam sequuntur, unam cum ea Ecclesiam faciunt, *qui ab ea discissi sunt, et a sua communione dis-*

[1]) Apud Allat. Graec. Orthod. p. 568. — [2]) Tom. I. Graec. Orthod. Leon. Allat. — [3]) V. opuscula aurea theolog. ab Arcudio edita Romae, 1630.

iuncti salutem consequi non possunt. — — Ecclesiae Romanae doctrinam et fidem suscipite, ac Pontificem et Pastorem, ipsius Ecclesiae Caput, et Principem, et fidei ducem ac doctorem esse existimantes, ipsum veneramini, et ductorem itineris, quod ducit ad vitam, sequimini. Nam hoc etiam esse ad salutem maxime necessarium, optime scitis, nosse proprium pastorem, pernoscere caput plenitudinis fidelium. Christus legislator meliorem profecto regiminis rationem Ecclesiae suae statuit, Petrum constituens Monarcham, et per ipsum eius successores. „Tu enim, inquit, es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;“ et rursum: „Et tibi dabo claves regni Coelorum;“ et iterum: „Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ Et ne putetis, me novam sanctionem introducere, redigite in memoriam quotquot in antiquis historiis, quotquot in actis universalium Conciliorum culti et exercitati estis, quantam potestatem Romanus Pontifex habeat supra omnem Ecclesiam.“ De Bessarione in libro, cui titulus: Elogia S. R. E. Cardinalium,[1]) haec leguntur: „Graecorum decus, quo nemo gentis suae christiana pietate praestantior, nemo illustrior doctrina, nemo generosis moribus ornatior — — saepius Summo Pontificatu dignus existimatus.“ Unde collige, quantum illius testimonio insit ponderis.

Iosephus II. Chaldaeorum Patriarcha † 1714. edidit librum catecheticum sub titulo „Makzitha mricta“, seu Speculum tersum, qui liber nihil est aliud, quam Patriarchae illius fidei confessio, et Chaldaeorum brevis et solida in fide institutio. Totius primi capitis materia iuxta Iosephi Simonis Assemani latinam versionem[2]) haec est: „Quod Ecclesia Romana est caput Ecclesiarum omnium: atque adeo Dominus noster Papa est Pater universalis omnium Christianorum, et quod fieri nequit, ut eadem Romana Ecclesia in rebus fidei aberret.“ Sectio 4-a „Quod fieri nequit, ut Papa Romanus erret in fide.“

Armenis, circa fidei capita instrui volentibus, rescripsit

---

[1]) Romae typ. Ant. de Rubeis. 1751. — [2]) Biblioth. Oriental. Clementino-Vaticana, Romae, 1719—1728. Vol. 4. T. 3.

Clemens Papa VI. die 11. Decembr. 1351. litteras, inscriptas: „Venerabili fratri Consolatori, dicto Catholico Armenorum.“[1]) E quibus pauca delibare sufficiat: „In primo igitur capitulo responsionis tuae, in quo pro fundamento ipsius Catholicae fidei praemittis, quod tu et Ecclesia Armenorum, quae tibi obedit, creditis et tenetis . . . quod eadem Ecclesia Romana, cuius Summus Pontifex est Papa Romanus, est sola Catholica, et in ea sola est vera salus et *una vera fides* . . . quaerimus: si credis tu, et Ecclesia Armenorum, omnes illos, qui in baptismo eamdem fidem catholicam receperunt, et postmodum a communione fidei eiusdem Ecclesiae Romanae, quae una sola catholica est, recesserunt, vel recedent in futurum, esse schismaticos et haereticos, si pertinaciter divisi a fide ipsius Romanae Ecclesiae perseverent. Si credidisti et adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere: et esse verum, et catholicum, quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat novum: et quod determinat esse falsum et haereticum, sit censendum.“ Fidem requirit Papa in infallibile magisterium Romani Pontificis a Patriarcha Armeno in fide doceri volente. Iam saec. 4. Isaacus Armenorum Patriarcha sic de Petro locutus est: „Divinum effatum dum Ecclesiam nobis indicat, non intelligit illam confectam ex lapidibus et lignis, sed coetum hominum aedificatum super firmam petram. Vera ergo illa fides est Ecclesia, quae colligit nos, et aedificat in unam unitatem scientiae Filii Dei. Idem ipse enim vivificans Christus nos docet, cum ait Petro: „Tu es Petra et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus te.“ Qui igitur intelligendum nobis est, dum petram audivimus vocari Petrum? Num quasi aliquam petram? Absit. Sed hominem rationalem, Apostolici chori principem. Ipse vero, quia inconcussa fide Christum Filium Dei confessus est, beatitudinem acquisivit, ac Petra vocatus est.“[2]) Contra Petrum non praevalebunt portae

[1]) Vide integras apud Raynald. ad a. 1351. — [2]) Maii Scriptor. Veter. nova Collect. Romae, 1838. t. 10.

inferi, qui ob inconcussam fidem meruit esse fundamentum Ecclesiae, utique perpetuum in suis successoribus.

A. 1736. habita est in Monte Libano Synodus Provincialis Patriarchae, Archi-Episcoporum, Episcoporum nec non Cleri saecularis et regularis nationis Syrorum **Maronitarum**, cuius acta typis vulgata sunt Romae, 1820. Cap. 1. De symbolo fidei, eiusque professione inscripto, statuitnr p. 10. „Quaecumque a Summis Romanis Pontificibus in materia fidei et morum adversus emergentes errores, et perniciosam tum Catholicorum, tum Haereticorum, aut Schismaticorum doctrinam, ad nostram usque aetatem definita sunt, et in posterum definientur, ea non modo integre, inviolateque custodiri ab omnibus praecipimus: sed etiam e latino in arabicum converti, et in codicem redigi atque apud unamquamque Cathedralem Ecclesiam, etiam Patriarchalem, conservari iniungimus. Qui secus senserit, aut docuerit, ad — — Patriarcham deferatur graviter puniendus.“ Ergo nec sentire nec docere aliter licet, quam definierunt Summi Romani Pontifices, conformiter emissae ab omnibus in Synodo fidei professionis: „Caetera item omnia suscipio et profiteor, quae recipit, et profitetur Sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, et schismata, et haereses, ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, et anathematizo. Insuper Romano Pontifici, Beati Petri Principis Apostolorum Successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.“

Testimoniis singulorum SS. Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum adnectuntur testimonia ex actis aut definitionibus Conciliorum desumpta.

Existit Collectio **Canonum Nicaenorum**, qui dicuntur Arabici, et quos in Nicaeno Oecumenico Concilio I. latos fuisse contendunt praeter Franciscum Turrianum,[1]) Abrahamus Echellensis Syro — Maronita linguarum Arabicae et Syriacae professor Parisiis,[2]) Cardin. Aguirre[3]) et eruditissimus anonymus

---

[1]) Mansi Collectio Concil. t. 2. edit. Florent. — [2]) V. ibid. — [3]) Concil. Hispan. t. 1. Dissert. 8.

Auctor dissertationis de eo, quod Canones vulgo sic dicti Sardicenses, revera sint Canones Nicaeni,[1]) qui posterior minime de cetero negat, in editionibus horum Canonum recentioribus post Trullanos Canones quaedam sequioris aevi moribus fuisse accomodata. Quidquid sit de eo, an praedicti arabici canones sint a Nicaeno Concilio decreti, certum est: 1-o Canones illos vigere ac valere, et non in libris vel lectione tantum cognitos esse, sed etiam in iudiciis, usuque continuato per saecula practicari apud Melchitas, Iacobitas, Nestorianos, Coptos, Abyssinos et Armenos omnes vel schismate, vel haeresi ab Ecclesia Catholica dissentientes.[2]) 2. Canones illos esse vetustissimos et saeculo V-o antiquiores; iam enim saeculo illo Nestoriani et Eutychiani a Catholicis separari coeperunt; nisi ergo existimandum est, quod in gratiam Catholicorum, atque in proprium suum caput, ut dici amat, mentiri et canones, signanter 39 confingere voluerint, qui ipsorum Patriarchas ita Romani Pontificis subiicit potestati, ut diro anathemate feriantur, nisi absolute eius obediant imperio. Ut enim Tertullianus in libro Praescriptionum ait: „Nemo mentitur in suum dedecus, sed in honorem.“ Canonis praedicti, quatenus is ad Romanum Pontificem refertur, tenor est sequens: „Ille, qui tenet Sedem Romae, caput est, et princeps omnium Patriarcharum; quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos, et omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos et universam Ecclesiam Christianam, et quicunque contradixerit a Synodo excommunicatur.“[3])

Concilium Constantinopolitanum I. a solis orientalibus Episcopis a. 381. celebratum, non aliam ob causam receptum est ab Ecclesia, quam quia S. Damasus illud quantum adtinet ad Symbolum fidei ibi conditum, respective ad Nicaenum ampliatum, confirmavit, ut ipse Photius[4]) fatetur: „quibus, ait, haud multo post, et Damasus Romae Episcopus *eadem confirmans, suoque consensu comprobans*, accessit.“ Infallibilis esse

---

[1]) Posonii 1808. — [2]) V. Assemanni Praefat. ad librum de Catholicis, seu Patriarchis Chaldaeorum et Nestorianorum. — [3]) V. Mansi c. l. pag. 965. — [4]) Libr. de Synodis.

debet auctoritas, quae sua confirmatione efficit, ut Symbolum in Concilio convocatione sua et numero Episcoporum non oecumenico editum, ab universa Ecclesia recipiatur. Ex Historia notum est, canones a Concilio hoc editos, nominatim tertium de Episcopi Constantinopolitani proedria a Romanis Pontificibus non fuisse approbatum nisi in Concilio Lateranensi IV.

Eodem anno 381. habitum est **Concilium Aquileiense** ex omnibus vix non occidentis provinciis congregatum. In sua ad Gratianum Imperatorem epistola aiunt Patros: „Totius orbis Romani Caput, Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. *Inde* enim in omnes venerandae communionis iura dimamant.“[1]) Vinculo communionis etiam in fide, imo praecipue in fide non possunt omnes Ecclesiae obstringi Ecclesiae Romanae, nisi ipsa sit in fide ab errore prorsus immunis, id est infallibilis. Huic Synodo, quam Ecclesia universa recipit, interfuit etiam S. Ambrosius, cuius celebre est dictum[2]), „ubi Petrus, ibi Ecclesia. Ubi Ecclesia ibi nulla mors, sed vita aeterna;“ et iterum „non habent Petri haereditatem, qui Petri sedem (alii legunt „fidem) non habent, quam impia divisione discerpunt.“[3])

Suprema Romani Pontificis in rebus fidei definiendis auctoritas splendidius emicuit et agnita est in **Concilio Oecumenico Ephesino**, ad quod Episcopi totius orientis convenerunt a. 431. Agebatur de tuenda recta fide contra haeresim Nestorii Patriarchae Constantinopolitani. S. Cyrillus Alexandrinus refert ad Papam Coelestinum I.: „Si in rebus usque adeo necessariis, ubi recta fides male a quibusdam depravata distortaque periclitatur, citra notam silere, et cuncta, quae hactenus mota agitataque sunt, citra morositatis vitium, *pietatem tuam celare liceret*, dixissem utique mihi: Bona ac periculi expers res est silentium; et illud rursum: praestat quietam vitam agere, quam turbis operam dare. Quoniam vero Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et vetus Ecclesiarum consuetudo suadet, ut eiusmodi res Sanctitati tuae communicentur, scribo *plane necessitate adactus,* illud significans;“ (exponit haeresim

---

[1]) Labbe t. 2. Concil. — [2]) Enarratio in Psalm. 40. — [3]) De patientia.

Nestorii). — In fine epistolae addit: „Non prius autem illius (Nestorii) communionem palam aperteque deserimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. *Digneris proinde, quid hic sentias, praescribere*, quo liquido nobis constet, communicarene nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fovet, ac praedicat. Porro tuae integritatis mens et super hac re sententia — Macedoniae Episcopis, nec non totius Orientis Antistitibus perspicue per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectaeque fidei, quae iam impugnatur, opem ferant.“ Necessitate adactus refert Alexandrinus Patriarcha de periculo fidei, sive haeresi Nestorii ad Papam Coelestinum, a cuius sententia suspendit suam cum Nestorio agendi rationem. Quamvis enim sciat illum haeresim tradere, non tamen suam cum illo communionem abrumpit, sed an abrumpere debeat, a Romano Pontifice quaerit, vultque ut huius decisio cunctis simul innotescat Orientalibus Episcopis, eo per illam adducendis, ut in recta, a Romano Pontifice decernenda fide persistant, eamque porro defendant. Coelestinus Papa Cyrillo rescribit, cuius zelum in tuenda recta fide laudat, Nestorii haeresim damnat, et declarat omnes, a Nestorio excommunicatos esse in sua (Pontificis) communione, ipsum vero Nestorium excommunicandum et deponendum decernit, si is porro in sua pertinacia perstiterit, nec intra decem dies resipuerit. Hanc autem sententiam exequendi potestate Cyrillum instruit, scribens: „*Quamobrem nostrae Sedis auctoritate adscita, nostraque vice et loco cum potestate usus, eiusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris*, ut nisi decem dierum intervallo ab huius nostrae admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam et Romana et tuae Sanctitatis Ecclesia, et universa denique religio Christiana praedicat; illico Sanctitas tua illi Ecclesiae prospiciat. Is vero (Nestorius) modis omnibus se a nostro corpore segregatum esse intelligat. — — Eadem haec ad sanctos quoque fratres et Coepiscopos nostros Ioannem, Rufum, Iuvenalem, et Flavianum perscripsi-

mus, quo *nostra, imo vero divina Christi Domini Nostri sententia* pluribus de eo sit manifesta.“ Sententia Coelestini in Nestorium lata executioni data fuit in Synodo Ephesina, cui vice Romani Pontificis praesedit Cyrillus Alexandrinus, et cui interfuere legati Romani Pontificis: Arcadius et Proiectus Episcopi et Philippus Presbyter. In hac Synodo Philippus Romani Pontificis legatus sic prolocutus est: „Dudum quidem Sanctissimus beatissimusque Papa noster Coelestinus, Sedis Apostolicae Episcopus, per suas epistolas ad Cyrillum, — Ecclesiae Alexandrinae Episcopum, *de praesenti causa et negotio definivit;* quae litterae sacro vestro conventui sunt exhibitae. Et nunc *alias rursum ad corroborationem fidei catholicae, ad vestram omnium pietatem per nos misit litteras,* quas a nobis exhibitas decenter sanctae Synodo iubete legi.“ In his litteris declarat Coelestinus Papa: „Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres et consacerdotes nostros, unanimes nobis et probatissimos viros, Arcadium et Projectum Episcopos, et Philippum Presbyterum nostrum, qui iis, quae aguntur, intersint, et *quae nobis antea statuta sint,* exequantur.“ His autem suis legatis commisit: „Ad disceptationem si fuerit deventum, *eos de corum sententiis diiudicare debetis*, non subire certamen.“ Idem Philippus Act. 3. dixit: „Nulli dubium, imo seculis omnibus notum est, quod S. Beatissimusque Petrus, Apostolorum Princeps et Caput, fideique columna et catholicae Ecclesiae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo Salvatore — — claves regni coelorum accepit; solvendique ac ligandi potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus semper in Successoribus suis vivit, et iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem Successor et locumtenens Sanctissimus Beatissimusque Papa noster Coelestinus Episcopus nos, ipsius praesentiam supplentes ad hanc Synodum misit.“ Lecta in Synodo Coelestini epistola, Proiectus legatorum Apostolicorum alter dixit: „Litterarum — Papae Coelestini — formam vestra Sanctitas consideret: qui Sanctitatem vestram hortatus est, non quasi ignorantem docens, sed tamquam gnarum commonefaciens, ut *ea, quae dudum antea definire et nunc in memoriam revocare dignatus est*, iuxta communis fidei regulam, catholicaeque Ecclesiae utilitatem ad finem numeris omnibus

absolutum deduci iubeatis.“ Litterae Coelestini religiosissime susceptae sunt a Concilio, propterea Philippus legatus dixit: „Gratias agimus sanctae — Synodo, quod litteris S. Beatique Papae nostri vobis recitatis, sanctos cantus, sanctis vocibus vestris, sancto Capiti vestro, sanctis etiam acclamationibus exhibueritis. Non enim ignorat vestra Beatitudo, totius fidei vel etiam Apostolorum Caput esse Beatum Apostolum Petrum, nimirum in successoribus etiam suis; alioquin adducta ratio nihil ponderaret.“ S. Coelestini de Nestorii haeresi, ipsius depositione sententiam pro regula ab Episcopis habitam fuisse, declaravit in Synodo Firmus Caesareae Cappadociae Episcopus: „Apostolica, inquit, et Sancta Sedes Coelestini, — per litteras, quas ad religiosissimos Episcopos, ad Cyrillum Alexandrinum, et Iuvenalem Hierosolymitanum, et Rufum Thessalonicensem, nec non ad sanctas Constantinopolis et Antiochiae Ecclesias misit, *etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit*, quam nos quoque secuti . . . formam illam executioni mandavimus, canonicum apostolicumque iudicium in illum (Nestorium) proferentes.“ Sententia Coelestini executioni data est Act. 2., in qua Patres sic pronunciarunt: „Coacti per sacros canones, et epistolam Sanctissimi Patris nostri, et Comministri Coelestini, Romanae Ecclesiae Episcopi, et lachrimis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.“ „Iustam esse sanctae Synodi sententiam demonstravit universorum Deus per litteras Coelestini religiosissimi Episcopi“ dixit Theodorus Ancyranus Episcopus. Agnoverunt Patres Romanum Pontificem tamquam *Caput fidei*, agnoverunt eius in edendis fidei definitionibus auctoritatem, cui omnes parere debeant, quae proinde ab errore immunis esse debet. Non poterant se coactos censere ad deponendum Nestorium, nisi se coactos agnovissent ad damnandum ipsius errorem. Ad hunc damnandum impulsos se dicunt per epistolam Papae, ad deponendum haereticum per sacros canones, qui ad errorem Nestorii referri nequeunt, quia nulli de hoc errore exstabant canones. De his omnibus videantur Acta Concilii Ephesini.[1])

[1]) Mansi Collect. Concil. t. 4. et Labbe t. 3.

Nestorius duas in Christo statuit personas, Eutyches vero utramque in Christo naturam miscuit docens: duas fuisse in illo naturas ante unitionem, unicam postea. S. Flavianus, Episcopus Constantinopolitanus coacto Concilio, Eutychetem tamquam haereticum damnavit. Ab hac sententia is appellavit ad S. Leonem Papam; ad quem Flavianus quoque retulit de actis contra Eutychetem, interpositis precibus, ut S. Leo per *propria scripta* dignaretur sententiam damnationis contra illum proferre. „*Causa* enim, inquit, *eget solummodo vestro solatio atque defensione;* qua debeatis consensu propria ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim *haeresis*, quae *exsurrexit*, et turbae, quae propter eam factae sunt, *facillime destruentur*, Deo cooperante, *per vestras sacratissimas litteras.* Removebitur autem et Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimae turbentur Ecclesiae.“ [1]) Si Flaviano persuasum non fuisset, iudicio Romani Pontificis plene dirimi quaestiones fidei, esse proinde illud irrefragabile, non scripsisset sententiam Leonis sufficere ad destruendas haeresim et turbas inde enatas, nec opus esse eatenus Concilio. Ad compescendas immanes turbas in Oriente in consequentiam latrocinalis Ephesinae Synodi, in qua S. Flavianus interemptus et haeresis Eutychetis confirmata est, exortas coactum est a. 451. **Concilium Chalcedonense.** In epistola per Leonem Papam ad Patres exarata, non quid ad examen esset rovocandum, sed quid ab omnibus sine haesitatione et ultro de fide amplectendum proposuit. En eius verba: „Nunc in Vicariis meis adsum, qui dudum in fidei praedicatione non desum. Ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde, fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat. Non liceat defendi quod non licet credi; cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, Apostolicamque doctrinam, plenissime et lucidissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuit declaratum, quae sit de Sacramento

[1]) V. Mansi l. c. t. 5.

Incarnationis D. N. I. Ch. pia et sincera confessio.“ Haec epistola in Synodo lecta est, quin ullus Patrum reclamaverit. Actione 1. dum Paschasius Papae Legatus Dioscorum Alexandrinum Episcopum inter iudices sedere conspexit, assurgens ait: „Beatissimi atque apostolici viri Papae urbis Romae, quae est caput omnium Ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus, quibus praecipere dignatus est eius Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est, eum dare rationem, quia Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est.“ Iussioni Leonis morem gessit Synodus, Dioscorus in medio stare et iudicium subire iussus. Inter accusationes contra Eutichetem prolatas ea quoque fuit, quod S. Leonis epistolam respuerit: „Et post haec omnia insuper et contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, ostendit insaniam, idest contra tuam Sanctitatem, — epistolam quidem tuae respuens Sanctitatis“; insania ergo est, respuere epistolam maxime dogmaticam Summi Pontificis. Actione 2. actum de dogmate, petita a Iudicibus forma, qua omnis circa fidem dirimeretur controversia. At Patres Concilii extemplo acclamaverunt dicentes, illam sufficere formam, quam S. Leo Papa in dogmatica ad Flavianum epistola exposuerat: „*Emerserunt, quae ad Eutychetem pertinebant, et super his forma data est a Sanctissimo Archi-Episcopo Romanae urbis, et sequimur eam, et Episcopi omnes subscripsimus. Ita omnes dicimus: sufficiunt quae exposita sunt, aliam expositionem non licet fieri.*“ Lecta igitur est praedicta epistola, quam Patres mox atque illam auribus suis exceperant, tanta cum reverentia susceperunt, ac si Apostolus Petrus illam scripsisset, acclamantes: „*Anathema ei, qui non ita credit; Petrus per Leonem ita locutus est.*“ Et Actione 4. iterum dixerunt Patres: „*Qui non consentit epistolae Sanctissimi Episcopi Leonis, haereticus est.*“ Nescio an illustriora his testimonia postulari queant super eo, quo mentis obsequio, qua reverentia excipiendae sint dogmaticae Summi Pontificis definitiones. Act. 3. damnatus et depositus est tam haeresis, quam multorum aliorum scelerum reus Dioscorus Alexandrinus, Paschasio caeterisque Legatis Papae dicentibus: „SS.

et Beatissimus A. Episcopus magnae, et senioris Romae Leo, per nos, et praesentem S. Synodum, una cum ter Beatissimo et omni laude dignissimo Beato Petro Apostolo, qui est Petra, et crepido Ecclesiae Catholicae, et rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio." Dum Actione 5. quipiam definitioni fidei, per epistolam S. Leonis praescriptae, subscribere tergiversarentur, Legati Sedis Apostolicae dixerunt: „Si non consentiunt epistolae Apostolici et Beatissimi viri Papae Leonis, iubete nobis rescripta dari, ut revertamur, et ibi Synodus celebretur." Moxque Episcopi Illyrici dixerunt: „*Qui contradicunt, manifesti fiant: qui contradicunt, Romam ambulent,*" nempe ad Ecclesiae Caput, finaliter iudicaturum. — Tandem dum Patres S. Leonem precibus adeunt, ut is acta Concilii et decreta sua firmaret auctoritate, rursum comprobant, sacrosanctam se habere hanc auctoritatem, dicunt enim: „Rogamus igitur, et tuis decretis nostri honora iudicium, et sicut *nos Capiti in bonis adiicimus consonantiam,* sic *et Summitas* tua illis, quod decet, adimpleat."[1])

Observatio. Exinde, quod decreta pontificia, quibus haereses damnatae fuere, in Conciliis Generalibus relecta et discussa fuerint, nihil contra irrefragabilem eorumdem decretorum auctoritatem obmoveri potest. Numquid enim vel privatis, praecipue theologis hoc modo ipsa generalia Concilia non licet examinare, ut eorum fundamenta et ipsi inspiciant, atque tam ipsi amplius informentur, et fortius de veritate convincantur, quam etiam adversarios confundere et refutare discant? Imo e simili motivo ipsas divinas Scripturas, totamque fidem catholicam licet scrutari. Anne ideo de sacrae Scripturae aut fidei veritate dubitamus, si velimus et ipsi de veritate firmis argumentis convinci, vel ad nostram instructionem, vel ut eam aliis declarare et praecipue adversariis nostrae fidei rationem dare valeamus? Itaque non semper omne examen est dubi-

[1]) V. Harduin. Acta Concil. t. 2. et Mansi Sacror. Concil. nova Collect. t. 6.

tationis, seu suspensionis iudicii, etiam ad dissensionem parati. Datur et aliud examen instructionis ad consensum scilicet per obedientiam cum ratione praestandum. Atque hinc post latam a Summo Pontifice sententiam haud frustra tamen in Conciliis examen restauratur, eo fine, ut motiva sententiae omnibus Patribus illucescant, quae in universali Synodo manifestata totius corporis cum Capite consensio ad superandam obloquentium pertinaciam externae auctoritatis, quae dari inter homines potest, maximum pondus est. Ita observante Bossueto contra Dupinium Ephesini Patres suum in damnationem Nestorii consensum manifestarunt, licet ex *obedientia* debitum, ita idem Bossuetus, cum actis Concilii perhibentibus negari nequeat, maximam congregatorum ibidem Patrum partem iam ante conventum Epistolae S. Leonis subscripsisse: ac hinc in Synodo nec de Eutychetis errore, nec de vera fide Leonis dubitavisse: ultro fatetur novum examen a Patribus fuisse susceptum ad legitime declarandum ipsorum cum Summo Pontifice consensum.[1]) Aliud profecto est examen declarationis ad suam vel aliorum instructionem, aliud dubitationis ad propriam, si placet, dissensionem.

Formula fidei a **S. Hormisda** proposita. Erga instantissimas preces Iustiniani Imperatoris Acaciano Schismati finem impositurus S. Hormisdas, qui Summum Pontificatum ab a. 514—523 tenuit, duo ab Orientalibus postulavit, primum, ut Acacii Patriarchae Constantinopolitani eiusque sequacium Episcoporum nomina e dypticis expungerent; alterum, ut formulae professionis fidei, quam ipse proposuit, omnes subscriberent, cuius tenor est sequens: „Prima salus est rectae fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare: quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus: *quia in Sede Apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio.* De hac igitur fide non cadere cupientes, et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses (quae hic recensentur). Quapropter sicut praediximus, sequentes in

[1]) Defens. t. 2.

omnibus Sedem Apostolicam, et praedicamus omnia, quae ab ipsa praedicata sunt: et propterea spero in una communione vobiscum, quam Apostolica Sedes praedicat, me futurum, in qua est integra christianae religionis, et perfecta soliditas, promittentes in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est in omnibus non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quodsi in aliquo a professione mea deviare tentavero, his, quos condemnavi, per condemnationem propriam consortem me esse profiteor."[1]) Huic professioni fidei subscripserunt primo Episcopi Epiri, in Synodo congregati, dein provinciarum Dardaniae, Illyrici et Thraciae, tum Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha cum caeteris Patriarchis, et ingenti numero Episcoporum et Archimandritarum, Episcopi Hispaniae et ipse Iustinianus Imperator.

Hanc fidei formulam **Hadrianus II.** proposuit Patribus Concilii generalis VIII. Constantinopolitani IV., quo in Concilio nemo Patrum considere permissus est, quin prius huic professioni subscripsisset, quae cum Actione 1. legeretur, tota Synodus exclamavit: „Iuste et convenienter, lectus nobis libellus, expositus est a S. Romana Ecclesia, et propterea in omnibus placet."[2]) Hadrianus II. seu potius eius praedecessor Nicolaus I. in formula Hormisdae pressius dumtaxat aliqua exposuit, signanter in hac posteriori professi sunt Patres: „Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper conservata Religio *et sancta celebrata doctrina.* Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, et Patrum et *praecipuae Sanctorum Sedis Apostolicae Praesulum sequentes in omnibus constituta.*" Unde patet in substantia nihil discriminis intercedere inter formulam, prout illam Hormisdas praescripsit, et prout eamdem Hadrianus II. proposuit. Iam qui hanc fidei formulam amplexi sunt, illi apertissime profitebantur 1. factum, in illa expressum, nimirum: in Sede Apostolica immaculatam semper conservatam esse Religionem et sanctam celebratam

[1]) Labbe Concil. t. 8. Harduin Act. Concil. t. 2. — [2]) Mansi Concil. t. 16.

doctrinam, seu aliis verbis: Petri successores Romanos Pontifices a vera fide nunquam defecisse; profitebantur 2. facti huius in formula expressam causam: promissionem nempe divinam, his Christi verbis expressam: „Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam;“ profitebantur denique etiam ipsum ius sive constans privilegium inerrantiae Romanae Sedis; allatis enim formulae verbis conservatio immaculatae catholicae religionis et celebratio sanctae doctrinae veluti effectus declaratur necessariae et mutari nequeuntis causae, promissionis nimirum Christi; ita ut vi eiusdem promissionis, quae constans, et immutabilis manet, quousque durat petra, supra quam Salvator suam fundavit Ecclesiam, immutabiliter fin Apostolica Romana Sede divino iure conservetur catholica religio et sancta celebretur doctrina. De hoc fidei libello adnotat Bossuetus:[1]) „Atque haec professio ab Hormisda Papa dictata ab omnibus Episcopis orientalibus, eorumque antesignanis Constantinopolitanis Patriarchis est recepta. Qua de re Occidentales Episcopi praesertim Gallicani multum collaetantur; ut certum sit hanc formulam a tota Ecclesia Catholica comprobatam. Eamdem fidem Iustinianus Imperator ad S. Agapetum Papam iteratis vicibus mittit. — — Omnes ergo Ecclesiae subsignata formula profitebantur, Romanam fidem Sedis Apostolicae et Ecclesiae Romanae fidem integra et perfecta soliditate constare, ac ne unquam deficeret, certa Domini pollicitatione firmatam. — — Hanc professionem eodem initio, eadem conclusione, additis subinde haeresibus atque haereticis, qui suis temporibus Ecclesiam conturbassent, per sequuta saecula frequentatam fuisse. Hanc uti S. Hormisdae Papae, Sanctoque Agapeto, ac Nicolao I. omnes Episcopi fecerant: ita iisdem verbis Hadriano II. Papae — factam in Concilio Oecumenico VIII. legimus. Haec ergo ubique diffusa, omnibus saeculis propagata, ab Oecumenico Concilio consecrata, quis respuet Christianus?“ „Tanti viri testimonium eo in opere exhibitum, quo declarationem Cleri Gallicani defendendam sumsit, adversariorum nemo repudiare, ut arbitror ausit“ — observat

---

[1]) Defens. declarat. l. 10. al. 15. c. 7.

Petrus Ballerini.[1]) Advertendum per Hormisdae Papae a Hadriano II. Concilio generali propositam, inibique acceptatam formulam fidei authenticam dari interpretationem verborum Christi[2]): „Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam“, hanc nimirum, quam etiam obvius verborum sensus praesefert „ideo nunquam superatum iri, vel errare posse Ecclesiam, quia fundata est supra petram idest Petrum, Apostolorum Principem,“ a qua proinde interpretatione Catholico recedere non licet.

Eodem sensu citata Christi verba intellexerunt S. Cyprianus, S. Augustinus, S. Leo M., item S. Ignatius Constantinopolitanus, Stephanus Dorensis et Georgius Trapezuntinus, ad quorum testimonia, in superioribus relata, heic provocare sufficiat. Accedunt:

S. Ambrosius, qui de iisdem verbis Domini disserens[3]) postquam dixisset Petrum non sane carne, sed fide factum esse fundamentum Ecclesiae, adiungit: „*Cum Ecclesia multis tamquam bona navis fluctibus saepe tundatur, adversus omnes haereses debet valere Ecclesiae fundamentum.*“ Quibus quidem verbis evidenter significat invictum Ecclesiae robur contra haereses ab invincibili firmitate et constantia Petri proficisci, qui in suis Successoribus perpetuum est Ecclesiae fundamentum.

S. Simplicius Papa † 483.[4]) „Quia, inquit, revera, quae de Scripturarum fonte purissimo sincera perspicuaque manarunt, nullis agitari nebulosae versutiae poterunt argumentis. *Perstat enim in successoribus suis haec et eadem apostolicae norma doctrinae*, cui Dominus curam totius ovilis iniunxit, cui se usque in finem saeculi minime defuturum, *cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit*, cuius sententia, quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in coelo.“

S. Gelasius Papa † 497. „Post has omnes, inquit,[5])

---

[1]) De vi ac rat. Primat. c. 13. — [2]) Matth. 16, 18. — [3]) De incarnat. Domin. sacram. c. 5. — [4]) Epist. 3. ad Basiliscum August. Epistolae Roman. Pontif. Andr. Thiel. Brunsbergae 1868. — [5]) In Synodo Roman. 494.

propheticas, evangelicas atque apostolicas scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universae, per orbem catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sint, sancta tamen Romana, catholica et apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquientis, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam etc. — — *Est ergo prima Petri Apostoli Sedes, Romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam, nec aliquid huiusmodi.*“ Idem S. Papa alibi quoque promissione Christi Petro facta Sedis Romanae infallibilitatem repetit dicens [1]): „Ibique (Romae) sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, aeterno hospitio conquiescit (Petrus) *praestans Sedi, quam ipse benedixit, ut a portis inferi nunquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus.*“

Orientales Episcopi enixe orantes Symmachum Papam † 514., ut suis Ecclesiis, schismate laborantibus quamprimum subveniret, in synodica Epistola dicunt [2]): „*Non enim ignoras eius ingenium, qui quotidie a sacro doctore tuo Petro doceris oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere, non vi sed sponte coactas.*“ *Qui quotidie a S. Petro docetur* tamquam eius successor ac potestatis haeres *in pascendis ovibus Christi*, is in fide proponenda et docenda ab erroris periculo immunis est, nec potest oves Christi ad venenata pascua deducere.

Concilium Generale V. Constantinopolitanum II. anno 553. celebratum causam trium Capitulorum potissimum discussit ac decidit, quae causa non erat fidei sed personarum, prout Vigilius Papa in epistola ad Concilium missa declaravit, et prout testatus est S. Gregorius M. scribens Episcopis Istriae [3]): „in quinta Synodo de quibusdam solummodo personis actita-

[1]) in Tractatu, quem vide apud Sirmond. in append. codicis Theodos. — [2]) 12. apud cit. Thiel. — [3]) l. 2. ep. 51. edit. Migne.

tum fuisse“ innuens. Hallucinati proinde sunt, qui asserere non dubitaverunt, Vigilium Papam in facto dogmatico definiendo errasse. Quinimo supremam Romani Pontificis auctoritatem in ipso hoc Concilio luculentissime comprobatam cernimus. Quod enim Synodus haec nec convocatione, nec suffragiorum libertate, quam Iustinianus Imperator libenter dogmatizans, impedivit, nec itaque celebratione generalis, nihilominus ab universa Ecclesia recepta fuerit, atque auctoritatem oecumenici Concilii obtinuerit, id confirmationi Vigilii Papae tribuendum est. Litteras, quarum vi praelaudatus Pontifex Synodum probavit ac confirmavit, diu ignotas, primus detexit ac comite dissertatione in Synodum V. publicavit Petrus de Marca. Sane verba, quibus Pontifex in confirmando Concilio usus est, eius in illud auctoritatem commonstrant; dicit enim: „*quae a nobis definiri debent, revelante Domino, et investigata veritate, salubriter impleta sunt,*“ quibus verbis sat clare innuit, quaestionem a Patribus discussam ac decisam supremo Sedis Apostolicae iudicio esse tandem definiendam. Ipsos Graecos ultro agnovisse, quod Synodus omne suum robur a Papae Vigilii assensu et confirmatione acceperit, ostendit laudatus Petrus de Marca in praememorata sua dissertatione, quae una cum litteris Vigilii Papae videatur apud Mansi [1]). Errant, qui Anastasium Bibliothecarium secuti, putant Vigilium Papam, quod Synodum confirmare abnuerit, in exilium relegatum et huius nonnisi aerumnis fractum confirmationem tandem impertitum fuisse.

Concilium Generale VI. Constantinopolitanum III. In causa haeresis Monothelitarum de cogenda Synodo Imperator Constantinus Pogonatus egit primum cum Dono Romano Pontifice, ac dein cum huius successore **S. Agathone,** qui Imperatoris annuens votis Romae prius Synodum celebravit 120 Episcoporum, atque hinc misit epistolam dogmaticam ad Concilium generale inscriptam Augustis, praecipue Constantino, misit etiam quatuor legatos suos in Synodo generali praesidium tenturos, sed ipsa quoque Romana Synodus exaravit litteras iisdem Augustis inscriptas, directas tamen ad generale

[1]) Sacror. Concilior. t. 9.

Concilium, quas deportaverunt quatuor Episcopi, nomine Romanae Synodi, seu potius Episcoporum occidentalium, Concilio Constantinopolitano interfuturi, quod habitum est a. 680. Actione IV. lectae sunt litterae Agathonis Papae, in quibus haec continentur: „Haec est apostolica atque evangelica traditio, quam tenet spiritualis vestri felicissimi imperii mater apostolica Christi Ecclesia. Et ideo: porrigere dignemini clementissimam dexteram apostolicae doctrinae, quam . . beatus Petrus apostolus tradidit . . . . . qui et spirituales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit. *Cuius annuente praesidio, haec Apostolica eius Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est; cuius auctoritatem utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia, et universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt, omnesque venerabiles Patres apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam et probatissima Ecclesiae luminaria claruerunt;* et sancti quidem doctores orthodoxi venerati et secuti sunt, haeretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti . . Haec est enim verae fidei regula, quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac defendit haec spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii, apostolica Christi Ecclesia; *quae per Dei Omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei Christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permanet,* secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est: Petre, Petre, inquiens, ecce satanas expetivit, ut cribraret vos sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum suos fratres admonuit: quod Apostolicos Pontifices, meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum“ [1]).

[1]) Mansi Concil. nov. Collect. edit. t. 11. Florent.

Sic magnifice de Sedis suae summa auctoritate et praerogativis loquitur S. Agatho Papa, prout in superioribus Hormisdam in sua fidei formula audivimus. Ipse quoque proponit 1. factum, nimirum „Ecclesia sive Sedes Apostolica nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexit," nec unquam a tramite Apostolicae traditionis errasse probabitur, sed nec unquam haereticis novitatibus depravata succubuit; proponit 2. causas facti: annuens Petri praesidium, omnipotentis Dei gratiam, et promissionem Christi illis declaratam verbis „rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu conversus confirma fratres tuos"; proponit 3. effectus, quia nimirum Sedes Apostolica in fide nunquam erravit, nec errare potest, hinc repeti debet, quod eius auctoritatem semper omnis catholica Christi Ecclesia, et universales Synodi in cunctis secutae, omnes venerabiles Patres apostolicam eius doctrinam amplexi fuerint, per eamdemque velut probatissima Ecclesiae luminaria claruerint. S. Agatho itaque apertissime docet, Summum Pontificem, Petri in Primatu successorem esse infallibilem a Christo constitutum fidei magistrum, cui doctrinae consentienter in hac eadem sua epistola exponit fidem orthodoxam, et vult, ut illam Synodus generalis tamquam certissimam et immutabilem ultro amplectatur. Scribit enim ultro: „Praesentes de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ad vestrae fortitudinis vestigia (ad Synodum), quae omnium nostrorum (intelligit Episcopos cum quibus Romae prius Synodum habuit) suggestionem, in qua et *Apostolicae fidei nostrae* confessionem praelibavimus, offerre debeant, *non tamen tamquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia* compendiose proferre, simpliciter obsecrantes, ut haec eadem omnibus praedicari, atque apud omnes obtinere iubeatis. Qui vero haec confiteri noluerint, ut infestos catholicae atque apostolicae confessioni, perpetuae condemnationis reos esse censemus: nec aliquando tales in nostrae humilitatis collegio nisi correctos suscipere patimur." De legatis suis ibidem observat, hanc illis abs se datam fuisse instructionem, *„ut nihil profecto praesumant augere, minuere vel mutare, sed traditionem huius Apostolicae Sedis*, ut a praedecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, *sinceriter enarrare.*" Hanc auctoritatem ac potestatem dogmaticum

infallibile iudicium ferendi, divino privilegio innixam, Patres huius Oecumenici Concilii ultro agnoverunt; in prosphonetico enim sive acclamatorio sermone Actione 18. conclamant Patres: „Summus nobiscum concertabat (adversus Macarium Antiochenum haeresis propugnatorem) Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem, et divini sacramenti mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi (Constantino Imperatori) *a Deo scriptam* illa Romana antiqua Civitas obtulit, et *dogmaticum diem a vespertinis partibus extulit. Charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur.*“ Confirmationem stabilitae in Synodo fidei a Papa Agathone suppliciter exorant, sic scribentes: „Maximi morbi maioribus indigent auxiliis . . . Iccirco Christus Deus noster . . sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam Sanctitatem, *contagia haereticae luis fortiter propulsantem remediis orthodoxiae. . .* Itaque tibi, ut primae Sedis Antistiti universalis Ecclesiae, quid agendum sit relinquimus, *stanti super firmam fidei petram*, perlectis vestrae confessionis litteris . . . *quas ut a Summo Apostolorum vertice divine praescriptas agnoscimus;* per quas exortam nuper multiplicis erroris haereticam sectam depulimus . . . orthodoxae autem fidei splendidam lucem vobiscum clare praedicavimus; *quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vetram oramus paternam sanctitatem*“ [1]).

S. Agatho haud multo post absolutum Concilium moritur, successorem nactus Leonem II., cui mox Imperator suo et Concilii nomine scribit confirmationemque eius sollicitat; e litteris Imperatoris rursum liquet, Agathonis epistolam velut a S. Petro dictatam, susceptam fuisse in Concilio. „Velut ipsum Principem Apostolici chori, primaeque Cathedrae Antistitem contuiti sumus, mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem . . nam ipsum totum Christum nobis sacrae eius litterae disserendo exprimebant, quas omnes libentibus animis sincereque accepimus, ac veluti Petrum ipsum ulnis animi suscepimus.“ Dein narrat Imperator solum

[1]) Mansi l. c.

Macarium Antiochenum Episcopum a ceteris defecisse Patribus. „*Renuit enim omnino sacratissimis litteris Agathonis assentiri, velut in ipsum coryphaeum ac Principem Petrum insaniens*“ [1]). Tantum igitur abest, ut Concilium Oecumenicum Agathoni Papae factum inerrantiae in fide suae Sedis asserenti, hancque inerrantiam sive infallibilitatem a praesidio S. Petri atque imprimis a promissione Christi repetenti, atque hoc supremum et infallibile magisterium per fidei definitionem eamque immutabilem quam fecit, exercenti, contradicat, ut potius Papae in omnibus assensum praebeat. Sane omnia optime concinunt, Caput inter et membra, Papam et Episcopos, in Synodo congregatos nulla est differentia. Agatho dicit, Sedem Romanam esse Sedem S. Petri, Ecclesiam et Sedem illam annuente Petri praesidio nunquam a veritate deflexisse, sed illibatam finetenus permanere ob ipsius Christi Domini divinam pollicitationem, his verbis significatam: „Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu conversus confirma fratres tuos.“ Oecumenici Concilii Patres vicissim dicunt: „Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps in illius successore stante super firmam fidei petram, et per Agathonem loquebatur.“ Imperator in Synodo praesens scribit: „Petrum in Agathone contuiti sumus, et hunc veluti Petrum ipsum ulnis animi suscepimus.“ De Macario vero scribit, quod Agathonis Papae fidem respuens in ipsum Petrum insanierit; contra quem ergo in sua Sede perpetuo docentem insanit, quisquis Sedis illius definitioni obedire renuit . . Dum autem S. Agatho Papa de summa suae Sedis auctoritate, consentientibus sibi 120 Episcopis, qui hoc idem asserebant in Synodo Romana, sic, prout audivimus, loquebatur, in illa coniectus fuit miserrima temporum rerumque adiuncta, in quibus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. conspicimus. Sic enim in praecitatis ad Constantinum litteris loquitur S. Agatho: „In nostris regionibus diversarum gentium quotidie aestuat furor, *nunc confligendo*, nunc discurrendo, nunc *rapiendo*. Unde tota vita nostra sollicitudinibus plena est, *quos gentium manus circumdat*, et de labore corporis victus est, eo quod *pristina Eccle-*

[1]) Mansi l. c.

siarum sustentatio paulatim per diversas calamitates deficiendo succubuit. Et sola est nostra substantia, fides nostra; cum qua nobis vivere summa est gloria; pro qua mori lucrum aeternum est. Haec est perfecta nostra scientia, *ut terminos catholicae atque apostolicae fidei, quos usque adhuc Apostolica Sedes nobiscum et tenet, et tradit, tota mentis custodia conservemus.*"

Verba Christi [1]): „Simon, Simon! ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos," S. Agatho in suis dogmaticis litteris sic explicat, ut tam promissio Petro facta, ne deficiat fides eius, quam obligatio Petro iniuncta confirmandi fratres suos, non ad solum Petrum, sed ad successores quoque eius, Romanos Pontifices, pertinere intelligatur. Siquidem autem S. Agathoni verba illa ita exponenti non solum illi 120 Episcopi, quibuscum Romae Synodum habuit, priusquam suam dogmaticam, in eadem Synodo lectam epistolam, suosque legatos ad Concilium Generale dimitteret, sed huius etiam Concilii Patres adstipulati fuerint, quippe qui conclamaverunt, Petrum per Agathonem locutum fuisse: dubitari plane nequit, illam Agathonis interpretationem eo tempore communem in Ecclesia tam occidentali quam orientali fuisse. Et profecto multo ante Agathonem Papam S. Ambrosius, S. Cyrillus Alexandr., S. Leo M., S. Gelasius Papa, S. Gregorius M., Stephanus Dorensis et alii praelaudata Christi verba eodem sensu intellexerunt, ut promissio et mandatum Christi non ad commune fraternae caritatis officium, tempore passionis Domini praestandum, sed ad perpetuum Romani Pontificis, velut Summi Ecclesiae Pastoris et Doctoris munus referretur. SS. Cyrilli Alex., Leonis M. testimonia superius relata sunt, quemadmodum etiam testimonia seriorum Patrum et Doctorum, puta S. Theodori Studitae, S. Bernardi, S. Thomae Aquinatis, qui omnes eiusdem sunt cum S. Agathone mentis. Rei gravitas postulat, ut alia quoque testimonia, quae ad rem faciunt, recenseantur:

---

[1]) Luc. 22, 31.

S. Ambrosius inquit [1]): „Petro dixit: rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti: Tu es Christus, Filius Dei vivi, respondit: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni Coelorum. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat? quem cum Petram dicit, fundamentum Ecclesiae indicavit.“ Liquet S. Ambrosium verba Christi de confirmandis fratribus non aliter, quam de illa petra, supra quam aedificanda erat Ecclesia, ad munus Summi Pastoris, et ad hoc in Successoribus Petri perennans referre.

S. Gelasius Papa dicit [2]): „Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus deferendum est, si primae beatissimae Petri Sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata et firmata, trecentorumque decem et octo Patrum invicto et singulari iudicio vetustissimus iudicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiam: Tu es Petrus etc. Et rursus ad eundem: Ecce ego rogavi pro te, ut non deficiat etc. Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquid reliqui sancti et beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, et una mostraretur compago corporis Christi, et una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur — — qua ratione — maiores nostri, reverendi illi Ecclesiarum Magistri, clarissimaque illa populi christiani lumina, quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas et martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam Sedem, quam Princeps Apostolorum sederat Petrus, *sui sacerdotii sumpta principia, repleti Christi caritate, mittebant, suae inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes.*“ A Sede, quae errori et fallaciae obnoxia est, nemo profecto suae soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscere, eo minus impetrare potuisset.

Pelagius II. † 577. immediatus S. Gregorii M. in summo Pontificatu praedecessor, ad Episcopos Istriae, ut S. Sedis iu-

---

[1]) De fide lib. 4. c. 5. — [2]) Tract. II. v. Thiel. Epist. Romanor. Pontific.

dicio parerent scribit [1]): „Nostis, in Evangelio Dominum proclamantem: Simon, Simon! ecce satanas etc. Considerate carissimi, quia veritas mentiri non potest, nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari; nam cum omnes discipulos diabolus ad cribrandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur, et ab eo voluit coeteros confirmari.“

S. Gregorius M. † 604. „Cunctis, inquit [2]), Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto et omnium Apostolorum Principi Apostolo totius Ecclesiae cura commissa est; ipsi quoque dicitur: Petre amas me? pasce oves meas; ipsi dicitur: ecce satanas expetiit cribrare vos, sicut triticum; et ego rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando confirma fratres tuos; ipsi dicitur: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam etc,“ Haud mirum itaque, quod S. Papa Theodolindae Reginae scripserit [3]): „Cum itaque integritatem nostram ex aperta mea traditione, seu professione cognoscatis, dignum est, ut de Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis nullum ulterius scrupulum dubietatis habeatis: sed in vera fide persistite, et vitam vestram in Petra Ecclesiae, hoc est in confessione beati Petri Apostoli solidate.“ Dum a Regina removet omnem rationem dubitandi, admovet et adstruit infallibilitatem definiendi. Suam declarat esse Petri confessionem, ut Romanae confessionis seu definitionis prodat firmitatem, ut fides, quae extra Petri petram rueret, firmiter in hac petra solidetur.

Episcopus Dorensis Stephanus, cuius iam superius facta est mentio, a S. Sophronio Patriarcha Hierosolym. Romam missus obtulit libellum in Concilio Lateranensi, sub Martino I. Papa a. 640 celebrato, lectum, in quo dicitur [4]): „Ipse (S. Petrus) praecipue specialiter firmiorem super omnes et immobilem in Dominum nostrum fidem habens, convertendi aliquando ac confirmandi exagitatos consortes suos et spirituales fratres, veluti ex providentia, super omnes ab ipso pro

---

[1]) epist. 3. alias 5. edit. Migne. — [2]) ep. 20. lib. 5. et ep. 40. lib. 7. edit. Migne. — [3]) ep. 38. libr. 4. e. c. — [4]) Labbe t. 6. edit. Paris.

nobis Incarnato Deo potestatem dispensative accepit, et sacram auctoritatem. Quod utique sciens — Sophronius — statuit sine mora exiguitatem meam . . . ad apostolicam hanc et magnam Cathedram dirigere."

S. Vitalianus Papa † 669. in epistola ad Paulum AEpiscopum Cretensem data [1]) scribit: „Quae praecipimus tibi secundum Deum et propter Dominum, tuaeque Synodo, stude illico peragere, ne cogamur non misericorditer, sed secundum virtutem sanctissimorum Canonum conversari; scriptum namque est: Dominus inquit Petro: rogavi pro te etc."

S. Leo IX. Papa † 1055. in epistola ad Michaelem Caerul. scribit [2]): „Taliter Sancta Ecclesia super petram, id est Christum, et super Petrum, vel Cepham filium Ioannis, qui prius Simon dicebatur, aedificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet haereticorum, quae vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda. Sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quaecunque sunt vera: portae inferi non praevalebunt adversus eam. Cuius promissionis effectum, se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur dicendo ad Petrum: Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per Successores suos reprobata et convicta, atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et Patrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?" Haec manifesta sunt, et dilucidationem non deposcunt.

De Decretalibus Romanorum Pontificum notandum. Antiquissimus est mos, Ecclesiam Dei per decretales epistolas gubernandi, quarum non omnes esse dogmaticas suapte patet, et ex illarum tenore intelligitur. Iam S. Leo M. [3]) cu-

---

[1]) Migne Script. Eccl. t. 80. — [2]) Edit. Migne Script. Eccl. t. 143. — [3]) epist. 4. c. 5. S. Leon. Opera curantibus Fratribus Balleriniis Venet. 1753.

stodiri mandat omnia decretalia constituta tam beatae recordationis Innocentii, quam omnium praedecessorum suorum. Et Gelasius Papa in decreto de Libris authenticis, quod Gratianus etiam refert [1]), inquit: „Decretales epistolae, quas beatissimi Papae diversis temporibus ab Urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendae sunt.“ Idem praecipit Nicolaus I. [2]) S. Hieronymum audivimus de eo loquentem [3]), quod Damaso Papae in responsis ad consultationes Orientalium et Occidentalium promendis operam suam impenderit. Dubitari ergo nequit, fuisse consvetudinem Romanorum Pontificum, per has Epistolas Ecclesiam gubernandi; ergo neque verosimile est, eas omnes periisse, neque alias esse, nisi quae in Ecclesia Romana receptae et servatae sunt. Insuper multae earum insertae et connexae sunt cum aliorum Patrum epistolis, ut patet ex epistolis Cornelii cum epistolis Cypriani, Innocentii I. cum scriptis S. Ioannis Chrysostomi, et S. Augustini etc. Non de Isidori mercibus hic sermo est, sed de veris genuinis Pontificum Decretalibus, e quibus tantam habemus impositam nubem testium, tantamque concordiam sententiarum, et actionum supremae potestatis, quam Sedes Apostolica omni tempore in universa Ecclesia exercuit, ut nullus nisi pertinax et impudens dubitare possit, quin hic in decretalibus epistolis expressus fuerit Romanorum Pontificum sensus, universa Ecclesia cum eis conspirante, et consentiente. Ceterum mercium Isidorianarum falsitatem non illi primi detexerunt, qui hac detectione gloriabantur, indeque invidiam creare volebant S. Sedi. Audiatur Iustus Fontaninus in prooemio ad Decretum Gratiani [4]): „Isidorianum fucum nonnihil odorari coeperunt Nicolaus a Cusa et Ioannes Turrecremata, geminum Vaticanae purpurae lumen, et utriusque iurisprudentiae et politioris litteraturae Antistes maximus Antonius Augustinus, ut iam primi inventi honos Romanae Ecclesiae proceribus, non aliis recentioribus tribuendus sit.“ Denique illi,

---

[1]) dist. 15. cap. 3. — [2]) dist. 11. c. 2. ad Mich. imp. Dist. 19. c. 1. Archi-Episcopis per Galliam constit. Dist. 20. c. fin. vide Decr. Gratian. Vide Migne Scriptor. Eccl. t. 119. — [3]) epist. ad Ageruch. — [4]) Tom. 1. Romae. 1727.

qui contra haec hisque similia Romanorum Pontificum effata, qualia isthic citantur, opponere solent cum Febronio „humana esse testimonia et suspecta; nam eorum vice Romanam Ecclesiam extollis, qui praesederunt in ea: suam agebant causam, ac laudant, cum Sedem Apostolicam magnificant," audiant Pium VI. Papam dicentem: „Sed, inquit [1]), huiusmodi tam veteres quam novos calumniatores, valide repressit Bossuetius, seu quiscunque alius sit auctor defensionis Decl. Cleri Gallicani, his verbis: Audio, quod dicant: Romanis Pontificibus Sedis suae dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa non credendum: Sed absit; pari enim iure dixerint, ne episcopis quidem aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum Sacerdotii sui honorem praedicant, quod contra est . . . quod quidem hic semel dicere placuit, *ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem;* profiteorque, me de Sedis Apostolicae maiestate Romanorum Pontificum doctrinae et traditioni crediturum; quamquam eorum Sedem non ipsi magis, quam reliqui ac tota Ecclesia, atque Orientales haud minus, quam Occidentales praedicant."

Concilium Generale VII. Nicaenum II celebratum est a. 787. in causa ss. Imaginum, quibus acerrimum bellum indixere Imperatores Leo Isauricus, et filius eius Constantinus Copronymus, de quibus inquit [2]): „Si flagellis Leo, scorpionibus Copronymus cecidit Ecclesiam, homo natus ad evertendam omnem, quod in ipso fuit, religionem; sacrarum rerum et ceremoniarum, quarum pius cultus in Dei cultum redundat, contemptor impudentissimus; ludis circensibus, victimis exsecandis, evocandis malis geniis ac manibus, aliisque idgenus veneficiis apprime deditus." Malis, per duos hos Imperatores religioni illatis, medebatur Concilium Nicaenum, cuius Actione II. nemine quidquam obmovente lectae sunt synodicae litterae Hadriani I. Papae Imperatori Constantino eiusque matri Irenae scriptae, in quibus sequentia occurrunt: „Princeps Apostolorum beatus Petrus, qui Apostolicae Sedi primitus praesedit, sui Apostolatus principatum, ac pastoralis curae successoribus suis,

---

[1]) respons. ad quatuor Metropolitas Romae 1789. — [2]) Mansi Hist. Conc. Nicaeni II. Concil. T. 12.

qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit, quibus et auctoritatis potestatem quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, et ipse quoque suis contulit, ac tradidit divino iussu successoribus Pontificibus . . . Cuius sedes in toto terrarum orbe primatu fungens, Caput omnium Dei Ecclesiarum constituta est. Et quemadmodum beatus Petrus Apostolus per Domini praeceptum regens Ecclesiam, nihilominus subsequenter et tenuit semper et retinet principatum. *Quod praeceptum universalis Ecclesiae nullam magis oportet exequi Sedem, quam primam, quae unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et confirmata moderatione custodit.*" Cuiuscunque synodi adeoque et generalis decreta, etiam quae fidem ipsam concernunt, confirmari a Sede Apostolica debent, ut vim obligatoriam habeant. In iisdem litteris Imperatorem et Matrem eius deprecatur, dicens: „Coram Deo deposco et adiuro, ut easdem sanctissimas imagines in ipsa — regia urbe, et caeteris Graeciae partibus in pristinum statum restituere — iubeatis, *observantes traditionem huius sacro-sanctae nostrae Romanae Ecclesiae*, abiicientes et respuentes iniquorum atque haereticorum calliditates: *ut in huius sanctae catholicae et apostolicae ac irreprehensibilis Romanae Ecclesiae ulnis suscipiamini.*" Ante omnem Concilii decisionem monet Imperatores, ut observent traditionem Romanae Ecclesiae velut irreprehensibilis, seu ab errore immunis, ut in eius gremium suscipi mereantur. Eadem Actione Patres Concilii Synodicis Papae litteris, et contentae in illis doctrinae plenum praebuere assensum, conclamatum enim est: „*Tota sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat,*" singuli autem Episcopi sic se declaraverunt v. g. Ioannes Episcopus Tauromaniae dixit: „*Cum veluti divinus Orthodoxiae terminus sint litterae,* quae ab Hadriano Papa senioris Romae — missae sunt, ita profiteor." — Constantinus Episcopus Constantiae Cypri dixit: „Modis omnibus lectae suggestioni — quae ab Hadriano sanctissimo Papa Romano missa est, — consentio et ita confiteor, atque cum hac fide proficiscor ad tribunal Christi veri Dei nostri." Cumque Tharasius Constantinopolitanus Patriarcha a Papae legatis provocaretur ad declarandum, an consentiat vel non litteris

Hadriani Papae respondit: „Apostolus cum Romanis scriberet, approbans studium sincerae fidei eorum ait: Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Hoc testimonium sequi necessarium est, et inconsulto agit, qui huic conatur resistere.“ Idem Tharasius Papae Hadriano de Synodo praestitit relationem, in qua legitur: „Et cum praelatae primitus vestrae fraternae sanctitatis litterae legerentur, praestolabantur omnes, *spiritalibus eduliis*, tamquam in regalibus coenis fruentes, *quae Christus per litteras vestras epulantibus praeparabat: et sicut oculus totum corpus ad rectitudinis et veritatis semitam ostendebat.* Sic ergo dirupta membra in unionem concinabant; sic vera consonantia confirmabatur; sic catholica Ecclesia unitatem recipiebat“ [1]). Spiritualia edulia i. e. veram de ss. imaginibus doctrinam Christus per litteras Hadriani proponebat, qui totum Concilii corpus ad rectam et veram in fide viam dirigebat.

Concilium Generale Lugdunense II. a. 1274. celebratum. Altera convocati ac celebrati per Gregorium X. Concilii Lugdunensis causa fuit Unio Graecorum cum Ecclesia Romana, cui perficiendae iam Clemens IV. manus admovit. In Sessione generali quarta haec Unio vi formulae fidei publice lectae et praelaudato Summo Pontifici oblatae, inita fuit, in qua fidei formula Graeci de Romana Ecclesia et Romano Pontifice professi sunt: „Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et Principatum super universam Ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum Principe sive Vertice, cuius Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae coeteris tenetur fidei veritatem defendere, *sic et quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri*“ [2]). In hac professione quaestiones, si quae de fide suboriuntur, iudicio Romani Pontificis submittuntur, et propterea quidem, ut eius iudicio definiantur, irreformabili et infallibili utique; agitur enim de fide divina, quae non potest nisi irrefragabili, infallibili iudicio

[1]) V. Mansi. l. cit. — [2]) Mansi Concil. T. 24.

niti. Hoc ipso ergo, quod Graeci professi sint, Romanum Pontificem quaestiones fidei suo debere iudicio definire, illius infallibilem in rebus fidei ac morum decidendis auctoritatem ultro agnoverunt. Eos, qui cum auctore defensionis Declarationis Cleri Gallicani, ne ex hac Graecorum professione infallibilem auctoritatem Romanorum Pontificum agnoscere cogantur, ad lusum verborum confugiunt, cum praedicto auctore dicentes [1]): „Certe *definire* ac *determinare* pro eodem habentur. Quis autem Theologus non audiit, *determinationes* sacrae Facultatis, aut quis eas propterea infallibiles cogitavit? Definit et determinat, qui tota sua, qualiscumque est, authoritate iudicat," eos inquam sic perstringit et refutat Auctor anonymus libri theologico-catholici „Quis est Petrus, et qualis Petri Primatus?" [2]) „Quas, inquit, nugas vel commemorasse iam confutasse est. Quis est Catholicorum, qui theologicae Facultatis iudicium vocet definitionem fidei, aut solum determinationem? Nonne simpliciter censura, vel iudicium audit, cui tamen salva fide contradicitur? Quid quod particularium adeo Ecclesiarum, et Synodorum decreta nondum in nostra Ecclesia *pro fidei definitione* valeant? Verum e contrario catholica doctrina est, *Apostolicae Sedis definitioni* ipsam fidei internam aeque, ac externam obedientiam deberi. Quod de *sententia definitiva* in foro contentioso scribit (Auctor Defensionis), ubi humana institutione adhuc appellatio datur, quae priorem sententiam suspendit, aeque absonum est: in fidei enim *definitione*, cui interna mentis obedientia debetur, si semel facta fuerit, nulla in terris appellatio datur, quia ideo tanta authoritas in Ecclesia divinitus instituta est, ut unitatis in fide conservandae regula haberetur infallibilis. Atque haec ipsa mens Concilii Lugdunensis fuerat, hic scopus, ut quaestiones fidei *finirentur*, seu *terminarentur*, prout quam certissime ex propriis verbis Graecorum Patrum et originali idiomate elucet". Observat dein Anonymus Bossuetum in suis contra M. M. Basnage, Iurieu et Claude exaratis scriptis, in litteris porro ad Molanum, item in Instructione pastorali, prima et secunda de promissis Ecclesiae datis, asseruisse et demonstravisse, „an-

[1]) T. 24. — [2]) Ratisbonae 1790.

tiquam Graecorum fidem fuisse, Petrum loqui per os Pontificis, authoritatem apostolicam Petri, quae fidei fundamentum sit, in Romana Cathedra semper residere, quacum necessario in unitate fidei vivendum, si quis velit de Ecclesia esse.“ etc. Ab universo Concilio Lugdunensi, cui praeter Patriarchas Constantinopolitanum et Antiochenum interfuerunt Episcopi quingenti et plurimi Abbates, solemnes Deo gratiae actae sunt pro restituta cum Graecis Unione, ut adeo dubitari nequeat, conciliarem fuisse Graecorum Unionem, conciliarem ipsum Unionis actum, et conciliare Unionis fundamentum, Symbolum nempe sive professionem fidei, cui Unio innixa est, et in quam professionem fidei tam Graeci quam Latini convenerant, illi offerentes, hi recipientes eamdem. Professioni fidei subscripsisse Metropolitas et Episcopos Graecos, ipsum Constantinopolitanum Patriarcham I. Veccum narrat et probat Raynaldus [1]). Ad rem est, quod observat Auctor libri „Regale Sacerdotium“ inscripti [2]): „Iam hac ipsa infallibilitate decidendi (quaestiones fidei obortas) Papae adempta, — quem ergo Iudicem adibunt, qui lites dirimat? nam si ad Concilium differantur, erunt utique immortales: imitari ergo Iudices Areopagi oportebit, qui difficili, implexaqne lite producta, partes iubebant post centum annos iudicio sisti, accepturas nimirum a morte sententiam. Vicerunt Iansenistae, si Concilium expectatur, et Innocentius, Alexander, Clemens, Pontifices Maximi errare potuerunt. Verissime scribit Beatus Cyprianus epist. 55. ad Cornelium: „Non aliunde haereses sunt exortae et nata schismata, quam quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia Dei Sacerdos, et Iudex vice Christi cogitatur.“

Concilium Ferrariense Florentinum a. 1437. convocatum. Praecipua Concilii huius celebrati causa fuit Unio Graecorum cum Romana Ecclesia; e parte priorum eidem interfuerunt Imperator Ioannes Paleologus, Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus, aliique magno numero Graecorum Episcopi, qui paucissimis exceptis decretum Unionis, ac signanter de Primatu Romani Pontificis in tota Ecclesia subscripserunt,

---

[1]) Ad a. 1277. — [2]) Praelud. §. 5.

quod sic sonat: „Definimus: Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.“ Cum promissa Christi: Matth. 16, 18. 28, 20. Ioan. 14, 16. 16, 13. non patiantur ut fideles in errorem circa fidem inducantur, ac convellantur ab eo, qui *verus Christi Vicarius, et omnium Christianorum Pater ac Doctor* constitutus, plena universalem Ecclesiam pascendi, i. e. docendi ac regendi potestate instructus est, obvia sane et spontanea est illatio, praecitato Concilii Florentini decreto simul infallibile Ecclesiae Capitis, veri Christi Vicarii, et omnium Christianorum Patris et Doctoris, i. e. Romani Pontificis Magisterium declarari. Recte observat Tobias Mollik [1]) Christum, cum non tantum agnos, sed et oves pascendas Petro committeret, totumque ei ovile, tamquam pastorum Primati traderet, Episcoporum quoque Collegium, fidei et doctrinae pabulo pascendum, regendumque Petro tradidisse; sicut igitur universae Ecclesiae doctrina fallax proponi non potest: ita et universae Ecclesiae fallax Propositor praeponi non potuit, qui nempe depositam a Deo in Ecclesiae sinu Traditionem non integerrime pervestigare, certo cognoscere, et eam infallibiliter proponendo, ovile Christi pascere, ad schisma cavendum Unitatem certo monstrare valeat. Porro licet singuli Episcoporum, Pastores suae Ecclesiae sint, cum tamen peculiares Ecclesiae deficere a fide possint, earum Pastores falli non posse, haudquaquam est necesse; at Pastorem totius Ecclesiae, in tota hac pascenda infallibilem esse oportet, quem utpote non particularis tantum, sed universa Ecclesia, ac praesertim dissidentibus inter se Episcopis audire, ob unitatis custodiam debet. Absonum profecto foret, gregi infallibili fallibilem Pastorem praefici, quem itaque grex, non ipse

[1]) Dissertat. de Eccl. Christi. Agriae, 1786.

gregem pascere deberet. Adcommoda ad sententiae huius confirmationem sunt isthaec S. Gelasii verba: „Quia Mundo radix est Apostoli gloriosa confessio: nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculatur. Nam si quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, unde cuique resistere auderemus errori?“ Neque praedicta illatio a mente Patrum Florentinorum aliena est, immo illam ipsam fuisse Patrum mentem, decreto nimirum Concilii declarari infallibile magisterium Romani Pontificis, Acta ipsa Concilii Florentini perhibent. Patribus enim Graecis, iussu Summi Pontificis Eugenii IV. singula decreti capita a theologis authentice explicata fuerunt. Cum igitur ad ultimum, quod de Romano Pontifice statuit, ventum esset, Ioannes de Montenigro declaravit, verbis de plena potestate pascendi haec tria contineri: „Primo, quod pascere omnes oves est commissum Petro et successoribus eius; secundo, quod Sedes Apostolica nunquam in aliqua erroris parte depressa est, sed semper mansit immaculata in fide; tertio, quod tanta est eius auctoritas, quod universalis Ecclesia, et universae Synodi semper fideliter secutae sunt, et Patres catholici semper susceperunt eius apostolicam doctrinam; et quod illa verba: Ut non deficiat fides tua, intelliguntur de Sede apostolica, et quod sit immunis ab haeresi, atque confirmationem omnium fratrum titubantium in fide ad ipsam Sedem et Romanum Pontificem pertinere.“ [1])

Hoc sensu Decretum Florentinum intellexerunt prope quingenti illi Episcopi, qui a. 1867. Romae congregati in sua Sanctissimo Domino Nostro exhibita **Declaratione** pronunciare non dubitaverunt: „Tu aeternas veritates annunciare, Tu saeculi errores, naturalem supernaturalemque rerum ordinem, atque ipsa ecclesiasticae civilisque potestatis fundamenta subvertere minitantes, apostolici eloquii gladio configere, Tu caliginem novarum doctrinarum pravitate mentibus offusam dispellere, Tu quae necessaria ac salutaria sunt tum singulis hominibus, tum christianae familiae, tum civili societati intrepide effari, svadere, commendare supremi Tui ministerii es arbitratus; ut tandem cuncti assequantur, quod hominem ca-

[1]) Labbé Concil. Coll. T. 18.

tholicum tenere, servare ac profiteri oporteat. Pro qua eximia cura maximas Sanctitati tuae gratias agimus, habituri sumus sempiternas; Petrumque per os Pii locutum fuisse credentes, quae ad custodiendum depositum a Te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus, annunciamus, unoque ore atque animo reiicimus omnia, quae divinae fidei, saluti animarum, ipsi societatis bono adversa Tu ipse reprobanda ac reiicienda iudicasti. Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto Unionis unanimes definiverunt: Romanum Pontificem, Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse.“ [1])

Audiatur adhuc **Fenelonius.** „Ex evidenti, inquit,[2]) Florentinae Synodi definitione constabit, neminem ullo quovis tempore Catholicum censeri posse, nisi certo credat, tanquam fidei dogma, hanc Sedem esse totius Ecclesiae caput, eiusque Pontificem esse Christi Vicarium, omniumque christianorum Patrem ac Doctorem, ita ut haec Sedes plena potestate a Christo donata universalem Ecclesiam gubernet. Porro id, quod singulis temporum momentis est obiectum fidei nostrae, in singulis temporum momentis verum est, et nunquam deficit. Ergo in singulis temporum momentis *usque ad consummationem saeculi*, verum erit hanc Sedem esse aeternum *totius Ecclesiae caput*, atque adeo in fide docenda catholicos omnes episcopos confirmaturam. Verum erit hanc Sedem *plena potestate* semper donatam fore, eiusque Pontificem Christi vices gerentem, universalem Ecclesiam gubernaturum. En haec sunt, quae cum *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* iuxta promissionem credenda sint, *omnibus diebus* verissima esse necesse est. Si vero Sedes apostolica *aliquid haereticum a tota Ecclesia credendum definiret,* quamdiu non revocaret impiam hanc definitionem, quae esset fidei nostrae contagium et pestis, tamdiu non esset caput membra confirmans, imo esset

[1]) V. Circul. Dioec. a. 1867. Nr. IX. — [2]) De Summi Pontificis auctorit.

membrum aegrotum et iacens, a caeteris corripiendum et sanandum. Petri successor in eo temporis intervallo Christi vices non gereret, imo antichristi: neque gentes fidem doceret, sed seduceret contra Christi fidem: neque tum temporis *omnium christianorum esset pater atque doctor;* sed esset gentium seductor, et in depravanda fide magister. Ergo tum temporis in ea suppositione falsissimum esset Florentinae Synodi decretum. Cum autem haec Florentina definitio nullo temporis puncto falsa esse possit, certissime sequitur Apostolicam Sedem nullo temporis puncto posse *definire aliquid haereticum ut tota Ecclesia credendum.*"

Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus morte praeventus decretum Concilii subsignare non potuit, sed sententiam suam tamen expressit testimonio, quod paulo ante obitum, cum homines sine fuco et fallaciis intimas animi sui latebras sincere pandere solent, exaravit, cuius tenor est sequens: „Quoniam ad finem vitae meae perveni, soluturus iam commune debitum Dei gratia scribo et subscribo sententiam meam aperte universitati filiorum meorum. Omnia igitur, quae sentit, et quae dogmatizat Catholica et Apostolica Ecclesia D. N. Iesu Christi *senioris Romae*, ipse quoque sentio, et iis me acquiescentem do, ac dico. Profiteor quoque beatissimum Patrem Patrum, et Maximum Pontificem, et Vicarium D. N. Iesu Chirsti antiquae Romae Papam ad certam omnium fidem, nec non purgatorium animarum. In horum quippe fidem subscriptum est die mensis Iunii 9, 1439. indictione secunda.[1])

Patres Concilii Florentini in praelaudato decreto imprimis respexerunt et explicuerunt sensum verborum Christi:[2]) „Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos, — pasce oves meas." Eos, qui haec Christi verba ita detorquent, ut illis infallibile magisterium Petro collatum fuisse negent, citatus Tobias Mollik ita exagitat:[3]) „Laudata, inquit, Christi sententia in adversariorum ore ita sonat: Simon! diligis me plus his? Scis, Domine, quia amo te! Pro tuo igitur in me amore,

---

[1]) V. cit. Labbé. — [2]) Ioan. 21, 16. 17. — [3]) De Eccl. Christi Dissert. 9.

pasce oves meas, videlicet: tu habeas ius convocandi Concilia a quibus pascaris; quo tamen iure per undecim saecula non utaris, ut censent adversarii. Demum eo pasces oves meas, quod tui ministerii futurum sit, ut Concilium per totum orbem promulges, melius promulgandum ab ipso Concilio; quod utpote minus fallibiliter, quam tu, acta sua proponeret. Sive autem in Concilio collectae, sive dispersae Ecclesiae sensum pervestigaveris, fidelibusque proposueris vi muneris tui, non prius tibi adsentiendum ab ullo erit, quam consensus totius Ecclesiae cum tua propositione certissime ei innotescat; gratis testaberis, te ex accepta a dispersa, vel collecta Traditione decernere: nam et illius contestationis veritas, et perquisitae Traditionis recta per te agnitio solum ex universae Ecclesiae contestatione a singulis ediscenda est. Exorta in fide controversia pasce oves meas, interim nempe balatus comprime, quin pabulum dogmaticum praebere possis; quia nemo, ut dogma, quidpiam a te suscipere debet, aut potest; si in alterutram partem inclines, alteram partem fallibili tuo decreto irritabis potius, atque in te pro zelo suo convertes, quam places. Adpellantes, afflictos agnos pasces, quantum ad te appellare sinentur." etc.

Ultima citati Florentini Decreti verba in favorem Papae depravata fuisse, et sic potius secundum graecum textum legenda esse „iuxta eum modum, quo et in gestis et in sacris canonibus Oecumenicorum Conciliorum continetur", ut nimirum haec clausula, adiecta decreto non sit priorum confirmatio, sed potius restrictio, contenderunt, mentitique sunt Petrus de Marca, Launoius, et Febronius, eo spiritu animati, ut Romani Pontificis deprimerent auctoritatem. Hos viros falli ac fallere alios invictissimis, quia inspectis, quae adhucdum supersunt, originalibus et autographis Concilii Florentini exemplaribus, superstrustis argumentis comprobaverunt Em. Schelstrate,[1]) Mamachi[2]) et Zaccaria,[3]) qui Febronio omni iure impudentiam exprobravit, quod „inanes Parisiensis Antistitis (De Marca) coniecturas (toties ad evidentiam refutatas) obtruderet." Quam-

[1]) In praefat. tract. Concil. Const. — [2]) De Rom. Pon. l. 6. — [3]) Antifebronius t. 1. et Antifebronius vindic. t. 2.

vis haec ita sint, nihilominus inventi sunt etiam recentissimo tempore homines pari spiritu infenso in Sedem Apostolicam ducti, qui eamdem crambem recoquere haud erubuerunt. Horum perversis moliminibus in acceptis referendum, quod denuo perlustrata fuerint et inspecta originalia Florentini Decreti exemplaria, quae Romae in Archivo Vaticano et Florentiae in Bibliotheca Laurentiana exstant, cum aliis antiquissimis manuscriptis codicibus, in Bibliotheca Vaticana asservatis, in quibus idem decretum descriptum legitur. In ephemeridum „La Civilta Cattolica“ Serie VII. volum. IX. vidi ego ipse, et videre quilibet potest sic dictum facsimile cum decreti Florentini originalis Vaticani, tum manuscriptorum Codicum Vaticanorum Nris 4037, 4128, 4136, signatorum, quae omnia exemplaria sic habent „quemadmodum etiam in Actis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur.“ Sic plane legitur etiam in alio Florentino originali exemplari, teste, qui illud inspexit, Canonico Cecconi.[1]) Ipse Petrus de Marca fatetur,[2]) e contextus latini lectione (quam ille depravatam existimat) erui plenam esse Papae potestatem, idque probari actis Conciliorum et canonibus. Sed lectionem textus latini depravatam non esse, luculentissime patet. Dubitari itaque non potest, clausulam in confirmationem pontificiae auctoritatis ex antiquis Ecclesiae documentis fuisse adiectam. Profecto si Concilium clausulam hanc eo scopo apposuisset, ut potestas Romani Pontificis restringatur, sibi ipsi turpiter contradixisset, vocando potestatem Papae plenam et non plenam, supremam et dependentem. Sed porro Concilium condidisset decretum absurdum (quod nefas cogitatu), quasi nempe Romano Pontifici a Domino Nostro Iesu Christo tradita plena pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam potestas per Canones et gesta Conciliorum restringi possit. Verba igitur clausulae accipienda sunt non de iuridica praecedentium limitatione, sed de historica eorum confirmatione, sive de definitionis ratione, qualis etiam occurrit in generali Concilio Lateranensi V. de Auctoritate Romani Pontificis super Concilia. Edidit ibi Leo

---

[1]) V. Armonia de 1. febr. 1870. — [2]) Concord. Sacerd. et Imper. III. 8.

X. a. 1516. Bullam „Pastor Aeternus“[1]), qua damnatur pragmatica Sanctio Gallorum, et in qua haec habentur: „Solum Romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, quam transferendorum ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex Sacrae Scripturae testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Praedecessorum nostrorum, sacrorumque Conciliorum decretis, sed perpetua etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat.“ Ipsi Graeci Episcopi cum Latinis in textu Decreti Concilii Florentini interpretando conveniunt, quod mirum haud est, cum textus ille in alium sensum sine manifesta vi vel fraude detorqueri nequeat. Bessarionem Patriarcham Constantinopolitanum superius audivimus loquentem. Alter, qui pariter Florentiae in Concilio adfuit, *Iosephus Methonensis Episcopus* in Responsione ad libellum in schismate obdurati Marci Ephesini eum sic alloquitur:[2]) „A te porro emendari Romanam Ecclesiam nihil opus erat. Nam illa cunctarum gubernatrix Ecclesiarum, et aegrotantibus Ecclesiis peritissime medetur, cum potestatem a Christo accepit regendi alias et gubernandi, non ut ipsa confirmetur ab aliis. Et tu, inquit Salvator ad Petrum, aliquando conversus confirma fratres tuos: non dixit *confirmare* a fratribus tuis, *sed confirma*.“

Quamvis autem in Conciliis Oecumenicis tam splendide effulserit suprema Romanae Sedis seu Romani Pontificis auctoritas, non desunt tamen adversarii, qui ex hac ipsa Conciliorum generalium frequentatione occasionem captant Romanorum Pontificum auctoritatem impugnandi. Quaerunt namque, si Romanorum Pontificum infallibile magisterium agnitum fuit ab Ecclesia, eccur Oecumenica Concilia tanto cum apparatu, et incommodo, tantoque cum dispendio temporis ac sumptuum coacta fuerant? cur non suffecerunt Romanorum Pontificum definitiones, Conciliis passim praemissae? Sed quaerendum est a moventibus hanc quaestionem, si prout ipsi admittunt, Pontificum definitiones, accedente Episcoporum suffragio, irrefor-

[1]) Harduin. Concil. t. IX. — [2]) V. Sanctum Florentinum Concil. editum a Monacho Benedictino. Romae 1865.

mabiles sunt, quid opus fuit Synodos generales cogere, cum sine dubio facilius expetantur et colligantur suffragia Episcoporum, quam ipsi Episcopi? Dein, siquidem indubium sit, singulos Apostolos infallibilitatis carismate donatos fuisse, cur, exorta contentione in Antiochena Ecclesia de legalium observantia, celebratum est Concilium Hierosolymitanum? quam quidem quaestionem S. Paulus ipse infallibili oraculo definire potuisset, qui de cessatione circumcisionis et totius legis ceremonialis Mosaicae convictissimus fuit. Igitur Conciliorum Generalium frequentatio tam parum officit Romanorum Pontificum infallibilitati, quam parum S. Pauli et coeterorum Apostolorum infallibilitati obfuit Concilii Hierosolymitani celebratio. Sicut Apostolorum infallibilitas ob hoc Concilium nequit in dubium vocari: ita eadem Romanorum Pontificum praerogativa ob frequentationem Generalium Conciliorum non potest impugnari. Iam primum illud Concilium fuit celebratum „facta seditione non minima“ [1]) quam excitaverunt fratres ex pharisaeis contendentes circumcisionem et totam legem Mosaicam adhuc obligare. S. Paulus ob litigantium contumaciam, ut suae doctrinae maior ab externo auctoritas accederet, rem ad Concilium detulit. Nimirum Concilia propter errantes, eorumque pertinaciam res sunt utilitatis et non necessitatis. „Quibusdam haeresibus, inquit doctissimus Thomassinus,[2]) opprimendis Ecclesia in Synodos Oecumenicas coaluit, non ipsorum haereticorum arbitrio, sed suo; nec quia necesse erat, sed quia sibi expedire videbatur: nec iuris vigore constricta, sed dispensatione tunc uti volens: nec quasi in dubio doctrinae alternatura, aut iteratae dispensationis salum periclitatura; sed praeiudicatam firmatura fidem, et eam totius corporis sui, et singulorum membrorum, quasi linguarum totidem vocibus personatura, ut iam longe inexcusabiliores sint, qui antea miserabile quidem, sed qualecunque tamen sibi de ignorantia patrocinium accersebant.“ Profecto omnibus compertum est, qui annales Ecclesiae vel a limine salutaverunt, longe plurimas haereses damnatas fuisse sine universalis Synodi strepitu ac decretis, a Summis potissimum Pontificibus. S. Pius haeresim Valentini,

[1]) Act. 15, 2. — [2]) Dissert. 12 in Concil. Chalced.

S. Eleutherius Marcionis et Cerdonis, S. Victor Praxeae, S. Zephirinus Procli, S. Cornelius Novati, S. Innocentius et Zosimus Pelagianorum, S. Damasus Apollinaris et Macedonii, S. Siricius Ioviniani, Anastasius Origenistarum, S. Coelestinus I. Nestorii, S. Leo M. Eutychetis et Priscillianistarum etc. haeresim damnaverunt. „Quippe cum, dicente eodem Thomassino,[1]) plerumque non debeat, cum persaepe non possit, cum rarissime debeat ac possit fatigari et cogi universalis Ecclesia in Synodum, pullulescant autem lites de fide haeresesque densissimae: certissimo erroris discrimini committitur Ecclesia, nisi extra Synodi subsidium, inconcusso alio quopiam, nempe Apostolici e Sede Petri oraculi praesidio muniatur. Et ut affecti sunt animi fidelium toto orbe sparsorum, ubi quid primum in fidei dogmate ambigitur, ad Petri Sedem oculos coniiciunt omnes, eius nutum explorant, inde pendent; anticipato in eorum animis hoc praeiudicio, quod illa tenet, tutissime se amplecti. *Quod cum ita comparatum sit, inde nimirum id effinitur, ut si usquam laberetur fides Romana, Ecclesiae pariter universae fides corrueret. Cum non possit ergo universa labi Ecclesia, nec Romana potest, cui se universa commisit.*“ Et certum est ex iisdem Historiae annalibus, semper factum esse, quod S. Agatho P. in superius adducta Synodica sua epistola testatus est, quod nempe auctoritatem Romani Pontificis, e Cathedra docentis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, et universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae, omnesque venerati fuerint. Reluctantes quidem non defuerunt, sed nec defuerunt, qui contra decreta Synodorum Generalium reluctabantur. Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani procacius post Synodum insaniere, quam ante. Nestoriani et Pelagiani morem non gesserunt Coelestino Papae, sed neque Ephesinae Synodo morem gessere. Eutychiani Leonis M. decreta sugillaverunt, Chalcedonensem Synodum sannis dirisque prosequebantur. Monothelitae et Iconomachi sicut Pontificibus ita oppositis sibi Conciliis acerrime contradixerunt, quin iccirco cuiquam prudenti in mentem veniat Synodorum auctoritatem irrefragabilem negare. Itaque ut ubique

[1]) Dissert. 18. in Synod. Roman.

in pretio habendum, non quidquid gestum sed quidquid pie recteque gestum est; attendendum ac ad exemplum trahendum non quod Ecclesiae et Sedis Apostolicae hostes, sed quod vindices patrarunt. Aut si et aliqua grassantium ratio habenda est; eorum non audacia, sed poenitentia est contemplanda. Iuvat rem ab exemplis illustrare.

Petrus de Marca anno 1641. scripsit librum de Concordia Sacerdotii et Imperii, sive de libertatibus Ecclesiae Gallicanae, in quo iura Primatus sive quoad Concilia, sive quoad Appellationes atque etiam quoad infallibilitatem Sedis Apostolicae oppugnantur vel certe ita coarctantur, ut vix quidquam iuris Romano Pontifici remaneat. Hoc libro S. Sedis adversarii abuti solent ad impugnandam eius auctoritatem, sed dum hoc faciunt, sectantur peccantem et non poenitentem auctorem. Petrus enim de Marca a. 1647. solennem cecinit palinodiam, ad Innocentium X. scribens: „Ego, inquit, profiteor me in omnibus sequi et amplecti eam doctrinam de iurisdictione ac immunitate ecclesiastica, quam docet Romana Ecclesia, quaecunque vero huic doctrinae contraria scripsi, quae postea decretis S. Congregationis Indicis damnata sunt, ea quoque et nunc damno et in altera eius libri editione me emendaturum spondeo." Ac reipsa in alio libro „de Primatu Lugdunensi et caeteris Ecclesiae primatibus" exarato, novis et ex antiquitate petitis argumentis Romani Pontificis auctoritatem propugnavit imo dissertationem de infallibilitate Papae dictavit Petrus de Marca, quod testatur Baluzius, qui dicit:[1]) „Composuit illa tempestate (a. 1661.) gallica lingua dissertationem de infallibilitate Papae, quam ego ab ore eius dictantis excepi. Ea fuit postrema lucubrationum eius. Hoc Petri manuscriptum servari in Bibliotheca r. Parisina dicit Suardus.[2]) Textus Petri de Marca citantur a Cardinali Sfondrato,[3]) ubi idem subiungit hanc observationem: „Vides doctissimum hunc virum fateri, sententiam de infallibilitate Pontificis esse omnium Universitatum christianarum, imo omnium fere doctorum Universitatis

[1]) In vita eius editioni operum praefixa. — [2]) De suprema Roman. Pontif. auctoritate. Aven. — [3]) Gallia vindicata. Dissert. IV.

Parisiensis, exepta antiqua Sorbona, et huius opinionem a reliquis rideri.“ Viginti itaque annis ante famosam Cleri Gallicani declarationem, risui erant sorbonici doctores, quod opinionem tenuerint infallibilitati Romani Pontificis, cui omnes fere caeteri doctores adhaeserunt, contrariam. Qui Petri de Marca opiniones antiquas citant contra Papam, commemorare deberent, auctorem illas revocasse, damnasse, correxisse, imo dissertationem pro infallibilitate Romani Pontificis dictavisse, immediate ante mortem, quando respectus humani cessant, et veritas fortius e pectore erumpit.

Alter, quo patrono gloriantur impugnatores auctoritatis Pontificiae, est Edmundus **Richerius**, qui a. 1611. vulgavit librum „de potestate ecclesiastica et politica“, damnatum ab ipso quoque auctore, qui in vita saepius, sed iterum mox ante obitum opiniones suas retractavit edita declaratione „se semper voluisse et velle et seipsum et libellum suum a. 1611. vulgatum, quascunque eius propositiones, earumque interpretationem, omnemque suam doctrinam Ecclesiae Cath. Romanae et *S. Sedis Apostolicae iudicio subiicere, quam matrem et magistram omnium Ecclesiarum, ut infallibilem veritatis iudicem agnoscit*; seque dolorem permagnum concepisse, aliquas propositiones memorati libelli sic a se esse conscriptas, ut occasionem offensionis dederint“ etc. etc. Quare ergo, qui Richerii se fulciunt auctoritate, dum Romani Pontificis divinam oppugnant potestatem, reticent, eumdem Richerium resipuisse, falsas, quas effutivit, opiniones respuisse, et compariturum mox coram tribunali Christi in Romano Pontifice infallibilem veritatis iudicem suspexisse?

Inter monumenta Catholicae Traditionis pro infallibili Magisterio Romani Pontificis non desiderantur etiam clarissima Imperatorum ac Regum testimonia, ex quorum numero unum et aliud in medium proferre iuvat tanto magis, quod hodie asseri audiamus, hanc doctrinam esse saluti reipublicae praeiudiciosam imo perniciosam, ac iccirco modis omnibus debellandam. In Oriente **Iustinianus** eminet Imperator ab a. 527—565. quem sui Magni axiomate cohonestant,

universus vero mundus suspicit, tamquam cuius providentiae tribuendum est immortale Treboniani opus, Corpus nimirum Iuris Civilis. Ad Hormisdam Papam scribit: „Quidam praedicant Christum pro nostra salute crucifixum unum de Trinitate debere praedicari. Quod si suscipiendum sit paterna provisione Reverentia vestra *cautissimo suo rescripto quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus nos certiorare dignetur*, quoniam verba videntur facere dissensionem. Nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, *etiam in hoc praedecessores vestros sequentes:* et de hac intentione liberos nos properate reddere et securos. *Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro responso nobis fuerit intimatum.*“ [1]) Non a Synodo Generali, sed a Romano Pontifice expectat in causa fidei iudicium, idque decretorium futurum, cui omnes deinceps acquiescerent; illud enim expresse dicit, credi a se et ab Orientalibus esse catholicum, quod fuerit a Romano Pontifice intimatum. Et ad Ioannem II. Papam idem Iustinianus Imperator in eadem causa scribit: „Manifestum facimus Sanctitati Vestrae: quod pauci quidam infideles et alieni Sanctae Dei Ecclesiae contradicere ausi sunt: adversus ea, *quae ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam recte tenentur.* — — Omnes vero sacerdotes Sanctae Ecclesiae et Rev. Archimandritae *sequentes vestram Sanctitatem*, et custodientes statum et *unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolica Vestrae Sanctitatis Sede.* — — Petimus ergo vestrum paternum affectum: ut vestras ad nos destinetis litteras, et ad sanctum almae huius urbis Patriarcham — — quoniam et ipse scripsit ad Vestram Sanctitatem, *festinans in omnibus sequi Sedem Apostolicam Beatitudinis Vestrae;* manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui praedicta recte confitentur, *suscipit Vestra Sanctitas, et eorum, qui iudaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam:* plus enim ita — — et quae ad vos est unitas Sanctarum Ecclesiarum, inturbata servabitur, *quando per vos didicerint*

---

[1]) Inter epist. Hormisdae 99. epist. Roman. Pontif. edit. Thiel.

omnes beatissimi Episcopi, — sinceram Vestrae Sanctitatis doctrinam.“ [1]) Ad Romanam Sedem, ut ad Caput omnium Ecclesiarum refert, a cuius responso pendere omnes Orientis Ecclesias significat: et cui omnes assensuros, imo cuius doctrinae, quidquid hactenus senserint, consensisse, profitetur.

In Occidente **Carolus M.** excellit, Christianae Religionis tam propagator quam propugnator gloriosissimus, litteris excultus ipse, litterarum ideo, litteratorumque amantissimus. Is in opere contra Pseudo-Synodum Graecorum scribit:[2]) Antequam discutiendorum testimoniorum, quae absurde Orientales in Synodo taxaverunt, sylvam ingrediamur, dignum duximus, *ut qualiter sancta Romana Ecclesia caeteris a Domino praelata et a fidelibus consulenda sit prosequamur.* — — Nam cum hic (de S. Augustino loquitur) cunctis per orbem constitutis sedibus *Apostolicas* generaliter praeferat sedes, multo magis illa omnibus praeferenda est, quae etiam caeteris Apostolicis sedibus praelata est. Sicut igitur caeteris discipulis Apostoli, et Apostolis omnibus Petrus eminet, ita nimirum caeteris sedibus Apostolicae, et apostolicis Romana eminere dignoscitur. Haec enim nullis synodicis constitutis caeteris Ecclesiis praelata est, sed ipsius Domini auctoritate primatum tenet, dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram — — et Tibi dabo claves . . . Haec ergo sanctae fidei spiritualibus munita armis et a fonte lucis et origine bonitatis salutaribus satiata fluentis, et horrendis atrocibusque haeresum obsistit monstris, et melliflua praedicationis pocula catholicis per orbem ministrat Ecclesiis. Nam beatissimus Hieronymus, vir divinis legibus et multarum linguarum peritia eruditus, dum Bethlehemiticis moraretur in arvis, et a beato Papa Damaso Romae posito de difficilibus consuleretur quaestionibus, eum pro causis fidei versa vice consuluisse dignoscitur, et sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon, vel quibus in orientalibus partibus communicare debeat, humillimis apicibus, ut apices accipiat, deprecatur. Mira res et magnis praedicanda praeconiis, interrogat, a quo interrogatur; consulit, a quo consulitur, qui

[1]) V. Inter Ioan. II. epist. edit. Migne t. 66. — [2]) Oper. p. II. edit. Migne.

magistrum se interpretandis divinis Scripturis sentit, in causis fidei venerandi Pontificis se discipulum minime erubescit . . . Unde datur intelligi sanctos et eruditos viros per diversas mundi partes praedicationis et scientiae lampade corruscantes; non solum a Sancta Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis ob fidei corroborationem ab ea adiutorium implorasse. *Quod regulariter, ut praefati sumus et exemplis docuimus, omnes catholicae debent observare Ecclesiae, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adiutorium petant, quae non habens maculam, nec rugam, et portentuosa haeresum capita calcat, et fidelium mentes in fide corroborat.*" Infallibilem in docenda fide praedicat Sedem Apostolicam; alioquin asserere nullatenus potuisset, illam esse sine macula et ruga, portentosa porro haeresum capita calcare, atque ab ea corroborari in fide mentes fidelium: neque tandem asseruisset omnibus Ecclesiis impositam esse obligationem sollicitandi post Christum apud Ecclesiam Romanam adiutorium ad muniendam fidem; idmodi enim obligatio omnibus incumbens Ecclesiis. nec datur, nec urgeri potest nisi erga Auctoritatem, in fide ab errandi periculo immunem. Exemplo denique S. Hieronymi et S. Damasi Papae innuit Carolus M. discrimen, quod inter apicem eruditionis et inter apicem auctoritatis intercedit. Commemorat namque S. Hieronymum eruditissimum et ab ipso Pontifice Damaso in caeteris quaestionum nexibus consuli solitum; in causis fidei vicissim se discipulum profiteri Romani Pontificis, et Romanae Ecclesiae, ut quae post Christum ad muniendam fidem adeunda et audienda est.

Carolus V. Imperator sequens decretum, quod Facultas theologica Lovaniensis a. 1545. condidit, subscribendum iussit, suumque hoc modo fecit: „Ecclesiam retinere et suscipere, quidquid de fide et religione tradidit, et tradit, et traditura est Cathedra Petri, super quam ita a Christo suo sponso est aedificata, ut in his, quae fidei sunt et religionis, errare non possit. Et certa fide tenenda esse, quae definita sunt supra

---

[1]) Thomassin. dissert. 18. in Synod. Rom. a. 532. cum provocat. ad Goldast. Const. Imp. t. I. pag. 516.

fidei et morum negotiis per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitime congregata.“[1])

Agnitum ab his Imperatoribus infallibile Romanae Sedis in fidei et morum rebus Magisterium, teste Historia, minime impedivit, quominus sago togaque inclarescerent, Maiestatis suae iura latissime exercerent, et subditorum suorum prosperitati uberrime prospicerent.

Recensita adusquae testimonia uni vel alteri, vel etiam omnibus illis tribus superstructa sunt Christi effatis, quae divinus Salvator praesentibus omnibus Apostolis ad solum dumtaxat Petrum direxit, nimirum: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam,“[2]) item: „Pasce agnos meos, pasce oves meas,“[3]) denique: „Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“[4]) Intellexerunt nempe testes illi: 1. quod si secundum Christi promissionem Ecclesia per Petrum firma adversus portas inferi consistat, Petro eiusque Successoribus necessario conferri debuerit potestas, illam in vera fide servandi, quodve haec alia esse nequeat, nisi potestas definiendi, quaenam fides ab Ecclesia tenenda sit. Nam si in Petro et eius Successoribus non est potestas docendi, cui in Ecclesia respondeat officium audiendi et obsequendi, quomodo poterit Petrus Ecclesiae caput et fundamentum, qui suis in Successoribus semper vivit, eam in fide conservare ac custodire? Intellexerunt 2. ad Supremi Pastoris munus pertinere non tantum gregi pabulum ministrare, sed imprimis quidem gregem ita ducere, regere et gubernare, ut is salutaria inveniat pascua, iisdemque secure perfruatur; hoc autem a Supremo Pastore praestari non posse, nisi publico illo magisterio, quo inter veritatem et errorem, salubrem et pestiferam doctrinam discernit, ac dein quaenam sequenda sit, proponit ea cum auctoritate, cui universus grex morem gerere

[1]) Thomassin. dissert. 18. in Synod. Rom. a. 532. cum provocat. ad Goldast. Const. Imp. t. I. pag. 516. — [2]) Matth. 16, 18. — [3]) Ioann. 21, 16. 17. — [4]) Luc. 22, 32.

teneatur. Intellexerunt 3. constantiam in fide Petro et eius Successoribus tam certo promitti, quam certum est, Christi orationem efficacem esse, nunquam proinde futurum, ut quando munere, sibi demandato, confirmandi fratres funguntur, in errorem prolabantur. Iccirco recte observat Duvallius:[1]) „Tantam, inquit, in Ecclesia obtinere debuit Summus Antistes potestatem, quanta ad unitatem Ecclesiae retinendam est necessaria. Atqui ad hanc Unitatem necessaria est infallibilitas definiendi. Aliter enim non possent lites et dissensiones, quae circa fidem in dies emergunt, componi, cum Concilia Generalia raro, et cum maxima difficultate cogantur."

Exhibitis adusque testimoniis innumera adhuc ex omni retro antiquitate addi possent, puta: Optati Milev.[2]) Paciani Barcinon.[3]), Auctoris Capitulorum de gratia,[4]) Patrum Concilii Tarracon.[5]), Episcoporum Galliae ad S. Leonem M.[6]), S. Aviti Vienn.[7]), Eunodii Ticin.[8]), Episcoporum Africae de a. 646.[9]), Alcuini,[10]) Aeneae Episcopi Paris.[11]) Hincmari Rhemensis,[12]) Lotharii Imp.[13]), Ratramni Corbeien.[14]), Episcoporum in Synodo Aquisgran. 860. congregatorum,[15]), Ratherii Veron.[16]), Anselmi Lucensis,[17]) Lanfranci Cantuariensis,[18]) Bernonis Augiensis,[19]) Petri Blesensis,[20]) Aelredi Rievallensis Abbatis,[21]) Ruperti Abbatis,[22]) Ioannis Salisber.[23]) Iacobi Vitriaci,[24]) Petri Cellensis[25]) Photonis Prumiensis,[26]) Anselmi Havelbergen-

---

[1]) Part. 1. quaest. 2. de infall. Rom. Pontif. — [2]) Libr. II. c. 2. et VII. c. 3. contra Parmen. — [3]) Epist. 3. — [4]) Inter Epist. S. Coelest. I. P. — [5]) Inter opera Leon. M. — [6]) Epist. ad Hormisd. — [7]) Inter Epist. Gelasii I. Pap. edit. Thiel. — [8]) Apolog. Concil. Romam. a. 501. edit. Labbé Concil. T. IV. — [9]) Ibid. T. VI. — [10]) Epist. 69. ad Lugdun. — [11]) De Eccl. Lat. et Graec. Controv. — [12]) De praedest. item de divortio Lotharii. — [13]) Epist. ad Leon. II. — [14]) Contra Graec. l. 4. — [15]) Ad Nicol. I. Pap. — [16]) Itinerar. et epist. 5. ad Ioann. Pap. — [17]) Contra Guilb. Antip. — [18]) L. de Corp. et Sanguin. Domin. — [19]) L. de quibusdam ad Miss. spectant. — [20]) Ep. ad Honor. III. — [21]) Serm. 23. in Isai. Proph. — [22]) L. 2. in Apocalyps. — [23]) Ep. 193. — [24]) Histor. Orient. — [25]) Ep. ad Nicol. Monach. — [26]) De statu dom. Dei.

sis,[1]) Thomae Bradvardini A. Episcopi Cantuar.[2]), Ioannis Paris.[3]), Ioannis de Celaia[4]), Manuelis Calec.[5]), Natalis Britonis[6]). Denique silentio penitus praetereundi non sunt summi Pontifices: Zosimus,[7]) Sixtus III.,[8]) Gelasius I.,[9]) Nicolaus I.,[10]) qui in citatis locis hanc suae Sedis praerogativam apertissime docuerunt. Iam adlatis testimoniis haec duo redduntur certissima: primum: quod infallibilitas Romani Pontificis solemnibus fidei formulis, videlicet illa Hormisdae Papae, ab Hadriano II. Concilio Oecumenico VII. Constantinopolitano IV. proposita, ab eoque recepta, illa item Concilii Lugdunensis II. modo virtuali et aequipollenti fuerit declarata; secundum: quod eadem infallibilitas Romani Pontificis, e Cathedra docentis, ordinario Ecclesiae Magisterio et publica praedicatione ac doctrina clare et expresse tradita fuerit. Quae cum negari nequeant, quaeritur, quando contraria sententia insonare et a quibus auctoribus primum defendi coeperit. Non prius, quam saeculo XV. accidit, quod contrariam sententiam nonnulli, iique pauci, nec nisi in Gallia propugnare tentaverint. Quod ipsum testes evincant omni exceptione maiores: **Ruardus Tapperus,** in Tridentino Concilio unus e praecipuis Theologis[11]) inquit: „Frustra plures Theologos conquirerem, cum possint omnes adduci, quotquot ante Concilium Constantiense floruerunt, *nam nonnisi a tempore Concilii Constantiensis et Basileensis revocata est in controversiam haec veritas apud Catholicos.* Sed omnes anteriores unanimiter docuerunt, definitiones pontificias, etiam absque generali Concilio editas, facere rem de fide, et omne iudicium de fide finaliter pertinere ad Sedem Apostolicam.“ **Duvallius,** facultatis theol. Parisiensis Decanus*) † 1638. „Velint, nolint, inquit, adversarii, liquido constat veteres Gallicanae Ecclesiae proceres hanc in Summis Pontificibus, Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse: *eos-*

---

[1]) Libr. Dialogor. — [2]) De causa haer. — [3]) De potest. reg. et pap. — [4]) In lib. mag. sent. — [5]) De process. Sp. S. — [6]) Apud S. Antonin. in prooem. — [7]) Epist. ad patr. Carthagin. — [8]) Epist. ad Ioann. Antioch. — [9]) In Tract. et commonit. ad Faust. — [10]) Epist. ad Phot. ad Mich. imp. ad Galliae eppos. — [11]) Orat. tertia Theolog. n. 7. — *) L. cit.

que, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, a ducentis aut tercentis annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruunt, coepisse.“ **Dominicus Bannes** [1]): „In publico fidei iudicio non potest Summus Pontifex errare: Hanc conclusionem asserit Divus Thomas. Quocirca arbitror, hanc conclusionem, tamquam Apostolicam traditionem esse tenendam. Et quidem ut talis haberetur ab omnibus fidelibus, *nisi a tempore Concilii Constantiensis in agro Domini inimicus homo, idest diabolus zizaniam superseminasset. Etenim usque ad illa tempora soli Graeci errabant in hac parte.*“ **Cardinalis de Aguirre** loquens [2]) de sententia, quae Romanum Pontificem in fidei definitionibus edendis infallibilem asserit, non dubitat pronunciare: „illam amplexati sunt omnes omnino theologi, quotcunque scripserunt ante Concilium Constantiense, inchoatum a. 1415. Nullus enim eousque, nisi forte heterodoxus aut schismaticus invenitur, qui auctoritatem infallibilem negaverit Romani Pontificis, quoties ex Cathedra Sedis Apostolicae definit aliquid, tamquam credendum ab omnibus fidelibus circa fidem aut mores.“

Doctissimus **Thomassinus** eamdem confessionem eruit ex Almaini, Ioannis Maioris, et Ioannis Gersonii enuntiationibus de superioritate Concilii Generalis supra Papam, quibus praemissis, observat [3]): „Suos ergo ipsimet confitentur natales, scilicet nuperos; et limites valde angustos: si ecclesiasticae antiquitatis et universalitatis ratio ineatur. Scholam, non Ecclesiam: Parisinam, aut ut ipsis largiamur, quod ad libitum sumunt, Gallicanam, non *Catholicam: post Constantiense demum Concilium, non ante sensisse ita affirmant;* non sponte eo, sed vi quadam delatam; cum non aliter ex schismatis illius pestiferi laqueis extricari se posse arbitrarentur: cum ad dubios vel spurios Pontifices fas esset eam sententiam coarctare. Prius autem vel ipsi non dissimulant inauditam hanc fuisse in Ecclesia Christi conflictationem Pontificis et Concilii, Capitis et Corporis.“

---

[1]) in 2. 2. S. Thomae, quaest 1. art. 10. — [2]) Defens. Cathedr. Petri disp. VII. — [3]) Dissert. 18. in Syn. Roman. a. 532.

Petrus Ballerinius in hanc inquirit quaestionem [1]): Quam sera contrariae (infallibilitati Romani Pontificis) sententiae initia, et quatenus inter catholicos recipi et in scholas induci ac propagari coeperit? Respondet sic: „Dubitari non posse videtur, quin eadem sententia inter catholicos theologos irrepserit ac invalescere coeperit eodem fere tempore, occasione eadem, iisdemque auctoribus, *quibus sub Pisanam Synodum et Constantiensem inducta fuit opinio* de Conciliorum generalium auctoritate supra ipsum Romanum Pontificem.“ Dein Petrum de Alliaco et Ioannem Gersonium nominat, velut huius antea inauditae apud Catholicos opinionis auctores.

Valde autem falleretur, qui existimaret ambos hos viros, magistrum et discipulum sibi constitisse. In inconstantia ac paradoxis effutiendis opinionibus sibi simillimi fuere. **Ioannes Gersonius** ipse fatetur sententiam, quae negat Romani Pontificis infallibilitatem, esse novam, et contrariam ante Concilium Constantiense communiter fuisse tentam; dicit namque [2]): *„Fallor, si non ante celebrationem huius sacrosanctae Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum, litteralium magis quam litteratorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset de haeretica pravitate vel notatus, vel damnatus.“* Ipse quoque Gersonius agnovit Romanae Sedis in fide indefectibilitatem sive infallibilitatem. In sermone, coram Alexandro V. Papa habito [3]), hanc rationem assignat, cur Graeca Ecclesia erroribus vitiata fuerit, non autem Latina: „quia, dicit, Latinitas ipsa purior et immaculata Sedem habet Petri, pro cuius fide ne deficeret, specialiter oravit ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, — — propterea laborandum est, ut omnes obediant uni Capiti, sicut laborandum est ad unitatem. Ipsi (Graeci) tenere debent determinationes factas per Sanctum Papam Romanum.“

Interim fatendum est auctorem hunc tradidisse absurdissima quaeque suis in Opusculis, quae recensere longum foret. Aliqua attingere suffecerit. Docuit: posse contingere, ut Ecclesia reducatur ad unicam personam fidelem; item: posse

[1]) Append. de infallib. Pontif. §. XII. — [2]) De potest. ecclesiast. Consid. XII. — [3]) De pace et union. Graecor. III. Consid.

dari casum, quo generale Concilium legitime valeat convocari per minimam vetulam. „Nec dico Ecclesiam universalem posse reuniri, cum ipsa schismate non possit dividi, quia etiam in unico supposito potest salvari. . . . Dixi, quod ad imperatorem in casu praesenti convocatio Concilii videatur pertinere. Quod si non sit, devolvitur haec convocatio ad reges et principes primo, post ad communitates, et alios dominos saeculi, quod si non essent, devolvetur ad cives et rusticos post, usque quo deveniret ad minimam vetulam. Sicut enim universalis Ecclesia potest salvari in minima vetula, sicut factum est tempore passionis Christi, quia est salva facta in Virgine Beata, sic ad salvationem universalis Ecclesiae potest convocatio Concilii fieri per minimam vetulam“ [1]). Docuit: Papam in haeresim lapsum non esse ipso facto depositum, sed deponendum, interea vero posse ipsi obedientiam denegari, imo posse ipsum incarcerari, ligari et in mare demergi [2]). Docuit: quod ad universitatem Parisiensem, filiam regis spectet secundum doctrinam de sanctae Ecclesiae iudicare gubernamine [3]). Docuit: non aliam Romano Pontifici a Christo collatam fuisse potestatem, quam quae etiam minimo mundi Episcopo collata est; idest ligandi per poenitentias et solvendi culpas, quam tamen amittit Papa, si sit in peccato mortali [4]). Vir hic per sua scripta comprobavit verum esse, quod dicit [5]): „diebus istis malis, quando studium theologiae refriguit, quoniam magna ex parte dissipatum est, ubi potissime florere solebat.“ Censet Petit-Didier [6]) dignum Gersonii opus, quod aeterna oblivione sepeliatur, et indignissimum, cui fides adhibeatur in his omnibus, quae contra Romanam Sedem declamavit. „Gersoni contra Papas fanatico solitum etiam fuit in coeteris ad extrema prosilire,“ ait Carrara [7]). Mirum proinde non est, quod Ludovicus XIV. novam Gersonis operum editionem prohibuerit, sed hoc maxime mirandum, scriptorem adeo saepe furibundum, sibi contradicentem, Sedis Apostolicae irreverentissimum, pro au-

---

[1]) de modis vivendi. — [2]) de auferib. Papae. — [3]) Serm. ad popul. Paris. — [4]) de modis vivendi. — [5]) Tract. de examin. doctr. — [6]) Dissert. de Concil. Constant. — [7]) de prim. Rom. Pontif.

ctore aurei operis „de imitatione Christi“ haberi potuisse, quod piissimo Thomae a Kempis tribuendum esse, invictissimis argumentis demonstravit Ioann. Bapt. Malou, Episcopus Brugensis.

Gersonius magistro utebatur **Petro Alliaco** † 1425., qui falsissima et secum pugnantia docuit, nimirum: 1. probabile esse, ut Concilia generalia contra fidem errent, ideo licitum esse, ab uno Concilio Oecumenico ad aliud provocare, et inde ad universalem Ecclesiam, si possit tota Ecclesia convocari; 2. posse fieri, ut omnino nulli in Ecclesia Sacerdotes remanerent, quo casu Deus ipse ordinaret Episcopos et Sacerdotes, idque Ecclesiae revelaret, estque temerarium negare huius casus possibilitatem; 3. Ecclesiam a Christo fuisse aedificatam super Scripturam Sacram: unde sequitur non exstitisse Ecclesiam Christi, antequam conscripta fuerunt Evangelia. Sedem Romanam modo fallibilem, modo infallibilem asseruit, et eam Caput esse universalis Ecclesiae modo defendit, modo negavit. En exemplum assertae ab illo infallibilitatis Pontificiae: „Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate iudiciali suprema circa ea, quae sunt fidei, iudicialiter definire; quia ad illius, tamquam supremi iudicis auctoritatem pertinet, in fide iudicialiter definire, cuius fides nunquam deficit, quia de S. Sede in persona Petri Apostoli, in ea praesidentis dictum est Petro: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Ita defendit opinionem, suae hic enunciatae conformem, in tractatu theologico Clementi VII. a. 1387. oblato. Postquam **D. Bouix** [1]) errores et contradictiones Petri de Alliaco recensuit, sic concludit: „Quorsum haec de Petro All. commemorata? Non alium in finem, quam ut palam faceremus, nihili faciendam esse huius theologi auctoritatem. Sane cum eum nobis obiiciunt, tantisque laudibus extollunt Gallicani systematis propugnatores, merito responderi posset: eius scripta nunquam perlegistis, et virum hunc tanti faciendo, decepti decepistis. Pudeat tandem aliquando dicti systematis sequaces inter auctoritates recensere sciolum hoc et malesanum caput, quod

[1]) in Tract. de Papa t. 1.

schismatis difficultates perturbaverant, atque in transversum egerant."

Inter primos Pontificiae auctoritatis et infallibilitatis impugnatores praeter Petrum de Alliaco et Ioannem Gersonem referendi sunt **Ioannes Almainus et Ioannes Maior**, itidem doctores Parisienses, qui eapropter a Pontificum osoribus maximis cumulantur encomiis. Iam quid hi auctores de Regibus docuerint, paucis attingendum est. Ac Ioannes quidem Gersonius [1]) scribit: „Error est, dicere, terrenum principem in nullo suis subditis, dominio durante, obligari. Quin secundum ius divinum, et naturalem aequitatem, et verum dominii finem, quemadmodum subditi debent fidem, subsidium, et servitium Domino; sic etiam Dominus subditis suis fidem debet, et protectionem; et si eos manifeste, et cum obstinatione iniuria, et de facto prosequatur princeps, *tunc regula haec naturalis: vim vi repellere licet, locum habet; et id Senecae in tragoediis: Nulla Deo gratior victima, quam tyrannus.*" Almainus vero [2]) a societate, seu a republica non modo deponi posse Regem, minus recte suo munere fungentem, docet; sed etiam puniri sic oportere, ut par noxae poena sit. Nam societatem spoliare sese potestate, qua in suum principem pollet, non posse; ulcisci autem contra, quod improbe factum a principe ipso fuerit, iure posse. Item docet, iniuste damnato licere impetere principem, et rebellare contra eum; perspicuum enim esse, quod vim vi repellere liceat." Nec his mitiora docuit Ioannes Maior [3]). **Elias Dupinius**, aeque impugnator potestatis Pontificiae, in praefatione operibus Gersonii ab se editis praemissa, veram originem potestatis civilis et ecclesiasticae Tractationibus Gersonii, Almaini, Maioris contineri scribit; ac de Almaino speciatim agens, inquit, „quaestiones omnes, quae circa haec moveri possunt, *accurate* enucleat." De sanguinaria Gersonii oratione loquens „*in ea*, ait, *sunt egregiae ad Regem et liberae admonitiones.*" Ecce! qui in Romanum Pontificem insurrexerunt, ii nec Regibus pepercerunt!

Mamachius Febronio, quod praedictis auctoribus, velut

---

[1]) Consid. 5. p. T. IV. — [2]) l. de auctor. Eccl. — [3]) in Evang. Matth.

magistris usus fuerit in elucubrando virulento suo, quod contra Romanum Pontificem scripsit, opere, haec obiicit [1]): „Hos tu duces et magistros sequi consuesti. At horum, inquis, sanguinariis doctrinis — nullo modo prorsus assentior. Itane vero? Cur ergo *probatissima* opera eorum vocas, quos noveris in tam saevas, tamque crudeles sententias incidisse? contra vero Romanam Ecclesiam, etsi has reprobet, tamen, quasi monstris opinionum delectetur, adeo insectare? — an sanguinaria illa portenta dogmatum reprobata esse ab Sede Apostolica — neges? ut fidenter (conflandae invidiae causa) negavit is [2]), quem tu laudas plerumque, et quo auctore persaepe utere? Miror equidem vos, qui circumspexisse omnia gloriamini, non vidisse, quod in Bullario Romano sit, omnibusque propterea ante oculos versetur." Adducit dein Constitutionem in Bullario contentam Pauli V. contra eorum nefarium et execrandum scelus editam, qui impias manus Principum personis admovere, aut contra eorum salutem quomodolibet attentare non verentur. Tum prosequitur: „Et hos tamen (Romanos Pontifices) iniuria — lacessere non verere, quos etiam *Curialistas* vocas probri nomine; cum seditiosorum, sanguinariorumque dogmatum patronos summis laudibus efferas in coelum . . . Verumtamen si qui tibi vituperandi, exagitandique unquam fuere, non ii fuerint, necesse est, qui detestantur, sed ii quidem certe, qui perniciosa, atque immania opinionum monstra in hominum societatem inducere conati essent. At longe te secus fecisse, perspicue palam est . . . Curandum vero est tibi, ne quis isto maxime capite hos abs te postremos laudatos putet. Nam — — sic agis quandoque, ut ea probes, quibus seditiones concitari, crearique Regnis ac Regibus pericula posse videantur. Cognosce, tuane omnis haec sit oratio: *potestas Principis — tamquam ab arbitrio populorum dependens, mutari, luxari, adstringi, atque ita multis modis a sua originaria institutione, et prima sanctione pragmatica discedere potest. Ex aequis, solidis ac innoxiis his principiis Regum coronis*

[1]) Epistolar. ad eundem Febron. t. 1. Romae 1776. — [2]) Auctor operis: Dottrina della Chiesa intorno alla suprema autoritá di Re. Venet. 1768. —

pericula parari, quis somniabit, nisi forte aliquis de trivio monachus? Si oculos in voluminis secundi tui pag. 553. conieceris, istam sententiam agnosces profecto tuam.“ Denique Febronium inviat ad expendenda haec Tertulliani [1]): „Iidem ipsi, qui per genios Caesarum in pridie usque iuraverant; qui pro salute eorum hostias et fecerant et voverant, qui Christianos damnaverant, hostes eorum — Imperatorum — sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, *quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto Romano imperio.*“ Principum Ministri, quibus Gersonii, Almaini, Febronii placita contra Ecclesiam Catholicam et eius Caput arriserunt, eosdem Principes vix attentos fecerint, quidnam praedicti pontificiae potestatis oppugnatores senserint, quidve docuerint et commendaverint de regia potestate!

Constat igitur tam de tempore, quam de viris, qui primi contra omnem retro antiquitatem in dubium vocare ausi sunt infallibile magisterium Romani Pontificis. Occasionem autem suas despumandi confusiones viris illis praebuit magnum Occidentis schisma, quod Ecclesiae corpus annis quadraginta et uno discerpsit, cuiusve sopiendi causa a. 1414. convocatum est **Concilium Constantiense.** Quae in huius Concilii sess. 4. et 5. de Romano Pontifice statuta sunt, veri, legitimi, ac indubitati Pontificis supremae auctoritati nihil obsunt, nec quidquam contra superioritatem Summi Pontificis supra Concilium Generale probant. Etenim dum Concilium illa decreta fecit, generale nondum fuit, quippe quod e sola dumtaxat Ioannis XXIII. Obedientia constitit. Obedientia namque Gregorii XII. nonnisi ad sessionem 14., illa autem Benedicti XIII. ad sessionem 35. primo accessit [2]). Utraque vero haec Obedientia non accessit nisi ea sub expressa et a Concilio acceptata conditione, ut illud, quasi nondum legitime convocatum esset, a Gregorio XII., et iterum a Benedicto XIII. quoque convocaretur, quorum etiam convocatoriae Bullae in praedictis sessionibus lectae ac receptae fuere. Quo quidem facto Concilium luculentissime agnovit, se nonnisi inde a ses-

[1]) ad Scapul. — [2]) V. Concil. Germaniae t. 5. Colon. 1763.

sione 35. esse generale, tale proinde non fuisse, quando 4. et 5. sessionem celebravit. Porro si Concilium, quando adhuc ex Obedientia solius Ioannis XXIII. compositum erat, se iam pro generali habuisset, non potuisset admittere et recipere litteras Regis et Reginae Castellae hoc sub titulo Concilio a. 1416. inscriptas: „Ad Congregationem quatuor nationum in Constantia." Obedientias Gregorii XII. et Benedicti XIII. non reputavisse congregatam Constantiae solius Ioannis XXIII. Obedientiam pro generali Concilio testatur Cardinalis Turrecremata[1]) dicens: „Nullus dubitat, quod asserere, quod sola obedientia Ioannis faceret Concilium universale universalem Ecclesiam repraesentans, esset temerarium ac scandalosum aliis duabus Obedientiis." Idem testatur Eugenius IV. [2]) sic inquiens: „Non dixit Obedientia Gregorii, non Benedicti, quae Christianitatis pars non modica erat, ante tempus conventionis plenarium fuisse Concilium, nec prius actitata, quasi Synodi Generalis plenaria auctoritate suscepit. Itaque oportuit ipsis convenientibus primo ab Obedientia Gregorii, deinde ab Obedientia Benedicti novum Concilium convocari; hincque universa Ecclesia concurrente, plenariam Synodi rem et nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum ipsis a Patribus ibi considentibus actum est, universae Ecclesiae non debet adscribi; sed eis tantum, qui ibidem considebant, et unius tantum Obedientiae Synodum faciebant." Certissimum insuper est, decreta in sessionibus 4. et 5. lata a Martino V. nunquam approbata fuisse, qui non approbavit alia Concilii Constantiensis decreta, nisi quae *rite* et *conciliariter* facta fuerunt, et ea, quae quaestiones fidei attingebant. Constat hoc ex actis per quatuor protonotarios conscriptis sess. 45., ubi dicitur, Martinum V. omnibus imposito silentio dixisse: „*quod omnia et singula decreta Constantiensis Concilii approbat et ratificat, quae in materia fidei conciliariter statuta erant, non autem alia, neque alio modo.*" Decreta sess. 4. et 5. nullo modo approbata per Papam fuisse inde quoque elucet, quod in publico generalique Consistorio occasione appellationis, ad futurum Concilium per Polonos interpositae, absolute decreverit Martinus V. „*nulli*

[1]) libr. de Eccl. — [2]) in apolog. contra Basileenses.

fas est a supremo Iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, Iesu Christi Vicario in terris appellare.“ Quod dum Papa decrevit, nullus Patrum contradixit, imo ipsum hoc decretum Actis sess. 45. inferri passi sunt. Decretum hoc decretis sess. 4. et 5. directe oppositum, si Concilium iuri suo praeiudiciosum existimavisset reclamasset profecto, et illud Actis inseri non sivisset. Unde liquet ipsum Constantiense Concilium, Summumque Pontificem damnavisse appellationes a Papa vero et indubitato ad Concilium. Hoc idem agnoscit Gersonius in suo Tractatu, „quomodo et an liceat a Summo Pontifice appellare,“ ubi tamquam rem sibi compertam et indubitatam narrat, Martinum V. in sua Constitutione ad perpetuam rei memoriam promulgata in Consistorio generali Constantiae celebrato 6. Idus Martii, Pontificatus sui anno 1. sic decrevisse: „Nulli fas est a Summo Iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut eius iudicium in causis fidei, (quae tamquam maiores ad ipsum et Sedem Apostolicam deferendae sunt,) declinare.“

Ex eo, quod Concilium Constantiense tres dubios Pontifices Gregorium XII. Ioannem XXIII. et Benedictum XIII. ac duos quidem priores ipsis consentientibus, ultimum vero, utpote a sua Obedientia derelictum, a Summo Pontificatu amoverit, et Ecclesiae de vero ac certo Pontifice providerit, nihil contra Pontificis dignitatem aut auctoritatem colligi potest. Siquidem enim dubii Pontifices non sint veri Pontifices, potestas Concilii super illos nihil plane derogat veris, certis, indubitatis Pontificibus. Nam electo postea vero Papa per tale Concilium, in illo erit plena pontificia potestas, ipso Concilio superior, quia non ab illo, sed ab ipso Christo omnem accipit et habet potestatem. Quod ipsum Concilium quoque Constantiense agnovit, ad postulata nationis

Germanicae declarando [1]), „Papam semel electum a nemine ligari posse.“ Sed praedicta Constantiensis Synodus infallibilitatem etiam Romanae Sedis et Ecclesiae agnovit; approbavit enim censuram, adversus tres priores Wicleffi propositiones a pluribus Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, et Theologis, quibus ipsa earum discutiendarum negotium demandaverat, latam, in qua alia inter haec leguntur: „Impossibile est, quod talis Sedes et talis Romana Ecclesia aliquid non rectum determinet; et teneat pro fide Catholica, et recta. Alias in tali casu Sedes illa Apostolica et Romana Ecclesia esset haeretica, et erronea, tenens tenaciter fidem pro non fide. Quomodo ergo ipsa esset Mater, et Caput omnium Ecclesiarum, in omnibus tamquam magistra sequenda, ad quam in dubiis, et arduis est recurrendum, quando circa fidem in aliquo dubitatur? — Ecclesia Romana est anima Ecclesiae Catholicae, et in illa easdem fuuctiones exercet, quas anima in corpore humano; — principalis ac praecipua auctoritas in hac Ecclesia sita est, atque ab ea fidei Ecclesiae certitudinem omnes accipiunt. Quomodo quis certus esset, nisi credulitate explicita securitatem haberet, quod in tota illa Ecclesia, per orbem terrarum diffusa, est quaedam summa, capitalis, compendiosa Ecclesia, in qua est summus principatus, summa plenaque auctoritas et potestas visibiliter in humanis cognoscendi et definiendi, approbandi, docendi, assecurandi universaliter, quid credendum, quidve discredendum“ [2]).

Nemini igitur videbitur mirum, doctrinam de infallibili magisterio Romanae Sedis, Romanique Pontificis post Concilium etiam Costantiense in pristino suo vigore in Ecclesia permansisse, et contrariam huic paucorum Gallorum illo tempore enatam opinionem reiectam fuisse. Quod rursum testimonia evincant: S. Ioannis Capistrani testimonium superius exhibitum est. Ioannes Cardinalis a Turre-

[1]) V. Acta Concil. apud. Schelstrate p. 268. — [2]) V. Van der Hardt, Acta Conc. Const. T. 3 et ill. Roskoványi, Romanus Pontifex. T. I.

cremata, Legatus Pontificius ad Concilium Basileense, dein ad Concilium Florentinum Latinorum Orator plures edidit tractatus, in quibus validissime supremam ac in fidei quaestionibus definiendis infallibilem propugnat Summi Pontificis auctoritatem [1]). Concilii Florentini decretum, ope cuius definitur, Romanum Pontificem totius Ecclesiae Caput, omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere: ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, in superioribus pariter expensum, demonstratumque est, ex hoc decreto prono alveo deduci, totius Ecclesiae Caput, omnium Christianorum Patrem et Doctorem, dum tradita a Christo plena potestate pascit, regit ac gubernat universalem Ecclesiam, erroris expertem esse debere, cum certissimum sit, totam Ecclesiam non posse esse erronei magistri filiam et discipulam, nec errore pasci, regi et gubernari posse universalem Ecclesiam per plenam ad id potestatem ab ipso D. I. Christo acceptam. **Petrus Oxomensis,** Theologiae Professor Salamanticensis edidit libellum, in quo praeter plures alios errores docuit, „quod Ecclesia Urbis Romae errare possit.“ Mandato **Sixti IV.** Pontificis habita est a 1479. Congregatio quinquaginta duorum virorum, magistrorum in theologia et iure Canonico sub praesidio Alphonsi Carilli Toletani A. Episcopi, in qua sicut aliae propositiones Petri, velut falsae, erroneae et haereticae condemnatae sunt; ita illa etiam de Ecclesia urbis Romae prolata, quam sententiam, Sixtus IV. edita Bulla confirmavit, cuius unum exemplar in Bibliotheca Ecclesiae Toletanae, aliud in Monasterio S. Vincentii Placentino conservari asserit Carranza, Toletanus aeque Archi-Episcopus [2]). Ipse autem Petrus errores suos retractavit, et professus est sic: „Et cognoscens veram fidem, anathematizo omnem haeresim maxime eam, de qua hactenus sum infamatus, et consentio Sanctae Matri Ecclesiae Romanae et Sedi Apostolicae; et ore ac corde profiteor . . illam fidem, quam Dominus Sixtus Papa modernus, authoritate apostolica et evangelica

---

[1]) V. Opusc. De Inerrantia Rom. Pont. suffragium Card. Turrecremata. Taurini 1861. Vide etiam Roskoványi l. ubi opera Cardin. recensentur. — [2]) Summa Concil. T. 3.

tenet.“ Ergo assertio haec „Ecclesiam Urbis Romae in fide errare posse“ damnata est tamquam haeretica et a Complutensi illa Congregatione, et a Sixto IV. Pontifice, et damnati erroris auctor professus est, quod teneat illam fidem, quam Sixtus Papa tenet, cuius fides est illa Ecclesiae Urbis Romae, quae hoc ipso erronea esse nequit.

Qui **Alphonsi Tostati**, aeque Hispani, Abulensis nempe Episcopi, quibusdam dictis abutuntur ad impugnandam Ecclesiae et Pontificis auctoritatem, legant, quae ille ad Matth. XVI. adnotavit,[1]) postquam quaesivisset: „quare Christo interrogante nunc, quem dicerent ipsum Apostoli, respondit solus Petrus, cum prius interrogante eo, quid turbae crederent, responderint omnes discipuli?“ Ad hanc quaestionem quinto loco respondet Tostatus sic: „Quia cum Petrus futurus esset pastor, et populus debet tenere talem fidem, qualem pastor confitetur: et Petrus futurus erat universalis pastor, *voluit Christus, quod confessio fidei esset per Petrum solum, ut innuatur, quod talis fides tenenda est, qualem praedicat Romana Sedes, quae est Caput, et Mater Ecclesiarum, cui Petrus praefuit.*“ Tostatus facto quoque agnovit, quod in citato loco docuit, infallibile Romanae Sedis Magisterium; accusatus enim de nonnullis erroribus a. 1443. litteras dedit ad Eugenium IV., in quibus cetera inter ait: „Sed in omnibus determinationi et correptioni Sanctitatis Vestrae, et Sanctae Romanae Ecclesiae tam in sententia, quam in verbis me submisi, et submitto, a qua nunquam intendo deviare, sicut nec hucusque aliquando sponte deviavi, nec etiam intendi praeiudicare veritati.“[2])

Melchior Canus, Episcopus Canariensis, antea Professor in Collegio Salamanticensi, et unus e Theologis Concilii Tridentini, cuius in Historia eiusdem Concilii cum laude meminit Cardinalis Pallavicinus, sed quem etiam Dupinius praedicat,[3]) sic de eo scribens: „Melchior Canus sublimi ingenio pollens, non modo Philosophiam et Theologiam apprime edoctus erat, verum etiam in historia et politiori litteratura versatissimus, cultissimo sermone latino utebatur . . Tractatus de locis Theo-

---

[1]) Oper. T. X. edit. Colon. Agripp. 1613. — [2]) Raynald ad a. 1443. — [3]) Bibl. Author. Eccl. T. 14.

logicis opus plane aureum est, omnibusque numeris absolutum, summaque elegantia concinnatum.“ In hoc aureo opere[1]) Romani Pontificis supremam ac infallibilem auctoritatem docet ac defendit. E multis praeclare disputatis, haec pauca, quae sequuntur, decerpsisse sufficiat: „Romanum Pontificem in Petri locum, fidem, auctoritatemque succedere, Ecclesia ab Apostolorum tempore semper agnovit. Quod, quoniam totius orbis consensione usque firmatum erat, ne Ariani quidem negare potuerunt, ut Sozomenus libr. 4. histor. trip. cap. 15. et 16. prodidit. Ad Romanam porro Sedem episcopos Ecclesiarum in causis quibusque gravissimis provocasse, ab illius ore fideles fidei semper oracula petiisse, illius iudicium catholicos omnes in religionis controversiis expectasse, illius denique et vim et auctoritatem sacra omnia efflagitasse Concilia, adeo certum et manifestum est, ut sim ego ineptus, si velim ostendere. Quibus ex rebus, quoniam negari non possunt, conflatur et efficitur id, quod quaerimus argumentum, quo ex multis magnisque haud facile quis dixerit aliud aut evidentius, aut certius. Si enim legum Christi interpres nullus sanior est, quam perpetuus Ecclesiae usus, Ecclesia vero in fidei religionisque quaestione ac caeteris gravissimis controversiis non ad Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Mediolanensem, Parisiensem, Coloniensem, Toletanum aut Bracharensem episcopos, sed ad Romanum omni semper aetate recurrit: quis dubitet, hunc esse, quem ut successorem Petri, ita quoque doctrinae Apostolicae magistrum, quaestionumque de fide iudicem habemus? Nam si aliquem eiusmodi post Petrum, ad Ecclesiam instituendam atque in veritate continendam reliquit Christus, nimirum aut hic est, aut nullus est; quippe cum de aliarum Ecclesiarum episcopis nulla quaestio sit, quin non fuerint loco Petri universali Ecclesiae doctores pastoresque a Deo dati. Romanus igitur Episcopus, Ecclesiae usu interpretante, ille est, cui Dominus in Petro ait: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et: Tibi dabo claves regni coelorum; et: Quodcunque solveris, etc. ac rursum: Pasce oves meas;

[1]) Lib. VI. de Eccl. Rom. Auctoritate. — Bassani 1746.

et iterum: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu confirma fratres tuos.“

Venerabilis Bartholomaeus de Martyribus, Hispaniarum Primas et Archi-Episcopus Braccarensis, praecipuum decus Episcoporum, in Synodo Tridentina congregatorum, cuius sanctitatem, eruditionem, pastoralem zelum et sanctam in dicendo libertatem nullus ignorat, qui annales Ecclesiae vel obiter pervolvit, infallibile Romani Pontificis magisterium et credidit et docuit. Scriptor vitae tanti Antistitis narrat[1]) illum ante 24. sessionem Concilii Tridentini Romam profectum, dum in conspectu haberet Urbem, in genua se provolvisse et exclamasse: „Salve Mater Nostra, Mater Sanctissima, Christiana schola religionis: salve, o Civitatum et mundi decus, ubi deposita Deus esse voluit Principum Apostolici Spiritus corpora, ubi duo collocavit illa coeli terrestris luminaria maiora Petrum et Paulum, firmamentum inexpugnabile veritatis!“ — Tum refert biographus Archi-Episcopum ad suos conversum: „In oculis vobis est, inquit, carissimi, *sanctae Catholicae Fidei primaria, et incorrupta Sedes,* illic vobis occurrent summa passim veneratione dignissima quaeque. At meminisse vos oportet, filioli, non Angelos incolas, sed homines esse, vitiis proinde et instabilitati obnoxios. Quare, si quid oculos mentis offendat, et secus deprehendatur, quam fert Religionis incorrupta sanctitas, providete, obsecro, ne in scandalum mala sint. Sed sint in profectum bona, ne quid apud vos decedat de pretio, et iusta aestimatione sacrae religionis, et rectae Fidei, cuius est singularis praerogativa, ut inter vitiorum oppugnationes et depravatos hominum mores integra semper perseveret, dicente Domino: Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et portae inferi non praevalebunt.“ V. Bartholomaeus celeberrimum pro populo composuit Catechismum a. 1560. prima vice typis vulgatum, saepius dein tam in Portugallia, quam in Hispania, Romae quoque recusum, in quo haec in latinum versa docentur: „Quae unitas (Ecclesiae) ut firmaretur et conservaretur, Christus reipsa dedit in terris humanum (vi-

[1]) Cap. V. Vita V. Barth. de Martyribus rursum edita a Ioanne Ghilardi Eppo Monregal. Monteregali. 1869.

sibile) Caput et Vicarium suum, cui obedire omnes Christiani obligarentur, et tamquam certam tenere veritatem singulam causam, quam ille, ut crederetur, definitive determinavit. Iste Vicarius fuit S. Petrus Apostolus, et post illum sunt omnes eius legitimi Successores in Sede Romana."

Sed iam contrahenda sunt carbasa, ne in infinitum producatur sermo allatis in medium illorum testimoniis, qui saeculis 17. et 18. infallibile Magisterium Romani Pontificis et professi sunt et propugnaverunt. Audiatur **Soarius** † 1617. Is ad quaestionem[1]): „Utrum Summus Pontifex etiam sine Concilio Generali sit infallibilis regula fidei?" respondet: „Veritas Catholica est, Pontificem definientem ex cathedra esse regulam fidei, quae errare non potest, quando aliquid authentice proponit universae Ecclesiae, tamquam de fide divina credendum: *ita docent hoc tempore omnes Catnolici Doctores*, et censeo esse rem de fide certam." Hoc idem fatetur **Petrus de Marca**[2]) Nro 22. „Haec, inquit, opinio, quae est de asphalia, seu infallibilitate Papae, est, *quae sola docetur, et quam amplexantur in Italia, Hispania, et aliis Provinciis Christianitatis*, illa, quam Doctores Parisienses amplectuntur, toleratur tantum", et Nro 31. animadvertit „in illam de infallibilitate consentire omnes Universitates, praeter Sorbonam," quam eapropter rideri audivimus superius ab ipso Petro de Marca. Sed attendendum, quod observat Thomassinus:[3]) „Ne, inquit, vel ipsam Scholam Parisiensem constantissime in ea sententia deinceps perstitisse, aut etiam nunc perstare imagineris, accipe quae Petrus Aurelius (Part. 1.) de libello Richerii disserat: Quod Sorbonae partem maximam, et eam, quae in Facultate dominetur, Richeriano libello (opinionibus Pontificiae auctoritati adversis) astipulari faciunt, non iudicio loquuntur, sed odio et malevolentiae instinctu; cum ex tota rei huius ab initio serie, clarissime pateat, eam paucis semper placuisse, ut in tam numeroso coetu." Nec defuerunt inter Sorbonicos Doctores unquam, qui Romani Pontificis infallibili-

---

[1]) Sect. VIII. Oper. Tom. XII. edit. Parisis. 1858. — [2]) In opusc. de thesibus Claromontanis. — [3]) Disserit. 18. in Syn. Roman. a. 532.

tatem vindicaverunt. Ut ex multis saltem unus commemoretur, **Mauclerus,** qui a. 1622. edidit celebrem librum de Monarchia, in quo:[1]) „Iam, inquit, prae nobis in conscientia tamquam verum et catholicum ferre debemus, et animo constanti, vereque Christiano firmiter asserendo testari: Romanum Pontificem aliquid in spectantibus ad fidem, quatenus supremus universalis Ecclesiae doctor est, definire non posse, quod errore sit aliquo commaculatum. Hoc nemo Catholicorum inficiari praesumet, cum vertex scholasticorum theologorum (S. Thomas) tam clare perspicueque dixerit „auctoritatem res fidei definiendi principaliter in Summo Pontifice residere. Hanc divi Thomae sententiam S. Antoninus, Albertus Pighius, Alphonsus a Castro, Thomas Valdensis, Eckius, Melchior Can., Bannes, aliique recentis memoriae gravissimi divinae sapientiae professores amplectuntur. Insanit profecto, quisquis ille sit, qui in Ecclesia Dei, Christi Domini sanguine redempta, supremum illud ab omni errore liberum adesse tribunal non credit, quo Synagoga non caruit, in qua iudicium ac decretum magni Sacerdotis pro lege celebrabatur, proque coelesti oraculo dato divinitus habebatur.“ Caeteroquin Galliae Episcopi nihili pendentes aliquorum Sorbonicorum Doctorum opinionem saeculis etiam 16. et 17. infallibilitatem Romanae Sedis et Romani Pontificis apertissime professi sunt. In celebri Melodunensi Episcoporum Conventu anno 1579. asservato art. 1. decretum est: „Operam dabunt — Episcopi — et horum Vicarii, ut in omnibus Synodis omnes et singuli aperta professione eam fidem pronuncient, quam S. Romana Ecclesia, Magistra, Columna, Firmamentum veritatis profitetur, et colit: ad hanc enim propter suam principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.“ A. 1625. Clerus Galliae congregatus, in monitis ad Archi-Episcopos art. 135. haec tradit: „Venerabuntur etiam S. Patrem nostrum Papam, Ecclesiae universalis Caput visibile, Dei in terris Vicarium, B. Petri successorem, a quo Apostolatus et Episcopatus sumpserunt exordium: ac super quem Christus fundavit Ecclesiam, *illi claves Coeli tradens cum infallibilitate Fidei*, quam non sine miraculo *immotam*

[1]) T. 1.

in eius successoribus perseverasse usque hodiernum diem cernimus.“ A. 1650. iterum Clerus Galliarum in Comitiis generalibus congregatus alia inter ad Innocentium X. scribit: „Scimus, ubi Caput Ecclesiae, ibi totius fidei arcem, totius et disciplinae metropolim esse; eoque convenitur a nobis libentius, quo in Praesulum Primatis sinu Praesules, si quando illis dolet maxime a vulneribus Ecclesiae, iustissimas querelas suas deponere par est.“ Denique ad eundem Papam anno 1651. scribunt Episcopi, rogantes, ut 5 propositiones Iansenii expenderet, et desuper sententiam ferret: „Maiores causas ad Sedem Apostolicam referre, solemnis Ecclesiae mos est, *quem fides Petri nunquam deficiens*, perpetuo iure retinere, pro suo iure postulat. -- Experta est nuper Beatitudo Vestra, quantum Apostolicae Sedis in gemini capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuo sedata est tempestas, atque ad Christi vocem venti et mare obedierunt.“

Non premendum silentio, quibus censuris antiquiores iam theologi sententiam, rectius opinionem infallibilitati Romani Pontificis contrariam notaverint. Beatus **Augustinus Triumphus,** S. Thomae discipulus, et dein in Universitate Parisiensi professor, de determinationibus circa fidem Romani Pontificis agens:[1]) „Post cuius, inquit, determinationem *haereticum* esset contrarium pertinaciter asserere.“

S. Antoninus: „In talibus (decretis nempe Pontificis circa fidem et mores) dicendum est, quod licet absolute, pensatis solis personis Papae et Cardinalium, Papa cum ipsis possit errare, supposita tamen divina providentia, et Spiritum Sanctum loqui per Ecclesiam, *credendum est Papam non posse errare* . . . Et dicere, quod in huiusmodi Papa erraret, esset haereticum.“[2])

Cardinalis Turrecremata: „Ex quibus, inquit, patet, quam temeraria, quamque a Christi et Sanctorum Patrum doctrina aliena assertio adversariorum sit, asserentium, Aposto-

---

[1]) De potest. Eccles. quaest. 10. — [2]) Summa p. 3. t. 12. Vide La Doctrine de S. Antonin sur L' infaillibilité du Pape etc. Paris 1869.

licae Sedis iudicium non esse certum, non esse firmum, sed defectibile et deviabile."[1])

Soarius[2]) responsionem, non esse de fide certum, Pontificem definientem sine Concilio generali non posse errare, vocat non solum nimis temerariam, sed etiam erroneam — „tam est, inquit, constans Ecclesiae consensus, et catholicorum scriptorum concors de hac veritate sententia, *ut eam in dubium vocare nullo modo liceat.*"

Robertus Cardinalis Bellarminus opinionem de Romani Pontificis ex Cathedra docentis fallibilitate dicit „*esse manifeste erroneam et haeresi proximam.*[3])

Thomas Stapletonus:[4]) „Vera, inquit, sententia est, Romanum Pontificem, — ut publica persona est, idest, quando de fide consultus ex officio respondet, et decernit, haereticum dogma nec unquam hactenus tradidisse, nec tradere posse . . Et contrarium sustinere esset assertio *erronea, scandalosa et offensiva* etsi *fortasse non haeretica.*"

Ab Inquisitione Hispanica propositionem hanc: „Concilium habere potestatem supra Papam certum et indubitatum", *veluti erroneam et schismaticam*, hanc autem: „Papam in dirimendis ex Cathedra fidei quaestionibus non esse infallibilem" ut minimum tamquam erroneam et haeresi proximam fuisse damnatam, testatur **Cardinalis Aguirre.**[5])

De quatuor **Articulis Gallicanis** sermo iam recurrit in prioribus ddto 8. Sept. h. a. Nr. 4200 dimissis Encyclicis. Observatum ibi fuit, in Conventu, in quo editi sunt illi Articuli ex Episcopis triginta supra centum non adfuisse et subscripsisse nisi triginta quatuor, declarationem porro tam ab Episcopis illis retractatam, quam a Rege revocatam fuisse. Quod declaratio in praedicto Conventu ab Episcopis ad mandatum Regis delectis, rectius compulsis, atque ab eius nutu pendentibus, nulla idmodi auctoritate pollentibus, edita e diametro opposita fuerit pristinae Catholicorum etiam in Gallia ipsa fidei, non diffitebatur unus e primipilis illius Conventus, Gil-

[1]) De Eccl. l. 2. — [2]) Loc. cit. — [3]) De Summo Pon. l. 4. c. 2. — [4]) Apud Roccab. t. 20. — [5]) Defensio Cath. S. Petri disp. 40. sect. 3.

bertus Tornacensis Episcopus, ita scribens: [1]) „Magna Gallorum Catholicorum pars, ac totus, vel ferme totus extra Galliam orbis Christianus contra sentire videbatur.“ Archi-Episcopus vero Cameracensis palam et ingenue professus est „se in sententia contraria educatum.“ Summi Pontifices Conventum et declarationem damnarunt; Innocentius XI. ddto 11. Aprilis 1682.; Alexander VIII. Constitutione „Inter multiplices“ ddto 4. Augusti 1690. Sequenti saeculo Pius VI. in celebri Bulla „Auctorem fidei“ 28. Augusti 1794. edita. Hoc saeculo Pius IX. in Allocutione Consistoriali 17. Decembris 1847. habita. Declarationi porro acre bellum indicebatur in Italia, Hispania, Germania, Belgio, Polonia et Hungaria, quibus in Regnis doctrina declarationis velut nova, antiquae Catholicae doctrinae contraria explodebatur, imo censuris etiam mulctabatur. Vel ii ipsi, qui in Gallia sub Clemente XI. partes secuti sunt Appellantium Refractariorum, apertissime eo contestati sunt Episcoporum extra Galliam de infallibilitate Romani Pontificis fidem, quod declaraverint extraneorum Episcoporum iudicio ideo standum non esse, quod ii omnes imbuti sint doctrina „quae est de asphalia Pontificis, deque huius supra Concilia Oecumenica Auctoritate.“ [2]) Idem fatetur auctor opusculi [3]) dicit enim: „Episcopos Polonos, Pannonios, Germanos, Belgas, Helvetios, Hispanos, Dalmatas, Italos pro infallibilitate Pontificia pugnare.“

Qui autem factum fuerit, ut in Gallia mox haud pauci in obversum prioris suae et Catholicorum ibidem fidei editae declarationi adhaeserint, exemplo Maimbourgi, qui tam putidas gallicanismi feces in suis dein operibus congessit, ostendit **Sfondratus**.[4]) „Anno, inquit 1671. editi sunt in lucem gallico idiomate Maimbourgi sermones, in quorum uno, secunda quadragessimae hebdomada, die Martis, pro hac ipsa infallibilitate ita loquitur: „*Obligamur sub poena aeternae damnationis nos submittere decisionibus Cathedrae S. Petri, tuncque*

---

[1]) Epist. ad Steyaert. — [2]) V. La lettre de M. le Vicaire de Senez a. 1729. — [3]) Reponse á l'Instruction Pastor. de M. le Cardin. de Bissy. Colon. a. 1740. — [4]) Gallia Vindicata.

naufragium fidei patimur, cum doctrinas amplectimur, ab hac Cathedra damnatas, reiectasque. Frustra vero qui hanc submissionem non habet, protestatur, se Cathedram Petri pro prima, praecipuaque habere, ac fidei ab Ecclesia, a Patribus, Conciliisque traditae adhaerere. Ignorabat enim tunc temporis, (sugillat Maimbourgum Auctor) quid Ecclesia Gallicana sentiret; non Patres, non Concilia, non Scripturas legerat, quae modo contra Pontificem tam clara esse contendit. Ergo cum e Cathedra diceret, licet tot annos in Societate (Iesu) studiisque exegisset, rudis tamen erat, indoctusque, ac recens ex ovo lapsus: et tunc modo aliquid sapere, et theologus esse coepit, *cum Pontifici irascebatur, cum aulam regemque captabat, ac praemia ostendebantur, adulationi parata.*"

Marcus Antonius de **Dominis** apostata A. Episcopus Spalatensis hic incidit, et praetereundus non est, qui in libello a. 1623. Romae edito, ac eodem adhuc anno Dilingae quoque et Parisiis recuso,[1]) retractat solemniter omnia, quae „in odium utplurimum S. R. E. ac Sedis Apostolicae, Summorumque Pontificum, a quibus se laesum existimabat, asseruit, quae falsa et haeretica esse, et prius noverit, et postea ex parte saltem ipse reprehenderit." Sunt ipsa auctoris verba, quibus ille agnitae veritati repugnasse se confitetur, idque ob odium, quod gratis concepit erga Sedem Apostolicam et Summum Pontificem.

Declaratio itaque haec non a Clero Gallicano, sed eius dumtaxat perperam nomine edita, in ipsa proinde radice sua vitiata, et studio complacendi, ex metu, aliaque passione deprompta, nec doctrina, quam complectitur, antiquitati conformis, sed vel apud Gallos novitia, nihil omnino probat contra supremam et infallibilem auctoritatem Summi Pontificis. Nec refert, quod post retractationem Episcoporum et revocationem Regis adhuc quatuor Articuli in Gallia tenti et defensi fuerint: haec ipsa defensio non studio veritatis, sed politicae potestatis

---

[1]) Sub titulo: M. A. de Dominis sui consilium reditus ex Anglia et reversionis ad Ecclesiam Catholicam, cum versione gallica subiuncta 1623.

iussioni ac pressioni tribuenda fuit, cuius rei testem habemus **Honoratum Tournely**, Parisiensem Doctorem et Canonicum, qui hoc idem apertissime fatetur: [1]) „Non, inquit, dissimulandum, difficile esse, in tanta testimoniorum mole, quae Bellarminus, Launoius et alii congerunt, non recognoscere Apostolicae Sedis seu Romanae Ecclesiae certam et infallibilem auctoritatem, at longe difficilius est ea conciliare cum Declaratione Cleri Gallicani, *a qua recedere nobis non permittitur*." Fuere tamen etiam in Gallia semper, qui Articulos graviter impugnaverunt. Quoad defensores autem haec valent anonymi Auctoris: [2]) „Parum nos movent facta hominum a norma legitimae authoritatis aberrantia. Non ii sumus, qui Regulam ab hominibus, sed a Regula homines diiudicemus."

Inter multos, qui nihili pendentes famosos Articulos, veritati testimonium perhibuerunt, memorari meretur doctissimus et piissimus **Claudius Arvisenet**, Canonicus et Vicarius Generalis Trecensis, a. 1755 natus, † 1831., qui in notissimo, saepius et multis in locis, atque apud nos quoque[3]) impresso libro „Memoriale vitae Sacerdotalis" de Summo Romano Pontifice alia inter Christum sic loquentem inducit: „Fundamentum est huius ovilis Petrus. Super hanc enim Petram aedificavi Ecclesiam meam. Et quemadmodum qui fundamentum domus evertit, totam domum diruit: ita et qui Petrum, vel Successores eius solvit, totam Ecclesiam subvertit. Tene ergo Petri et Successorum eius fidem et unitatem indeclinabilem. Qui non est cum illis, contra me est; et qui non colligit cum illis, dispergit. — In Petri Romana Sede nullus unquam sedit haereticus: in hac fides nunquam defecit. Iccirco, fili, serpens antiquus, inimicus ille pessimus, — efficacius nunquam habuit medium, ut oves meas depraedaretur, et mactaret, quam eas a Petro et Successoribus separare. — Adhuc, fili, ob oculos tuos sunt, adhuc in annalibus tibi offeruntur horrendi illi haereseon patronorum contra Petri Successores rugitus, ex imis inferni ipsius faucibus deprompti. Nec mirum. Qui vult do-

---

[1]) Praelect. theologic. T. 5. p. 2. Parisiis 1765. — [2]) Quis est Petrus, seu qualis Petri primatus? Ratisbon. 1790. — [3]) Posonii 1804.

mum subvertere, fundamentum aggrediatur necesse est. Vis ergo, fili, oves in via veritatis et salutis tuto conservare? Cura, ut quanto plus Romanae Sedi adversatur cum suis diabolus, tanto magis tu cum tuis ei maneas firmiter addictus, sciens, quod unum sit ovile meum et unus Pastor.“ Quod antiquior infallibilitatis Pontificiae testis, aeque Gallus **S. Avitus Vienn.** breviter sic expressit:[1]) „Si Papa Urbis vocatur in dubium (i. e. impugnatur), Episcopatus iam videbitur, non Episcopus vacillare.“ Quam epistolam scripsit in causa Symmachi Papae, „dum, inquit,[2]) de causa Romanae Ecclesiae anxii animi ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes.“ S. Avitus exeunte 5 et ineunte 6 saeculo non minus sanctitate quam doctrina floruit. † 518.

Multi dictis Articulis sub specioso praetextu defendendi sic dictas libertates Ecclesiae Gallicanae adhaeserunt, quae revera non erant, nisi totidem servitutes, et quarum fructus non erat, nisi a suavi iugo Ecclesiae exemptio, et sub longe duriori onere saecularis dominationis ipsius Ecclesiae oppressio. Eo iam saec. XVII. res devenerunt, ut clerus coactus fuerit gravamina sua Regi proponere, dicendo: „Gallicana Ecclesia, o Rex! a tuis iudicibus in suis libertatibus non levamen, protectionem, et fructum retulit, sed oppressionem et incommoda.“[3]) Ceterum Articulis Gallicanis in Gallia ipsa dudum iam nullum pretium, nullus valor tribuitur. Quod invictissime probant Concilia Provincialia ibidem inde ab anno 1849. habita, quae omnia suis in decretis, quae de Summo Pontifice agunt, enunciant, apostolicis Constitutionibus absolutum deberi mentis etiam obsequium, illas virtute propria obligare, independenter a cuiuslibet potestatis sanctione, aut consensu, aut acceptatione, seu quod idem est, Concilia omnia praesupponunt, agnoscunt infallibile Romani Pontificis Magisterium. Haec autem sunt illa Concilia: Suessionense pro Provincia Rhemensi; Rhedonense pro Provincia Turonensi, Parisiense, Avenionense 1849; Burdigalense, Albiense, Tolosanum, Claromontense pro Provin-

---

[1]) Epist. 31. ad Faust. et Symmach. Senatores Urbis Romae. Edit. Migne. — [2]) Ibid. — [3]) Cahier du Clergé presenté au Roi 1634.

cia Bituricensi, Lugdunense, Senonense, Aquense 1850, Auscitanum 1851, Rhemense 1857 celebrata, quorum decreta de Summo Pontifice in unum collegit ac edidit Ill. Car. Freppel Eppus Andegavensis.[1]) Galliae Episcopis de Summo Pontifice eiusque infallibili magisterio conformiter et senserunt et decernendo pronunciaverunt Episcopi totius Hiberniae in Synodo Thurlesiensi 1850, Angliae in Synodo Westmonasteriensi Londini 1852, Germaniae ad Rhenum in Synodo Coloniensi 1860, Bohemiae in Synodo Pragensi 1860, Hollandiae in Synodo Ultraiectensi 1865, Americae Semptemtrionalis in plenaria Synodo Baltimorensi 1866 congregati. Harum omnium Synodorum, ut de Strigoniensi 1858 et Colocensi 1863 celebratis, et in aliis encyclicis iam commemoratis, taceam, decreta, oculis meis subiecta, recensere longum foret, quarum Synodorum Acta totidem sunt ineluctabilia Catholicae Traditionis de inerrantia Sedis Apostolicae et Romani Pontificis monumenta, Vaticani Concilii definitionem praeformantia et illustrantia.

Eos, qui doctrinam hanc de infallibili magisterio Romani Pontificis idcirco cum Febronio impugnant, quia illa non est de tempore, seu non est genio aevi accomodata, quive illam cum eodem Febronio testimoniis e libris et scriptis heterodoxorum aut schismaticorum congestis impugnant, sic perstringit in persona Febronii **Mamachius**: [2]) „Iam si iis assentiare, qui iudiciis istis — vim infallibilis atque irretractabilis auctoritatis propterea inesse putant, quod ita Christus Petro, Successoribusque Petri promiserit; profecto illud una probes necesse est, praeter Concilium scilicet Oecumenicum, esse aliud item tribunal in Christiana Republica, cuius late pateant, reformarique non possint iudicia. At enim iis non assentire. Cur tandem? An quia *non est amplius de tempore* eorum sententia? Nam tale quidpiam fuisse abs Te scriptum memini (scripsit autem T. IV. part. I. p. 216). Sed quotum quemque tibi, vel ioco permissurum speras, ut veritatem circumscriptione temporum metiare, doctrinamque tamdiu esse dicas veram, quamdiu *de tempore* sit; desinere autem esse veram, dum *cesset esse de tempore?* Si ista in Novatorum levitate perversitas, qui, ut

[1]) Taurini, 1870. — [2]) Epist. ad Iustin. Febron. T. 3.

monet S. Pictavorum Antistes Hilarius (L. 2. ad Const.), *doctrinam fidemve facere solent non Evangeliorum, sed temporum:* Coetibus certe Orthodoxis, eius doctrinae, quam Ecclesia a Patribus, Patres ab Apostolis, Apostoli a Christo acceperunt, tam firma semper, stabilis, altisque radicibus erit in animis defixa veritas, ut virtute atque ope praepotentis Dei, nulla temporum volubilitate aut dimoveri de statu possit. Sed ista, inquies, tot nationum opinio a Christo tradita non fuit Apostolis, neve ab his ad Patres, Ecclesiamque manavit. In aliam me quaestionem, Febroni, vocas, cuius dirimendae non tibi, sed Ecclesiae Catholicae potestas inest. Illud interea vehementer miror, quod Nicetae Nicomediensis, aliorumque Graecorum e Photii schismate testimoniis ostendi confidas posse, quaenam a Patribus in coetus eius gentis Orthodoxos sit traducta sententia. Nam id si quis consideret, cur non vereatur, eo te demum deductum iri, ut ex Lutheri, Buceri, Melanchtonis, Calvini locis effici posse arbitrere, quam doctrinam Patres in Ecclesias Germanicas, Gallicanasque intulerint? Ab orthodoxis, non ab haereticis, schismaticisque, quales sunt Photiani, petendum testimonium est. Quid autem Graeci orthodoxi testentur, paulo ante vidimus."

Ii qui definita Romani Pontificis in fidei morumque rebus infallibilitate, putant aut etiam dicunt, actum esse iam de Synodis, illas posthac inutiles futuras, nec celebrandas esse, Historiam consulant, et conquiescent. Non negant adversarii, nec enim in tanta testimoniorum luce possunt, sic dicta media aetate pervulgatissimam in Ecclesia fuisse doctrinam de summa et infallibili Romani Pontificis auctoritate, et nullo tamen unquam tempore tot sunt celebrata Concilia oecumenica, generalia, provincialia, totque coactae Synodi Dioecesanae. Qui Conciliis omnia tribui volunt, audiant alias iam citatum **Tobiam Mollik**, sic acute et vere disserentem: [1]) „Negata Romani Pontificis — irrefragabili auctoritate, nequidem ipsis generalibus Conciliis, eorumque decretis certa, et indubitata auctoritas et fides constabit; Concilia enim nisi sint generalia (oecumenica) nihil in fide irreformabiliter statuere possunt

[1]) Libr. cit. Diss. 9.

At universalia esse, unde constabit? An ex numero Episcoporum? Sed hic nunquam certo determinari potest; cum tamen Concilii ad vere repraesentandam Ecclesiam sufficientia certissime constare deberet, ad inducendum utpote fidei divinae debitum. Dices: Quia Ecclesia Concilium illud acceptat? Sed unde id nosse possum? Dices: ab Episcopo. At unde ille novit? neque ille infallibilis est in eo cognoscendo, minus autem mihi infallibilis propositor est: omnibus adhuc Conciliis generalibus aliqui Episcopi renitebantur. Ego vero ita mecum deliberavi: Christus cum Ecclesia *se futurum* promisit omnibus *diebus;* semper igitur in ea et infallibilis et visibilis controversiarum Iudex adesse debet. Cum vero Ecclesiae dispersae consensum, vel maioris etiam Concilii oecumenicitatem ex illo (Concilio) adsequi, fidelium plurimis aliquando prorsus impossibile, semper difficillimum, nunquam non tardum nimis sit; necesse est, illius inquirendi, singulisque fidelibus proponendi Iudicem unum agnoscere, nec alium porro, quam Summum Pontificem, qui luculenter cunctis fidelibus proponere possit, quae sit genuina — Ecclesiae traditio; num Oecumenicum sit Concilium illud, de quo varii Episcopi varie sentiunt." Eos, qui doctrinalium definitionum, a Romano Pontifice editarum, vim ab Ecclesiae consensu suspendunt, sic idem auctor urget:[1]) „Dicis: Pontificem *solidissimam Petram* in tantum, et ideo solum esse, quatenus decretis illius Ecclesia adsentitur. Verum haec soliditas, Encyclicis singulorum quoque Episcoporum, aut particularium Conciliorum convenit; quid igitur celebratae adeo *soliditatis*, Pontifici peculiariter inest? *Ut quid sexcenties* unanimi Patrum ore, solidissima, firma Petra, firmissimus Lapis, solidissimum Fundamentum etc. prae caeteris, imo *coeterorum* etiam *Episcoporum* nuncupatur? Anne repones, modo *interim*, dum reliquae Ecclesiae consensus accedat, magnum robur esse decreto Pontificis? Verum si tantum tranquillitatem animorum, contentionumque in disceptando mitigationem praecipit, hoc et Episcopi in sua Ecclesia, et Concilia particularia in sua Provincia, parique auctoritate, et obsequendi necessitate iubent. Si alterutram sententiam peroret Pontifex,

[1]) L. cit.

palam Episcopis, doctisque viris, diversum sentientibus reclamandum est; ne tacito consensu adprobare censendi sint, quod contra rectam fidem esse, ex animo iudicant. Haecne igitur est *solidissima illa Petra, supra quam vir sapiens aedificavit domum suam; ne venti vel flumina, imo, ne ipsae inferi portae praevaleant; quia fundata erat supra Petram?* Denique si a consensu Ecclesiae dumtaxat provenit omne robur dogmaticum Pontificiorum decretorum, eique solum nititur; Petra fundamentalis super Ecclesiae compagem, non Ecclesia supra Petrae fundamentalis soliditatem est aedificata, adverso sane SS. Scripturis ordine: ipse supremus Pastor ab ovibus pascitur, quin ipse principaliter oves pascat: ipse a fratribus confirmatur, non ipse fratres peculiariter confirmat. Haec probe notanda contra indirecte iactatam conditionem „si consensus Ecclesiae accedat.“ Stupendum profecto est, singularibus Pontificum encomiis, sinceraque devotione praestitis omni aevo testimoniis, levem illam distinctiunculam subauditam fuisse, a prudentibus viris credi posse, *sub qua omni blateroni* paria encomia et testimonia deferre licet; *quibus itaque illi non plus honoris, fideique, quam blateroni cuivis competat, delatum fuisset.*“

Cum, prout vel e recensitis testimoniis luce meridiana clarius patet, tam antiquissimi Patres, quam Concilia pronunciaverint, quod decernere de fide ad Petri Cathedram pertineat, quia ad illam, dicente iam S. Cypriano *perfidia non potest habere accessum;* cum proinde haec in Ecclesia etiam Gallicana continuo vigens traditio, salva veritate, negari non potuerit, Gallicanismi sequaces, i. e. quatuor Gallicanorum Articulorum defensores ne cogerentur agnoscere Romani Pontificis infallibilitatem, a SS. Patribus Conciliisque et agnitam et propugnatam, distinxerunt inter Sedem et Sedentem, inter Sedem vel Cathedram Petri, et sedentem in ea Pontificem, illam indefectibilem et infallibilem in fide docenda, hunc autem non item esse asserentes. Distinctionem hanc Sedem inter et Sedentem falsam ac reiiciendam esse sequentia evincunt testimonia: Cathedra vel Sedes Petri, universam Ecclesiam docens a Sedente et cathedraliter in ea docente Pontifice discerni nequit; quomodo enim illa secus docet? Neque Sedes

Apostolica, infallibilitate activa et iudicatu irreformabili universae Ecclesiae praesidens, aliud vel alius esse potest, quam Sedis huius sessor, qui utpote solus in illa Ecclesia iudicandi docendique potestate pollet. „Cum, inquit Melchior Canus,[1]) ad Sedem Apostolicam accedimus, fidei oracula postulaturi, non singulos Ecclesiae Romanae fideles interrogamus, nec Ecclesiam ipsam Romanam in Concilium cogimus, sed Pontificis maximi iudicium quaerimus, eiusque sententiam exspectamus.“ Sane Patres Concilii Sardicensis, dum Osio Cordubensi pro appellatione ad Romanum Pontificem peroranti, respondent:[2]) „Optimum et congruentissimum videtur esse, si ad Caput, idest: ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusvis provinciis Domini referant Sacerdotes“ (Episcopi nempe), Pontificem, Caputque Ecclesiae a Sede Petri neutiquam secernunt. Nec aliunde, quam cum Petro, ut divinitus constituto Ecclesiae totius Primate, advenit, et per eius Successores permanet quaecumque Ecclesiae et Sedis Romanae dos ac praerogativa, ut recte observat Petrus Ballerinius: „Quidquid, ait, peculiare prae caeteris Romanae Cathedrae seu Sedi tribuitur, non aliunde, quam ex Primatus praerogativa tribuitur, quae non in alio est, quam in Romano Pontifice, qui in ea Cathedra sedet.“ Aut cui sane id mentem venire posset, Cathedram Moysis docentem, ita a sedentibus super eam Scribis et Pharisaeis seiungere, ut quae Cathedra Moysis dicit, facienda sint; quae autem sedentes super eam Scribae et Parisaei dicunt, facienda non sint? An haec est sententia Christi dicentis: „Super Cathedram Moysis sederunt Scribae et Pharisaei, omnia quae dicunt, facite.“ Exstant quidem haud pauca Conciliorum et Patrum effata de fide, potestate, ac iuribus Sedis Apostolicae, sed quae in illis metaphorice tribuuntur Sedi, intelligenda sunt de sedente Romano Pontifice, quatenus Pontificium munus gerit ac exercet ita prorsus, sicut quae dicuntur iura Coronae aut throni de Rege intelligere et solemus et debemus. Profecto **S. Hieronymus** de quaestione fidei Damasum Papam consulens, ita eum alloquitur: „Ego Beatitudini tuae, idest, Cathedrae Petri communione consocior.“ S. Hieronymo *una eademque res fuit fides*

[1]) Libr. cit. — [2]) Mansi Concil. T. 2.

Cathedrae Petri et fides a Damaso praedicata; non distinxit inter fidem et auctoritatem Sedis, et inter fidem et auctoritatem Sedentis [1]). In alio loco dicit idem S. Doctor: „Praedicationem Cathedrae Marci Evangelistae, Cathedra Petri Apostoli sua praedicatione confirmet“ [2]). Voluit dicere, epistolam Theophili Episcopi Alexandrini contra Origenis errores editam, sua epistola confirmet Romanus Pontifex. **S. Prosper** scribens: „Sacrosancta beati Petri Sedes per universum orbem Papae Zosimi sic ore loquitur.“ Sedi Romanae tribuit illam fidem, quam Zosimus Papa praedicat per universum mundum. **S. Cyprianus:** „Scripsisti etiam, inquit [3]), ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium — transmitterem, ut deposita omni sollicitudine iam sciret, te secum, hoc est cum Catholica Ecclesia communicare.“ Tantum abest, ut sedentem in Sede Petri Cornelium Papam a Sede illa distingueret, ut potius innuat, communicare cum Cornelio Papa idem esse ac communicare cum Catholica Ecclesia.

S. Optatus Milev. Parmenianum sic urget [4]): „Negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus — in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus (enumerat omnes) — Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo nobiscum totus orbis — in una communionis societate concordat.“ Ut Parmenianum probet haereticum sic argumentatur S. Optatus: Non habet communionem cum Siricio; ergo nec cum *Romana Petri Cathedra*, ac proinde haereticus est. Optato idem est habere communionem cum Sedente, ac habere illam cum Sede.

Zosimus Papa in causa Coelestii haeretici rescribit [5]) a. 418. Carthaginensibus Patribus sic: „Quamvis Patrum tra-

---

[1]) epist. ad Pammach. — [2]) contra Collat. — [3]) epist. ad Antonian. — [4]) De Schism. Donat. L. II. cap. 2. et 3. edit. Migne. — [5]) Labbé Concil. t. II.

ditio Apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Domini promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos, qui Sedis haereditatem ipso annuente meminissent. Habet enim ipse cum omnium Ecclesiarum, tum huius maxime ubi sederat, curam; nec patitur aliquid privilegii aliqua titubare aure sententiae, cui ipse sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, et quae sine periculo temnere nullus incesset. Cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium maiorum studia firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cuius locum nos regere et potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, et quemadmodum Sacerdotes scire debetis: tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus." Auctoritatem Sedi Apostolicae in iudicando de fide summam, inappellabilem Petri successoribus et sibi quoque tribuit, non distinguit sedem inter et sedentem. **S. Augustinus**, ut e superius adductis testimoniis liquet, in causa Pelagianorum Sedem Apostolicam a sedente in ea Innocentio I. Papa minime discernit, huius rescripta vocans rescripta Sedis Apostolicae. **Ephesini Patres** de Coelestini Papae litteris, quibus Nestorii errores damnavit, sic loquuntur: „Apostolica et Sancta Sedes Coelestini sanctissimi Episcopi per litteras, quas misit" . . . idem ipsis est sedens cum sede. **S. Avitus Vienn.** in epist. ad Hormisdam de Nestorio et Eutychete loquens [1]): „Quos, inquit, iam dudum per beatissimos praedecessores S. Sedis vestrae calcavit auctoritas." **Iustinianus Imperator** ad Hormisdam [2]): „Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum," non Sedis sed ipsius Sedentis Papae responsum expectat, ut sciat, quid sit catholicum. **S. Maximus** [3]) satisfacere Sedi Romanae et satisfacere beatissimo Papae unum idemque esse dicit, non

[1]) loc. cit. — [2]) loc. cit. — [3]) loc. cit.

noscit distinctionem sedem inter et sedentem. **Episcopi Galliae** cum vellet Carolus M. Synodaliter examinari causam Leonis III. responderunt: „Nos Sedem Apostolicam, quae est Caput omnium Ecclesiarum, iudicare non audemus; nam ab ipsa nos omnes, ipsa a nemine iudicatur“ [1]). Nihil sciunt de seriori Gallicanorum distinctione inter Sedem et Sedentem. **Sergius Cypriensis** [2]): „Fundamentum divinitus fixum et immobile nec non lucidissimum monumentum fidei tuam *Apostolicam Sedem* constituit Christus. Tu (Papam alloquitur) *existis Petrus*, et super fundamentum *tuum* Ecclesiae columnae confirmatae sunt.“ Nihil differt inter Apostolicam Sedem et sedentem in illa Papam, hic est Petrus, hic fundamentum Ecclesiae. **S. Theodorus Studita** [3]) Papam vocat Apostolicum Caput — Petram fidei, super quam catholica aedificata est Ecclesia. **S. Petrus Damianus** Papam Alexandrum VI. interpellat: „Vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia“ [4]). E quibus, ut alia omittantur, abunde colligitur futilem falsamve esse recens excogitatam distinctionem sensu Gallicanorum Sedem inter et Sedentem.

Eorum, qui infallibile Magisterium Romani Pontificis et tenuerunt, et editis scriptis etiam propugnaverunt, attentionem subterfugere non potuit, aliquos eosque doctos viros iccirco abhorruisse ab amplectendo illo Magisterio, nondum solemni Ecclesiae iudicio expresse definito, quia existimaverunt, infallibilitatem Romani Pontificis cum effatis Christi, quibus inerrantiae praerogativam toti Ecclesiae docenti contulit, componi haud posse. Quibus iam responsum fuit, et responderi debuit, Christi verba: „Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam“ [5]), „Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi“ [6]), „Ego rogabo patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in

---

[1]) Anast. Bibl. in vita Leonis III. — [2]) loc. cit. — [3]) loc. cit. — [4]) loc. cit. — [5]) Matth. 16, 18. — [6]) ibid. 28, 20.

aeternum“ [1]), et illa S. Pauli: „Ecclesia Dei vivi est columna et firmamentum veritatis [2]) ad omnes Apostolos directa, et illa, quae Christus ad solum Petrum, exclusis aliis Apostolis, direxit, ita esse explicanda ac intelligenda, ut altera alteris non elidantur, et non tollantur; e verbis igitur ad solum Petrum directis, idest e sententia de suprema et infallibili auctoritate Romani Pontificis docendi, non posse deduci, in Episcopis, qua Apostolorum successoribus non inesse veram potestatem docendi et veram potestatem de fide iudicandi, sed hoc ex illis Christi verbis, illaque sententia sequi, quod duo sint in Ecclesia modi, a Christo instituti, quibus illa potestas iudicandi exerceatur, alius expeditior per solum Summum Pontificem, ac eius sententiam, et alius solemnior per universalem Ecclesiam. Et Ecclesia itaque docens est infallibilis et Summus Pontifex. Verumtamen in illis quoque ad omnes Apostolos directis locis, toti quidem Ecclesiae, sed supra primatialem petram aedificatae, toti quidem Collegio Apostolorum et successorum, sed cum Petro Primate, aut a Petro, Unionis Catholicae vinculo et centro, fratrumque Confirmatore collectae, adeoque nullatenus excluso Petro, Petrique Successore, imo cum Petro communem infallibilitatem ipsis collatam fuisse ex adductis Christi Domini verbis liquet, quae ad Apostolos dicta sunt, non solos, sed cum Petro collectos praesente Petro. Qua de re audiendus est **Tobias Mollik** [3]): „Non fero, inquit, nec capio illos, qui confestim, ac audiunt vel legunt: Ecclesia infallibilis est, quia est columna et firmamentum veritatis, conclamant: Pontifex igitur est fallibilis, — cum potius cum Origene caeterisque iuxta eum adductis testibus, ita argumentari deberent: portae inferi non praevalebunt adversus Ecclesiam, ergo neque adversus Petram. Ecclesia est columna et

---

[1]) Ioan. 14, 16. — [2]) 1. Tim. 3, 15. — [3]) l. c. Dissert. nona.

firmamentum veritatis; ergo verax est etiam Petra fundamentalis. Ecclesia unita in fide est infallibilis; ergo unitatis huius efficiendae potestatem habens est infallibilis. Ecclesia est infallibilis; ergo etiam Primas Eccl. in docendo universam Eccl. est infallibilis; cum ipse sit Petra fundamentalis Eccl. a Christo dictus: per illum ergo columna Eccl. et veritatis peculiarius sustinetur: cum illo igitur Ecclesia est adaequatum veritatis firmamentum, non sine illo, nec adversus illum. Vel clarius: Ecclesia est infallibilis: ergo supremus eiusdem Ordinarius, iugiterque ei praesidens Doctorum Doctor debet suprema aliqua, et ordinaria sibi ratione infallibilis esse." „Sine poenitentia sunt dona Dei" dicit S. Paulus [1]). Quidquid itaque potestatis aliis Apostolis fuerit a Christo posterius traditum, nihil Petro diminui potuit de auctoritate et clavium potestate in universam Ecclesiam sibi soli promissa et collata.

Non dissimulandum, imo vero fatendum, contra infallibile Romani Pontificis Magisterium, ab adversariis multa obiici, produci facta, quibus probari posse putant, hunc vel illum Papam in errorem prolapsum fuisse. Ad quae rite diiudicanda, necessarium est, ut termini quaestionis non confundantur. De eo quaeritur, utrum aliquis Romanorum Pontificum ex cathedra, idest, quando omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica Auctoritate de fide aut moribus definivit, errorem vel haeresim definiverit? Ergo non quaeritur, utrum Romanus Pontifex, qua privata persona, vel qua privatus Doctor circa fidem erraverit? Unde licet probaretur, aliquem Pontificem in errorem privatim lapsum fuisse, dum non probatur, errorem vel haeresim solemniter sive e Cathedra definivisse, veritas doctrinae non tangitur, eo minus infringitur. Nihil porro ad rem faciunt ea omnia, quae ex epistolis quibuslibet, e libris, quos Romani Pontifices ediderunt, priusquam ad summum Pontificatum assumpti fuissent, vel quae e fortuito ab iisdem dictis excerpuntur, et obiiciuntur.

---

[1]) ad Rom. 11, 29.

De dogmaticis definitionibus, quas Romani Pontifices pro Auctoritate ediderunt, quaeritur. Iam autem quamvis Ecclesiae indigentiis sic deposcentibus, a Sede Apostolica per 18 saeculorum intercapedinem plurimae emanaverint super implicatissimis quaestionibus decisiones, nulli tamen adversariorum adusque successit, quidpiam erroris in praedictis Pontificis sententiis ac decisionibus detegere, ut adeo iure dici possit, omnium temporum historia probatum esse, quod SS. Cyprianum et Augustinum, SS. Hormisdam et Agathonem Pontifices dixisse audivimus: ad Cathedram Petri perfidiam non habere accessum, ipsam esse Petram, quam non vincunt superbae inferorum portae . . . in Sede Apostolica immaculata est semper conservata Religio; Sedes illa per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis nuuquam errasse probabitur. Inde a tribus circiter saeculis iisdem semper armis haec doctrina impugnatur. Ea iterum iterumque ab adversariis recoquuntur, quae a doctissimis viris dudum et frequenter, nec non copiose refutata ac disiecta sunt. Sane iis, quae Vigilio Papae obiiciuntur, responderunt, praeter alios Ios. Aug. Orsi [1]), Petrus Ballerinius [2]), Thomassinus [3]), Petrus de Marca [4]), et Aloys. Vincenzi [5]). Honorii causam illustraverunt et propugnaverunt: Biner [6]), Orsi [7]), Bellarminus [8]), Thomassinus [9]), Natalis Alex. [10]), Zaccaria [11]). E recentissimis: Schneemann [12]), Reinerding [13]), et Ios. Pennachi [14]). Morini difficultates de praetenso lapsu aliquot, ut dicitur, Romanorum Pontificum circa ministrum Sacramenti Ordinis dissolverunt: Orsi [15]), et Honoratus Tournellius [16]). Achilles adversariorum est causa Honorii, quem vero ab haeresi recentiores inter invictis argumentis purgavit memoratus **Ios. Pennachi,** e cuius disputatis de sequentibus

---

[1]) De irreform. Rom. Pontif. — iudicio. — [2]) de vi et rat. Primat. — [3]) Disp. XIX. in Synodum 5. oecum. — [4]) op. cit. — [5]) op. ad Orig. cit. — [6]) Appar. erudit. — [7]) in op. cit. — [8]) De Roman. Pont. — [9]) Diss. XX. in Concil. — [10]) Hist. Eccl. saec. VII. — [11]) op. cit. — [12]) Studien über die Honorius — Frage. — [13]) Beiträge zur Honorius- und Liberius-Frage. — [14]) De Honorii I. causa in Concil. VI. Romae 1870. — [15]) cit. op. — [16]) cit. op.

constat: 1. Sergium ad Honorium dedisse epistolam, quae aperte continet haeresim Monotheleticam. 2. Honorium e contrario binas ad eum scripsisse litteras absolute catholicas, quae haeresi monotheleticae prorsus non favent. 3. Has epistolas, ut haereticas damnatas esse ab Orientalibus in Concilio VI; eosque proinde errasse in facto dogmatico. 4. Eiusmodi iudicium tribuendum non esse Synodo Oecumenicae; quod latum sit contra Romani Pontificis et occidentalis Synodi sententiam, etiamsi ei subscripserint Apostolicae Sedis Legati; nam et hi carebant facultatibus opportunis et necessariis, ut latae damnationi subscriberent. 5. Neque Leonem II. neque successores Pontifices latam in VI. Synodo contra Honorium sententiam unquam confirmasse, insuper abrogasse; cum non haeresis, sed negligentiae damnaverint; consequenter eiusmodi damnationem, prout ab Orientalibus conclamata fuit, Pontificia confirmatione carere, et nullius roboris esse. 6. Honorii proinde causae illam nullimode nocere; eumque virum plane Catholicum fuisse et retinendum ab omnibus esse. — Eruta haec sunt ex ipso opere, cuius lectio non potest non iis omnibus impensius commendari, qui ex asse instrui cupiunt de rei veritate. Multi olim clamores facti sunt etiam de S. Liberii Papae lapsu, quem interim iam recentiores Gallicani velut commentitium agnoscentes urgere destiterunt.[1]) De huius Pontificis praetensivo lapsu legi imprimis meretur superius memorata professoris Fuldensis F. H. Reinerding Dissertatio, in qua posteaquam Liberii perpetuam, nec exilii aerumnis frangi queuntem Orthodoxiam, et insignem, ab ipsis etiam Graecis semper suspectam sanctitatem demonstravisset, sic tandem concludit, ut dicat, „aut Pseudo-Liberii et Pseudo-Hilarii mercibus rursus tribuendum pretium, aut Arianam de lapsu Liberii fabulam ex Historia eliminandam esse.“

Clamores, contra definitam in Vaticano Concilio doctrinam excitati, nihil contra veritatem illius probant, sicut nihil contra veritatem fidei in Concilio Nicaeno I. definitam proba-

---

[1]) V. Martinet Inst. Theol. t. 3. Parisiis 1859.

verunt inconditi clamores Arianorum, qui Constantii et postmodum Valentis Imperatorum favore ac protectione tumidi ac potentes, non clamoribus dumtaxat, sed violentiis, iurgiis caedibus omnia miscebant, Catholicos sic iniuriis afficientes, ut persecutorum Ecclesiae tempora rediisse existimaveris. Veritas definita nihilominus stetit et stat, Arianismus autem post tria circiter saecula exstinctus est. Sed neque turbulenta Nestorianorum, et Monophysitarum contra Synodos Ephesinam et Chalcedonensem directa conamina, impediverunt, quominus definitam in illis Synodis veritatem omnis reliquus catholicus orbis amplecteretur, eique constanter adhaereret.

Gravitas obiecti, quod tractandum suscepi, id secum ferebat, ut Sanctorum de infallibili Romani Pontificis Magisterio enunciationibus ac testimoniis, aliorum etiam Scriptorum ecclesiasticorum, nonnullorum item Imperatorum, Conciliorumque testimonia adderentur, hocque pacto etsi non omnia, tanta tamen traditionis Catholicae monumenta Vobis, VV. FF. et FF. ob oculos sisterentur, quanta abunde sufficiunt ad convictionem de veritate definitae doctrinae sic roborandam, ut ab illa tenenda, et praedicanda nullis convitiis, nullis adversariorum machinationibus, nulla vi dimoveri Vos patiamini. Absit a Vobis, ut veram Ecclesiam praeter, vel adversum Caput concipi aut consistere posse arbitremini. Christus supra unum Petrum suam aedificavit Ecclesiam. Sine Petro itaque caret fundamentali Petra, Supremo Pastore, et Capite, cum quo communionem omnibus fidelibus praecipit Christus, quia, prout S. Ambrosium loquentem audivimus, „ubi Petrus, ibi Ecclesia," „Petri Cathedrae, qui resistit, in Ecclesia non est," dicente S. Cypriano, „et quocum qui non colligit, spargit" teste S. Hieronymo, vel prout Galliarum

Episcopi scripserunt 1650. ad Innocentium X., „ubi Caput Ecclesiae, ibi totius fidei arx.“ Et Christus cum dixit: „Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Eccl. meam,“ nec Eccl. sine Petro, nec Petrum absque Ecclesia, nec proinde Ecclesiam contra Petrum, et vicissim statuit. Ad rem est, quod **Nicolaus I. Papa** † 867. Michaeli Imperatori scripsit [1]): „Ecclesiae Romanae privilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, et a sanctis universalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus infringi, nullatenus commutari, — quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus: et quod Deus statuit, firmum, validumque consistit, illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia inquam istius Sedis vel Ecclesiae perpetua sunt: divinitus radicata, atque plantata sunt: impingi possunt, transferri non possunt: trahi possunt, evelli non possunt. Quae ante imperium vestrum fuerunt, et permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, et quousque Christi nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur privilegia huic Sanctae Ecclesiae a Christo donata, a Synodis non data; sed iam solummodo celebrata, per quae non tam honor, quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiae Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti, nos cogunt, nosque impellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei.“ Datum Strigonii, Festo Expectationis Partus B. M. V. die 18. Decembris, 1871.

---

[1]) Mansi Concil. t. XV.

2017—2018.

Eppus Rosnaviensis (Georgius Schopper) tum in primo pastorali sermone, tum in epistola pastorali momentum decreti Vaticani de infallibili magisterio R. P. explicat, irrestrictumque obsequium huic decreto praestandum exigit. 1872.

1. *Fragmentum primi sermonis pastoralis.* — Perpendite temporum, quae nacti sumus, rationem, et quae sit ex eorumdem asperitate Ecclesiae Christi conditio. *Serpit velut contagione quadam perniciosissimarum doctrinarum virus, quod magistri mendacii et iniquitatis undique diffundunt, cathedram pestilentiae iam in ipso etiam Ecclesiae sinu erigentes*, ut Christi cultores a fide abalienent. — Sunt, qui longe ab eo absunt, ut imbecillitatem naturae humanae in indaganda veritate cumprimis religiosa inficiarentur, gratique ad speciem donum supernae revelationis recognoscunt, *christianos, quinimo et catholicos se sine haesitatione profitentur; sed a petra, cuius ipse Dominus lapis est angularis, cui ceu immotae idem Dominus Ecclesiam suam superstruxerat, contra quam ne portas quidem inferi unquam praevalituras esse pollicetur is, cuius verbum manet in aeternum; a petra*, inquam, *salva catholicitate, se avelli, separari posse opinantur*, quinimo, non Paulo Apostolo gentium, sed Saulo persecutori Ecclesiae assimilati, *existimant se adversus petram, cuius divina praerogativa, ab omnipotente Ecclesiae Fundatore ei concessa, et fluxu seculorum, periodos iniquorum regnantium, Ecclesiam Statui subiugare adnitentium, si demas, semper agnita, recentissime infallibili Concilii Vaticani oraculo solemniter et publice fuerat annunciata, multa*

contraria agere debere. (Act. 26, 9.) Hi postremi omnium certe sunt perniciosissimi, quoniam sub ipsius catholici nominis titulo fallant incautos, et versipelles subvertere fidem, corrumpere veritatem et scindere unitatem studeant. (Cypr. de unit. Eccl. n. 2.) Hi sunt illi, de quibus apud Psalmistam legitur, quod maceriam vineae Domini destruant, ut vindemient eam omnes, qui praetergrediuntur viam, ut exterminet eam aper, et singularis ferus depascatur eam. (Ps. 79, 14.) Hi sunt illi, qui vobis dormientibus superseminare cuperent zizania; hi sunt illi, qui perruptis ovilis Christi repagulis, rapacis lupi adinstar in grege Domini saevire desiderarent. Vos igitur velut in specula constituti, diu noctuque vigilate, ne inimicus homo superveniat, et in agro Christi mystico erroris et corruptelae semina spargat.

2. *Epistola pastoralis dd. 27 Dec. 1872.* Ecclesia Christi fidei custos et vindex est et controversiarum, quibus illa impetitur, iudex supremus. Ecclesia enim teste Apostolo *columna est et firmamentum veritatis,*[1]) *adversus quam portae inferi nusquam praevalebunt,*[2]) quam proinde ducem ac magistram qui audire ac sequi noluerit, monente ipsomet Christo Domino: *sicut ethnicus et publicanus habendus est.*[3]) Unde iam S. Augustinus hoc obtutu observat: *Ecclesiae nolle primas dare vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae.*[4]) Una loquentis Ecclesiae auctoritate omnem de fide quaestionem finiri posse ac debere Hieronymus cum Luciferianis disputans asserebat dicens: *poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiae sole siccare. Verum quia iam multum sermocinati sumus, et prolixitas concertationis audientium studia lassavit, brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam: in illa esse Ecclesia permanendum, quae ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat.* Haec utique saporum sedi Illuminatorum nostrarum dierum haudquaquam arrident. In cogitationibus quippe suis evanescentes, animo praecipiti solam hominis rationem, quam errare posse non diffitentur, supremum et uni-

---

[1]) I. Tim. 3, 15. — [2]) Matth. 16. — [3]) Matth. 18. — [4]) L. de util. cred. C. 17.

cum esse veritatis principium fabulantur, errorisque principium correctivum errantem ipsam praedicant rationem. Ast quam infirma et in omne absurditatitatis ac insaniae genus praeceps sit humana ratio, nisi vinculo auctoritatis superioris colligata in officio contineatur, ipsi hodie rerum, fandique periti, lepidis quas in vulgus spargere amant doctrinis, invicte probant. „Nuliibi vero melius“ ait Illustrissimus de M a r c a[1]) „fides universalis Ecclesiae solet apertius explicari vel splendidius eminere, aut securius praedicari, quam in compendio universalis Ecclesiae, quae *Conciliis generalibus* repraesentatur,“ quod ipsum P a u l u s III. Papa in Bulla indictionis Concilii Tridentini quoque palam profitetur dicens: „animo repetentes, maiores nostros sapientia admirabili et sanctitate praeditos, saepe in summis christianae reipublicae periculis remedium optimum atque opportunissimum oecumenica Concilia et episcoporum generales conventus adhibuisse.“ Hinc iam *Conc.* quoque *Constantiense* Sess. 39. declaraverat: „frequens conciliorum generalium celebratio agri dominici cultura est praecipua, quae vepres, spinas et tribulos haeresum, et errorum, et schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, et vineam Domini ad frugem uberrimae fertilitatis adducit.“

Cum igitur omnibus compertum exploratumque sit, qua horribili tempestate nunc iactetur ecclesia, quam multiformes, eaeque perniciosissimae undique diffundantur sectae, perfricta fronte salutarem Christi doctrinam, Ecclesiae ac supremam Apostolicae Sedis auctoritatem oppugnantes et proculcantes, nunquam satis deplorando animarum, Christi sangvine redemptarum, damno, quaquaversus impietatem, morumque corruptionem ac effrenatam licentiam disseminantes; faustissimo plane omine id factum fuisse largiri debebimus, quod SSmus Dominus noster *Pius Papa IX.* qui ventis impulsae navis Ecclesiae habenas pervigil, sollicitusque tenet; tantis malis quo efficacius adlaturus remedium, Episcopos universi orbis catholici in *Concilium* ante duos abhinc annos coëgerit *Va-*

[1]) Concordiae L. 5. C. 8.

ticanum, quod iustitiae veritatisque iura propugnet, inimicorum hominum insidias detegat, errores, falsasque doctrinas damnet, impietatis sectas proscribat, ac universi gregis dominici saluti consulat. Patris magni, supremi animarum pastoris, cui Dominus universas gregis sui et oves et agnos pascendos commisit, imperio parentes orbis catholici Episcopi universi, in urbem orbis principem convolaverunt, ut duce S. Spiritu testimonium perhiberent verbo Dei et testimonium Iesu Christi; viamque Dei in veritate omnes homines docerent, et de oppositionibus falsi nominis scientiae, adunati visibili Ecclesiae capiti, iudicarent. Deus ipse coeptis aspirare visus est. Patrum enim, qui ex omnibus orbis terrarum partibus frequentissimi convenerant, sapientia, virtute et sollicitudine, ita rem gravissimi huius et sanctissimi operis procedere vidimus, spes ut certissima Christianorum gregi affulgeret, vulneribus ac malis religionem, ecclesiam Dei et societatem civilem prementibus salutiferum afferendum fore medicamen. Ast belli ferrea tempestas, quae in arma duas generosas impulerat nationes, pacem toti quasi excusserat orbi, et sacrilega, improvise facta invasio urbis Romae nec non ditionum pontificiarum requisitam ad pertractanda in Synodo convenienter negotia libertatem, securitatem, tranquillitatemque eripuerat; quod ipsum SSmum Dominum nostrum permoverat, ut auctoritate sua apostolica Concilii Vaticani celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius tempus suspenderet et suspensum esse nunciaret.

Non tamen ob hoc praefatum Concilium omni caruit fructu. Patres enim Concilii erroribus, salutari Christi doctrinae adversis, proscriptis et damnatis, verbo Dei scripto et tradito innixi, id quod ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum acceperunt, de Deo, omnium rerum Creatore, de revelatione, de fide, huiusque ad rationem relatione; *de Apostolici primatus institutione et huius perpetuitate, nec non de vi et ratione primatus, denique de Magisterii Romani Pontificis inerrantia* statuerunt. Procusa in catholico Equ. Antonii Lonkay instituto literario-typographico huius Concilii Decreta et Canones pretio comparanda

et singulis almae Dioecesis Rosnaviensis membris ecclesiasticis consignanda esse duxi. *Etsi enim Canones et Decreta Conc. Vaticani Anno 1870. valvis Basilicarum Urbis Romae affixa, urbi et orbi publicata, et in pagellis orbis fere universi vulgata apud VV. FF. & FF. DD. ceu notissima considerare mihi liceret, — ne tamen nonnullis fors de Venerabili Clero, erroneos de publicatione et obligatione legum Ecclesiae universalis conceptus foventibus, per altum quod in praesentem diem hoc obtutu servatum fuerat in hac Dioecesi silentium, praetextum effugii praebeamus, silentium rumpendum et memorata Decreta et Canones ex editione authentica Actorum Concilii Vaticani decerptos, ministerii nostri partes adimpleturi, ad singulos dimittendos iudicavimus.* Obligationi ex his Decretis et Canonibus in universos Christi fideles dimananti comprobandae eo securius supersedere nobis licere putamus; quod amoenum Nobis sit eam circa cognitiones Cleri Nostri Dioecesani theologicas et spiritum vere ecclesiasticum fovere opinionem, pro qua certissimum tenemus, vulgata ecclesiae universalis lege neminem plane vel unico temporis momento anxium haesisse quoad *irrestrictum vulgatis decretis exhibendum obsequium.* Quod quidem denegare obsequium illis nonnisi de *pseudo-catholicis* in mentem venit, qui fallaci liberalismi spiritu — qui non est ex Deo — abrepti, *altitudinem, extollentem se adversus scientiam Dei*[1]) secuti, spernentes *divitias plenitudinis intellectus in agnitione mysterii Dei Patris et Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi,* et incautos *in sublimitate sermonum decipientes,*[2]) *semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes,*[3]) *Concilium Vaticanum oecumenicum fuisse perfricta fronte negant, sicque agendo, non modo sanae menti, sed sanis quoque sensibus adversantur. Nullum enim prostat Ecclesiae catholicae Concilium, quod, numerum Patrum ad Synodum convolantium si spectes, Concilio Vaticano aequiparari possit. Votorum vero con-*

---

[1]) II. Cor. X. 5. — [2]) Ad Coloss. II. 2—4. — [3]) II. Tim. C. III. 7.

sensionem si spectare libet: dum reliqua Ecclesiae catholicae Concilia de consensione, seu unitate nonnisi morali gloriantur, Decreta et Canones Conc. Vaticani mundo inauditum consensionis seu unitatis absolutae specimen exhibent. Secretarius enim Concilii SSmo Patri suffragiorum exitum sequenti formula renunciavit: et quidem in Sessione III-a: Beatissime Pater: Decreta et canones placuerunt omnibus Patribus nemine excepto; — in Sessione vero IV-a: Beatissime Pater: Decreta et Canones placuerunt omnibus Patribus, duobus exceptis. Numerus suffragiorum in priore Sessione ad 665. in posteriore ad 545. assurrexerat. Nullum etiam deplorandae suae causae refractarii, oecumenicitatem Concilii inficiantes in eo reperire possunt argumentum, quod Patres Concilii necessaria *libertate* orbatos fuisse mentiuntur. Nam *qui vinclis — e supposito — cohibiti in facie Concilii non tam rei, quam eius definiendae opportunitati adversabantur, in plenam asserti libertatem, omnes ad unum sine mora decretis Sessionis IV-ae, in fide non haesitantes, accesserunt, ut Magisterium Ecclesiae Petro-Apostolicum hodie rursus vere tunicae inconsutilis D. N. I. Christi speciem referat.*

Nec id vos turbet VV. FF. et FF. DD. quod nonnulli humana inflati scientia erroris convincere Concilium irrequieti Sisyphi adinstar laborent, hocque praetextu Decreta Concilii Vaticani citra salutis dispendium a se vilipendi posse putent. Hi quidem tanto magis cavendi et pertimescendi sunt, quanto occultius sub divinae legis umbraculis latitant.[1]) Ast huius quoque furfuris homines Deo permittente nunquam in Ecclesia, inde ab eius primordiis defuere. Iam altero Ecclesiae saeculo de huiusmodi eruditis refert S. Irenaeus dicens: „*qui ergo relinquunt praeconium Ecclesiae, imperitiam Sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo et impudente sophista.*“[2]) *De novitate doctrinae per Concilium Vaticanum in Ecclesiam inductae stolide garrientibus, respondeat Vincentius Lirinensis* dicens: „*quid unquam aliud Conciliorum decre-*

---

[1]) Vinc. Lirin. Common. XXV — [2]) V. 20.

tis enisa est; (ecclesia) *nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur, quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur, quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur.*“[1]) Ast sic loquentes de mendacio arguit agmen Doctorum in Scientiarum Universitatibus et ludis literariis theologicis hanc doctrinam semper profitentium, nec non acervus librorum de Ecclesiae catholicae dogmatibus tractantium, in quibus haec doctrina non quidem ut catholica — utpote nondum definita — sed ut catholicorum exhibetur. — Largior ultronee doctrinam hanc, quoad Catechismum, institutioni puerorum destinatum, esse novam, quoniam Catechismi argumentum illae nonnisi constituant doctrinae, quae iam ab ecclesia ad credendum sunt propositae. Doctrina inerrantiae papalis quum hucusque per Ecclam nondum fuerit ad credendum proposita, Catechismi argumentum formare non poterat. Haec et similia effugia quaerentibus dicite in fide non haesitantes: Una est Christi Ecclesia, et semper sibi constans et similis, novitatis ac dissensionis inimica, doctrinam, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit, firmiter et constanter retinuit ac retinebit semper. *Huius unitatis praecidendae nunquam iusta esse potest necessitas*, ait S. Augustinus[2]) — quia nempe iustam secessionis causam Ecclesia dare nunquam potest, in fide non minus infallibilis, quam sancta in moribus. Schismatis igitur saltem reus illico convincitur novator quilibet, qui Ecclesiam deserit. Quam enim Ecclesiam deserit? nisi eam, in qua ipse antea versabatur. Haec vero nonne Ecclesia Christi erat? ergo vera, una, sancta, et impolluta, iisque omnibus instructa dotibus, quae veram Christi Dei sponsam decent: ergo nullum illi vitium imputandum, quod in Christum ipsum illius Caput redundaret. Ergo nullum vitae spiritum, nullam spem salutis habere ille potest, qui ab Ecclesia secedit. *Qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est*, ait S. Cyprianus,

---

[1]) Commonit. C. 23. — [2]) L. 2. contr. Parm. C. 11. n. 25.

Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.[1])

Suscipite ergo VV. FF. et FF. in Christo DD. propositum per Synodum oecumenicam Vaticanam Christi fidelibus verbum Domini, quod manet in aeternum, suscipite eius Decreta, — ut verbis utar S. Ambrosii — ceu *haereditaria* veritatis *signacula*, *nullius temeritate violanda.*[2]) Mementote verborum divi Gregorii M. dicentis: in Conciliis oecumenicis *velut in quadrato lapide sanctae fidei structuram consurgere, et cuiuslibet vitae atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra aedificium* (ecclesiae) *iacere.* Universali — ut monuimus — consensu haec decreta sunt constituta, *se igitur* prosequitur S. Gregorius — *et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt,* subiungens: *Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Historia testatur Ecclesiae, nullum plane in Ecclesia Cath. celebratum fuisse Concilium oecumenicum, cui non continuo, quandoque etiam copiosi, adversarii variis machinationibus et convitiis reluctarentur, praesertim si *Imperatorum ac Regum praesidio* munitos se scirent; quem in casum nec ab iniuriis Ecclesiae eiusque Ministris inferendis abhorrebant. Testis in hanc rem sit Concilium Nicaenum casam iudicans Arianorum. Cuncti tamen Conciliorum adversarii de facie terrae disparuerunt, veritas per Concilia definita nedum obnubilari, eominus eradicari potuit. Verbum enim Domini manet in aeternum! Absit igitur a vobis VV. FF. et FF. DD. ut Vos similibus artibus, dolosis machinationibus, quin etiam sustinendis iniuriis a tramite inconcussae veritatis amoveri patiamini, et *decreta Concilii Vaticani non modo ut normam credendorum, sed etiam docendorum considerantes, non doctas fabulas secuti, viam Dei in veritate docete. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes,*[3]) *sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores,*[4]) *sed vos*

---

[1]) Libr. de unit. Eccl. — [2]) De fide L. 3. c. 15. n. 128. — [3]) Coloss. III. 16. — [4]) Tit. 1, 10.

unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et sicut docuit Vos (ecclesia), *manete in eo.*[1]) Accingimini et estote filii potentes, estote parati in mane, ut pugnetis adversus nationes, quae convenerunt adversus nos, disperdere nos et Sancta nostra.[2]) Mementote vos olim, dum Episcopus manus vobis imponeret et sacris initiati, nec non publicis in Ecclesia officiis admoti fuissetis, spopondisse, vovisse et iurasse: *caetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis . . . definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia, atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo.* Haec quidem quoad vos; quoad Christianos vero curae vestrae concreditos vovistis: *atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum;* subnectentes: *Ego idem spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet.* Ita VV. FF. et FF. DD. Sic vos Deus adiuvet! adaugeat fidem vestram, et gratia Domini nostri Iesu Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen. Datum Rosnaviae, Festo S. Ioannis Ap. et Evang. 1872.

---

[1]) I. Ioann. II. 27. — [2]) I. Mach. C. 3.

2019.

Primas Hungariae per Circulares dioecesanas proponit Observationes in ambas Constitutiones dogmaticas S. C. Vaticani. 1872.

Ambas, quae in Vaticano Concilio editae sunt Constitutiones dogmaticas, nemini Vestrum ignotas, observationibus quibusdam comitari volui, cum, ut illarum intelligentia facilior redderetur, tum, ut appareret, quanta fuerit easdem emittendi necessitas, ne illi, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei[1]) suae desint obligationi gravissimae, per Apostolum inculcatae his verbis: „Depositum custodi devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae,“ [2]) illud inquam depositum, de quo idem Apostolus alio loco[3]) pronunciavit: „Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.“

I. *Observationes in Const. dogm. de Fide Catholica.* 1. Inscriptione Pius Episcopus, Servus servorum Dei, sacro approbante Concilio nihil novi introductum, sed antiquus et receptus mos retentus est in Concilio Vaticano. Iam in Conciliis Lateranensi IV., Lugdunensi I., Florentino et Lateranensi V., quibus nempe ipsi Summi Pontifices in persona intervenerunt ac praesederunt, hac sub forma, simili cum inscriptione decreta publicabantur. Sane in Concilii Lateranensis IV. Decreto de fide catholica dicitur: „Nos autem (Innocentius III. loquitur)

---

[1]) Act. 20, 28. — [2]) 1. Tim. 6, 20. — [3]) Gal. 1, 8.

sacro et universali Concilio approbante, credimus et confitemur.“ [1]) Lata in Concilio Lugdunensi I. sententia contra Imperatorem Fridericum I. hanc exhibet inscriptionem: „Innocentius Episcopus etc. sacro praesente Concilio.“ [2]) Florentini Concilii celeberrimum Unionis Graecorum decretum inscriptum est: „Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, consentiente ad infrascripta carissimo in Christo Filio nostro Ioanne Palaeologo Romanorum Imperatore illustri, et loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum et coeteris orientalem Ecclesiam repraesentantibus.“ [3]) Denique in Actis Concilii Lateranensis V. plura leguntur ibidem edita decreta cum hac inscriptione: „Leo Episcopus S. S. D. sacro approbante Concilio.“ [4]) Hanc formam postulat relatio Summi Pontificis ad reliquos Episcopos, quae est capitis ad membra corporis, cuius relationis Episcopos nunquam non conscios fuisse historia abunde testatur. Iam in epistola Patrum Concilii Chalcedonensis ad S. Leonem M. legimus: „Quam (fidem) ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres . . . Unde et nos quippe inchoatore bonorum te, ad utilitatem utentes, Ecclesiae filiis haereditatem, sortemque Veritatis ostendimus. Quibus tu quidem, *sicut membris caput* praeeras in his, qui tuum tenebant ordinem . . . Rogamus igitur, ut tuis decretis nostrum honora iudicium; et sicut nos Capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic et *summitas filiis*, quod decet, adimpleat . .“ Quingenti viginti Episcopi non latini, sed graeci, in Concilio congregati, non aevo medio, sed a. 451. ita loquuntur, seseque membra et filios compellant, in Romano Pontifice Caput et Patrem venerantes.[5]) Videatur etiam Epistola Patrum Concilii Generalis VI. Constantinopolitani III. ad S. Agathonem Papam.[6])

Per hanc autem in edendis ac publicandis Conciliorum Oecumenicorum decretis adoptatam formam Episcopis ius divinum, quo pollent, iudicandi de

---

[1]) Harduin. Acta Concil. T. VII. col. 18. — [2]) Ibid. col. 401. — [3]) Id. T. IX. col. 419. — [4]) Ibid. col. 1719, 1721, 1723. — [5]) Ibid. T. II. c. 655. — [6]) Circul. Dioec. a. 1871. pag. 185.

rebus ad fidem et mores, verbo ad revelationem pertinentibus haud adimi, e Historia Conciliorum, et ut alia brevitatis causa silentio praetereantur, ipsius Vaticani Concilii clarissime colligitur. In ipsa plane prima Constitutione dogmatica huius Concilii disertis verbis hoc ius Episcoporum agnitum et expressum legitur. „Nos itaque, ait Summus Pontifex, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem Catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam destitimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc Oecumenicam Synodum Auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis." De vera iudicandi potestate sermonem esse ipsa verba innuunt, per quae alluditur ad illa Christi Domini: „in regeneratione cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suae, sedebitis et Vos (Apostoli) super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel."[1])

2. Disputationes, rationes et expositiones decretis conciliaribus etiam de fide praemissas, ad fidem non pertinere, non esse catholicae fidei iudicia, nec iccirco infallibilitatis obiecta, nemini ignotum est. Hoc idem dicendum de Prooemio, quod Concilium Vaticanum Constitutioni suae dogmaticae de fide catholica praemisit. Prooemii scopus, ut legenti patet, est, Synodum Vaticanam connectere cum prioribus Oecumenicis Conciliis, maxime vero cum ultimo Tridentino. Connectere autem volendo hoc Vaticanum Concilium cum prioribus, ac in specie cum ultimo Tridenti celebrato Oecumenico Concilio, non potuit non per apices saltem recensere laetissimos, qui ex illo Concilio in Ecclesiam, sic Deo misericorditer disponente, dimanaverunt fructus. At vero hoc faciendo praetermittere silentio nequivit gravia mala, quibus inpraesentiarum Christiana omnis laborat societas praecipue propterea, quod illius Concilii saluberrima decreta, ab iis quidem, contra quos dirigebantur, nunquam reciperentur, inter Catholicos autem negligerentur. Quae mala iccirco etiam indicanda erant, quia Concilium Vaticanum alia inter iccirco potissimum cogere placuit, „ut omnia ab Ec-

[1]) Matth. 19, 18.

clesia et civili societate amoveantur mala, ut miseri errantes ad rectum veritatis, iustitiae, salutisque tramitem reducantur, ut vitiis erroribusque eliminatis, augusta nostra religio, eiusque salutifera doctrina ubique terrarum reviviscat — atque ita pietas, honestas, probitas, iustitia, charitas, omnesque christianae virtutes cum maxima humanae societatis utilitate vigeant, et efflorescant." [1])

3. Hodie Ecclesiae non tantum contra haereses, revelatis veritatibus divinis oppositas, dimicandum, sed eo contendendum est, ut rationem ipsam, et cardinales rationis veritates contra spiritum nequitiae, qui a Deo plane descivit, vindicet ac tueatur. Ecclesia hodie non solum ea est petra, cui Christi divina insistit religio, sed petra quoque est universi ordinis naturalis, quem contra easdem adversas potestates propugnat, quae ipsam Christi Religionem evertere adnituntur. Ni fallor, nostro tempore implementum sortitur, quod duobus abhinc saeculis magnus Germanorum Philosophus praenunciavit, dicens: Ventura esse tempora, quibus Ecclesia Catholica non tam fidem, quam rationem contra incredulorum assultus vindicandam habebit, postremumque in mundo errorem fore atheismum. Vel quid aliud portendit illa, quae ubique praedicatur naturae idololatria, et illa tam multis adamata doctrina, quae non erubescit docere, humani generis initia in hirsuto simio, incunabula vero non in paradiso, sed in volutabro luti quaerenda atque reperienda esse. Nemini proinde mirum videbitur, si in Prooemio recensita legat errorum monstra, in quae haud paucorum hominum mentes conversae sunt, hominum „qui a veritate quidem auditum averterunt, ad fabulas autem conversuntur." [2])

4. Commemoratur dein obligatio Ecclesiae Dei veritatem semper testandi, semperque praedicandi, quodve Summus Pontifex, qui pro supremo suo Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas

---

[1]) Vide Litteras Apost. „Aeterni Patris" Concil. Vatic. convocat. in Circ. Dioec. die 21-a Iulii 1868 Nr. 3276. — [2]) 2. Tim. 4, 4.

reprobare nunquam intermisit, nunc idipsum facere et exequi intendat eo, quo fieri potest, solemnissimo modo, nimirum in Generali Concilio, in quo una cum Capite Ecclesiae membrorum consensus maximo, quod dari potest, auctoritatis externae pondere manifestatur.

5. Pauca de forma, seu ordine inter declarationem doctrinae catholicae et condemnationem erroris, per Concilium Vaticanum observato dicenda sunt. Varium in praeteritis Conciliis eatenus observatum fuisse, ex actis eorumdem clare liquet. Quando agebatur de erroribus sectarum, in propria sua ratione v. g. per symbola notissimis, simulque Concilio propositum fuit, contra illos errores catholicam doctrinam distinctius et clarius declarare, tunc primo exposita fuit catholica his erroribus opposita doctrina, dein in distinctis canonibus confixi sunt errores, huic doctrinae contrarii. Ita factum v. g. in Concilio Tridentino quoad plurima doctrinae capita, plurima inquam, nam exceptioni hoc etiam in Concilio locus fuit. Quando de erroribus non per propria symbola determinatis, sed magis involutis condemnandis agebatur, tunc ab erroris proscriptione et condemnatione inceptum fuit, et postea primum proponebatur catholica doctrina. Exemplum huius formae habemus in Concilio Lateran. IV. Cap. „Damnamus," et Lateranensi V., in quo, ut superius memoratum est, philosophorum quorumdam errores damnantur. Sed habemus exemplum in ipsa Tridentina Synodo, quae in Capitibus de Canonicis Scripturis, de Invocatione Sanctorum et Indulgentiis primo damnavit doctrinam catholicam reiicientes haereticos, dein proposuit ipsam Ecclesiae Catholicae doctrinam, quin condiderit et adiecerit Canones. Quando denique Concilium praecipue condemnationem erroris intendit, tunc Canones solum conderi satis esse censebatur, prout factum fuisse novimus in Conciliis Milevitano II. et Arausicano, quae Canones dumtaxat ediderunt, in quibus damnantur errores, subiuncta brevissima doctrina catholica desumpta, ratione, ob quam errores damnati fuerint. Quamcumque harum formarum adoptando Concilium Vaticanum, a trita per priora Concilia via haud recessisset. Legenti Constitutiones dogmaticas laudati Concilii patet illud commemoratam primo loco formam sequutum fuisse.

6. Ad quaestionem autem, qui fieri potuerit, ut in scholis etiam catholicis, imo plane et theologicis errores contra fidem tam graves serpere, imo aperte doceri potuerint, haud difficulter respondebitur, si attendatur, quae circa nexum scholae cum Ecclesia conversio rerum inde ab ultimis decenniis prioris saeculi locum habuerit. Antea scholae suae originis memores, gloriae sibi ducebant, quod sint filiae Ecclesiae; intimum itaque cum matre sua nexum foventes vigilantiam et directionem eius non aspernabantur. De scholis, quae tunc floruerunt, sonant et valent magna illa laudum encomia, quae depraedicat Melchior Canus [1]), de scholis illis loquitur, catholico spiritu imbutis, quae iccirco ad defensionem et explicationem veritatum fidei magno erant subsidio. A quo tempore autem scholae etiam theologicae pluribus in regnis haud amplius ab Ecclesia dependere coeperunt, verum a civili potestate, quae professores et magistros nominat, libros praelectionum praescribit, systema studii etiam theologici praestituit, et vix umbram influxus in haec studia Ecclesiae reliquit, fieri facile potuit, et factum esse, historia testatur, ut in catholicis quoque nonnullis scholis traderentur errores per magistros, „qui, ut Concilium Vaticanum loquitur, variis et peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.“ Ad quae avertenda mala et fidei pericula opus erat, ut ab ipso Concilio normae proponerentur, tam in docendo, quam in scribendo deinceps observandae.

II. *Observationes in Const. dogm. I de Ecclesia Christi.* 1. Haec dogmatica Constitutio, *prima de Ecclesia Christi* inscribitur, supponit ergo alias, saltim secundam; quae vero edita in Concilio Vaticano nondum fuit, quippe

[1]) de locis theol. VIII. c. 11.

quod post publicationem primae huius de Ecclesia Christi Constitutionis, in Sessione publica quarta die 18. Iulii 1870. factam, primo quidem prorogabatur, dein vero vigore Brevis Apostolici die 20. Octobris c. a. vulgati suspendebatur. Causas suspensionis Concilii ipse Beatissimus Pater in laudato Brevi recenset. „In hac, inquit, luctuosa rerum conditione (sacrilegam, quae accidit, almae Urbis et S. Sedis invasionem et occupationem per Italos intelligit) cum Nos a libero expeditoque usu supremae auctoritatis Nobis divinitus collatae multis modis impediamur; cumque probe intelligamus, minime ipsis Vaticani Concilii Patribus in hac alma Urbe, praedicto rerum statu manente, necessariam libertatem, securitatem, tranquillitatem suppetere et constare posse ad res Ecclesiae Nobiscum rite pertractandas; cumque praeterea necessitates fidelium, in tantis iisque notissimis Europae calamitatibus et motibus, tot Pastores a suis Ecclesiis abesse haud patiantur: iccirco Nos, eo res adductas magno cum animi Nostri moerore perspicientes, ut Vaticanum Concilium tali in tempore cursum suum omnino tenere non possit, — — eiusdem Vaticani Oecumenici Concilii celebrationem, usque ad aliud opportunius, et commodius tempus per hanc Sanctam Sedem declarandum — — suspendimus et suspensam esse annunciamus."

2. Agit autem haec Constitutio de Romano Pontifice, qui maxime essentialem totius aedificii Ecclesiae partem, quia eius fundamentum, ac basim, super qua Christus, Deus noster, Ecclesiam suam aedificavit, constituit. Ac ideo Vaticanum Concilium loqui volens de Ecclesia Christi, bene orditur cum Romano Pontifice, quia et nos, dum domum construimus, a fundamento ponendo laborem occipimus, et quia etiam Salvator divinus, priusquam aedificandae Ecclesiae manus admoveret, de illius fundamento sollicitus fuit, illudque primo posuit, ad Petrum dicens: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam." In Petro porro Christus initium fecit illius, quam in Ecclesia sua instituit, et Apostolis contulit, potestatis. Qua super re audiatur doctissimus olim Carthaginensis A.-

Episcopus Ioannes Devoti[1]). „Illud, inquit, imprimis dignum observatu est, quod nemini Christus potestatem aliquam iurisdictionis attribuit, antequam eam conferat in Petrum, atque in ipso constituat Ecclesiae fundamentum. Mittit Apostolos, atque discipulos ad praedicandam poenitentiam, atque homines ad sui adventum praeparandos, et illis quoque tribuit patrandi miracula potestatem (Matth. 10, 7. Marc. 6, 7. Luc. 10.), sed nullam ipsis concedit iurisdictionem, quae deinceps Apostolis concessa est. Imo ante Petri primatum, atque institutam ecclesiasticam iurisdictionem, et discipuli et Apostoli aequale munus, et parem potestatem habuisse videntur; quoniam cum hi, tum illi eodem modo mittuntur ad nunciandam poenitentiam, Christique adventum, et omnibus eadem tribuitur potestas miraculorum. Primum ecclesiasticae iurisdictionis monumentum est in Petro, ut pateret, eum esse eius fontem, originem, initium, neque eam aliam esse posse, quam quae ab hoc capite derivata in omnia Ecclesiae membra diffunderetur. Hunc igitur — Christus ex Apostolis elegit, ut esset omnium caput, et fons iurisdictionis, et centrum unitatis, a quo innumerabiles illae in toto orbe diffusae particulares Ecclesiae conjungerentur, atque ita ex earum coagmentatione una Ecclesia universalis existeret.“ Et profecto Christus, testibus SS. Litteris, primatum non ita instituit, ut illum paratae iam Ecclesiae quasi apponeret, sed ita instituit, ut is, cui primatum contulit, fieret in Ecclesia hoc, quod est in aedificio fundamentum, id est maxime essentialis Ecclesiae pars. Non ergo est primatus Ecclesiae superadditus quasi aliquod ornamentum, quo illa etiam carere posset, sed potius sine illo ipsa Ecclesia careret fundamentali petra, visibili Capite, supremo Pastore, seu quod idem est, cessaret esse vera Ecclesia Christi. Verissime itaque in Prooemio Constitutionis huius dicitur Christum in primatu instituisse perpetuum unitatis in

[1]) Ius Canonicum Universum publicum et privatum, nova romana editio 1837. Tom. I.

fide et communione principium ac visibile fundamentum; quod enim unitatem efficit, turbatam restituit et conservat, iure principium, seu causa formalis sive constituens unitatis dicitur. Hinc patet summum doctrinae, quae in hac dogmatica Constitutione declaratur, momentum, quod crescit, si attendamus assultus, qui nostris imprimis diebus omni e parte diriguntur contra universalis Ecclesiae Primatem Romanum Pontificem, quos assultus heic recensere ac uberius describere supervacaneum est, cum illos nemo ignoret Catholicorum. Utinam hi a suis discerent hostibus, qui hoc ipso, quod Ecclesiam Catholicam subvertere volentes, suos impetus imprimis contra Ecclesiae caput et fundamentum Romanum Pontificem dirigant, vel inviti fatentur, illo incolumi, Ecclesiam quoque salvam et incolumem fore. illo vero, si fieri unquam posset, e medio sublato, ipsam etiam Catholicam Ecclesiam dirui. Legenti Prooemium liquet, illius anteriorem partem e textibus SSrae [1]) et effatis potissimum S. Cypriani [2]) conflatam esse.

3. In Capite primo proponitur doctrina, divinitus revelata, de apostolici Primatus in Beato Petro institutione, in qua declaranda doctrina sequentes errores Concilii Patribus obversabantur: Primus error est, qui simpliciter negat divinam Primatus iurisdictionis institutionem, estque pseudo-reformatorum saeculi XVI. quibus praeluserunt quodammodo Wicleffitae et Hussitae. Hi enim, quum omnem potestatem ex decreto absolutae praedestinationis derivarent, prout Ecclesiae visibilitatem, quae iuxta ipsorum commenta e solis praedestinatis constat; ita caput visibile eiusdem Christo Domino esse in Petro Apostolo institutum negare debuerunt [3]). Protestantes vero convenienter doctrinae suae

---

[1]) Ioann. 17, 1. 18—1; 15, 16, 19; 20, 21; Ephes. 11. — [2]) epist. ad Florent. Pap. 69 al. 66. et Libr. de Un Eccl. — [3]) Conf. Artic. Wicleffi a Martino V. damnat. 3 40. 41. et Artic. Hussii 9. 10. 11. 12. 27. 28. 29. Har Conc. T. VIII.

fide sola salvifica, iuxta quam fidelis quivis sibi ipse est iustificationis causa instrumentalis et minister, contendunt, omnes fideles per Baptismum aequaliter esse Sacerdotes, aequaliter Evangelii Ministros, i. e. facultate munia sacra obeundi divinitus instructos ita, ut cuivis baptizato provincia verbum Dei praedicandi et Sacramenta dispensandi demandari possit [1]). Quae idcirco in solo ministerio externo, i. e. simplici tantum commissione constat, et hinc prorsus e fidelium arbitrio pendet adeo, ut plebei et quivis de trivio homines statim ac plebs sive per se sive per alios iusserit, sacri ministri evadant, et vicissim commissione eiusmodi retractata, continuo in laicorum ordinem redigantur. Quodsi autem saec. XVI. Novatores nullum ordinem sacrum, nullamque Hierarchiam divinitus institutam admiserunt, quilibet facile intelliget, quomodo fieri potuerit, illos Primatum a Christo Domino collatum S. Petro negasse, ac defendisse, nulli peculiari individuo Primatum esse traditum, sed Ecclesiam institutam esse acephalam [2]). Alter error est Richerianorum, qui negant Primatum directe et immediate uni Petro fuisse collatum; contendunt vero, illum immediate et essentialiter ipsi fidelium communitati seu Ecclesiae datum fuisse. Sane Richerius statuit [3]): „Christum suam fundando Ecclesiam, prius, immediatius, et essentialius claves seu iurisdictionem toti dedisse Ecclesiae, quam Petro et aliis Apostolis.“ Iam ex epistola pastorali ddto 18. Decembris 1871. Nr. 5700. dimissa, in qua monumenta Traditionis Catholicae de infallibili magisterio Romani Pontificis recensentur, novimus, Edmundum Richerium in vita saepius, et mox ante mortem quoque erroneas suas opiniones retractavisse. Nominatim de praemissa propositione ipse asseruit, adversari illam „doctrinae catholicae, a sanctis . . Patribus fideliter expositae,“ qui docent: „Christum claves iurisdictionis ecclesiasticae primo, immediate et essentialiter non per accidens, Petro dedisse: deinde

[1]) Conf. Concil. Trid. Sess. 7. Can. 10; Sess. 24. c. 4. — [2]) Conf. Artic. Lutheri a Leone X. damnat. 25. et 26. — [3]) de Eccl. ac polit. potest. prop. I.

per Petrum Ecclesiae Praelatis contulisse.“ Richerius quidem, ut dictum, palinodiam cecinit errorum suorum, qui vero dein a Ioanne Launoio[1]), Elia du Pin[2]) et aliis renovati sunt. Huc quoque pertinet propositio pseudo-synodi Pistoriensis a Pio VI. in Bulla „Auctorem fidei“ damnata, 2. statuens, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt eius Ministri pro salute animarum; quae sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, haeretica declaratur. Item propositio 3-a quae statuit, Romanum Pontificem esse caput ministeriale; quae sic explicata, ut Rom. Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem accipiat ministerii, qua velut Petri successor verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae Caput, pollet in universa Ecclesia, pariter ut haeretica damnatur. Tertius error est communis omnium Protestantium, Schismaticorum et Episcopalium, qui Primatum Petri Apostoli aut prorsus negant, aut si praerogativam aliquam Petro factam concedant, eam vi verae proprieque dictae iurisdictionis exuunt, et in mero honore, quo Petrus esset primus inter pares, collocant, et ita fidem Christianam de instituto iurisdictionis Primatu tollunt ac pervertunt. Quartus denique est error Graecorum Schismaticorum, qui hodie confitentur „nullum aliud esse Caput Ecclesiae, quam Christum solum: et tametsi antistites in Ecclesiis, queis praesunt, capita earum dicantur; sic illud tamen accipiendum, quod ipsi vicarii Christi in sua quisque provincia, et particularia quaedam capita sint. A Christo Domino enim omnibus Apostolis eundem honorem, et eandem potestatem collatam fuisse; adeoque Apostolos, eorumque successores episcopos perfecte aequalem potestatem habere, et nonnisi consociationem Episcoporum pollere auctoritate super episcopos singulos. Atque propterea, quemadmodum provinciae ecclesiasticae centrum

---

[1]) epist. ad Hadrian. Vallant. quae est 5. — [2]) De antiqua Eccl. discipl. diss. 6.

est Synodus provincialis, ita totius Ecclesiae centrum esse Concilium Oecumenicum [1]).

4. Primo Capite his recensitis erroribus opposita declaratur catholica doctrina, quae est: iuxta Evangelii testimonia Christus Dominus Petrum constituit Apostolorum omnium principem, et totius Ecclesiae militantis visibile caput, promittendo et etiam conferendo eidem soli Petro directe et immediate, non autem Ecclesiae et per hanc ipsi Petro, velut eius ministro, Primatum non honoris tantum, sed etiam verae propriaeque iurisdictionis, seu quod idem est, non praerogativam tantum reliquis praecedendi et negotia communia dirigendi, sed praerogativam potestatis Ecclesiam gubernandi. In hac declaranda doctrina Concilium ad duo dumtaxat provocat Evangelii testimonia; nimirum Matth. 16, 16—19 et Ioan. 21, 15—17, quae proinde authentice interpretatur, ut iam omnes sciant hunc et non alium sensum iis inesse testimoniis. Prius testimonium huius est tenoris: „Unum Simonem, cui iam Christus D. pridem dixerat; Tu vocaberis Cephas [2]), postquam ille suam edidisset fidei confessionem inquiens: Tu es Christus filius Dei vivi, in tantae fidei remunerationem solemnibus his verbis allocutus est Dominus: Beatus es Simon Bariona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“ Quae quidem verba roboris, iuris et dignitatis plena esse, nemo negaverit. Illud autem pro huius, reliquorumque ad hanc rem facientium evangelicorum et apostolicorum testimoniorum planiori intelligentia animadvertendum est: neutiquam dubitandum esse, Apostolos, cum sibi ipsis primatem aliquem potiori iure praelatum fuisse referunt, amplificantioribus verbis contra se ip-

[1]) Conf. Macar. Vinnicens. theol. dogm. orth. t. 2. —
[2]) Ioan. 1, 42.

sos haud usos fuisse; item non esse existimandum, Christum in statuenda fundamentali Civitatis sive Ecclesiae suae forma, lege, magistratu ancipitibus verbis continuae litis semina iacere voluisse; in stricto igitur, quantum licet, sensu accipienda esse Christi, Apostolorumque effata, liquet. Et primo quidem Simoni novum nomen imposuit Christus, dicens: „Tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas.“ Haec novi nominis impositio, Petro facta, nec sine causa accidit, nec eo spectabat, ut novum illud nomen inane et vacuum Petrus gereret; sed quemadmodum cum Deus Abramo nomen mutasset, Abrahamumque vocavisset, itemque eius uxori Sarai, Saram vocando, et Iacobo Israelis nomen tribuendo, illud his nominibus expresserat, quod isti constituti erant, nimirum Abraham, pater multarum gentium, Sara domina, quae ex se tot populos habitura esset, et Israel fortis erga Deum, qui Angelum, Dei personam gerentem, superaverit, Christumque futurum fortem in obtinenda nobis a Deo benedictione in sua persona praefiguraverit: ita profecto etiam in Petro nominis istius impositio eo pertinebat, ut, quia super eum aedificanda esset Ecclesia, nomen haberet, quod huic aedificationi conveniret. Ut adeo ipsum iam hoc Petri nomen exigat, ut aedificatio Ecclesiae super eum facta intelligatur, qui nempe istius aedificationis causa hoc ipsum nomen acceperit. Itaque his verbis: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam,“ Petrus constituitur petra fundamentalis Ecclesiae. Petrus proinde idem Ecclesiae praestat, et e Christi institutione praestare debet, quod firmissimum fundamentum aedificio inconcusso. Iam vero destinatio et officium fundamenti est, ut aedificium sustentet, ac in suis partibus ac iuncturis contineat. Ergo officium etiam Petri in spirituali Ecclesiae aedificio est, omnes eius partes, ne dissolvantur, continere ac conservare. Porro Ecclesia, cuius partes Petrus, ne dissolvantur, continere debet,

societas est: quis vero ignorat, societatem, ne dissolvatur, suprema auctoritate, quae leges sancit, et illas exequitur, contineri. Petrus igitur, qui totius Ecclesiae fundamentum dicitur, summa in totam Ecclesiam auctoritate donatur. „Vox petra et fundamentum, observat Mamachius [1]), si ad aliquem significandum, cui nitatur respublica, transferatur, quem demum, nisi Principem indicat? Princeps enim in Monarchia est, Optimates in Aristocratia, populus denique in Democratia, qui molem sustinent rerum publicarum, harumque petrae ac fundamenta appellari possunt, et vero debent. Nam praeter hos, quae alia esse petra, quodve aliud fundamentum queat, non video.“ Supra Petrum Christus suam aedificavit Ecclesiam. Haec igitur Petro veluti fundamento, insistit. Aedificium autem firmitatem suam a fundamento repetit, non fundamentum ab aedificio: sed nec est in aedificio, quidquid cum eius fundamento nexum non est. Continuat Salvator sermonem suum ad Petrum: „Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris etc.“ Dominus, qui prius symbolo firmissimi fundamenti officium et potestatem Petri in Ecclesiae aedificio explicuit, nunc ad idem munus eandemque potestatem designandam clavium utitur symbolo, quod in S. Scripturis ad designandam potestatem in eam rem, cuius clavis est, adhibetur. Isaias cum Sobnae, praeposito templi praediceret futurum, ut sua exauctoraretur dignitate, haecque in Eliacimum transferretur, sic ad eum Dei nomine verba fecit: „Expellam te de statione tua, et de ministerio deponam te, et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem dabo in manus eius, et erit quasi pater habitantibus Ierusalem, et domui Iuda; et dabo clavem domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit, qui aperiat“ [2]). Et de Christo dicitur [3]), quod habeat claves mortis et inferni; rursusque [4]): „Haec dicit Sanctus Verus, qui habet

[1]) Orig. et antiquit. Christ. T. 5. p. 1. p. 314. — [2]) Is. 22, 19. — [3]) Apocal. 1, 18. — [4]) Ibid. 3, 7.

clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit." Nomine autem regni coelorum hoc loco, ut saepe alibi in Evangeliis, regnum Christi in terris, id est, Ecclesiam intelligi, patet e promissa potestate ligandi et solvendi *super terram.* Dubitari itaque nequit, quin traditione clavium officium et potestas loco Regis regnandi, seu summa et plena potestas Petri designetur. Cum Christus dicit Petro, „tibi dabo," alios excludit, et cum dicit, „claves," nullam retinet, aliis dandam. Christus itaque promittendo claves regni coelorum sive Ecclesiae Petro, ita plenitudinem potestatis eidem in Ecclesia promittit, ut omnia ipsi soli subiiciat, hocque ipso illum constituat summum Ecclesiae suae Rectorem ac Gubernatorem, sive Primatem cum potestatis plenitudine quodcumque solvendi ac ligandi, seu ferendi leges, quaecumque Ecclesiae membra obligandi ad illas observandas, verbo efficiendi, quidquid ad Ecclesiae ipsius bonum et utilitatem pro locorum, temporum, personarum et rerum adiunctis ipse conferre iudicaverit. Verba enim *ligare* vel *solvere* in Hebraeorum lingua significasse permittere vel prohibere, idest auctoritate sua aliquid licitum vel illicitum declarare multa congerie locorum e iudaicis libris ostendit Ligtfoot [1]).

5. Arbitrariam non esse hanc sacri textus interpretationem, sed esse unice veram vetustissimorum Scriptorum testimoniis nullo negotio evincitur, qui et Scripturas diligenti indagine scrutati sunt, et Ecclesiae formam ac regimen, prout a Christo instituta sunt, optime noverunt. Forma et regimen Ecclesiae oculis omnium patebat, ex totius orbis usu et praxi etiam idiotae formam illam et regimen noverant, eo minus igitur viri docti, quales erant ss. Patres et alii Scriptores ecclesiastici, hac in re falli poterant. Loquantur autem primi Scriptores graeci, qui a nimio erga s. Petri cathedram affectu immunes censendi sunt. *Origenes:*

[1]) Horae thalmud. ad Matth. 16.

„Vide, inquit [1]), magno illi Ecclesiae fundamento, et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: modicae fidei, quare dubitasti?“ — *S. Athanasius* [2]) vocat Petrum coryphaeum, nempe Apostolorum. — *Eusebius* [3]): „Petrus, ait, natione Galilaeus et Christianorum Pontifex primus.“ Ubi est observandum discrimen, quod Eusebius ponit inter Petrum et aliarum civitatum Episcopos, nam de Petro non dicit: Romanorum Episcopus primus, sicut ibidem dicit de Iacobo: „Ecclesiae Hierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Iacobus, frater Domini;“ et de Evodio: „Primus Antiochiae Episcopus ordinatur Evodius.“ Non ita de Petro loquitur, sed Christianorum Pontifex primus; nimirum ut intelligeremus Iacobum unius civitatis, Petrum totius orbis christiani Pontificem fuisse. Idem Eusebius vocat [4]) Petrum „omnium Apostolorum probatissimum, et maximum, primorum principem et ducem, ac magistrum militiae Dei.“ Quid autem aliud est, esse ducem militiae Dei, quam esse Caput militantis Ecclesiae [5]). — *S. Basilius* [6]): „Beatus ille Petrus, omnibus discipulis praelatus, cui soli maiora data quam aliis sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt.“ — *S. Gregorius Naz* [7]). „Vides quemadmodum ex discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic *Petra* vocetur, atque Ecclesiae fundamenta fidei suae credita habeat, ac reliqui discipuli posthaberi se tranquillo animo ferunt.“ — *S. Cyrillus Hiesosolym.* Petrum vocat [8]) „Principem Apostolorum excellentissimum.“ — *S. Cyrillus Alexand.* [9]) „Prae aliis emicat ille caeterorum caput, ac princeps, et ait: Tu es Christus, filius Dei vivi.“ — *S. Epiphanius* [10]): „Petrum discipulorum suorum principem elegit.“ Idem [11]): „Dominus constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei aedificata est.“ — *S. Gregorius Nysse-*

---

[1]) Homil. 5. in Exod.— [2]) In Psalm. 15. v. 8.— [3]) In Chron. a. 44. a Christo nato. — [4]) Libr. 2. Hist. cap. 14. [5]) V. Bellarm. de Roman. Pont. l. 1. c. 25. — [6]) Poaem. de iudic. Dei. — [7]) Orat. de moder. in disput. servand. — [8]) Catech. 2. — [9]) L. XII. in Ioan. — [10]) Haer. 51. — [11]) In Ancorato.

nus [1]): „Dominus ait ad principem Apostolorum: Tu es Petrus.“ Idem [2]): Petrum vocat „summum et principem Apostolorum.“ — *S. Ephrem Syrus:* „Te, ait [3]), felicem praedicabo, Simon Petre, claves tenentem, quas Spiritus fabricavit... O te beatum, qui capitis et linguae locum obtinuisti in corpore fratrum tuorum, quod utique ex discipulis et filiis Domini tui coagmentabatur.“ — *S. Ioannes Chrysost.* [4]) „Dominus ait: Tu es Petrus, et ego super te aedificabo Ecclesiam meam.“ Et iterum [5]): „Quid autem, inquit, Petrus, basis Ecclesiae, ille vehemens amator Christi.“ Idem ex collatis Petro a Christo Domino praerogativis „petrae et clavium“ auctoris Christi divinitatem ostendens, ait [6]): „Deinde alterum dicit honorem: Ego autem dabo tibi claves regni coelorum. Quid significat illud: Ego autem tibi dabo? Quemadmodum Pater tibi dedit, ut me cognosceres, sic et ego tibi dabo, neque dixit rogabo Patrem, etiamsi magna esset potestatis demonstratio, et doni magnitudo ineffabilis, sed: Ego dabo tibi. Quid quaeso das? claves regni coelorum; ut quaecumque ligaveris . . . Viden? quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat, et se ipsum revelet, ac per hasce duas promissiones se Filium Dei esse ostendat? Nam quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur; ut Pater Ieremiam alloquens dicebat (1, 18), se posuisse illum sicut columnam aeream, et sicut murum, sed illum uni genti, *hunc autem in universo terrarum orbe.*“ Quis iam negare ausit, S. Ioannem Chrysostomum caeterosque ante illum citatos Patres Graecos non sic s. textum intellexisse, ut S. Petro principatus ac primatus Ecclesiae fuerit collatus? Sed vero hanc veritatem ob eadem Christi verba ipse Photius vel invitus agnovit, scribens [7]): „Ita suadet Apostolorum coryphaeus, cui claves et ingressus portarum coelestium concreduntur.“ Idem

---

[1]) De adventu Domin. — [2]) In catech. 2. — [3]) Hymni de Vita apud Asseman. de scriptor. Syriis p. 95. — [4]) Homil. 55. in Matth. — [5]) Homil. 4. in cap. 6. Is. — [6]) in Matth. hom. 54. al. 55. — [7]) ad Mich. Bulg. Princ. epp. l. I. c. 8. n. 25.

testantur Patres et Scriptores Latini. *Tertullianus* [1]): „Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni coelorum consecutum, et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem?“ — *S. Cyprianus* [2]): „Loquitur Dominus ad Petrum: Et ego dico, inquit, quia tu es Petrus et super hanc Petram etc. Super illum unum aedificat Ecclesiam suam . . . Hoc erant utique et caeteri, quod et Petrus; sed *Primatus Petro* datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur.“ Reliqua S. Cypriani testimonia videantur in Circul. ddto. 18. Decembr. 1871. Nr. 5700. dimissis litteris. — *S. Hilarius Pict.* [3]): „O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius Petra . . . O beatus coeli ianitor, cuius arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in coelo. ut quae in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant et in coelis.“ — *S. Ambrosius* [4]): „Ipse est Petrus, cui dixit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia.“ Si haec sit praerogativa Petri, ut vera Ecclesia non alia sit, quam illa, cui ipse praeest, sequitur Petro collatum esse Primatum iurisdictionis, cui omnes teneantur subesse, ut sint in vera Ecclesia. — *S. Optatus Milev.* [5]): „Cathedra una est; et negare non audes, scire te Petro primum in Urbe Roma cathedram esse collatam, ubi *sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, inde Cephas appellatus, in quo uno Cathedrae unitas* ab *omnibus servaretur.*“ — *S. Hieronymus* [6]): „Inter duodecim unus eligitur, ut *capite constituto* schismatis tolleretur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? *aetati delatum est, quia Petrus senior* erat, ne adhuc adolescens ac pene puer progressae aetatis hominibus praeferretur.“ Et alibi [7]): „Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram petrae recte dicitur ei: aedificabo Ecclesiam meam super te.“ Et rursum [8]): „Quid Platoni et

---

[1]) de praescript. c. 22. — [2]) de unit. Eccl. c. 4. — [3]) in Evang. Matth. c. 16. n. 6. — [4]) in Psalm. 40. n. 30. — [5]) Contra Parm. l. II. — [6]) In Iovin. l. I. — [7]) in Evang. Matth. c. 16. — [8]) adver. Pelag. l. I.

Petro ? Ut ille enim princeps philosophorum, ita hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia . . . fundata est.“ — *S. Maximus Taurin.* [1]): „Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tamquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat.“ Et iterum [2]): „Quanti ergo meriti apud Dominum suum Petrus erat, ut ei post naviculae parvae remigium, totius Ecclesiae gubernacula traderentur.“ — *S. Augustinus* [3]): „Petrus a petra cognominatus Beatus, Ecclesiae figuram portans, *Apostolatus Principatum tenens.*“ Et [4]): „In uno ergo illo Apostolo, idest Petro in ordine Apostolorum primo et praecipuo, in quo figurabatur Ecclesia.“ Idem [5]) quaerit: „Quis nescit, illum Apostolatus (Petri) principatum cuilibet Episcopatui praeferendum ?“ Cur autem praeferendum, nisi auctoritatis, de qua ibidem agit, causa ? Tandem dicit [6]) totum mundum accepisse Petrum: „prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit.“ — *S. Gregorius M.* [7]): „Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod beatissimo et omnium Apostolorum Principi Dominica voce totius Ecclesiae cura commissa est.“ Idem [8]): „Ecce claves regni coelestis accepit, potestas ei ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiae et principatus tribuitur.“ — *S. Leo M.* ait [9]): „Et ego dico tibi; hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam: quia tu es Petrus; idest, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. — Et super hanc, inquit, fortitudinem aeternum exstruam templum, et Ecclesiae meae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget.“

---

[1]) Hom. 4. de Petro. — [2]) Serm. 3. de Apost. — [3]) Serm. 76. al. 13. de verb. Domini. cap. 2. — [4]) ibid. cap. 3. — [5]) libr. 2. de Bapt. contra Donat. — [6]) in Psal. 103. n. 16. — [7]) l. 4. epist. ad Maurit. — [8]) ibidem. — [9]) Serm. de natal. ipsius 4.

6. Quam Christus sub imagine fundamenti et Principis sive Regis (de regno enim loquitur) Petro Apostolo promisit summam in Ecclesia potestatem, eandem illi post resurrectionem suam a mortuis sub imagine Pastoris etiam contulit. Rem S. Ioannes Evang. sic narrat:[1]) „Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? ait illi: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? et dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.“ Solum Petrum alloquitur et interrogat praesentibus aliis Apostolis, dicens: „Simon Ioannis (addit Ioannis, ne praesens alter Simon Thaddaeus ad se pertinere sua verba existimare possit) diligis me plus his,“ nempe tuis Coapostolis, quibus proinde Petrum opponit. Hunc solum rigoroso de amore erga se examini subiicit, hunc solum alloquitur, quidquid ergo etiam largitur et confert, soli Petro largitur et confert, tanto magis, quod sicut Matth. 16. sublimiorem eius fidem: ita hic ampliorem illius prae reliquis Apostolis caritatem remunerari voluerit. Sane quae esset ista locutio: quia his tuis praesentibus Coapostolis plus me diligis, habeas eandem potestatem, quam habent illi? Verbum *pascere*, et praesertim verbum graecum, quo S. Ioannes utitur in citato loco, usitatissima phrasi S. Scripturae significat iurisdictione uti regendo, praesidendo, gubernando, ut patet ex Isaia[2]): „Qui dico Cyro, pastor meus es tu,“ et Ezechiele,[3]) qui futurum Messiam, qua pastorem praedicit his verbis: „Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem.“ Et in Psalmo,[4]) ubi legimus: „Reges eos in virga

[1]) 21, 15, sq. — [2]) 44, 28. — [3]) 34, 23. — [4]) 2, 9.

ferrea," graecus et hebraicus textus habet: „Et pasces eos in virga ferrea." Eodem modo apud Matthaeum,[1]) ubi noster textus habet: „Exiet mihi dux, qui regat populum meum Israel," graecus habet: „qui pascat." Eodem sensu etiam profani Auctores verbum graecum, quod latine *pascere* significat, adhibent, v. g. Homerus.[2]) Christus Pastor, dicendo Petro „pasce," Petrum etiam constituit pastorem; dicendo autem „pasce agnos meos, pasce oves meas," illum Pastorem universalem, Pastorem totius gregis et ovilis, Pastorem omnium fidelium et Pastorum constituit. Pastor fuit Christus, nam ipse dixit:[3]) „Ego sum Pastor bonus," nemo autem dixerit, Christo Pastori summam regendi gregem suum potestatem non convenisse. Ipse iam ex hoc mundo discessurus, cum Petro agnos et oves suas pascendas traderet, eum vicarium suum in munere pastorali iis plane verbis constituit, quibus ipsius pastorale ministerium apud Ezechielem praedictum legimus. Quidquid vero est de sensu verborum, quibus Christus gregem suum Petro pascendum tradidit, eadem secundum naturam obiecti accipienda esse nemo dubitat. Quamobrem, cum Christus Petri pastorali curae homines committat, iam de pascuis verbi divini et salutis verba Salvatoris intelligenda sunt. Iam vero pastoris est, gregem in salutaria pascua ducere, a pascuis malis avertere etc. Unde Petrus, qui homines, Christi fideles accepit pascendos, id modo, qui hominibus congruit, hoc est, doctrina, praeceptis atque legibus praestare debet, seu quod idem est, Petrus pascendi mandato regendi potestatem accepit. Nec alia inter Petrum pastorem, et fidelium gregem ratio intercedit, quam quae ex Christi doctrina inter pastorem et oves propria est. Iam autem Christus ovibus proprium esse docet,[4]) ut vocem pastoris sui audiant, et eum sequantur. Ergo Christus cum Petrum totius gregis sui Pastorem instituerat, tale hoc Petri pastorale munus esse voluit, ut totus ei grex obedire teneretur. In quem

---

[1]) 2, 6. — [2]) Il. 1, 63. et 263. Od. 4, 532 — [3]) Ioann. 10, 11. — [4]) Ioann. 10.

locum S. Ioannis observat Auctor libri „Quis est Petrus?“ [1]): „Certum est usque adeo, ut evidens sit, soli, et ut aiunt, individuo Petro cum aliorum exclusione id officii, pastoris universalis fuisse commissum, utpote quem solum in praesentia aliorum Apostolorum rigoroso adeo examine Christus probaverat, an prae reliquis se plus diligeret: *Diligis me plus his?* et ait Petro: *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Haec immediata et universalis Christi missio est soli Petro propria, nec alteri cuicumque Apostolo, nec universo Apostolorum Collegio communis, nisi ut sub Petro et ipsi pascant. Non suprema tantum haec iurisdictionis potestas est, sed et universalis, quippe in totum gregem. Nullus hic distinctioni scholasticae locus in iurisdictionem immediatam et mediatam: una enim Christi voce totus grex pascendus Petro immediate est traditus: pasce agnos meos, pasce oves meas. Non pastores magis, quam grex, non minus agni quam oves, sed et matres et filiae, idest fideles singuli et universi uni Pastori omnium, Petro fuerunt et *immediate* quidem a Christo subiecti. Deus locutus est, si coelum et terra praetereant, haec Filii Dei verba non praeteribunt: *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Sileant ranae, dum coelum tonat!“

7. SS. Patres et antiquissimos Scriptores Ecclesiasticos hoc eodem sensu sacrum textum intellexisse ex eorum testimoniis luculenter putet. Unum aliudve adduxisse sufficiat: *Origenes*[2]) nullo facto discrimine inter agnos et oves ita pronunciat: „Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, — — nullius confessio alterius virtutis ab eo, nisi caritatis exigitur.“ — *S. Cyprianus*[3]): „Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia tu es Petrus — — Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: pasce oves meas. Super illum *unum* aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas.“ — *S. Epiphanius*[4]): „Hic est, inquit, qui audivit, pasce agnos meos, cui creditum est ovile.“ — *S. Ioannes Chrysost.* de Petro ait[5]): „Sic abluit illam abnegationem, ut primus Apostolorum

---

[1]) Ratisbonae 1790. — [2]) In cap. 6. epist. ad Roman. — [3]) De Unit. 4. — [4]) In Ancorat. — [5]) Orat. 8. adv. Iud.

factus sit, eique totus terrarum orbis commissus fuerit.“ — *S. Ambrosius*[1]): „Dominus — — interrogat (Petrum), non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in coelum, amoris suis nobis velut *vicarium* relinquebat. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me? — — Denique tertio Dominus, non iam diligis me, sed amas me, interrogavit. Et iam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, non oviculas, ut secundo, sed oves pascere iubetur, *perfectiores ut perfectior gubernaret.*“ — *S. Eucherius* Lugd. [2]): „Dicit ei Iesus: pasce oves meas, prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres, regit subditos, regit et Praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est.“ — *S. Augustinus*[3]): „Multi, inquit, erant Apostoli, et uni dicitur: pasce oves meas. Ipsum Petrum, cui commendabat oves suas quasi alter alteri, unum secum facere volebat, ut sic ei oves commendaret, *ut esset ille caput,* ille figuram corporis portaret, idest Ecclesiae, et tamquam sponsus et sponsa essent duo in carne una.“ — S. Leo M. [4]): „De toto mundo, ait, unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.“ — *Theophilactus* ait [5]): „Finito prandio praefecturam ovium totius mundi Petro commendabat, non autem aliis, sed huic tradidit.“ — Denique missis aliis audiendus adhuc est *S. Bernardus*, qui expendens illa Christi: „pasce oves meas,“ dicit [6]): „Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic *absolute et indiserte* totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? oves meas inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed

---

[1]) Ad evang. Luc. — [2]) Serm. in vigil. SS. Apost. — [3]) Serm. 46. de Past. in Ezech. 44. — [4]) Serm. 3. de assumpt. sua ad Pontif. — [5]) Cap. ult. Ioann. — [6]) De Consid. l. 2. c. 8.

assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.“ „Quis ergo, quaerit auctor citati libri,[1]) fidelium audeat exceptionem, distinctionem, restrictionem facere, ubi Christus nihil excepit, nihil distinxit, nihil restrinxit, sed totum quantum gregem immediata et illimitata potestate Petro pascendum dedit: pasce agnos meos, pasce oves meas. Sicut unus grex Christi, ita Petrus totius gregis unus pastor, sub quo plures quidem diversarum inter se portionum pastores sunt, iique vel superioris ordinis, vel inferioris — — quibus omnibus a Petro illud dictum est: „Pascite, qui *in vobis est*, gregem Dei.[2]) Haec optimi Pastoris Christi optima institutio est, qua per unum, et universalem sui Vicarium totum ovile, idest, cum ovibus ipsos etiam Pastores regit et gubernat.

8. Sacram Scripturam vel primis labiis degustantes norunt, praeter duos illos sacros textus, ad quos in exponenda doctrina de apostolici Primatus in Petro Apostolo institutione Concilium Vaticanum respexit, plurima adhuc in sacris paginis occurrere eiusdem veritatis testimonia, quae simul invictissime id quoque probant, Petrum suae praelationis optime conscium, hanc eius praelationem a reliquis Apostolis agnitam, ab ipso autem Petro, dum occasio favebat, exercitam fuisse. Vel quid aliud portendunt facta sequentia: a) Christus uni et soli illi ex Apostolis mox atque in conspectum eius venit, symbolicum nomen indidit;[3]) b) pro se tantum et Petro census didrachma solvit[4]); c) solus Petrus una cum Domino super aquas ambulavit.[5]) „Instar Domini gradiens super aquas unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis praeesse deberet,“ observat S. Bernardus[6]); d) solius Petri navem conscendit, ex

---

[1]) Quis est Petrus? p. 21. — [2]) 1. Petr. 5. — [3]) Ioann. 1, 42. — [4]) Matth. 17, 23 seq. — [5]) Ib. 14, 28. 29. — [6]) De consid. l. 2. c. 8.

eaque populos docet.[1]) „Hanc, inquit, S. Maximus Taurin.[2]) solam Ecclesiae navem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.“ e) Uni Petro annunciat, fore eum capientem homines[3]); f) Petri pedes primum lavit[4]); g) ipsum unicum conceptis verbis certissimum reddidit de fidei suae indefectibilitate, et oratione sua in illo fratrum in fide confirmatore praesens paravit remedium contra tentationes, quibus Apostoli et Ecclesia erant agitandi.[5]) Petro seorsim et ante omnes alios Apostolos post resurrectionem apparuit.[6]) „Uni soli (Petro) primum, eique omnium coryphaeo et fide maxime digno,“ ut observat S. Ioannes Chrysost.[7]), soli Petro mortem, eamque crucis praenunciavit.[8]) — Haud igitur mirandum, quod ab Evangelistis Petrus constanter primo loco inter Apostolos nominetur, imo expresse dicatur [9]) „primus,“ praetereaque tamquam caeterorum princeps saepe saepius solus nominetur, praetermissis aliis „prosecutus est eum Petrus, et qui cum ipso erant;“[10]) „dicite discipulis eius et Petro;“[11]) „stans Petrus cum undecim;“ „Petrus et Apostoli dixerunt.“[12]) Quae omnia casu fortuito accidisse et scripta fuisse, nemo serio dixerit. Sed constat etiam apertissime, Petrum post ascensionem Domini mox, et ubique se gessisse tamquam apostolici collegii Principem, et qua talem suspectum fuisse ab Apostolis et omni Ecclesia. Quidquid ad rem nascentis Ecclesiae spectans agendum erat, omne id nomine Petri, et a Petro ipso, et per Petrum expeditum fuisse legimus in Actis Apostolorum. De hac Petri activitate audiatur graecus Pater S. Ioannes Chrysost. „Quasi dux, inquit,[13]) circuibat, ordines considerans, quae pars esset coadunata, quae ornata, quae sua praesentia egeret. Vide illum ubique circumcursantem; et primum inventum, ubi eligendus

---

[1]) Luc. 5, 3. — [2]) Serm. 89. de mirab. col. — [3]) Luc. 5, 10. — [4]) Ioann. 13. — [5]) Luc. 22. — [6]) Ib. 24, 34; 1. Cor. 15, 5. — [7]) Homil. 38. n. 4. — [8]) Ioann. 21, 18 seq. — [9]) Matth. 10, 2. — [10]) Marc. 1, 36. — [11]) Ib. 16, 7. — [12]) Act. 2, 14. et 5, 19. — [13]) Hom. 21. in. Act. app.

erat Apostolus; hic primus fuit, cum dicendum erat Iudaeis, non esse ebrios Apostolos; cum claudus sanandus fuit; quando concionandum erat; hic ante alios erat, quando agendum cum Praefectis, quando cum Anania, cum ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum est, hic adest, et ubi quaedam dispensanda sunt." — Idem[1]): „Quam est fervidus! quam cognoscit creditum a Christo gregem! quam in illo choro princeps est." — — Merito primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Christus: „Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos." — Moxque appellat Petrum „chori Apostolici Principem," qui ubique primus omnium incipit loqui. Id adhuc commemorare iuvat, pro Petro, cum is in carceribus detineretur, preces ab omni Ecclesia sine intermissione ad Deum fusas fuisse.[2]) Non legimus autem sive pro Stephano, sive pro Iacobo fratre Ioannis, ordinatas fuisse in Ecclesia preces. Id quod argumento est, novisse iam nascentem Ecclesiam, quantum differat, an membra quaedam, an ipsum Caput in discrimine versetur.

9. Nullam autem novam doctrinam, sed perpetuam Ecclesiae fidem in Capite hoc primo declaratam fuisse etiam ex actis et definitionibus Conciliorum, Summorumque Pontificum liquet. Sic Concilium Ephesinum, Generale III. approbavit haec a legato S. Coelestini Papae prolata verba: „Sanctus Petrus, Apostolorum Princeps, et Caput fideique columna, et Ecclesiae Catholicae fundamentum a Domino nostro Iesu Christo . . . claves regni accepit; solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est."[3]) — Concilium Chalcedonense audivit et approbavit sententiam Paschasini, episcopi Lilybetani, ceterorumque Leonis M. Papae legatorum contra Dioscorum Alexandrinum, in qua S. Petrus Apostolus dicitur, quod sit „petra et crepido catholicae Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum." — Concilium Nicaenum II. Gener. VII. approbavit litteras Hadriani Papae ad Tarasium Constantinopolitanum Patriarcham

[1]) Hom. 3. in Act. — [2]) Cf. Act. 12, 5. — [3]) Apud Labbe Conc. t. III.

directas, in quibus haec leguntur: „Beatus Petrus Domini praecepto pascens Ecclesiam — — tenuit semper et retinet principatum.“ Lectis autem litteris Sancta Synodus dixit: „Tota sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat.“[1]) — Concilium Constantiense, in ea parte, quae fuit a Martino V. confirmata, damnavit hanc septimam Ioannis Hussii propositionem: „Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiae sanctae Catholicae.“[2]) — Accedit Concilii Florentini inferius producenda definitio, et Pii VI. in Brevi „Super soliditate,“ in qua sic pronunciavit: „Super soliditate Petrae fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere prae ceteris electum, qui vicaria potestate Apostolici chori Princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque, in successores omni aevo prorogandam, susciperet, dogma catholicum est.“

Priusquam ad Caput alterum huius Constitutionis dogmaticae gradus figatur, iuvabit ad sequentia reflectere: a) E Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis primorum quatuor saeculorum ne unus quidem fuit, qui verba Christi: „Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam“ aliter, quam sensu litterali de persona Petri Apostoli interpretaretur. Unanimis haec quatuor primorum saeculorum interpretatio sensum Ecclesiae traditionalem invictissime probat. Post exortam haeresim Arianam non defuere Patres, qui verba illa de fide, quam professus est Petrus, exposuerunt; non autem de fide absolute, sed de fide Petri Patres illos loqui, e testimoniis eorumdem manifeste colligitur. Nimirum indicare voluerunt causam, et ob quam Petrus a Domino beatus praedicatur, et per quam fundamentum sit Ecclesiae. Ut enim non fides, sed Petrus propter fidem, quam primus Apostolorum ex revelatione coelesti concepit et professus est, beatus

[1]) Mansi Concil. t. XII. — [2]) V. Concil. Germ. t. V. Colon. 1763.

dicitur; sic etiam non fides, sed Petrus per fidem fundamentum est, cui innixa Ecclesia immota stat. Haec autem fides, qua firmat Ecclesiam, non est illa, qua credidit, hoc est virtus fidei, quippe per eam ipse salvus factus est, et cum Christo regnat in coelis: sed fides, qua Eclesiam firmat, ea est, quam cum potestate praedicavit, et praedicat in suis successoribus, idest, professio fidei eius auctoritate stabilis.[1]) b) Verba S. Pauli[2]): „Petra autem erat Christus," nihil habent cum Christi verbis, ad Petrum directis: „Tu es Petrus et super hanc petram etc." commune. Paulus l. c. loquitur de petra deserti, ex qua Moyses aquam eduxit, et quam Christi Domini, populum gratia refrigerantis, typum fuisse docet. Christus autem loquitur de petra, supra quam ipse Ecclesiam suam esset aedificaturus. Miratur S. Ambrosius[3]) Christi dignationem, nomen Petrae discipulo tribuentis. „Magna autem, inquit, Christi gratia, qui omnia prope vocabula sua discipulis suis donavit. Petra est Christus . . . etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negavit ; ut et ipse sit Petrus, quod de petra habeat soliditatem constantiae, fidei firmitatem." c) Exinde, quod, postquam Petrus seorsim solus accepisset potestatem ligandi et solvendi, tarduis[4]) eadem potestas etiam reliquis Apostolis simul, coniunctim cum Petro collata fuerit, sequitur tantum, potestatem Petro concessam ab illa Apostolorum non fuisse genere diversam, sed gradu. Quod ita explicat S. Leo M.[5]): „Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut coeteris praeemineret." Sed ante Leonem iam animadvertebat Origenes[6]): „Quod licet Christus, quae uni Petro supra concessa sunt, hic omnibus

[1]) Vide Cardin. Veronesius de necessaria fidel. commun. cum. Apost. Sede. Brixiae 1783. et Mamachius, Orig. et antiquit. Christ. l. 4. p. 2. item De Romani Pontif. suprema potestate docendi. Disputatio theologica Neapoli. 1870. — [2]) 1 Cor. 10, 4. — [3]) In Luc. l. 6. n. 97. — [4]) Matth. 18, 18. — [5]) Epist. 74 ad Anastas. episc. — [6]) In Matth. Cap. 18.

quoque videtur tribuisse . . . at quoniam prae iis . . . peculiare aliquid Petro tribui oportebat . . . privatum illud Petro attributum est: *dabo tibi claves regni coelorum;* priusquam illud: quaecunque alligaveritis super terram etc. Et sane si ad evangelica scripta animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus discrimen, et excellentiam eorum, quae Petro prae iis, quae aliis dicta sunt, etiam in iis rebus, quae Petrum inter, et eos communes esse videntur." „Fatemur, observat Nicolaus Coeffeteau,[1]) ligandi solvendique plenissimam potestatem Apostolis quoque fuisse concessam ac commissam: sed pari auctoritate fuisse cum Petro, negamus. Neque vero quis unquam probaverit, cuique eorum dictum, quod uni Petro dictum docet Evangelium: tibi dabo claves regni coelorum. Vertat se in omne latus, omnem moveat lapidem, nihil simile invenerit; ideoque frustra fuerit in eorum cum Petro aequalitate constituenda. Itaque nostra sententia est, speciali quadam ac privata ratione promitti Petro procurationem clavium, haud solum cum amplitudine potestatis ligandi atque solvendi (hoc enim et ad Apostolos spectat), sed etiam cum titulo ac dignitate capitis, ut quidem eius imperii vis etiam in reliquos Apostolos transfundatur, sed quam nonnisi ordine quodam, ac relatione ad Petrum unitatis ecclesiasticae fontem a Christo constitutum nanciscantur." Similia sunt, quae egregie disputat Franciscus Hallierus.[2]) Probe attendatur ad sequentia: a) verba Christi „quaecunque alligaveritis, quaecunque solveritis super terram," et quae sunt huiusmodi ad omnes Apostolos, non tamen citra Petrum fuerunt directa; cum e contrario verba: „tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam," et „tibi dabo claves regni coelorum," et iterum „pasce agnos meos, pasce oves meas," ad unum et solum Petrum citra reliquos Apostolos fuerint dicta. b) Quaecunque omnibus Apostolis una cum Petro illis in locis dicta fuerunt, ea Petro etiam soli dicta sunt; sed omnibus etiam una cum Petro Apostolis nullibi dicta sunt,

[1]) Monarch. Eccles. Cath. l. 1. discuss. cap. 7. — [2]) De sacr. election. et ordin. par. 3. sect. 5. Romae 1734.

quae uni Petro Dominus dixit. Unde necessario sequitur, iis, quae soli Petro dicta fuerunt, illum constitutum fuisse principem et caput Apostolorum; ea vero, quae Apostolis omnibus una cum Petro dicebantur, ad eosdem pro distinctionis ratione, quae Petrum inter ac reliquos intercessit, referri. d) S. Augustinus apertissimis verbis docet, Petrum in persona sua claves accepisse, ideoque beatum illum praedicat dicens[1]): „Numquid melior Razias, quam Petrus Ap., qui ubi dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi, tam beatus a Domino appellatus est, ut claves regni Coelorum acciperе mereretur.“ Et alibi[2]): „Petrus solus inter Apostolos meruit audire: Tu es Petrus: et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Dignus certe, qui aedificandis in domo Dei populis Lapis esset ad fundamentum, Columna ad sustentandum; *Clavis* ad regnum.“ Lapis ad fundamentum respondet illis Christi verbis ad Petrum: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; Columna ad sustentandum verbis Christi his: Et portae inferi non praevalebunt adversus eam; *Clavis* ad regnum verbis istis: Et tibi dabo claves Ecclesiae, quo nomine regni coelorum Ecclesiam significari nullus dubitat. Quando ergo S. Augustinus in aliis locis in Petro ac per Petrum claves ipsi Ecclesiae datas esse dicit, profecto nec Christo, nec sibimet ipsi contradicere, nec aliud significare voluit, quam Petrum claves non ut donum personale, quod cum morte eius cessare oportuisset, sed ut donum perenne, primatui annexum, atque in successores transfundendum, et cum caeteris communicandum accepisse; seu quod idem est, S. Pater significare voluit, finem, in quem Christus claves Petro dedit, esse ipsam Ecclesiam, bonum nempe et emolumentum fidelium. Mens ergo S. Augustini haec est, eatenus in Ecclesia sunt, et permanent claves, quatenus in ea perennis primatus institutus est, penes quem sunt claves. Quatenus Christus Ecclesiae suae dedit clavigerum, dedit et

[1]) L. 1. contra Gaudent. c. 31. — [2]) Serm. 29. de Sanctis.

claves. Hanc esse mentem S. Augustini inde quoque oppido liquet, quod doceat, Novatianos, qui se a Petro, super quem Christus suam aedificavit Ecclesiam, cuique claves regni coelorum tradidit, alienaverunt, claves non habere, sed amisisse; dicit enim [1]): „Hinc nec eos, inquit, audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque dum in Petro petram non intelligunt, et nolunt credere, datas Ecclesiae claves regni coelorum, ipsi eas de manibus amiserunt.“ Tantum ergo abest, ut S. Augustinus senserit, non ipsi Petro proxime esse datas a Christo claves, ut affirmaverit etiam, quod cum hae a Petro deriventur in Ecclesiam, neque harum participem posse esse, qui seiunctus a Petro esset.

10. Capite II. proponitur catholica doctrina de perpetuitate Primatus B. Petri, quam Pius VI. in Brevi „Super soliditate“ sic expressit, „Petrumque singulari Christi munere prae caeteris electum, qui — — summam curam et auctoritatem *in successores omni aevo prorogandam susciperet,* dogma catholicum est.“ Perpetuum id dicitur, quod usque in finem sine interruptione existit; perpetuitatem itaque Primatus asserere idem est, ac asserere, Primatum in Ecclesia sine interruptione eousque exstiturum esse, quousque illa stabit.

11. Iam natura Primatus perpetuitatem eiusdem requirit, qui non est datus Petro in ipsius Petri commodum ac honorem, sed in Ecclesiae, aeternum duraturae, utilitatem ac ministerium. „Ego elegi vos, ait Christus,[2]) et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis,“ et S. Paulus[3]): „Omnia, inquit, vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas,“ cum qua Apostoli doctrina necessario cohaeret, ministeria omnia a Christo instituta, ipsumque adeo ministerium attributum Petro sive Cephae eo spectare, ut Ecclesiae utilitati prospiciatur. Quod sic explicat S. Augustinus [4]): „Illud, quod Christiani sumus, propter nos est, quod autem

---

[1]) Lib. de agone Christian. c. 31. — [2]) Ioan. 15, 16. — [3]) 1. Cor. 3, 22. — [4]) Serm. seu Tract. de Pastor. c. 1.

Praepositi sumus, propter vos est.“ Ponamus iam, Primatum cum Petro interiisse, profecto non Primatus propter Ecclesiam, sed aeterna Ecclesia propter hominem, temporarium pastorem, a Christo fuisset instituta. Quo nihil absurdius est. Ecclesia Christi ita constituta, est usque ad consummationem saeculi duratura: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam“ [1]), „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi“ [2]); et quidem duratura est cum forma seu constitutione, quam ab Auctore suo Christo accepit, quam amittere nequit, quin hoc ipso desinat esse Christi Ecclesia. E doctrina vero, primo Capite huius Constitutionis definita ac declarata, fide divina certum est, Primatum seu supremam Petri auctoritatem ad Constitutionem Ecclesiae quam maxime pertinere. Unde prono fluit alveo, Primatum usque ad consummationem saeculi exercendum esse, nec proinde illum unquam desinere posse. Idque eo a fortiori, quod ipsa verba, quibus Christus Primatum in Petro instituit, perpetuitatem eiusdem apertissime loquantur, quorum ope Ecclesia instituta est instar aedificii, supra Petrum tamquam fundamentum exstruendi, porro instar regni, cuius clavium possessor sive princeps sit Petrus, denique instar ovilis, cuius pastor idem sit Petrus. Iam si Ecclesia supra Petrum, tamquam fundamentum suum aedificata est, quomodo fieri potest, ut hoc subtracto fundamento non collabatur? Quomodo Ecclesia, si est regnum, cuius summa potestas Petro data est, hac cessante potestate, non desoletur? Quo demum modo fieri queat, ut pastore gregis sublato, grex ipse conservetur et non dispergatur? Sed porro perpetuitatem Primatus probat etiam finis, ob quem ille institutus est. Finis autem Primatus non alius est, quam unitas fidei et communionis, ad quam efficiendam et conservandam illum Christus instituit. „Fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile Caput ad unitatem Ecclesiae constituendam et conservandam necessarium fuisse,“ sunt

---

[1]) Matth. 16. — [2]) Ibid. 28.

verba Catechismi ex decreto Concilii Tridentini editi[1]). Christus Dominus non plures, sed unam Ecclesiam constituit, ac ideo prima, potiorque Ecclesiae praerogativa in unitate posita est, quod iam Synodus Constantinopolitana I. definivit.[2]) Hunc Primatus finem iam ipsae imagines aedificii, regni, ovilis, quibus Christus Ecclesiam Petri curae committendam adumbrat, satis indicant, illum vero clarissime Traditio illustrat. Iam S. *Irenaeus* scripsit[3]): „Ad hanc enim Ecclesiam (Romanam) — — necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles.“ — *S. Cyprianus*[4]): „Ut unitatem manifestaret (Christus), unam Cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit . . Et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur.“ — *S. Optatus Milev.*[5]): „Negare non potes Petro cathedram episcopalem primo collatam, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne coeteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus (Ecclesiae) sedit prior Petrus.“ Idem scribit[6]): „Bono unitatis beatum Petrum — — praeferri omnibus Apostolis meruisse.“ — *S. Pacianus Barcinonensis,* Optati coaetaneus ait[7]): „Ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno.“ — *S. Hieronymus*[8]): „Propterea, inquit, inter duodecim Apostolos unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio;“ consonat *S. Gelasius* Papa verbis citatis addendo[9]): „et una demonstaretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, et una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur.“ — Huc porro spectant innumera Patrum testimonia, quibus docent, communionem cum Petri cathedra tamquam tesseram habendam esse, ex qua orthodoxi ab haereticis et schismaticis dignoscantur, iuxta illud S. Ambrosii[10]): „Ubi ergo Petrus,

[1]) Ad art. 9. Symb. §. 12. — [2]) In Symbolo fidei. — [3]) Contra Haer. l. III, c. 3. — [4]) De Unit. — [5]) Contra Parmen. l. 2. — [6]) Ibid. l. 7. — [7]) Epist. 3. — [8]) Contra Iovin. l. 1. — [9]) Epist. ad Orient. 14. — [10]) In Psal. 50. n. 30.

ibi Ecclesia.“ Pro perpetuitate Primatus ex fine eiusdem sic praeclare, ut solet, argumentatur *Tobias Mollik*:[1]) „Ob unitatis in Ecclesia custodiam Primatus Petro a Christo collatus est, cuius periculum, uti superstitibus Apostolis vix ullum esse potuit: ita posthac necessarium fuit, nisi constituto in Ecclesia visibili semper Capite, schisma membrorum caveretur. Nec unquam magis, quam cornua mox levatura haeresum phalange, et torpescente primitivo fidelium fervore necesse fuerat, super petram esse aedificatam Ecclesiam: Petrum per successores Ecclesiae fundamentum solidissimum persistere: superesse aliquem, cui eminenti super omnes potestate claves Regni Coelorum commissae sint: qui unus tam agnos quam oves, filios et matres, plebem et praelatos, ne schismati locus relinqueretur, iunctim pascere valeat: qui unus confirmet cunctos reliquos fratres suos, non Apostolos, nec quidquam nutantes, sed eorum successores: cui praeprimis adsistat Spiritus S., qui olim Petro prae coeteris peculiares revelationes impertitus est, cuiusmodi fuit: Divinitas Filii, legalium abrogatio, Ananiae scelus, facienda in Iudae locum electio, Romani martyrii praenotio. — — Qui unius ovilis sit unus Pastor: qui Civitatis, Regnique evangelici supremus sit rector: qui in domo Dei vivi, quae est Ecclesia, sit fidelis et prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam: qui visibilis Ecclesiae corporis visibile caput sit: qui visibilis perennisque Ecclesiae aedificii, visibile pariter pro Petro, perenneque sit fundamentum.“

12. Eodem Capite docetur porro P r i m a t u m p e r p e t u u m e s s e i n P e t r i s u c c e s s o r i b u s E p i s c o p i s S a n c t a e R o m a n a e S e d i s a b i p s o f u n d a t a e, et eius sanguine consecratae ita, ut quicunque in C a t h e d r a R o m a n a Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtineat. Quemadmodum ab Apostolis ex Christi dispositione in eorum successores Episcopos munus pascendi et regendi transivit: ita a Petro quoque Primatus ad eius successores transire debuit. Uni Petro inter Apostolos Primatus

[1]) Par. alt. Dissert. 8. de Capite Ecclesiae.

est collatus, unum itaque etiam ex Episcopis esse oportuit, qui Petro in Primatu succederet: qui nec Primatus fuisset, nec ad unitatem servandam valere potuisset, cuius causa institutus a Christo est, nisi unus fuisset, a quo teneretur. Sed et illud necessarium erat, ut aliquid esset, unde is Episcopus discerni posset, in quem Primatus transiturus esset. Hoc est, quod Petrus sibi sedem Episcopalis muneris figere debuerit certo in loco, ut ita clarum atque evidens fieret, quis eius in Primatu successor esset ex Episcopis, quamvis idem non fecerint omnes coeteri Apostoli: quia neque necessarium erat; munus enim Episcopale, quod in Apostolis erat, hi dum viverent, propagare poterant ad alios, quos Episcopos Ecclesiis praefecerunt. At vero idem non poterat fieri cum Primatu Petri, qui cum geri non posset nisi ab uno, nec Petro vivente obtinere illum alius potuit; qui non constitisset, si hunc eundem Primatum duo tenuissent; nec unitati provisum fuisset, cuius causa Primatus institutus fuit, si parem huius auctoritatem duo eodem tempore obtinuissent.

13. A Petro per successionem in eius Episcopatu Romano habent Romani Pontifices Primatum supra universam Ecclesiam. Hoc Romanae Sedis hostibus inde a saeculo XIV. fuit, cur Petrum ne Romae quidem fuisse, evincere voluerint. Tali enim pacto effecissent, ut neque Primatus deberet Romano Pontifici competere, quem is habet per successionem S. Petro in Romana eius Episcopali Cathedra.

14. Nihil autem in tota Historia ecclesiastica illustrius, nihil certius, nihil antiquius atque testatius est Petri Romano itinere, illius ibidem Episcopatu et obitu. S. Petrum Romae commoratum ac mortuum fuisse est res facti, itaque testimoniis comprobari debet et comprobatur iis quidem plurimis ac omni exceptione maioribus. Testis primus est ipse S. Petrus. Sic enim scribit: [1]) „Salutat vos

[1]) 1. Petr. 5, 13.

Ecclesia, quae est in B a b y l o n e collecta, et Marcus filius meus.“ Quod hic S. Petrus urbem Romam Babylonis nomine designaverit, pro certo habuerunt antiquissimi Patres, prout testatur Eusebius:[1]) „Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognovisset . . . librum illum (i. e. Evangelium a S. Marco scriptum) auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur.“ Refertur id a Clemente in sexto Institutionum libro. Cui testis etiam accedit Papias, Hierapolitanus Episcopus. Porro mentionem fieri *aiunt* a Petro in priore epistola, quam Romae scriptam esse contendunt, idque Petrum innuere, qui *Romam figurate Babylonem appellat* his verbis: „Salutat vos Babylonis Ecclesia a Deo perinde ac vos electa.“ Quinam fuerint isti, qui aiunt Romam a Petro figurato nomine designatam fuisse Babylonis nomine? Sive fuerint Clemens et Papias, quorum in praecedentibus fit mentio, sive fuerint alii, semper remanet certum teste Historiae ecclesiasticae parente Eusebio, in hoc S. Petri textu nomine Babylonis ab antiquis Patribus Romam fuisse intellectam. Eandem interpretationem tamquam certam tradit S. Hieronymus[2]): „Petrus in epistola prima sub nomine Babylonis figurate Romam significans, inquit: Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta.“ Eodem modo exponunt Oecumenius,[3]) Beda, et quotquot Antiquorum in hanc S. Petri epistolam commentaria exaraverunt. Huic interpretationi favet S. Ioannes Ap., qui in Apocalypsi[4]) Romam aperte designat nomine Babylonis, quam scribit sedere super septem montes et habere regnum super reges terrae. Itaque si S. Ioanni licuit Romam vocare Babylonem, cur non idem et Petro Ioannis synchrono licuerit? Et si Roma in SS. Litteris Babylon est, quid Petrus Babylone scribens, non scripsit Romae? Imprimis cum nominum mutationem in Apostolorum et Patrum Apostolicorum litteris haud inusitatam esse S. Pauli et S. Ignatii M. exempla confirmant, quorum prior[5]) scribit: „liberatus sum de ore Leonis“, quo nomine Neronem designat, eius animi crudelita-

---

[1]) Hist. l. 2. c. 15. — [2]) De viris illustr. in Marco. — [3]) Comm. in epist. 1. Petri. — [4]) 17, 5. 9. — [5]) 2. Tim. 4, 17.

tem respiciens, monente Eusebio;[1]) alter vero[2]) milites, a quibus Romam ad martyrium deductus fuit, leopardos vocat. Eidem porro interpretationi favet, quod citato loco mentio fiat etiam S. Marci, „Salutat vos — — et Marcus filius meus.“ Marcum enim tunc, dum haec epistola scribebatur et scribi potuit, Romae fuisse, ex epistola S. Pauli ad Timotheum secunda, quam Apostolus paulo ante martyrium suum scripsit,[3]) facile cruitur. Iubet enim S. Paulus[4]), cum ut ipse Timotheus celeriter Romam veniat, tum ut illuc secum Marcum etiam deducat. Iam si Marcus eo tempore non in Asia Minori circa Timotheum, sed in remotissimis illis Babylonis regionibus egisset, potuissetne Paulus postulare, ut Timotheus Marcum assumat et secum festinanter Romam ducat? Tam Timotheum, quam Marcum votis S. Pauli iam iam ad martyrium pertrahendi respondisse, et ambos Romam properavisse dubitari nequit. Si vero Marcus circa illud tempus Romae fuit, in Babylone fuisse non potuit, sed nec ibi esse potuit S. Petrus, qui in sua, non certe ante Neronis persecutionem, in qua et ipse et Paulus occisi sunt, scripta epistola, scribendo „salutat vos — et Marcus filius“ i. e. discipulus meus, hunc, qui tunc Romae fuit, penes se, i. e. lateri suo adhaerere clarissime indicat.[5]) Accedit, quod citata verba epistolae S. Petri nec de Babylone Aegypti, nec de Babylone Assyriorum, nec de tertia Babylone Seleuciae et Ctesiphontis ullo pacto intelligi possint. Non de Babylone Aegypti, quam tunc temporis locum obscurum et castellum fuisse, in quod, tamquam in arcem munitissimam una e tribus legionibus Romanorum Aegypto in obsequio conservandae mancipatis se receperat, scribit Strabo.[6]) Non de Babylone Assyriorum; cum enim Petrus suam epistolam scriberet, ea lapidum potius congeries, quam urbs fuit, ut testatur idem Strabo, qui eam desertam refert,[7]) testatur item Diodorus[8]), concinit Plinius,[9]) qui ait: „in solitudinem

[1]) Eccl. Hist. l. 2. c. 22. — [2]) Epist. ad Roman. n. 5. — [3]) V. Dankó Hist. revelat. divinae novi Testam. Viennae 1867. — [4]) 4, 11. 21. — [5]) V. Windischmann. Vindiciae Petrinae. Ratisbonae 1836. — [6]) Lib. 17. — [7]) Ibid. — [8]) Biblioth. lib. 2. — [9]) Hist. Nat. lib. 6.

rediit, exhausta vicinitate Seleuciae.“ De tertia autem Babylone Seleuciae et Ctesiphontis nihil sciunt antiqui Geographi. Quis iam credat Principem Apostolorum in his tam obscuris, tam desolatis locis commoratum fuisse, cum e Historia certissime constet Apostolos in urbes, frequentia civium illustres, propagandi nominis Christiani causa, non autem in vicos ac deserta oppida sese contulisse. Qui id asserunt seriores utique scriptores, observante Valesio [1]) omnium veterum Patrum testimoniis refelluntur. Proferant igitur fastos Ecclesiae illius, sicut nos successiones Episcoporum urbis Romae, qui post Petrum Apostolum Romanae Ecclesiae praefuerunt, ex Irenaeo aliisque proferimus. „Quae impudentia est, id quidem, quod nemo veterum dixit, temere affirmare, Petrum scilicet sedem fixisse Babylone: id vero, quod veteres omnes ecclesiastici Scriptores disertissime prodiderunt, adventum videlicet Petri in urbem Romam, pertinaciter negare.“ Sane nec Irenaeus, nec Tertullianus, qui tam solerter et libenter ad testimonium Apostolicarum provocant Ecclesiarum, quidquam norunt de Babylonica Ecclesia. Sed, quod rem conficit, est, quod nec Eusebius Caesariensis, qui origines Ecclesiarum ex antiquissimis fontibus tam accurate recenset, aliquam Ecclesiae Babylonicae mentionem faciat, manifesto indicio, quod nulla tunc exstiterit. De proprio hoc S. Petri testimonio audiamus Ioann. Ios. Ignat. Döllinger, scribit ille [2]): „Proprium Petri testimonium in sua prima epistola ad certitudinem elevat factum, Petrum nempe Romae fuisse.“ Non praetermittendum silentio, etiam Protestantium interpretes, doctissimos viros, Usserium, Blondellum, Casaubonum, Pearsonium, Grotium etc. sub Babylone in epistola 1. S. Petri Romam intelligere. Inter alios Grotius ait [3]): „De Babylone dissident veteres et novi interpretes. Veteres *Romam* interpretantur, *ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit.*“ Addit doctissimus Liebermann [4]): „Mirum quanta

[1]) Annot. in Hist. Eccles. Eusebii in libr. 2, c. 15. — [2]) Christenthum und Kirche in der Zeit der Grundlegung. 2. Aufl. Regensburg 1868, p. 99. „Das eigene Zeugniss des Petrus in seinem ersten Briefe erhebt die Thatsache, dass er zu Rom gewesen sei, zur Gewissheit.“ — [3]) Comment. in epist. 1. Petri. — [4]) Instit. theolog. T. 1, edit. octava Moguntiae 1857.

sit adversariorum nostrorum in iudicando aequitas. In Roma ethnica, omnis generis criminibus et superstitionibus foedata Babylonem non vident: quod Apostoli, quod Patres antiquissimi viderunt, non vident: at Romam christianam, ab eo imprimis tempore, quo expulsis profanis et impuris ritibus tota supremi Dei cultui consecrata fuit, Babylonem vocare non cessant."

15. Sequuntur iam alii, Petri in urbem Romam adventus et consummati per eum ibi martyrii testes, iique antiquissimi *S. Clemens Romanus*, ipsius S. Petri Ap. discipulus et in Episcopatu Romano successor [1]). — *S. Ignatius M.*, teste S Ioanne Chrysost. [2]) Apostolorum discipulus, qui elapsis vix annis quinquaginta post obitum Petri, cuius post Evodium Antiochiae successor fuit, itidem Romae martyrio coronatus est [3]) — *Papias Hierapolitanus Episcopus*, si non S. Ioannis Apostoli, prout volunt S. Hieronymus [4]) et alii [5]), certe Ioanni Presbyteri, Apostolorum synchroni, ut contendit Eusebius [6]) discipulus, apud eundem Eusebium [7]). — *Dionysius Corinthiorum Episcopus* circa annum 170. clarus, in Epistola a Romanos, in qua Soteris Papae, et Cleri Romani epistola respondet apud Eusebium [8]). — *Clemens Alexandrinus*, „sacer homo et multarum rerum peritia omnibus antecedens," ut de eo loquitur Theodoretus [9]) in institutionum libro apud Eusebium [10]). — *S. Irenaeus* M. Lugdunensis Episcopus, S. Polycarpi, Apostolorum discipuli auditor [11]). — *Caius Presbyter* cuius testimonium allegat Eusebius [12]). — *Tertullianus*, scriptorum nobilissimus ab Eusebio dictus [13]). — *S. Hyppolytus M.* et Episcopus, cui primam, usque a. 235. pertingentem partem Catalogi Bucheriani, seu Liberiani Romanorum Pontificum, velut auctori vindicat eruditus protestans Momsen [14]).

---

[1]) In epist. 1. ad Corinth. — [2]) Homil. in S. Ignat. — [3]) Epist. ad Roman. — [4]) Epist. ad Theod. — [5]) Oecumen. in Acta App. et Martyr. Bedae, Usnardi et Adonis. — [6]) Hist. Eccl. lib. 3. 39. — [7]) Ibid. l. 2. 15. — [8]) Ibid. l. 2. 25. — [9]) haeret. fabul. l. 1. 6. — [10]) l. c. 2, 25. — [11]) Contra haer. l. 3, 3. — [12]) l, c. c. 24. — [13]) l. de praescript. item de baptism. — [14]) Dissert. hist. phil. reg. Societ. Scient. in Saxon. T. 1.

— *Origenes*, qui et Romam venit sub Zephirino Papa, apud Eusebium [1]). — *S. Cyprianus* Carthaginen. Episcopus et M. [2]). Hi omnes Scriptores primis tribus saeculis vixerunt. Quibus e saeculis quarto et quinto accedunt: *Arnobius*, *Lactantius*, *S. Athanasius*, *Eusebius*, *Synodi Sardicensis Patres*, *Damasus*, *Gregorius Naz.*, *Ambrosius*, *S. Hieronymus*, *S. Ioannes Chrysost.*, *S. Augustinus*, *S. Optatus Mil.*, *Theodoretus*, *S. Epiphanius*, *S. Petrus Chrysolog.* Quorum omnium, aliorumque prope modum innumerabilium de ea re testimonia recensent: Baronius [3]), Bellarminus [4]), Natalis Alexander [5]), Augustinus Calmet [6]), Mamachius [7]), et alii, qui hoc argumentum non tantum ex professo, sed distincto volumine tractaverunt; quos inter eminet Petrus Francisc. *Fogginius*, qui de Romano Divi Petri itinere et Episcopatu eruditissimum opus edidit, typis Florentiae a. 1741. vulgatum. Auctor operis viginti exercitationibus omnia, quae ad hoc obiectum spectant, ita complexus est, ut illud exhausisse videatur.

16. Quod in specie ad m o r t e m adtinet S. P e t r i, de illa, morte item S. Pauli sic loquitur Eusebius [8]): „Sic igitur omnium divini numinis hostium princeps et antesignanus, Nero, in ipsos etiam Apostolos saeviit. Ac Paulus quidem Romae capite truncatus, Petrus vero cruci suffixus, eodem regnante traduntur. Quam quidem narrationem abunde confirmant Petri Paulique nomine insignita monumenta, quae in Urbis Romae coemeteriis etiam nunc visuntur.“ Adeo certissimum id erat, ut nulla alia Eusebius duxerit ad veritatis securitatem argumenta producere, sed abunde confirmatum crediderit monumentis, quae sua aetate exstabant. Ad haec monumenta iam prius provocabat Caius, disertissimus ille Romanae Ecclesiae presbyter in Dialogis cum Proclo haeretico habitis [9]). „Ego vero, inquit, Apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet,

---

[1]) l. c. 6, 14. — [2]) epist. ad Cornel. item ad Antonian. — [3]) ad an. 44. — [4]) de Roman. Pontif. l. 2. — [5]) dissert. 13. in saec. 1. — [6]) dissert. praef. Com. in epist. 1. Petri. — [7]) Orig. et antiquit. Christ. l. 5. p. 1. — [8]) Hist. Eccl. l. 2. 25. — [9]) l. cit.

occurrent tibi tropaea eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt.“ Unde merito S. Ioannes Chrysost. postquam dixisset [1]): „Non ita coelum splendescere, quando radios suos sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum Urbs duas illas lampades (Petrum et Paulum) effundens,“ quaerit [2]): „Ubi enim, quaeso, Alexandri tumulus est? Ostende mihi, et dic, quo die mortuus sit? At Christi servorum vel sepulchra splendida sunt, ut quae Urbem praestantissimam ac regiam occuparint, et dies noti atque clari, qui festi a toto orbe celebrentur. Atque illius quidem tumulum sui quoque ignorant: huius autem barbari quoque exploratum habent. Ab omni nempe terrarum regione peregrinationes ad limina Apostolorum quavis aetate institutas esse testis est Historia.“ „In regia Urbe Roma, ait idem S. Ioannes Chrysost. [3]) missis aliis omnibus ad sepulchrum piscatoris et tentoriorum opificis accurrunt imperatores, consules, exercituum duces,“ et Nicolaus 1. Papa [4]) ea de causa Urbem Romam catholicam esse affirmat, quod tot millia hominum quotidie ad ipsam confluere videantur. Sane signa, lapides, monumenta, festa, rei ante gestae argumenta sunt apud posteros, ut regulae Critices tradidere [5]).

17. Ante saeculum XIV. ne audacissimi quidem Ecclesiae hostes, fuerint illi sive haeretici, a Sede Apostolica damnati, sive schismatici, in dubium vocare, tanto minus negare ausi sunt D. Petri iter et martyrium Romanum. Memoratu sane dignum, ne e Graecis quidem Schismate a Catholica Ecclesia divulsis, quibus id commodum omnino accidisset, sibique et causae suae perutile, inventum fuisse aliquem, qui factum in Historia tam illustre, ac exploratum ire inficias praesumpserit. Primus, qui factum hoc negare ausus est, fuit Marsilius Patavinus, terventibus inter Ludovicum Bavarum et Pontificem dissidiis, factioni Bavaricae addictus, homo Aristotelicus magis, quam Christianus, qui Ecclesiam

[1]) homil. 32. in epist. ad Rom. — [2]) homil. 26. in epist. 2. ad Corinth. — [3]) homil. Quod Christus sit Deus. — [4]) epist. ad Michael. Imp. — [5]) De reliquiis, sepultura, Ecclesiis et locis Romae ob memoriam SS. Petri et Pauli sacris. Vide Bosium, Arringhium. et Rossium. De Vaticana S. Petri Confessione autem St. Borgiam.

Christi secundum Aristotelis regulas constituere, atque in libro, quem venali calamo sub titulo „defensio pacis“ exaravit, asserere non erubuit, S. Paulum videri Episcopum Urbis Romae fuisse, et non Petrum, cum S. Lucas Paulum biennio Romae versatum testetur, Petrum non item. Inde a saeculo XVI. ingenti animi contentione Catholicos inter et Acatholicos agitata fuit quaestio de Petri in Urbem adventu, cathedra Episcopali et morte. Classicum inter Acatholicos cecinit Udalricus Velenus, contendens, Petrum nunquam Romae fuisse, sed cum Paulo Hierosolymis obiisse, cui vero mox se opposuit Gregorius Cardinalis Cortesius in eo, quem elucubravit et Hadriano VI. Summo Pontifici dedicavit, Tractatu de Itinere Romano S. Petri adversus Negantem [1]). Siquidem observante Bellarmino [2]), qui deinceps Romanum Petri iter inter Acatholicos negarunt, nihil protulerint, quod ex Veleno depromptum non sit, Cardinalis Cortesii Tractatus ad recentiorum etiam novatorum confutandas oppositiones comparatus est. Quamvis autem Protestantium plures S. Petrum nunquam Romae constitisse contenderent, alii tamen multi. et eruditione clariores, testimoniorum evidentia coacti, contrarium et confessi sunt, et propugnaverunt; quos inter praeter Hugonem Grotium, cuius testimonium in superioribus audivimus, commemorandi sunt: *Guilielmus Cave*, cuius haec sunt verba: „Petrum Romae fuisse, sedemque in ea aliquamdiu tenuisse, cum toto antiquorum coetu intrepide affirmamus. Testes damus omni exceptione maiores, et ex ultima antiquitate petitos,“ quibus enumeratis, concludit: „Igitur post tot veneranda nomina, tot clara primae vetustatis monumenta, quis rem tam perspicue, tam constanter traditam in dubium revocabit? Certe, si tam densa testium nubes, tam concors veterum sententia pro cuiusvis ingenii pruritu sit vellicanda, actum erit penitus de primorum saeculorum memoria, nec cuiquam ultra suam aetatem sapere licebit“ [3]). Item *Samuel Basnagius* [4]): „Neque enim, inquit, ulla unquam fuit traditio,

---

[1]) Vide eiusdem Opera omnia t. 1. Patavii 1774. — [2]) op. cit. — [3]) Hist. Liter. Saecul. Apost. — [4]) Annal. politico — Eccl. ad a. 64.

quae maiori testium numero cingatur, ut de Petri in Urbem adventu dubitari non possit, quin omnia historiae convellantur fundamenta.“ Ipse *Calvinus* [1]) dicit: „Et tamen propter hunc Scriptorum consensum non pugno, quin illic mortuus fuerit (Petrus), sed episcopum fuisse, praesertim longo tempore persvaderi nequeo.“

18. Neque tamen Caveus et Basnagius, qui Petrum Romae fuisse tam fortiter propugnaverunt, eoque minus alii S. Sedis hostes, volunt concedere, Petrum sic fuisse Romae, ut Episcopalem etiam Cathedram sibi Romae constitutam habuerit: ut nimirum ista saltem ratione declinarent, ne Episcopos Romanos in Episcopatu, quem gerunt, successores esse S. Petri cogerentur fateri. Sed vero si ipso Caveo et Basnagio assertoribus, omnia historiae fundamenta convellenda sunt, si actum erit de memoria primorum saeculorum, dando licentiam in dubium vocandi, fuisse Petrum Romae, rem nimirum tot testibus comprobatam, idem manebit periculum eidem fidei historicae, negando, Petrum Episcopatum gessisse Romae. Quod factum non minus, atque illud de eius Romam adventu nititur certissimis et gravissimis testibus, atque antiquitatis monumentis. Mittimus testimonia eorum, qui docent Petrum fundasse Romanam Ecclesiam, nimirum S. Irenaeum, S. Dionysium, Corinthiorum Episcopum, Clementem Alexandrinum, Origenem [2]), Arnobium [3]), S. Athanasium [4]), S. Ioannem Chrysost. [5]), S. Cyrillum Hierosol. [6]); ii dumtaxat loquantur testes, qui dicunt Petrum habuisse Romae Cathedram Episcopalem, primumque in ea sedisse, et successores nactos fuisse Romanos Episcopos. Romanum S. Petri Episcopatum testantur: *Caius*, vocari solet presbyter, qui contra Artemum scripsit, et floruit versus finem secundi saeculi. Sic autem habet de Victore Papa: „Tertius ac decimus a Petro fuit

---

[1]) Inst. l, 4. c. 16. — [2]) locis sup. citatis. — [3]) in Psalm. 106. — [4]) in Apolog. de fuga. — [5]) Homil. 2. in epist. ad Rom. — [6]) Catech. 6.

Romae Episcopus“ [1]). Dicere Victorem decimum tertium a Petro Episcopum Romanum fuisse, idem est, ac dicere: Petrum fuisse primum Episcopum. — *Auctor Carminum* contra Marcionem. Floruit secundo saeculo. Canit autem [2]): „Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum maximo Roma Linum primum considere iussit.“ Et infra: „Constabit pietate vigens Ecclesia Romae, composita a Petro, cuius successor et ipse, iamque loco nono cathedram suscepit Hyginus.“ — *Tertullianus* [3]): „Sicut, inquit, Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Iohanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem a *Petro ordinatum itidem:* perinde utique et caeterae exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apostolici seminis traduces habeant.“ — *S. Cyprianus* [4]): „Navigare audent ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem.“ Item [5]): „Cum Fabiani locus, idest, locus Petri et Cathedrae sacerdotalis vacaret.“ Non vocasset Romanae Urbis sedem Petri locum et Petri cathedram, nisi pro certo tenuisset, Petrum fuisse primum ibi Episcopum. — *Eusebius Caesar.* [6]): „Petrus, ait, natione Galilaeus, Christianorum Pontifex primus, cum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium praedicans, viginti quinque annis *eiusdem urbis Episcopus* perseverat.“ — *S. Epiphanius* [7]): „Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus et Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus etc.“ — *S. Ambrosius:* „Auctor est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiae Romanae“ [8]). Quod antiquis Scriptoribus idem sit Sacerdos ac Episcopus, explorata res est. — *Dorotheus* [9]): „Linus post Coryphaeum Petrum Romae Episcopus fuit.“ — *Sozomenus* [10]): „Non sine divina providentia factum est, ut mortuo Felice, solus Liberius Romanae Ecclesiae praeesset, ne Petri sedes ulla infamiae macula asper-

---

[1]) apud Euseb. Hist. Eccl. l. 5, 18. — [2]) l. 3. Carmin. cap. 9. (operum Tertull. t. 2. edit. Migne.) — [3]) de praescript. c. 20. — [4]) epist. ad Corn. — [5]) epist. ad Anton. — [6]) in chron. a. 44. — [7]) Haeres. 27. — [8]) post. epist. 20. cl. 1. edit. Migne. — [9]) In synopsi. — [10]) l. 4, 14.

geretur.“ — *S. Optatus Mil.* [1]): „Negare non potes, scire te, in Urbe Roma Petro primum cathedram episcopalem esse collatam.“ Item: „Sedit prior Petrus, cui successit Linus.“ — *S. Hieronymus* [2]): „Simon Petrus — — Romam pergit, ibique 25 annis cathedram Sacerdotalem tenuit.“ Et [3]): „Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego Beatitudini tuae, idest, Cathedrae Petri communione consocior.“ — *S. Augustinus* [4]): „Petro enim successit Linus, Lino Clemens.“ Et [5]): „Cathedra tibi quid fecit Ecclesiae Romanae, in qua nunc Anastasius sedet?“ — *Prosper* [6]): „Sedes Roma Petri.“ — *Sulpitius* [7]): „Divina apud urbem religio invaluerat, Petro ibi Episcopatum gerente.“

19. Quantum ponderis ac momenti recensitis documentis insit, stringentissima argumentatione exponit laudatus *Fogginius* [8]), quem audire nostro quoque tempore operae pretium est. Sic autem loquitur: „At vero quid? tot testes, tam antiqui, tam graves D. Petri in urbe moram testantur, et tamen non defuerunt nostrorum temporum homines, qui de ea dubitaverint? Heu audax omnia perpeti mortale genus! Ecquaenam reperiri unquam poterit verax historia, si haec tot firmata testibus falsa est? Adde aetatem, qua Clemens Romanus, Irenaeus, Tertullianus etc. testati hoc sunt. Scilicet cum recens adhuc erat Petri memoria, cum Romana Ecclesia pauper erat, cum Romanos Pontifices non plausu, sed maledictis, non cultu, sed gladio Ethnici Principes persequebantur. Quanam itaque fronte rem scribere potuissent, quam falsitatis argueret Roma universa? Qua moti spe, si quorum favori velificari studuissent, opprobriis tantummodo divites erant et aerumnis? Quid quod Tertullianus et Cyprianus Romanis Pontificibus infensi exstiterunt? Quid quod Clemens, Ignatius, Papias, Irenaeus, Cyprianus etc. viri erant sanctissimi, quos sine impio ausu, mendacii et adulationis crimine reos arbitrari non licet? Neque vero praetermittendus silentio hic loci est ille alius He-

---

[1]) l. 2. contra Parmen. — [2]) de Viris illustr. in Petro. [3]) epist. ad Damas. — [4]) epist. ad Generos. — [5]) l. 2. 51. contra litteras Petilian. — [6]) Carm. de ingr. — [7]) Hist. Sacr. 2. — [8]) Op. cit.

terodoxorum conatus, qui Clementem, Papiam, Irenaeum, ceterosque laudatos Patres plus nimio credulos clamant, multisque obnoxios fuisse tum iuris tum facti erroribus, quos studiose notatos recensent. Egregiam sane laudem! tam bene nosse SS. Patrum effugere auctoritatem! Si trium primorum saeculorum Patres creduli, et simplices fabularum sectatores exstiterunt, de Religione Christiana iamque actum est: quos enim alios maioris auctoritatis testes afferre licet, si nullam Ignatius, nullam Irenaeus, nullam Origenes, nullam Tertullianus sibi vindicant fidem? Ecquis illis credat in rebus ad doctrinam spectantibus, si nullam obtinent auctoritatem in historiis? Quot religionis capita historiis non nituntur, aut illis ita saltem cohaerent, ut secerni non possint? — Ecquis apud veteres error, cui veteres non adversentur? Age vero Petrum Romae commoratum esse, haud plane unus testatur Irenaeus, unus Papias etc. sed trium primorum Ecclesiae seculorum Patres omnes, quibus de eo loqui contigit, nec reperire est, qui vel leviter contra sentiat non solum inter eorum aetati suppares scriptores, sed neque inter proximos: idipsum enim, quod illos testatos esse vidimus, *Arnobius* [1]), *Lactantius* [2]), *Athanasius* [3]), *Eusebius* [4]), *Ambrosius* [5]), *Hieronymus* [6]), *Augustinus* [7]), *Orosius* [8]), *Optatus* [9]), *Theodoretus* [10]), *Epiphanius* [11]) sexcentique alii gravissimi testantur viri ab ineunte Ecclesia usque adhuc, cuiuscumque dignitatis, et gentis fuerint, Graeci etiam ipsi Schismatici, qui tamen nullum non moverunt lapidem, ut Romanae sedis auctoritatem minuerent, si potuissent, etiam labefactarent. Verum enimvero quis sibi svadeat, eos inter exstitisse neminem, qui noverit, aut voluerit tantae historiae

---

[1]) Adversus Gentes lib. 2. — [2]) Inst. lib. 4. cap. 11. et cap. 2. lib. De Mortibus Persecutorum, siquidem huiusce operis auctor Lactantius ipse est. — [3]) Apolog. de Fuga sua, edit. Paris. a. 1698. tom. 1. p. 1. pag. 331. — [4]) Hist. Eccl. l. 2. cap. 13, 14, 15. sq. — [5]) Serm. de Basilicis haereticis non tradendis. — [6]) in Catalogo, et Ep. 17. ad Marcellam, et lib. 2. contra Iovin. etc. — [7]) in lib. de Haeresib. cap. 1. et Epist. 165. sq. — [8]) Hist. libr. 7. cap. 4. — [9]) Libr. 2. contra Parmenian. — [10]) Epist. 112. ad Leonem Magnum. — [11]) Haeresi 27. quae est Carpocratianorum.

falsitatem indicare? De re agebatur celeberrime haud clam, sed in publica luce gesta, de re, inquam, cuius recta cognitio plurimi intererat, ne lateret, ubinam gentium ea esset Cathedra, quae unitatis, doctrinae, et communionis habenda erat centrum, qualis profecto est semper habita Romana, et ob ipsum quidem, quod Petri fuerit, unde Patres tum potissimum Petri eam dicunt, cum ceteris eminere tradunt, ut in laudatis Sanctorum Irenaei, et Cypriani locis cernere fas est, nec non in Synodis Ephesina, et Chalcedonensi, apud D. Optatum Milevitanum lib. 2. contra Parmenianum, D. Chrysologum Ep. ad Eutychetem. et D. Hieronymum Ep. 57. quae est ad Damasum, ut innumera alia proximorum saeculorum praetermittam monumenta. Quamobrem mire profecto urget argumentum illud, quod ex comparatione historiae gestorum Caesaris ductum obiter superius delibavimus. Si nemo adeo temerarius unquam fuit, qui Caesarem Dictatorem fuisse, Romanumque Imperium fundasse, et in ipsa urbe mortuum esse negaret, et quia in his tradendis historici consentiunt, qui uno, vel altero post illum seculo floruerunt, et quia vox omnibus una, illum Romanae primum eversorem fuisse libertatis, et quia quot sunt, quotque fuere Imperatores, eius successores vocantur, ipsumque eius nomen acceperunt, et quia denique in hoc traditiones omnes conspirant, inscriptiones, statuae, picturae, aliaque omnis generis monumenta, quomodonam temerarium non erit, et execrabile insani hominis delirium, vel dubitare, an D. Petrus Romae fuerit, an Romanam Ecclesiam Petrus rexerit, an Romae Nerone Principe martyrium subierit, quae item omnia fere coaevi scriptores tradunt, et innumeri deinceps semper fassi sunt cuiuscumque gentis auctores, et lapides, et aera, et picturae confirmant antiquissimae, praesertim cum Romae semper Petri ossa servata fuerint, et Romani Pontifices eius successores semper se dixerint, et tales quidem esse universus terrarum orbis una semper voce praedicaverit? Numquid Irenaeo, Lactantio, Hieronymo, sexcentisque aliis SS. Viris, doctissimisque, minus auctoritatis, et fidei, ac Livio, Tacito, Suetonio, Floro praestabimus? Numquid pro iis, quae de Caesare praedicantur aera, et lapides, ceteraque antiquarum rerum monumenta robur habent, non autem pro Romano Apostolorum

Principis itinere, quod semper Catholici, Haeretici autem etiam ipsi, et Schismatici omnes decem et quatuor seculorum spatio, nemine adversante, haesitatione nulla professi sunt? Scilicet Dictaturae, et mortis Caesaris explorata veritas ad intellectum tantummodo respicit, neque eam effrenati animi nostri oppugnant affectus, et vitia, quae intellectui tenebras offundentes stultividum hominem faciunt: Romanorum autem Pontificum Primatus, quem asserimus ex eo, quod illi Apostolorum Principem Petrum in Romana Cathedra excipiant, veritas est, quae lucet quidem, sed luce sua nimium quoque Vaticani hostium oculos perstringit. Cum itaque veritatem isti lucentem ament, odio habeant redarguentem, non secus ac Iudaei, qui sacra quotidie legentes vaticinia, in quibus coloribus suis Gentium salus, Iesus Christus adeo praeclare describitur, ut nihil supra, haud tamen eum agnoscunt, quin immo eius a vera omnino diversam sibi fingunt imaginem, ita etiam ipsi exploratiores historias, quas videre possent facilius, videre nolunt, odio, pervicacia, ceterisque vitiis eorum mentem tenebris suis ita occupantibus, ut clariori in meridie coecutiant: solent enim, ut apertius loquar, quae ad intellectum spectant, negare plurimi, cum voluntatem quoque subiiciant opus est, symbolum fidei reiicientes, ne cogantur obtemperare Decalogo. Itaque hinc factum, ut Romanum Petri iter, et Episcopatum eorum multi negaverint, et alii dubium facere contenderint, ut nimirum neque hoc intentatum relinquerent ad destruendum Primatum Romanae Ecclesiae, a qua impio ausu defecerunt: et hinc quoque Catholici, nequid ad eos illuminandos aptum praetermitterent, tricas et sophismata, quibus veritatem abscondere, et leves homines fallere studuerunt, aliquanto latius confutare operae pretium esse existimarunt; quod nullo sane pacto fieret, si quis Dictaturam aut Caesaris caedem inficias iret, illum enim, ut impotem mentis hominem universus rideret Orbis, et nemini esset cordi tempus terere, adeo immane mendacium confutando. Utinam itaque, utinam redeant tandem praevaricatores ad cor, et illuminentur, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ut idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata: subeat Ecclesiam unam esse, nunc in sacris literis bene ordinato Exercitui comparatam, nunc autem Do-

mui, nunc Ovili, nunc Regno, et fateantur tandem, quod sicuti bene ordinatus Exercitus ab uno regitur Imperatore, ab uno Patrefamilias Domus, Ovile ab uno Pastore, Regnum ab uno opus est gubernetur Rectore, et Romanum quidem Pontificem eum ipsum esse, cum Apostolum, quem super aedificavit Dominus Ecclesiam suam, in Episcopatu exceperit, quod quidem ratum firmumque faciunt, ut ex iis plane constat, quae in hac exercitatione diximus, et dicturi sumus uberrime in sequentibus, omnia ea quae humanam, quaeque divinam iure et merito sibi vindicant fidem." Dubia, quae contra veritatem facti tot tantisque documentis comprobati, saeculo primum decimo sexto ab aliquibus obmota fuerunt, non in historia fundari, ipse Döllinger professus est et enunciavit [1]); illa in praeconcepta et Primatui Romani Pontificis contraria opinione radicari praeter alios observat Ruttenstock [2]). Dubia autem illa, et futiles adversariorum obiectiones invicte resolvunt ac dissolvunt citati Bellarminus, Fogginius, Mamachius, Joannes Cardin. Ptolomaeus [3]). Inter recentiores Stolberg [4]) Ginzel [5]) et alii multi.

20. Declaratur porro eodem Capite secundo perpetuum, qualis a Christo institutus est, Primatum iugiter perdurare, idest, Petrum semper vivere in suis successoribus, Episcopis Romanae ab ipso fundatae et morte consecratae Sedis, qui — Romani nempe Episcopi — hoc ipso, quod Petro in eius Cathedra Romana succedant, secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinent. Primatus perpetuitatem asserere idem prorsus est, ac asserere perpetuos Petri in eodem Primatu successores. Christus enim eo ipso, quod Primatum instituerit perpetuum, tulit etiam legem perpetuae successionis, id est, voluit, ut Petrus non interrupta serie successores habeat, qui vim auctoritatemque Primatus continua haereditate acceptam ad finem usque saeculorum propagarent. A lege autem successionis, voluntati Christi, Prima-

---

[1]) lib. cit. — [2]) Inst. Hist. Eccl. T. 1. — [3]) de Romano B. Petri Pontificatu Romae 1867. — [4]) Geschichte der Relig. Iesu Christi. p. 10. — [5]) Kirchenhistorische Schriften 1. Band. Wien. 1872.

tum perpetuum instituentis, innixa, distinguenda est successionis conditio, eo pertinens, ut determinetur, quinam prae omnibus aliis illi sint pastores seu Episcopi, qui in Primatu Petro rite succedant. De eiusmodi conditione, quum iure divino positivo nihil constet, iure autem positivo humano statui nequeat, ex facto tantum Petri, reique natura aestimari rite potest. „Nimirum, ut observat Schrader[1]) redit illa conditio ad coniunctionem originalem Primatus cum Episcopatu Romano, seu quod idem est, ad Romanum Episcopatum a Petro ad suam usque mortem Primatus iuribus auctum. Reliquis ergo exclusis Petrus supremum obiens diem, Romanum Episcopatum ad Primatus auctoritatem evectum suo Romae successori reliquit; ideoque ex ipsa rei natura successor eius in Romano Episcopatu, una atque simul in Primatu eidem successit, atque usque succedit.“ Concinit Benedictus XIV.[2]): „Etenim quod Petrus suam Sedem stabiliter Romae collocaverit, et Romanam regens Ecclesiam obierit, nullus qui Episcopus Romanus non sit, potest dici verus Petri successor, ac propterea nunquam ad eum referri possunt verba Christi Domini: „Pasce oves meas,“ Ioann. 21., quibus universalis Ecclesiae curam Petro eiusque successoribus commisit.“ Et hoc est, quod universalis Ecclesiae traditione firmatur. Sane tota antiquitas rationem, cur Romanus Pontifex Petri in Primatu successor sit, semper inde repetiit, quod ipse eidem in Episcopatu Romano, quem Petrus usque mortem tenuit, succedat. Mos est Patrum, ut cum privilegia Ecclesiae Romanae extollunt, eam *Cathedram* Petri appellent, vel etiam originem eius ad Petrum Apostolorum Principem reducant. „Navigare audent ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam Principalem, unde dignitas Sacerdotalis exorta est,“ audivimus loquentem Cyprianum. „Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuae, idest, Cathedrae Petri communione consocior, super illam petram aedificatam Ecclesiam scio,“ scripsit S. Hieronymus ad

---

[1]) De Unit. Romana T. 1. — [2]) L. 2. de Synodo Dioec. c. 1.

Damasum P. Huc item referuntur illa etiam plurima Patrum testimonia, in quibus illi, quum de Primatiali potestate et praerogativis Romani Pontificis loquuntur, vel ad verba Domini ad Petrum[1]) provocant, vel B. Petrum in Romano Pontifice vivere, praesidere, et per eius os loqui docent, vel titulos a verbis Christi ad Petrum desumptos Romano Pontifici aut Ecclesiae Romanae attribuunt, quod non modo a singulis Patribus, sed a Synodis etiam Generalibus factum esse, e testimoniis in aliis Circularibus Nostris litteris, die 18. Decembris 1871. Nr. 5700. vulgatis clarissime patet, in quibus monumenta traditionis Catholicae de infallibili Magisterio Romani Pontificis recensuimus. Ipsi Romani Pontifices in exercitio Primatus ad privilegia Petro data, suamque Petro successionem in illis, nemine refragante, provocaverunt. „Memor sum, ait Leo M.[2]), me sub illius nomine Ecclesiae praesidere, cuius a Domino Iesu Christo est glorificata confessio, et cuius fides omnes haereses destruit.“ Sub Petri nomine, velut eius successor, S. Leo dicit se praesidere. „Nam et inter coetera is, per quem nobis praecipue ista sunt privilegia collata, ‚tu aliquando conversus,‘ audivit a Domino: confirma fratres tuos“ . . Ista igitur privilegia huic Sanctae Ecclesiae a Christo donata, sed solummodo celebrata et venerationi habita,“ scripsit Nicolaus I. ad Michaelem Imper. — Non dissimiliter Ioannes Papa loquitur[3]): „Romanae Sedis reverentiam conservatis, et ei cuncta subiicitis, et ad eius deducitis unitatem, ad cuius auctorem, hoc est Apostolorum primum, Domino loquente, praeceptum est: „Pasce oves meas.“ Successionem Romanorum Pontificum in S. Petri iura optime expressit Philippus Coelestini Papae legatus in synodo Ephesina, inquiens: „Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum a D. N. I. Chr. Salvatore humani generis et Redemptore claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad

[1]) Matth. 16, 18—19. — Luc. 22, 32. aut Ioann. 21, 15—17. — [2]) Ep. 22. ad Marc. et Faustum. — [3]) Epist. ad Iustinian.

hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet. Huius igitur secundum ordinem successor, et locum tenens, sanctus beatissimusque Papa Coelestinus“ etc.[1]) Ad quae Synodus, ex Orientis Episcopis potissimum consistens, non aliud respondit, quam quod in omnibus mandatum Coelestini executioni dederit.[2]) Paschasinus autem Leonis I. legatus in Chalcedonensi Synodo hanc sententiam in Dioscorum Alexandrinum pronunciavit, approbante Concilio: „Unde sanctissimus et beatissimus Archi-Episcopus magnae et senioris Romae, per nos et per praesentem sanctam synodum, una cum ter beatissimo, et omni laude digno B. Petro Apostolo, qui est petra et crepido catholicae Ecclesiae, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam ab omni sacerdotali alienavit ministerio.“ Leo Papa cum Petro Apostolo ideo, quia huius ille est successor, cui patres Chalcedonenses acclamaverunt, dicentes: „Petrus per os Leonis locutus est,“ et cui rescripserunt, id quoque imputantes Dioscoro, quod contra Papam temere levare se praesumserit, ad quem totius Ecclesiae cura pertinet. „Et post haec omnia insuper et contra ipsum, *cui vineae custodia a Salvatore commissa est*, extendit insaniam, idest contra tuam quoque Sanctitatem, et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas.“[3]) Nemini proinde mirum videbitur, quod iam Concilium Florentinum decreverit tamquam fidei dogma: „Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, — — et ipsi in beato Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse.“[4])

21. Audiamus, quid de successione Romanorum Pontificum senserit, ac expresserit ipse F e b r o n i u s, quo sub nomine latuit Nicolaus ab Hontheim, Episcopus Myriophitanus et suffraganeus Trevirensis, in iis, quas ddto 1-ae Novembr. 1778. ad Pium VI. exaravit litteris, et quarum ope palinodiam suorum errorum cecinit, hos sincere agnovit, et veniam

---

[1]) Alias citat. — [2]) V. Circulares. Dioec. de 18. Decemb. 1871. — [3]) Ibidem. — [4]) Vid. citatum decretum in praedictis Circularibus Dioecesanis.

Summi Pontificis deprecatus est. „Assero, scribit ille, Primatum, qui non ordinis, inspectionis ac directionis tantum est, sed et verae auctoritatis, ac iurisdictionis: quia non minus, quam unitas ipsa, pro cuius conservatione, ac regimine institutus est, perpetuus esse debebat, *in Petri successores Romanos Pontifices*, Sedemque Apostolicam, huius unitatis centrum, et radicem *iure divino* transiisse, ut nulla ratione transferri ad aliam Sedem valeat. Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem, idest, propter supereminentem eius dignitatem atque auctoritatem, uti ait S. Irenaeus, necesse esse omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles;[1]) eam esse caput Ecclesiarum, a qua, ut inquit Bonifacius Papa I. quisquis se abscindit, fit a Christiana Religione extorris. — In horum sequelam cum Patribus Concilii Oecumenici Florentini agnosco, Romano Pontifici in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.“ Utinam qui secuti sunt peccantem Febronium, sequerentur poenitentem Hontheimium, sic scribentem: „Cum autem nihil maius et viro bono dignius sit, quam agnitum errorem confiteri, et praeteritam culpam melioribus factis redimere: sic imprimis agnosco, et defleo errorem — — neque eum, quoad vixero, deflere desinam. — — Eripuit mihi auctoritas Sanctitatis Vestrae, in qua auctoritatem Iesu Christi recognosco, errorem. Itaque praesentes, eosque genuinos animi mei sensus de statu Ecclesiae, et summis Sedis S. Petri Apostolorum Principis iuribus ad successoris eius pedes omni cum submissione depono, tamquam in qua vivere, et mori cupio.“ In Brevi iam alias citato Pii VI. „Super soliditate“ inter ceteros errores damnatur etiam error illorum, qui negant, in beato Petro Apostolorum principe successorem eius Romanum Pontificem, constitutum esse a Deo caput Ecclesiae visibile et Vicarium Iesu Christi. Ex eo, quod Petrus in suis

[1]) Notate, quomodo Febronius intelligat et intelligendum proponat classicum Irenaei locum, a sciolis nostris detortum.

successoribus Romanis Pontificibus teste etiam S. Petro Chrys.[1]) semper vivat ac praesideat, prono fluit alveo, Romanae Sedis Praesules iure divino potiri Petri praerogativis, eodemque iure ea omnia de illis valere, quae de Petro, Primatum Ecclesiae tenente nota ac comperta credimus. Itaque Romani Pontifices sicut iure divino Petri successores sunt, eiusque personam repraesentant; ita singuli quippe non secus ac Petrus ipse ecclesiastici aedificii petra, fundamentum, et crepido constituuntur. Certe S. Augustinus recensitis Romanae Sedis ad suam usque diem Pontificibus addit: „Ipse est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.“ [2]) Et S. M. Leo dicit: [3]) „Soliditas enim illa, quam de Petra Christo etiam ipse (Petrus) Petra factus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes.“ Ante Leonem vero Bonifacius I. dixit: [4]) „Quam (Sedem Romanam) constat dignatione petrae spiritualis electam.“ Quae sciens Bossuetus non dubitavit tamquam fidei dogma asserere: [5]) „Petrum in suis successoribus semper esse Petram et fundamentum fidelium.“ Quemadmodum porro Petrus Apostolorum caput et vertex fuit: [6]) ita Romani Pontifices eundem Apostolicum principatum nacti, S. Augustino dicente: [7]) „In Romana Ecclesia semper Apostolicae cathedrae viguit principatus“ — centrum sunt, principiumque efficiens tam unitatis, quam communionis totius Ecclesiae catholicae. [8]) Ad Romanos Pontifices iura Petri deferri debuisse, et reipsa delata fuisse omnium Conciliorum semper constans fuit, ac firma sententia; quibus consonant Patres omnes atque Scriptores, quorum de ecclesiasticis rebus opera ad nos pervenerunt, de hac immo veritate apertissime testantur fasti

---

[1]) Epist. ad Eutych. — [2]) Psalm. contra part. Donat. — [3]) Serm. 5. al. 4. in anniv. assumpt. suae. — [4]) Ep. ad. Rufum Thessalon. — [5]) Serm. ad comit. Cl. Gall. 1681. — [6]) Cf. Opt. Mil. de Schism. Donat. et ep. Eppor. African. ad Theodor. Pap. — [7]) Epist. 162. — [8]) Cf, ep. Siric. ad epp. Afr. — Innocentii I. ad Victric. Rothomag. — Coelestini I. ad cl. et pop. — Constant. Theodoret, in Psalm. 47.

omnes, annales, tota denique Historia Ecclesiae ita, ut nullum aliud factum adeo perspectum, atque exploratum sit quovis rei Christianae saeculo.

22. Patrum ac Scriptorum testimonia heic recensere tantumdem foret, ac se in densissimam silvam abdere. Legi illa possunt in innumeris Operibus tam dogmaticis, quam praecipue in iis, quae de Romani Pontificis Auctoritate speciatim tractant, quandoquidem certum est, nihil frequentius, ac prolixius, nihil accuratius, diligentiusque disputatum ab eruditis fuisse, quam quidquid ad rationem, auctoritatemque Romanae Sedis adtinet, quos inter *Bellarminus*, *Mamachius*, *Eman. Schelstrate* iam in superioribus commemorati, *Bianchi*[1]), *Gerdil*[2]), *Ballerinii*[3]), *Muzzarelli*[4]), *Zaccaria*[5]), *Perrone*[6]), *Rothensee*[7]), *Schrader*[8]) *Tobias Mollik*[9]), *Bouix*[10]) eminent. Sufficiat itaque hic loci provocare ad effata et testimonia illa SS. Patrum, quae in Circularibus litteris, in quibus monumenta Catholicae Traditionis de infallibili magisterio Romani Pontificis congesta ac explicata sunt, quippe quae Primatum quoque invicte probant. Primatum Romani Pontificis a Conciliis, iisque tam generalibus quam particularibus agnitum fuisse patet e sequentibus: a) In Concilio Nicaeno I. praesidium tenuerunt Hosius Cordubensis Episcopus, Vito seu Victor, et Vincentius Presbyteri, qua Silvestri I. Papae legati, uti testantur Socrates[11]), Gelasius Cyzic.[12]) et Photius, licet Ecclesiae Romanae infensissimus.[13]) Certe autem Patres haud sivissent Legatos Papae primarum Sedium Episcopis praeferri in consessu, nisi veteri traditione intellexissent, Petri successori, qui Primatum in Ecclesia obtinet, primum etiam competere locum. In eodem Concilio Can. 6. qualis refertur Actione 16. Concilii Chalcedonensis, declaratum est: „Ecclesia Romana semper habuit Primatum," ad hunc Canonem respiciens Nico-

---

[1]) Della potesta e della polizia della chiesa. — [2]) Op. ad hier. Eccl. constit. pertinentia. — [3]) De vi ac rat. primatus. — [4]) In opusc. theolog. — [5]) Antifebronius. — [6]) Praelect. theol. et op. ital. de Rom. Pontif. — [7]) Das Primat des Papstes. — [8]) De unit. Romana. — [9]) Dissertationes de Eccl. Christi. — [10]) Tract. de Papa. — [11]) Hist. Eccl. l. 1. — [12]) Hist. Conc. Nicaen. — [13]) In Bibl. cod. 88.

laus I. sic loquitur[1]): „Si instituta Nicaenae Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanae Ecclesiae nullum eadem Synodus contulit incrementum: sed potius ex eius forma, quod Alexandrinae Ecclesiae tribueret particulariter, sumpsit exemplum.“ b) Sardicense Concilium 347. celebratum inter alia ad Iulium I. Papam scripsit: „Hoc optimum et valde congruentissimum esse videtur, si *ad Caput*, idest *ad Petri Apostoli Sedem* de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes,“ i. e. Episcopi. Metaphora Capitis obvio et recepto sensu, Primatum iurisdictionis exprimit. c) In Conciliis Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano I. II. III. IV. item Nicaeno II. generalibus agnitam et a Pontificibus per suos legatos exercitam fuisse primatialem potestatem et iurisdictionem ex iis oppido liquet, quae in praedictis Circularibus litteris ex actis horum Conciliorum delibata sunt. d) Concilium Lateranense IV. a. 1215. definivit sic: „Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias Ecclesias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote universorum Christi fidelium Mater et Magistra.[2]) e) In Concilio Lugdunensi II. 1274. edita est Graecorum fidei professio, in qua haec occurrunt: „Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et Principatum super universam Ecclesiam obtinet: quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit.“ f) Concilium Constantiense in illa Constitutione, qua Martinus V. errores Wicleffi et Hussii damnavit, et simul praescripsit, super quibus Articulis suspecti de haeresi interrogandi sint. g) Concilium Florentinum, cuius decretum notum est ex Circularibus litteris die 18. Decembris 1871. Nr. 5700. editis. h) Concilium Tridentinum, quod[3]) declaravit: „Pontifices Maximi, *pro suprema auctoritate*, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviorum

---

[1]) Epist. ad Michael. imp. — [2]) Labbe Concil. t. XI. — [3]) Sess. 21. c. 7.

suo potuerunt peculiari iudicio reservare.“ Haec ex Conciliis, quae praeter Sardicense, omnia generalia fuerunt, adduxisse sufficiat, ut appareat id, quod Capite II. huius Constitutionis declaratur, semper in Ecclesia creditum fuisse, nimirum, Romanorum Pontificum in Petri Primatum successionem ex vi institutionis Christi, et ex Petri in urbe Romana Episcopatu unice repetendam esse.

23. Cum vero plurima sive Patrum testimonia, sive ecclesiasticae historiae gesta, per quae Romani Pontificis Primatus invicte probatur, ex ea sint aetate, quae pacem Ecclesiae a Constantino M. redditam praecessit, hoc ipso solidissime refutantur, qui Romanorum Pontificum Primatum ab humana origine repetere praesumunt. Quosuper, prout et aliis, qui a S. Sedis hostibus passim proferuntur, Primatus instituti ac obtenti modis audiatur *Gual:*[1]) „Quis, quaeso, supremam universalemque hanc potestatis plenitudinem, vel ab ipsis haereticis cognitam, Episcopo contulit Romano? Munificentia Caesarum in orbe cognito regnantium tribus stabilitae Ecclesiae saeculis? Minime. Imo, infenso odio in Petrum eiusque successores concitato, omnibus iuribus eos spoliaverunt, omnesque prorsus Papas cruce gladiove interemerunt. Fuitne mundi primae civitatis magnum nomen Episcopos fidelesque illius evehens ad sublime aestimationis ac honoris solium? Nullo modo. Quin potius una erat populi Romani totiusque imperii vox: Christianos ad leones: et ut fideles eorumque praesules persecutionis furores effugere valerent, ad catacumbas occulte confugere necesse erat, vel ipsum eorum nomen sepeliendo. Si a magnificentia civitatis ad honoris potestatisque ecclesiasticae apicem episcoporum aliquem elevandum fuisse vultis, nullus sane alius ex hac parte hoc potiori iure obtinuisset, quam Episcopus Ierosolymitanus, Iacobus frater Domini, et praesul primae splendidiorisque in Christianismo civitatis, ubi religionis origo redemptionisque mysteria ab ipso fundatore Deo-Homine posita peractaque sunt. Et nihilominus, neque Evangelium, neque traditio apostolica, neque historia priorum saeculorum hoc admittit. Fuerunt for-

[1]) In l. Oracula Pontificia, Parisiis, 1869.

sitan imperatores christiani, qui illa suprema in totam Ecclesiam auctoritate Episcopum Romanum decorarunt? Nequaquam. Cum enim Constantinus eorum primus iussit, ob patratam victoriam in ipsius triumphantis statuae manu Romae erectae crucem collocari, hoc lemmate subscripto: „Romani, in virtute huius salutaris signi et a tyrannide vos liberavi, et urbi libertatem ac splendorem dedi,“ [1]) tria excurrerant saecula, ex quo scripserat Paulus gentium doctor: „Romani, fides vestra annuntiatur in universo mundo“, Petri universali ministerio;[2]) et ultra quinquaginta annos postquam Aurelianus imperator, cuius manus dum calamum teneret ad decretum extermini Christianorum subscribendum a fulgure e coelo ad ipsius pedes delapso contenta fuerat, insigne supremi Pontificis summi in tota Ecclesia principatus dederat testimonium. Ducta siquidem a Paulo Samosatheno e concilio ad tribunal ethnici imperatoris ipsius causa, utrum scilicet iure de episcopatu Antiochensi deiectus fuerit a concilio, eiusque palatium episcopale suo successori tradi deberet; an vero ad se pertineret, cuius erat possessio, decrevit Aurelianus: „iis domum tradi debere, quibus Romanus Episcopus et itali episcopi scriberent.“ [3]) Quis denique, amabo, fuit qui tantam contulit auctoritatem splendoremque Antistiti Romano? Fideles christiani? Erant agni a pastore, iussu Christi, pascendi. Fuerunt Episcopi? Antequam existerent episcopi, iam Homo-Deus dixerat: „Supra hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: tibi Ego dabo claves regni. Quodcumque ligaveris, erit ligatum.“ Episcopi, iuxta Evangelium, erant oves gregis Christi a Pastore ab ipso instituto pascendae. — — Fueruntne concilia particularia, vel concilia oecumenica, supremam pariter auctoritatem in Ecclesia universa habentia? Primum veluti concilium particulare, et si mavis generale dicam, fuit „congregatio Apostolorum, discipulorumque, cum mulieribus et Maria matre Iesu, et fratribus eius: ex omnibus erat turba hominum simul fere centum viginti.“ [4]) Et in hoc, si velis, primo concilio sola ac suprema auctoritas Petri in universam illam nascentem congregatamque Christi

[1]) Henrion, Hist. Eccl. T. 1. — [2]) Rom. 1, 8. — [3]) Eusebii Hist. Eccl. l. 7. c. 30. — [4]) Act. 1, 13—15.

Ecclesiam sole clarius effulget. Sola auctoritas Petri, institutionis Iesu Christi virtute concilium legitime congregatum vult et declarat; sola ac suprema Petri auctoritas, Scripturam sacram interpretans, vult et iubet subrogationem Iudae apostolatus; solaque et suprema Petri auctoritate, nullius illorum, ne unius quidem repugnantis vel contradicentis voce audita, fit electio et subrogatio novi Apostoli novique Episcopi consecratio prout Petrus vult ac iubet.[1]) Similia invenies de altero, si vis, Ierosolymitano Apostolorum concilio, causa quaestionis legalium Moysis Antiochiae a Paulo et Barnaba agitatae.[2]) — — Si autem nullum aliud primum, verum, legitimumque Concilium oecumenicum agnoscis, ut revera constat ex fastis Ecclesiae catholicae, nisi Concilium Nicaenum I. trecentorum episcoporum, auctoritate Papae Silvestris anno Christi 325. congregatum firmatumque, scias oportet, hoc ipsius canone „Romana Ecclesia *semper* habuit Primatum,“ [3]) non creari, sed contestari solemniter auctoritatis supremae Romani Pontificis in Ecclesia catholica existentiam, ipsiusque constantis nuspiamve per tria saecula interrupti exercitii fidele testimonium reddi. Non ergo Patrum oecumenici I. Concilii aliorumve per tria prima saecula particularium conciliorum; non Praesulum dioecesanorum fideliumve omnium; non Caesarum christianorum ethnicorumque, illorumve urbis imperialis magni nominis voluntas vel auctoritas; sed vox, auctoritas ac voluntas Dei-Hominis, tam potenter imperantis in imperatores hominum futurosque fidelium praesules antequam crucis subiret patibulum, quam posteaquam e sepulchro redivivus, gloriosus, triumphansque surrexit, revera fuit, quae existentiam, supremum impe-

---

[1]) Act. 1, 15—26. — [2]) Act. 15. 1—32. — [3]) In Codice Canonum et Constitutionum Sacrae Sedis Aplicae, tit. 10 inter Opera S. Leon. edit. Migne, Patrolog. t. 56. Haec collectio canon. antiquior est illa Dionysii Exigui, et eius authenticitas comprobatur ab Epistolis Iulii I. Innocentii I. Hilarii, Zosimi et Bonifacii I. Concilio Nicaeno immediatorum. Unde constat canonem hunc Nicaenae Synodi in collectione Dionysii Exigui esse truncatum. Patet et hoc ex Concilio Chalcedon. in quo a Paschasino integre lectum est, nemine PP. reclamante. Ap. Harduin. Concil. tom. 1. col. 638.

rium, perpetuitatemque inamissibilem dedit suo Vicario in terra, ut portae legionesve Averni adversus Ecclesiam suam non praevalerent. — — Si institutio humana est, quare non corruit actione humana ac infernali per XVIII. amplius saecula immane, crudeliter, indesinenterque illam ad delendam percutiente quaquaversus lingua, ferro, igne? Perierunt imperia, perierunt et regna super aurea solia fundata millionumque hominum armis protecta; perierunt scholae philosophorum paganorum, perierunt sectae antiquorum haereticorum, perierunt et deliria lutheranorum et calvinistarum iactitamenta hodie sexcenta in fragmenta malleata. Omnia in mundo pereunt cum homine, et opinionum commenta, et systematum theoriae, et divitiarum thesauri, et familiarum prosperitas, et dynastarum nobilitas, et guberniorum formae et populorum mores, et nationum status. Cur ergo tot inter casus, tantas super victimas, quibus tempus, homo, Deus, mundum replent tristitia, mutantur, regenerantur, disperdunturve omnia, cur inquam, antiquitus locata Petra medio in furentium tot illam concutientium procellarum mari non perit? Quare „fragilitas cuiusdam senioris omni praesidio expoliati," stantis super illam, per tot saecula non corruit, sed stat, stabitque firmiter in aeternum? Quia nimirum, „magnus Dominus et laudabilis nimis *in civitate Dei nostri in monte* sancto eius: fundata enim erat supra firmam Petram. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Super maria fundavit eam: Deus in medio eius non commovebitur; et portae inferi non praevalebunt adversus eam." Quapropter verissime scripsit S. Leo M.[1]): „Sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit . . . Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit." Subiunctus Canon statuitur contra eos, qui negant propositam in Capite doctrinam, nempe a) quod ex ipsius Christi Domini institutione Petrus in Primatu super universam Ecclesiam debeat habere successores perpetuos, et speciatim b) quod Romani Pontifices Petro in illo Primatu succedant iure divino.

---

[1]) Serm. de natal. ipsius 3. alias 2.

24. Postquam Concilium in praecedentibus docuisset, Christum Dominum in B. Petro Primatum non honoris tantum, sed verae iurisdictionis in universam Ecclesiam immediate et directe instituisse, et Primatum hunc in Romanis Pontificibus perpetuo perdurare, atque hinc illos B. Petro in Primatu succedere: in Capite tertio declarat, in quo sita sit vis et ratio, seu essentia et natura Primatus. Docet itaque: a) Ecclesiam Romanam super omnes alias Ecclesias ordinariae potestatis principatum obtinere, adeoque Romanum Pontificem non habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, sed supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam; b) hanc potestatem Romani Pontificis, quae vere episcopalis est, hoc ipso etiam esse ordinariam et immediatam; c) erga quam potestatem, quoniam est suprema in universam Ecclesiam, pastores et fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, et quidem non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae, per totum orbem diffusae pertinent; d) potestatem Summi Pontificis non tantum ordinariae et immediatae episcopalis iurisdictionis potestati non officere, sed hanc potius a supremo et universali Pastore asseri, roborari ac vindicari; e) porro Romano Pontifici esse ius in sui muneris exercitio libere communicandi cum Pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, hancque communicationem licite impediri non posse, neque saeculari potestati esse obnoxiam; f) Romanum Pontificem, quoniam totam plenitudinem supremae potestatis habet, esse iudicem supremum fidelium, neque licere a iudiciis Romani Pontificis ad Oecumenicum Concilium, tamquam ad Auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

25. Ansam declarationibus his praebuerunt errores cumprimis Febronianorum, qui nondum exstincti sunt,

quamvis eorum auctor ipse, ut in superioribus vidimus, retractaverit, at quequod erraverit, confessus fuerit. Sunt autem errores illi sequentes: a) Romani Pontificis potestatem esse *inspectionis* tantum et *directionis*. „Non aliam B. Petro collatam fuisse potestatem, inquit Febronius[1]), quam inspectionis et directionis.“ Febronio concinit Tamburinus[2]): „Non est aliud (Primatus), quam ius inspectionis et vigilantiae in tota extensione Ecclesiae.“ b) Potestatem iurisdictionis Romano Pontifici competere nonnisi iure devolutionis, quando Episcopi officia sua negligunt, ergo *casu extraordinario*, seu esse delegatam, non vi muneris, quod in universam Ecclesiam sustinet; eamque esse nonnisi *mediatam*, non immediate in fideles, sed tantum per Episcopos exercendam, atque ideo minime episcopalem, seu eiusdem naturae cum potestate Episcoporum. Ita Eybel[3]): „Una, inquit, haec praerogativa, supplendi scilicet aliorum negligentiam, totam Primatus Ecclesiastici vim contineri, hortationibus et exemplis unitati conservandae consulendi.“ Et: „Pontifices nil posse in aliena dioecesi praeterquam extraordinario casu.“ Porro memoratus *Tamburinus*[4]): „Spiritualis potestas, et iurisdictio Primatus S. Sedis non debet confundi cum potestate episcopali. Si Primatus esset unum idemque cum potestate episcopali, observamus, legitima conclusione sequeretur, Papam esse episcopum universalem et unicum, quoniam potestas Primatus extenditur super universam Ecclesiam.“ Et iterum: „Primatus non est iurisdictio *episcopalis* in quavis dioecesi.“ c) Potestatem Romani Pontificis esse quidem superiorem potestatem super singulos Episcopos, sed non super simul sumptos, quoniam Primatus non dat Pontifici nisi ius corpus Episcoporum repraesentandi, i. e. nomine Ecclesiae, secundum eius decreta et secundum eius spiritum, atque eius auctoritate agendi. Ita Tamburinus.[5]) Deinde non defuerunt, nec desunt, praecipue inter Orientales unitos, qui Unionem cum Romano Pontifice habendam, ad unitatem fidei restringunt ita, ut obedientia Romano Pontifici nonnisi in iis, quae ad fi-

---

[1]) De stat. Eccl. et leg. pot. Rom. Pontif. l. 2. c. 1. — [2]) Vera idea de S. Sede p. 2. c. 2. — [3]) In l. „Quid est Papa?“ — [4]) Op. cit. — [5]) L. cit.

dem et mores, nequaquam autem etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae pertinent, debeatur. Quae nostris diebus inter Armenos unitos in Oriente tanta cum animositate et scandalo fervent dissidia, eadem ab hac erronea multorum Armenorum opinione potissimum repetenda sunt, qui Sanctae Sedi Apostolicae in regimine Ecclesiae obedientiam detrectant, Patriarcham legitime constitutum repellunt, et relabi in Schisma non exhorrescunt. d) Auctoritatem Concilii Generalis esse superiorem auctoritate Summi Pontificis. Hinc licere a iudiciis Pontificis appellare ad Concilium Generale. Id docet Tamburinus[1]), cui Gallicani Systematis patroni plene consentiunt. „Nemo est, scribit Elias Du Pin,[2]) qui non intelligat, illum supremam habere potestatem, qui potestatem ipsam habet secundum originem et virtutem: eum vero potestatem non habere supremam, qui tantum potestatem habeat, ab alio sibi commissam quoad usum. Patet autem ex dictis, potestatem ecclesiasticam esse penes Ecclesiam, Romanum autem Pontificem, caeterosque Praelatos eam accipere ab Ecclesia quoad usum tantum; non ergo Summus Pontifex habet potestatem in universam Ecclesiam, licet habeat in universa Ecclesia: sed viceversa Ecclesia potestatem habet in Pontificem. — — Cum ergo Ecclesiae potestas sit superior potestate Papae; cum Ecclesia leges dicere possit Papae; cum Ecclesia possit auferre a Papa iurisdictionem, quam ipsi commisit: nemo dubitare potest, quin haec omnia fieri possint a Concilio Generali ipsam repraesentante.“ Et Fleury, quamvis sententia haec: „licere appellare a Papa ad Concilium Generale,“ a Pio II.[3]) dein Sixto IV. et Iulio II. nec non in Bulla Coenae[4]) damnata esset, nec ille hoc ignoraret, tamen[5]) disserens de sic dictis libertatibus Ecclesiae Gallicanae, „Credimus, inquit, licere appellare a Papa ad futurum Concilium, non obstantibus Bullis Pii II, et Iulii II, qui hoc interdixerunt.“ e) Exstiterunt alii, qui quidem admittunt potiores partes supremae potestatis Romano Pontifici, non tamen eius plenitudinem concedunt, contra Concilii

---

[1]) L. cit. — [2]) De antiquit. discipl. eccl. dissert. 6. §. 1. — [3]) Bulla „Execrabilis.“ — [4]) Artic. 2. — [5]) In libro, Nouv. Opusc. Parisiis 1807.

Lugdunensis II, Concilii Florentini, Concilii Lateranensis V. sanctiones ac decreta, quibus Summo Pontifici plenitudo potestatis in universam Ecclesiam asseritur. f) Denique liberam Romani Pontificis cum Ecclesiae pastoribus ac fidelibus, et horum cum illo communicationem variis in locis impeditam fuisse, atque etiam nunc impediri factum est notissimum. Exempla, cum sint odiosa, reticere iuvat. At negatur ipsum quoque huiusmodi liberae communicationis ius, et ideo etiam catholica circa eamdem communicationem doctrina. Id fieri ab haereticis et schismaticis exploratum est, quum hi nullum agnoscant ius Romani Pontificis. Verum negatur idem etiam a Febronianis, regalistis, eorumque sequacibus, qui contendunt, potestati saeculari esse ius et officium super Summi Pontificis cum Ecclesiae Episcopis communicatione invigilandi, eamdemque prout e rationibus Status, ut aiunt, visum fuerit expedire, aut permittendi, aut impediendi; imo eousque progrediuntur, ut asserant, quae ab Apostolica Sede, vel eius Auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placeto vel placito muniantur, quum Romanus Pontifex in aliorum Principum ditione tamquam in territorio alieno nihil possit.

26. Quae de suprema Romani Pontificis auctoritate, deque eiusdem ordinaria et immediata in omnes et singulas orbis totius Ecclesias iurisdictione in hoc Capite Constitutionis dogmaticae declarantur, totidem sunt necessaria Primatus divinitus instituti consectaria, et praeclarissima illa praesidia, quibus Auctor, consummatorque fidei nostrae Iesus Christus conspicuam corporis sui mystici unitatem, et generatim stabilitam a se inter homines salutis oeconomiam munire, et ad consummationem usque saeculorum sartam tectamve servare voluit. Finge, si lubet, Supremum Ecclesiae Pastorem non pollere directo in universum, qua late patet, gregem Dominicum imperio, et immediata iurisdictionis potestate: an non brevi Primatum ipsum nutare ac funditus subrui, unitatem fidei — essentialem hanc et nobilissimam sponsae Chri-

sti dotem — sensim evanescere, omnia denique vincula, quibus membra inter se, et capiti suo devinciuntur, laxari, penitusque dissolvi fuerit necesse? Quapropter urgentibus aevi nostri indigentiis providisse dicendum est Concilium Vaticanum, quod doctrinam de Suprema Romani Pontificis, Ecclesiae visibilis Capitis, iurisdictione, renovando Concilii Florentini ea de re decretum, expressius declaraverit, in hac praesertim temporum calamitate, qua non tantum homines a sacris nostris alieni, et ii, qui falsae libertatis vertigine capti in exitium cuiusvis auctoritatis coniuraverunt, S. Sedem Apostolicam omni suo iure despoliare pertinaci studio moliuntur, sed et inter Catholicos ipsos haud pauci reperiuntur, qui saeculi genio et perversis eius principiis afflati, se nomini et officio fecisse satis arbitrantur, si in dogmatica dumtaxat, ut aiunt, communione cum Cathedra Petri permaneant, parvi aut nihili pendentes, quidquid ea circa mores et disciplinam praecipiat: quo quidem pacto quantum a veritate, quantum a vestigiis maiorum recedatur, quantopere christiana vivendi ratio deminuatur, quam male ipsius societatis humanae publico privatoque bono consulatur, nemo aequus rerum aestimator est, qui non intelligat.

27. Atvero videri fortasse cuiquam primo obtutu possit, asserta Romano Pontifici immediata et ordinaria in singulas quasque Ecclesias iurisdictione omnem Episcoporum auctoritatem hac pontificiae potestatis plenitudine absorberi, nec aliud illis reliquum fieri, praeter vanam nominis umbram et precarium muneris exercitium; cum tamen eos successores esse Apostolorum, et auctoritatem, qua creditas sibi Ecclesias regunt, originis ac iuris esse divini, in confesso sit apud omnes. Et profecto S. Petrus adhortans Episcopos ait:[1]) „Pascite, qui in vobis est, gregem Domini;“ neque enim ii sunt pastores, qui carere in gregem suum auctoritate queant. S. Paulus vero diserte affirmat,[2]) Episcopos a Spiritu S. positos regere Ecclesiam, singuli singulam sibi commissam; praemittit enim:

[1]) I. Petr. 5, 2. — [2]) Act. 20, 28.

„Attendite vobis et universo gregi, *in quo* vos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei," sicut etiam S. Petrum dicentem audivimus: „Pascite, qui in vobis est, seu qui vobis pascendus creditus est, gregem." Quis porro nescit, quam magnifice senserint de Episcoporum officio antiquissimi Ecclesiae Patres? e quibus S. Ignatius: „Omnes, inquit,[1]) Episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri." S. Ioannes Chrysostomus „Episcopos, ait,[2]) praeesse imperio," et in oratione de S. Ignatio, eum post Petrum successisse „in principatu Antiochenae urbis." S. Isidorus Hispalensis Episcopos principibus comparat,[3]) ut quemadmodum romano imperio princeps: ita Episcopus Ecclesiae praesideat. Unde S. Gregorius Nazianzenus non dubitat[4]) praefectos et magistratus his verbis compellare: „An me libere loquentem aequo animo feretis? nam vos quoque imperio meo ac tribunali lex Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus: addo etiam praestantius ac perfectius, alioquin carni spiritum, et terrenis coelestia cedere oportebit." Quae quidem, quamvis obiter delibata, demonstrant, ex sententia Patrum Episcopos in sua quemque Ecclesia gravissimo auctoritatis pondere esse praeditos, et vera proprieque dicta iurisdictione gaudere, seu ut tradit Petavius:[5]) „Episcopi et iubere possunt ac leges ecclesiasticas ferre, et delinquentes coercere, ac poenis itidem ecclesiasticis subiicere etiam invitos ac reluctantes, et idcirco sacri sunt ecclesiasticique magistratus, archontes, ecclesiaeque praesides." Etsi vero haec ita sint, verendum tamen neutiquam est, ne ex irrestricta et universali Romani Pontificis iurisdictione, Episcopi potestatis suae, ex institutione divina in ipsos derivatae, aliquod patiantur detrimentum, quod, ut evidentius pateat, iuvat ad originem et naturam Episcopatus summa, qua licet, brevitate animum reflectere, et quo sensu Episcopi dicendi sint Apostolorum successores, videre. Compertum est omnibus, Apostolos duplici spectari posse ac debere modo: primo tamquam *legatos divinos extraordinarios*, qui-

[1]) Epist. ad Smyrn. n. 8. — [2]) Hom. 64. — [3]) Can. I. D. 24. — [4]) Orat. 17. — [5]) Hierarch. eccles. l. 3.

bus a Christo nullis circumscripta limitibus facta est potestas, ubique terrarum ac gentium doctrinam Evangelii annunciandi, fideles colligendi, sacrum ministerium obeundi, verbo: coeleste veritatis caritatisque regnum fundandi; secundo tamquam *rectores singularium ecclesiarum*, per urbes regionesque constitutarum, quas ipsi omnium primi docuerunt, ac moderabantur. Priore respectu nullos Apostoli habuerunt successores; haec enim est vis et ratio legationis, ut ea cum ipsis exspiret legatis, neque ad alios, nisi nova intercedat immediata missio, propagetur. Constat vero, Apostolis praesenti mortalitate functis nullam intervenisse immediatam missionem, quippe cuius nullum seu in S. Scripturis, seu in monumentis Christianis exstat vestigium; sed nec exspectari posse, quum ipsi Apostoli viam modumque missionis per homines conferendae definiverint. [1]) Ast altero respectu, cum Christus institutum a se ministerium ad consummationem usque saeculorum continuatum voluerit, et Ecclesia, ne dilabatur, rectoribus carere nunquam possit, Apostolis successerunt Episcopi. Apposite hanc in rem scribit Caietanus[2]): „Non est legatorum vendicare sibi successores, sed finitur legatio cum legatis, nisi a Domino alius mittatur. Pastor autem ordinarium officium sonat, cuius est habere successorem; et propterea Ecclesia non habet Apostolos, qui successerint in Apostolatu Christi Apostolis, sed habet Episcopos, succedentes Apostolis non quoad Apostolatus auctoritatem, sed quantum ad episcopalem tam dignitatem quam auctoritatem.“ Caeterum non est dissimulandum, hoc quoque respectu distare singulos Episcopos a singulis Apostolis: distant non solum extraordinariis charismatibus, quibus Apostoli ceu divini legati fuerunt insignes; sed etiam iis donis, quae Apostoli ceu doctores et testes a Deo praeordinati acceperunt, quaeve illis personalia fuerunt, in quorum censum veniunt: universalitas magisterii, et in docendo inerrantia; hae enim praerogativae ex voluntate Christi non in singulos Episcopos, sed in collegium transierunt Episcoporum, quod suo Capiti

---

[1]) I. Tim. 5, 22. Tit. 1, 5. — [2]) Opusculor. t. 1. tract. 3.

unitum Ecclesiam refert. Unde longe diversa est amplitudo, qua singuli Episcopi singulorum Apostolorum successores affirmantur, et qua unus idemque indivisus Episcopatus integro Apostolorum senatui successisse creditur. Huius universalis et moraliter unius Episcopatus, omnes et singuli Episcopi ex aequo sunt participes, ideoque ratione ordinis et characteris omnes inter se aequales, omnes plene et integre Episcopi ita, ut quantumvis angustis constrictam terminis dioecesim aliquis eorum nactus sit; in collegio tamen omnium Episcoporum Capiti suo unitorum, eamdem, quam caeteri obtineat potestatem. Atque hoc sensu iam alias monuimus[1]) dixisse S. Cyprianum:[2]) „Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.“ Episcopi proinde vere proprieque Apostolorum dicuntur et sunt successores, non quod his per omnia pares existant; sed quod eadem, quam Christus Apostolis sub Capite ac Primate Petro contulit Ecclesiam docendi, pascendi, regendique potestas, in Episcopos pari cum subordinatione erga Petri successores derivata persistat. Et Petro quidem supremum Ecclesiae regimen a Christo fuisse collatum, apertis Scripturarum effatis, concordibus Patrum testimoniis et solemnibus Conciliorum decretis — prout in superioribus vidimus — tam est eliquatum, ut Catholicorum nullus sit, qui id aut nesciat, aut non credat. Enimvero caeteri omnes Apostoli parem inter se potestatem, eamque illimitatam a Christo acceperunt ratione Apostolatus temporanei, non autem ratione officii pastoralis perpetuo duraturi; at Petrus plenitudinem potestatis obtinebat, tum in Apostolorum quemlibet exercendam, tum ad ordinarium Ecclesiae regimen constitutam, ac proinde ad singulos ipsius successores transferendam.[3]) „De toto mundo, inquit[4])

---

[1]) In saepius citatis Circul. Dioec. ddto 18. Decemb. 1871. 5700. — [2]) De unit. Eccl. — [3]) Regnier, Tract. de Eccl. Christi p. 2. — [4]) Serm. 3. de assumpt. sua.

S. Leo, Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotos sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.“ Et S. Bernardum audivimus [1]): „Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas; quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certe regni? *Oves meas*, inquit. Nihil excipitur, ubi nihil distinguitur.“

Sed non minus certum exploratumque est, supereminentem hanc Primatus praerogativam sine deminutione transivisse in Romanos Pontifices, utpote haeredes, ac successores principis Apostolorum. Quare etiam, ut quidem observationes ad Caput secundum factae perhibent, antiquis Patribus nec non Episcopis tam seorsim, quam in Conciliis Generalibus congregatis persuasissimum fuit, munus ac officium fundamenti, quod Salvator benignissimus ad sustentandam, colligandamque Ecclesiae suae molem *uni Petro* contulit, inter omnes rerum humanarum vicissitudines integrum perdurare, suamque vim indesinenter exserere, ut affirmare non dubitaverint, Petrum in suis successoribus superstitem agere. „Perseverat, ait S. Leo [2]), Petrus, et vivit in successoribus suis“ [3]). Unde recte scribit Bellarminus [4]): „Certum est, Pontificem esse propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter Pontificem . . . atqui Ecclesia non minus eget nunc uno Pastore, quam tempore Apostolorum; immo vero etiam magis, cum nunc sint Christiani et plures et peiores. Non igitur moriente Petro interire debuit Pontificatus, qui non in Petri commodum, sed in Ecclesiae utilitatem institutus erat, sed manere, et perdurare donec ipsa Ecclesia manet.“ Quae si vera sunt, ut quidem sunt certissima: tunc enimvero verissimum etiam est, Pontificem Romanum non solum generatim in universam Ecclesiam, sed in singulas quoque particulares Ecclesias immediata eademque ordinaria pol-

---

[1]) De Consid. l. 2. — [2]) Serm. 2. in anniv. assumpt. suae. — [3]) Vide S. Petri Chrys. ep. ad Eutych. et Acta Concil. Ephesin. — [4]) lib. cit.

lere iurisdictione. *Immediata,* quia secus Primatus umbratilis foret et in vanum redigeretur titulum, vel ad summum iure merae directionis, et inspectionis, ut aliqui temere volebant, concluderetur. *Ordinaria*, quia potestas pastoris in omnes ovilis partes, et singulas oves natura sua est ordinaria. Sed an non repugnat in eumdem gregem a Pontifice aeque ac ab Episcopis immediatam et ordinariam exerceri iurisdictionem ? Repugnaret profecto „si, ut observat S. Thomas [1]), „duo aequaliter, super eamdem plebem constituerentur; si autem inaequaliter, non est inconveniens." Episcopus in sua Dioecesi munere docendi regendique per se, et iure suo defungitur, sed eodem hierarchicae subordinationis vinculo devinctus Pontifici, quo devincti fuere Apostoli Petro ; nempe qui probe scit, se quidem pastorem esse, ast in explendis officii sui partibus a supremi Pastoris ore nutuque pendere ; cuius proinde voci obaudire, et cuius praeceptionibus exercitium potestatis suae attemperare teneatur. Episcopus, qui fastidita Pontificis iurisdictione, eius obniti decretis, in pascendo grege sibi commisso proprium sequi arbitrium in animum induceret : constitutum a Christo in Ecclesia sua ordinem subverteret, et procul dubio violatae unitatis catholicae reum se faceret. Pro praemissorum illustratione audiendus est clarissimus Praesul *Ioannes Devoti*, in haec verba disserens [2]) : „Summus Pontifex non ab hominibus, sed a Christo Servatore datam habet potestatem, tam in omnes Episcopos, quam in illos, qui Episcopis subiiciuntur. Itaque qualiacumque tandem sint iura primigenia et originaria Episcoporum, nemo certe, qui catholicus haberi et esse revera velit, inficiabitur, quod haec iura ita a Christo instituta atque Episcopis data fuerint, ut essent obnoxia iurisdictioni successorum Petri, quos toti Ecclesiae tum dignitate, tum auctoritate voluit praesidere. . . Divina certe est tum Primatus, tum Episcopatus institutio. Illi datum est a Christo ius proprium et originarium praesidendi toti Ecclesiae cum dignitate et iurisdictione ; huic ius est attributum regendi Ecclesiam cum subiectione eidem Praesidi, qui omnium rector, caput,

[1]) Supplem. qu. 8. art. 5. ad 3. — [2]) Iuris can. univ. T. 1. proleg.

princepsque est. Itaque Summus Pontifex cum Episcoporum iurisdictionem minuit, utitur iure suo nativo et originario, hoc est iure Primatus, qui ei tribuit hanc potestatem; neque Episcopi de imminuta iurisdictione sua conqueri possunt, quoniam eam acceperunt ea lege, ut uni omnium capiti subiecta sit." Hanc de ordinaria et immediata in singulos fideles et pastores, particularesque Ecclesias potestate Romani Pontificis veritatem declaravit, ac invictissimis argumentis vindicavit P i u s VI. Papa in responsione ad quatuor Germaniae Metropolitanos 1789. data in ea, quam illi Metropolitani excitaverunt de Nunciaturis Apostolicis controversia [1]). Pontifex indigitat fontes, unde Metropolitani vel eorum Consiliarii errores hauserunt. damnatos nempe. libellos Apostatae Marci Antonii de Dominis, Edmundi Richerii et Eybelii. „Vos, inquit ad Metropolitanos, etiam atque etiam obsecramus in Domino, ut diligentissime caveatis ab erroribus toties ab Ecclesia damnatis; vosque etiam atque etiam precamur, ut veritatem e dogmatis fonte profectam toto animo amplexi, pro certo habeatis, Primatum hunc divinitus institutum non iis dumtaxat limitibus circumscriptum, ut Petrus eiusque successores Ecclesiae caput effecti, et vicaria Iesu Christi vice fungentes, malis occurrerent, et fratres errantes ac negligentes in viam reducerent, et e socordia excitarent: sed auctoritatem secumferre stabilem, perpetuam, numeris omnibus absolutam pascendi, regendi et gubernandi tam populos, quam populorum ipsos pastores absque ulla certi temporis constitutione. . . Haec auctoritas pascendi cum clavium potestate coniuncta Petro peculiarem in modum attributa, sicut auctoritatem praesefert in omnes fideles *ordinariam atque immediatam*, ita eandem praesefert *auctoritatem ordinariam atque immediatam* in omnes pastores, qui quacunque demum praefulgeant dignitate, non solum non sunt Pontifici pares, sed ita eius auctoritati subduntur, ut qui pastores appellantur, et sunt, si populos respicias, ii, si Pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur. — — Et — si verbo cum scripto tum tradito constat —

[1]) Responsionem extract. Vide apud Roskoványi, Romanus Pontifex T. III.

Romanum Pontificem in vim sibi concreditae universorum curae ac sollicitudinis non solum posse ac debere in extraordinariis eventis fratres fluctuantes confirmare, et obvenienti malo occurrere, sed insuper posse ac debere semper omni cum auctoritate ordinaria atque perpetua malum ipsum antevertere ac praecavere pascendo ac regendo tam filios, quam matres, tam populos, quam pastores, ita ut incolumis sit semper unitas fidei, salva membrorum erga Caput submissio, quae ad ipsam unitatem servandam plurimum valet, intacta morum puritas, intemerata disciplinae canonumque custodia. promta ad repellendos enascentes morbos remedia, parata cuique pro rerum opportunitate subsidia in dispensationibus, in causis et aliis rebus, quae a suprema tantum ecclesiastica pendent potestate: iam nemo non intelligit, vos aliorum captos insidiis adversus veritatem proeliari."

28. S. Petrum vi Primatus episcopali auctoritate super totam Ecclesiam Christi, etiam Episcopos, instructum fuisse, atque iccirco etiam eius successores Romanos Pontifices tali potestate esse instructos apertissima est veritas. Nimirum auctoritatem episcopalem in immediata pascendi, regendi et gubernandi potestate consistere S. Scriptura clare docet. „Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere (in graeco textu est verbum *pascere*) Ecclesiam Dei" [1]). „Pascite (idem verbum graecum, quod in alio textu) qui in vobis est gregem Dei, providentes." Iam vero ipsum Primatum in tali potestate consistere patet ex verbis, quibus ille Petro collatus est a Christo [2]) „Pasce agnos meos, pasce oves meas." Christus igitur, cum Primatum instituit, idipsum pascendi munus, quod regendi et gubernandi potestatem iucludere, et ad omnes Christi fideles, ne Apostolis quidem exceptis, se extendere suo loco vidimus, Petro demandavit. Petro et eius successoribus potestas pascendi collata est, talis autem potestas dicitur, et est vere episcopalis. Porro eadem potestas, ut quidem ex verbis Christi liquet, *directe et*

[1]) Act. 20, 28. — [2]) Ioann. 21, 15—17.

immediate ita collata fuit Petro, ut eam haberet vi impositi officii pastoralis in universum gregem, qui totus ipsi citra aliud medium fuit commissus. „Prius agnos, deinde oves commisit ei: quia non solum pastorem, sed Pastorem pastorum constituit eum," ait *Eusebius* Emiss. [1]). „Habent illi (Episcopi) sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem, quaeris? Ex verbo Domini: Pasce oves meas," docet S. Bernardus [2]). Est insuper haec veritas iam in Concilio Florentino declarata his verbis: „Definimus ipsi — Romano Pontifici — in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse." Hac de causa Romanis Pontificibus a Conciliis ipsis, Patribusque tributi fuere tituli „Episcopi universalis, Pontificis universalis, Episcopi Episcoporum, Pastoris pastorum, Capitis capitum." Sane Tertullianus iam vocat Pontificem *Maximum Episcopum Episcoporum* [3]). Synodus Chalcedonensis Leonem saepius appellat: „Sanctissimum et Beatissimum Universalem Archi-Episcopum." Constantinus Pogonatus e Synodo Constantinopolitana III. et ipsa Synodus Agathonem Papam appellant: „Universalem Principem pastorum, primaeque Sedis Antistitem universalis Ecclesiae." Archimandritae Orientis Hormisdam [4]) vocant: „Universi orbis terrae Patriarcham et Caput omnium." S. Theodorus Studita Leonem III. appellat: „Patrem patrum, Archipastorem Ecclesiae, quae sub coelis est, Beatissimum et Apostolicum Papam" [5]). Nulli proinde dubio subiacet, primatialem Romani Pontificis potestatem ex institutione Christi esse episcopalem, immediatam et ordinariam; immediatam, non eo quidem, licet verissimo sensu, quo S. Petrus, uti Capite I. huius Constitutionis dogmaticae docetur, a Christo Domino immediate potestatem accepit, sed hoc sensu, quod eam exercendam immediate in gregem universum obtinuerit. Quod vero ea potestas sit ordinaria, id quidem iam a Concilio Lateranensi IV definitum,

---

[1]) de Natal. Ap. — [2]) de Considerat. l. 2. — [3]) libr. de pudicit. — [4]) in epist. ad illum. — [5]) Vide Observat. 20. ad Caput. II. huius Constit. item Mamach. l. cit.

audivimus, quippe quod declaravit, „Romanam Ecclesiam disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis principatum obtinuisse.“

29. Quod in Capite hoc porro declaratur, erga supremam Romani Pontificis potestatem omnes cuiuscunque ritus et dignitatis pastores et fideles, tam singulos seorsim quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringi, contra eos positum est, qui contenderunt, Episcopos seorsim singulos, seu Ecclesiam dispersam esse infra Pontificem, cuius ille Caput, Princeps est; sed Episcopos omnes simul ad Concilium convocatos, ergo Ecclesiam congregatam, quae secundum illos Ecclesiam universam repraesentat, esse Pontifice superiorem. Quod si verum esset, sequeretur, Ecclesiam dispersam Caput habere, in Concilio congregatam non habere, et qui dispersae Caput est, idem congregatae aliud quodvis membrum evadere. Quo, ut recte observat cl. Devoti [1]), nihil videtur esse absurdius. „Imo vero, continuat ille, tantum abest, quod solum dispersa Ecclesia non item congregata, caput habere debeat, ut imprimis universitas, quae ab omnibus conficitur, opus habeat capite, a quo regatur; neque illa totius Ecclesiae unitas conficitur a singulis tantum, sed ab omnibus collective sumptis, atque in unum coactis, ita ut ex tot particularium coniunctione Ecclesiarum, una Catholica Ecclesia componatur. An non huic ipsi universali Ecclesiae, quae constat ex tot particularibus Ecclesiis, uno capite, centroque coniunctis, Summus Pontifex datus est a Christo, et dignitate et iurisdictione Primas? Ergo aut adimendus est Summo Pontifici universalis Ecclesiae Primatus, quod alienum a fide est, aut confitendum, eum cunctis Episcopis tum *collective*, tum *distributive* sumptis, hoc est tam in Concilio congregatis, quam per orbem dispersis praeesse oportere. Hinc supra Petrum non singuli lapides, sed universa Ecclesia aedificata est; Petro datae sunt claves non unius alteriusve conclavis, sed totius regni Coelorum; ipse praeterea non singulis tantum agnis atque ovibus, sed gregi universo praepositus est; denique si fratres singulos, etiam omnes confirmare debet.“ Absurdam

[1]) Op. cit.

distinctionem de potestate Summi Pontificis in omnes singillatim, non in omnes simul et collective sumptos Episcopos ipse acatholicus Mosheim refellit [1]). „Quod, inquit, universis, sive singulis Ecclesiis Pontificem dicunt, non universae Ecclesiae, id tam mihi scitum videtur, ac si quis affirmaret, membra quidem a capite regi, non vero, quod ex membris constat, corpus, aut urbes quidem omnes, villas et praedia subesse Regi, non vero, quae his continetur, ipsam provinciam.“ Quamobrem Oecumenica Concilia vel ipsa, quae in Oriente celebrata sunt, suae ad Romanum Pontificem relationis bene conscia, Pontificem compellaverunt nomine „Capitis, quod membris praeest, et Summitatis, quae, quod filiis deest, adimplet; Illum, cui vineae (Ecclesiae universae) custodia a Salvatore commissa est, item Verticem, et Antistitem universalis Ecclesiae, cuique se acquiescere profitentur“ [2]).

30. Esse Summum Pontificem supremum iudicem fidelium, utique in causis non aliis, quam ad examen ecclesiasticum pertinentibus, atque in his ad ipsius posse iudicium recurri, sic iam docuit Benedictus XIV. [3]): „Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes Beati Petri Apostoli ius habeat resolvendi, utpote, quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellare voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.“ Ita [4]) ad Episcopos Dardaniae a. 495. scripsit Gelasius Papa. — Adducta dein simili sententia Nicolai I. Papae continuat: „Est autem eiusmodi appellationum ius adeo necessario connexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam iurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere; nisi et hunc velit perfracte inficiari; etenim cum Primatus praerogativa, Romanus Pontifex sit supremus in Ecclesia Iudex,

---

[1]) in dissert. de Gallor. appellat. inter eius dissert. ad histor. Eccl. t. 1. — [2]) Vide Acta Concil. Chalced. et Constantinop. III. gener. VI. apud Mansi. — [3]) de Synod. Dioec. l. 4. c. 5. — [4]) epist. 7.

cuique datur, per appellationem, ipsius implorare tuitionem," — — — quocirca Stephanus Tornacensis [1]) in hoc appellationis communis refugio, ait consistere dignitatem Ecclesiae Romanae, et S. Bernardus [2]) in eodem sitam affirmat pretiosissimam gemmam, quae in Pontificia emicat Tiara. „Hoc, inter caetera Vestri singularis Primatus insignia specialius, nobiliusque nobilitat vestrum, et inclytum reddit Apostolatum, si eripiatis pauperem de manu fortiorum eius. Nulla, meo iudicio, in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo aemulari consvevistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem iustorum." De hac summa iudicandi potestate Romani Pontificis ita semet declaravit contra Febronium, idest semet ipsum Nicolaus Hontheim in superius citatis litteris: „Profiteor quoque, Romanum Pontificem esse summum Iudicem controversiarum in rebus fidei et morum. Cumque eadem Sacra Synodus (Tridentina) Sess. 14. Cap. 1. declaraverit, Pontifices maximos pro suprema potestate, sibi in Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores merito potuisse suo peculiari iudicio reservare; non arbitror licere hanc Synodi declarationem eludere, *quasi haec potestas Summo Pontifici non competeret proprio, ac originario, divinoque iure.*"

31. Concilium Vaticanum doctrinam Catholicam de vi et ratione Primatus declaraturum innovat Decretum Concilii Florentini de Romani Pontificis potestate editum, et sapientissime quidem, cum Concilium illud pro scopo praecipue habuerit, Graecos Schismate a Catholica Ecclesia scissos cum hac uniendi, qui potestatem Ecclesiae Capitis et Primatis excusserunt, cum quibus super hac potestate in Concilio disceptandum fuit, et qui tunc quoque vigiles erant et circumspectissimi, ne quid Romano Pontifici concederent, in idque consentirent, quod ei vi Primatus non deberetur, de quibus quippe ex actis ipsius Concilii constat, quod contra illa etiam Definitionis verba disputaverint: „quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in Sacris Canonibus continetur." Iam vero Decretum Florentinum legenti patet, defi-

---

[1]) epist. 162. t. 25. Bibl. Patr. — [2]) epist. 198. ad Innocent. II.

nitum fidei dogma esse: „Romano Pontifici in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.“ Plena potestas est ea, in qua nihil exceptum est. Hanc Romanus Pontifex, ut successor Petri, iam in Beato Petro accepit. Quod Romanus Pontifex a Christo habet, in hoc estne vel ipsi Ecclesiae permissum partitionem facere, aliaque hinc Romano Pontifici relinquere, alia velle auferre? Si autem hoc neque Ecclesia facere potest, quanta haec temeritas habenda est in qualibuscunque seu Theologis seu Iurisconsultis, velle determinare, quid Romanus Pontifex vi sui Primatus possit, quid non possit; quive insuper non verentur, illum etiam carpere et arguere, quasi iura aliorum, Metropolitarum nempe aut Episcoporum invasisset, et usurpasset, qui secundum Catholicam doctrinam ad pascendam, regendam et gubernandam universalem Ecclesiam plenitudinem habet potestatis? Haec iurium determinatio in plenitudine potestatis neque locum habere potest, et quam dum leguleji facere tentant, in potestatis plenitudinem, quam vi Primatus Romanus Pontifex habet, invadunt. Plenam potestatem Romanus Pontifex accepit a Christo in pascenda, regenda et gubernanda Ecclesia, ergo non primas tantum et praecipuas Ecclesiastici regiminis partes, hae primae et praecipuae partes non sunt plena potestas. — Plenam potestatem regendi, pascendi, gubernandi universalem Ecclesiam accepit Romanus Pontifex a Christo, igitur ab hac potestate omnes etiam alii potestatem gerentes in Ecclesia debent pendere, quae secus non esset plena. Qui plenam habet potestatem cuiusdam administrationis, sique hanc non solus peragat, sed in qua sibi etiam alios habeat adiunctos, illos tamen omnes in exercitio sui muneris ab eo dependentes; huic excipiturne quidpiam, quod etiamsi datum esset ad agendum aliis, ipse tamen per se ipsum id agere non possit, vel sibi servare agendum, quamvis idem prius actum esset ab aliis? Qui plenam et supremam

potestatem habet, omnia potest, quae huic subsunt potestati: quae aliter neque plena, et suprema potestas erit. Plenam et supremam potestatem habet Romanus Pontifex pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, est Caput universae Ecclesiae, est Vicarius Christi, est ipsorum etiam Pastorum Pastor, idque vi Primatus. Si quid fuerit in hac potestate pascendae, regendae et gubernandae Ecclesiae, quod vi huius sui Primatus facere non possit: haec illius non erit plena potestas, quam ex Primatu habet. Igitur neque in pascenda, regenda et gubernanda Ecclesia esse quidquam potest, ad quod ius non habeat ex virtute Primatus: sed quidquid pertinet ad pascendam, regendam, gubernandam Ecclesiam, habet et tenet per Primatum. De iis, qui Primatus iura dividunt, extenuant, destruunt, valet illud S. Ambrosii [1]): „Non habent Petri haereditatem, qui Petri Sedem non habent, quam impia divisione discerpunt."

32. Si Christus voluit, ut successor S. Petri Romanus Pontifex, sit verus Ipsius in terris Vicarius, sit Caput totius Ecclesiae, sit omnium Christianorum Pater et Doctor, plenitudinem habens potestatis in Universalem Ecclesiam, atque iccirco in omnes subordinatos pastores et fideles, profecto etiam velle debuit, ut l i b e r a sit inter illum et fideles, ubicunque locorum et terrarum illi degant, c o m m u n i c a t i o. Quare Patres Concilii Provincialis Aquensis 1850. celebrati non dubitaverunt declarare: „Qui autem liberam inter Romanum Pontificem et fideles, praesertim Episcopos, qualicumque modo, communionem interrumperet, hoc ipso divinam Ecclesiae constitutionem evertere, et ipsius unitatem dirimere attentaret." Sententia eorum, qui ius liberae Caput inter et membra Ecclesiae communionis sub eo quoque praetextu impugnant, quod Romanus Pontifex, qua talis, ceu qua Catholicae Ecclesiae Episcopus in aliorum principum ditione, tamquam in territorio alieno nihil possit, velut schismatica et haeretica declarata ac damnata est ope Decreti a Congregatione S. Officii 1644. editi, quod approbaverunt Summi Pontifices Innocentius X. et

[1]) lib. 1. de Poenit.

Clemens XI. et hic quidem Constitutione: „Accepimus“ 11. Iunii 1715. publicata.

33. Canone subnexo damnantur errores in his Observationibus recensiti Febronii, Tamburini, M. A. de Dominis, aliorumque cum his sentientium.

34. Non erubuerunt viri alias eruditi recentiori tempore accusare Latinos, ac si illi in decreto Florentino verba „in universum orbem tenere Primatum,“ fraude adiecissent, insciis Graecis, qui vero decreto cum illis verbis subscripserunt, prout exstat in textu originali Florentiae conservato, quodve altera die in publica sessione perlectum est. Qui hanc accusationem ad creandam sinceris Ecclesiae Catholicae filiis invidiam protulerunt, non adverterunt, ut alia omittamus, id ipsum, quod illis verbis significatur, adhuc binis vicibus in eodem decreto declarari, per verba „*totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et doctorem* (Romanum Pontificem) *existere*,“ et „ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi *universalem Ecclesiam* — plenam potestatem traditam esse;“ ita ut per verba illa addita vel omissa ipsum decretum plane non mutetur et hinc illa fraudulenter inserendi nulla prorsus causa exstiterit. Perfidia magna procul dubio fuisset, adiectionem eiusmodi facere. Ast non minor est perfidia, quando Latini sine causa, absque omni fundamento eiusmodi fraudis in pagellis publicis accusantur.

35. In Capite quarto, quod inscribitur de Romani Pontificis infallibili Magisterio, Concilium declarat, Apostolico Primatu, quem Romanus Pontifex in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque Magisterii potestatem comprehendi, quemadmodum S. Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque Concilia Oecumenica, imprimis ea, in quibus Oriens et Occidens in fidei caritatisque unionem conveniebant, declaraverunt. Quem in finem, ad declarationem nempe hanc confirmandam, affert primo verba deprompta ex formula fidei Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii Oecumenici VIII. Constantinopolitani IV. proposita, ab iisque subscripta est; deinde quae Graeci in Concilio Lugdunensi II. hoc approbante, professi sunt; atque quod Concilium Florentinum de Romano

Pontifice definivit. Dein in Articulo secundo declaratur, Romanos Pontifices, quo huic supremo Magisterii muneri satisfacerent, eam semper operam dedisse, ut salutaris Christi doctrina ubique propagaretur, parique cura vigilasse, ut ubi ea recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Episcopos, nunc singulos, nunc in Synodis congregatos periculo praesertim fidei emergente, iuxta antiquam consvetudinem et legem, ad Sedem Apostolicam retulisse, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum. Romanos autem Pontifices, nunc convocatis Oecumenicis Conciliis, aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definivisse, quae Sacris Scripturis et Apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adiuvante, cognoverant. Quum Petri successoribus Spiritus Sanctus non sit promissus, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem, seu fidei depositum sancte custodirent, et fideliter exponerent. Ipsorum autem (Petri successorum) doctrinam Apostolicam omnes Venerabiles Patres esse amplexos, et sanctos Doctores Orthodoxos veneratos atque secutos, quum plenissime scirent, S. Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere secundum Salvatoris nostri divinam pollicitationem, discipulorum Principi factam, his verbis: „Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ Tum in Articulo tertio declaratur causa, ob quam charisma, sive donum nunquam deficiendae fidei Petro, eiusque successoribus divinitus collatum sit, videlicet, ut excelso suo muneri, quod eis commissum est, pro omnium salute respondere valeant, nempe, ut universus Christi grex per B. Petri successores ab erroris venenosa esca (quemadmodum enim veritas habet vim salvandi, hominem iustum et sanctum efficiendi, ita error et mendacium ex sua natura mortem affert animae) avertatnr, et coelestis doctrinae pabulo nutriatur, atque tali pacto periculum et occasio Schismatis auferatur, et tota Ecclesia una conservetur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consistat. Articulo quarto profertur causa definitionis huius dogma-

ticae, quae est duplex, nimirum, quia hac aetate salutifera Apostolici muneris efficacia quam maxime requiritur, et quia ex alia parte haud pauci inveniuntur, qui illius auctoritatem negant, eique obtrectant atque detrahunt. Articulo denique quinto proponitur solemnis infallibilitatis definitio.

Declarat itaque Concilium et tamquam divinitus revelatum dogma definit: Romanum Pontificem per assistentiam divinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, quando nimirum ipse (Romanus Pontifex) ex Cathedra loquitur, idest, quando omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse; hancque definitionem traditioni a fidei Christianae exordio perceptae inniti. E definitione patet a) infallibilitatem Romani Pontificis, quemadmodum et Articulo secundo declaratur, non esse inspirationem, ut Deo revelante novam doctrinam patefaciat, sed esse assistentiam divinam, eum in finem promissam et datam, ut per Romanum Pontificem, cui in B. Petro pascendum cemmisit Dominus universum suum gregem, fidei depositum sancte custodiatur, et fideliter conservetur. Eo minus autem, b) ut blasphemant imperiti et malevoli, ne primis quidem principiis non dico theologicae sed philosophicae eruditionis tincti, est quaedam in Deum conversio, qua Pontifex omniscius et forsan etiam impeccabilis reddatur. Nulla enim cum Romano Pontifice fit mutatio, sicut non fit cum Episcopis in Concilio Generali congregatis, quando cum suo Capite uniti, infallibili et ipsi auctoritate definiunt fidei vel morum dogmata. Dum Romanum Pontificem e Cathedra loquentem asserimus infallibilem, hoc dicimus, quod eidem tunc praesto sit donum seu charisma divinum, gratia nempe gratis data, non gratum faciens, utpote quae ei propter fidelium, non vero propter salutem suam propriam datur, qua is partim interne illustratur, ut veritatem

cognoscere valeat, partim movetur, ut semper prae omnibus media ad veritatem eruendam, prout temporis et rei conditio postulat, adhibeat, ipsamque dein erutam veritatem proponat. Per hanc efficaciam divinam obtinetur, ut Summus Pontifex semper veritatem, de qua agitur, cognoscere ac definire valeat, et, si voluerit, etiam cognoscat, et definiat, non autem cognoscere et definire debeat, quod salva libertate fieri non potest, quae per infallibilitatem tam parum, quam per inspirationem tollitur, atque ut, si forsan Pontifex rem non vere definire vellet, definitio non sequatur, quum licet non voluntas, tamen effectus externus voluntatis, salva eius libertate, sive per mortem Pontificis, sive per alia obstacula divinae providentiae ope adducta impediri queat. Unde iam liquet, efficaciam illam divinam, quoad effectum esse positivam et negativam, vel si placet, activam et passivam, illamque esse hypotheticam, hanc autem absolutam; et hinc infallibilitatem Romani Pontificis, quamvis sit personalis, tamen non tam subiectivam esse, quam potius obiectivam, quum eidem divinitus sit collata, non ut vere sentiat, sed ut, quod definitur, non aliter, quam vere definiatur. Quemadmodum id ipsum in Conciliis etiam Oecumenicis locum habet. Unde etiam tam in definitionibus Papae, quam in definitionibus Conciliorum semper non ad sensum forsan subiectivum, sed obiectivum attenditur. Quae ex fine infallibilitatis facile intelliguntur, qui est, ut doctrina divinitus revelata, seu religio, per Christum Dominum instituta, integra conservetur, atque hoc coelesti, et non adulterino pabulo fideles nutriantur, ac ad salutem manuducantur. Quod enim opus per inspirationem, revelationem dando, Deus coepit, illud per infallibilitatem, revelationem conservando, perficiet usque in diem Christi Iesu. Ex quo fine una colligitur, quare Christus Dominus donum infallibilitatis non tantum toti Magisterio Ecclesiae docenti, Petro tamen eiusque Successori semper iuncto, sed huic etiam ceu Capiti Ecclesiae speciatim promittere ac dare voluerit. Etenim cum toti Ecclesiae docenti Spiritum Sanctum promiserit ac largiatur, ut per eam integritas doctrinae suae conservaretur, atque omnes gentes usque

ad consummationem saeculorum docerentur ea, quaecumque ipse mandavit: eundem Spiritum Sanctum illi speciatim denegare non potest, super quem, tamquam petram aedificavit Ecclesiam, cui praecepit pascere oves et agnos, atque pro quo specialissime oravit, ut non deficiat eius fides, sed potius ut ipse fratres suos confirmet. Opera enim Dei sunt perfecta, et cui Deus munus committit, ad illud quoque aptum efficit, seu ut S. Bernardinus Senensis ait [1]: „Generalis regula est, quod quandocunque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quae illi personae sic electae, et eius officio necessaria sunt, atque illum copiose decorant."

36. Infallibilem esse Ecclesiam docentem, idest, corpus Pastorum et Doctorum in unione, consensione ac subordinatione ad visibile Caput Ecclesiae, tam in universali et consentiente praedicatione doctrinae fidei et morum, quam in solemnibus iudiciis seu definitionibus eiusdem doctrinae, haec evincunt Christi Domini effata: „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos ... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis: *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*" [2]. „Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut *maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* — — — ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis" [3]. Sed istae promissiones non pertinent ad singulos successores Apostolorum, quia singuli non succedunt Apostolis in munere authentice docendi universam Ecclesiam, quod, ut in superioribus observatum est, in Apostolis (excepto solo Petro Capite Ecclesiae in suis successoribus semper permansuro) non erat ordinarium, sed extraordinarium, et ipsis personale; verum factae sunt

---

[1]) Serm. 1. de S. Ioseph. — [2]) Matth. 28, 18. sq. — [3]) Ioann. 14, 16. 20.

illae promissiones Corpori successionis apostolicae in communi, quatenus sunt Ecclesia docens. Sed vero Ecclesia docens non sunt, nisi quatenus uniti, consentientes, subordinati manent visibili Capiti, et centro unitatis totius Ecclesiae. Quamvis igitur causa efficiens infallibilitatem docentis Ecclesiae sit promissa assistentia Spiritus veritatis: sed conditio, sine qua successores Apostolorum non sunt Ecclesia docens, est visibile Caput Ecclesiae, a Christo institutum, et unio atque consensio membrorum cum hoc Capite. Hinc est, quod verba, quibus Christus munus infallibiliter docendi ordinarium, hoc est ad successores propagandum in Apostolis instituit ac declaravit, nunquam ad singulos Apostolorum, sed semper ad totum Collegium, nunquam sine Petro, sed semper in unione cum Petro, directa fuerint. E contrario verba Christi, quibus Petro Primatus, et in Primatu comprehensa infallibilitas Magisterii promittitur et confertur, ipsum Petrum solum designant, non tantum diserte distinctum a caeteris, sed etiam in relatione ad caeteros ab ipso confirmandos et pascendos. „Beatus es Simon Bar-Iona — — et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam“ [1]). „Simon Simon, ecce satanas expetivit vos... ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos“ [2]). „Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? . . . Dicit ei: Pasce agnos meos, . . . pasce oves meas“ [3]). Igitur Petrus munere ordinario pro se et pro singulis suis successoribus accepit a Christo potestatem et officium in fide et moribus pascendi et docendi universam Ecclesiam ita, ut haec ipsa potestas in Petro collata singulis eius successoribus exigat ex divina institutione obedientiam fidei et consensum totius Ecclesiae; et

---

[1]) Matth. 16, 17. sq. — [2]) Luc. 22, 31. sq. — [3]) Ioan. 21, 15. sq.

proinde infallibilitas totius Ecclesiae in credendo consistere non possit, nisi quatenus Capiti Ecclesiae, successori Petri cum tali iure exigendi consensum fidei, simul collata est infallibilitas in docendo, dum nempe doctrinam de fide vel moribus proponit definitiva sententia, quae totam Ecclesiam obligat ad consensum. Est ergo successor Petri infallibilis per assistentiam divinam, quae ei promissa est, per se spectato, quatenus docet Ecclesiam, non autem sub conditione concurrentis iudicii, aut consensus aliorum Pastorum et Doctorum, qui quoad successorem Petri, Romanum Pontificem, ita docentem Ecclesiam, sunt pars nobilissima Ecclesiae aedificatae super hanc petram, ut portae inferi non praevaleant adversus eam; sunt fratres confirmandi, sunt oves pascendae, quamvis quoad fideles, sibi commissos, maneant Pastores et Doctores ad ipsam doctrinam definitam eis authentice proponendam, docendam, defendendam." [1])

37. In pastoralibus ddto 18. Decembris 1871. Nr. 5700. dimissis litteris fusius haec de infallibili Magisterio Romani Pontificis pertractata fuit doctrina, quemadmodum etiam in aliis ddto 8. Septembris eius anni Nr. 4200. exaratis, eiusdem doctrinae ratio est habita cum respectu imprimis ad ipsius sensum, quem inscii, ac malevoli detorquent. In pastoralibus litteris, priori loco commemoratis proponuntur Catholicae Traditionis de hac veritate monumenta, nimirum SS. Patrum et aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum effata, Conciliorum tam generalium, quam particularium decreta, Romanorum denique Pontificum et Episcoporum tam dicta quam facta, quae hanc veritatem invicte comprobant. Ex iis iam, quae illic largiori calamo scripta sunt, haec, quae sequuntur, prono alveo fluunt: a) Verba Christi: „Tu es Petrus" etc., item: „Simon Simon, ecce satanas expetivit vos" etc., denique: „Simon Ioannis — — pasce agnos meos, pasce oves meas," sic a SS. Patribus et Conciliis intellecta fuisse,

[1]) V. Franzelin. Tract. de divina Traditione et Scriptura.

ut illis Christus Petro et eius successoribus Primatum, et quae in hoc comprehenditur, infallibilitatis praerogativam contulerit. Et profecto scopus Christi, per haec verba: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam," Petrum Ecclesiae suae fundamentum constituentis, is erat, ut Ecclesia super Petrum aedificata contra portas inferi, eam haeresi vel schismate subvertere adnitentis, salva persisteret. Hic iam scopus talem omnino exigit fundamenti rationem, ut effectus verbis: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam," fundamento attributus, ab eodem repeti possit ac debeat. Vel igitur negandum est, Ecclesiam, si in haeresim incideret, a portis inferi expugnari, quod negare Ecclesiae natura prohibet; vel si promissio Christi de portis inferi, contra Ecclesiam nunquam praevalituris, quod omnes admittunt, Ecclesiae infallibilitatem in se comprehendit, admittendum etiam est, eandem infallibilitatem ad ipsam etiam Ecclesiae petram, tamquam ad causam infallibilitatis Ecclesiae vi verborum istorum Christi extendendam esse, idque tanto magis, quod si verba Christi „et portae inferi non praevalebunt adversus eam" ad petram non, sed ad solam Ecclesiam pertinere quis dicat, is infallibilitatem ipsi Petro auferat ac deneget. Si vero neque Petrus fuit infallibilitate docendi praeditus, istamne habuerunt coeteri Apostoli, qua caruit eorum Princeps Petrus? Quae igitur intelligetur Ecclesia, adversus quam non sint praevaliturae portae inferi, si hae praevalere poterant Petro, caeterisque Apostolis? Haec igitur conclusio: „portae inferi non praevalebunt adversus Ecclesiam ex promissione Christi; ergo hae praevalent adversus Petrum eiusque successores, ergo Petrus et successores eius non sunt infallibiles," haec, inquam, conclusio est similis huic: Domus est firma, ergo infirmum est illius fundamentum. Non igitur alia potest esse conclusio ex verbis Christi, quam manifeste ista: quoniam ea firma et stans immobilis adversus omnes procellas domus est, quae est aedificata supra petram, prout ipse Christus hoc idem apertissime dixit,[1]) petra vero, super quam Christus

[1]) Matth. 7, 24.

suam aedificavit Ecclesiam, sit Petrus, sequitur, hunc ea virtute esse solidatum ac roboratum, ut Ecclesia, quae super ipsum aedificata est, ita firmiter consistat, ut nulla vi possit labefactari, et everti, neque portae inferi adversus eam possint praevalere. — „Solus est, inquit Bossuetus[1]), qui cum eo loquitur, Iesus Christus, Dei Filius cum Simone Ionae filio: Iesus Christus, qui est vera petra, et per seipsum firma, cum Simone, qui non est Petrus, nisi per firmitatem, quam Iesus Christus ei communicat. Huic Iesus hic loquitur, et loquendo efficit in ipso, et imprimit suae firmitatis characterem: Et ego, inquit, dico Tibi: Tu es Petrus, et adiungit: Super hanc Petram, aedificabo Ecclesiam meam, et concludit: Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Verbum Iesu Christi, qui de nihilo fecit, quod sibi placitum est, hanc firmitatem dat uni mortali. Non dicas, nec cogites hoc ministerium S. Petri cum ipso finiendum. Hoc, quod servire debet pro fundamento Ecclesiae aeternae, nunquam potest finem habere: — — Iesus Christus hoc dixit: Coelum et terra citius, quam eius verbum praeteribunt.“ Quod porro adtinet ad verba Christi: „Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,“[2]) precatio Christi pro Petro, ne eius fides deficeret, non potuit spectare ad tempus passionis Christi, alioquin vim nullam habuisset, cum Petrus in passione Domini lapsus sit; sed neque ad solius Petri personam, quoadusque ipse viveret, illa precatio spectare potuit; in qua nihil singulariter fuisset a Christo actum vel impetratum pro Petro: quandoquidem omnes etiam caeteri Apostoli virtute Spiritus Sancti ita instructi ac muniti fuerint, ut in docendo errare haud potuerint. Sed precatio illa Christi, quae non potuit non suum effectum sortiri, spectavit ad Petri munus non solum Apostolicum, in quo quoad infallibilitatem docendi pares ei erant omnes coeteri Apostoli, verum ad illud, in quo eminuit etiam supra eosdem Apostolos, videlicet ad eius Primatum: quem cum Christus unitatis servandae causa in-

---

[1]) Serm. de Unit. — [2]) Luc. 22, 31. 32.

stituerit in sua Ecclesia, non ad tempus, quo victurus erat Petrus, sed usque ad consummationem saeculi duratura, sicut Primatus Petro collatus perstat in eius successoribus: ita etiam in Ecclesia fides Petri perseverat integra, pro qua Christus oravit, ne deficeret. „Dominus Petro dixit, sunt verba S. Thomae,[1]) quem Summum Pontificem constituit: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et huius ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud: Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur.“ Verba haec, disserit Bossuetus:[2]) „Confirma fratres tuos, non sunt mandatum, quod Christus singulariter S. Petro dederit, sed officium, quod exigit, quod in sua Ecclesia in perpetuum instituit. — — Oportebat semper in Ecclesia existere Petrum, ut suos fratres in fide confirmaret. Hoc erat optimum medium ad unitatem animorum idem sentientium, quam Salvator maxime desiderabat.“ [3]) Sed etiam ex verbis Christi: „Pasce oves meas,“ quibus nempe verbis plena potestas pascendae universalis Ecclesiae Romano Pontifici in Petro collata est, ut quidem Concilium Florentinum definivit, necessario sequitur Romani Pontificis in docendo inerrantia tanto magis, quod neque Ecclesia mansura sit tuta, atque secura adversus errores, si Romanus Pontifex in suis decretis fidei infallibilis non sit. Nam dum Petro Christus dixit: „Pasce oves meas,“ potestne esse dubium, quin sicut Petro iniunctum est munus pascendi oves Christi: ita his imposita sit obligatio vocem Petri, velut sui Pastoris audiendi et se-

---

[1]) d. 2. q. 1. art. 20. — [2]) Meditat. suar. die 72. — [3]) Operae pretium est adnotare, *Döllingerum*, in Operis „Christenthum und Kirche“ I. editione, verba Christi, de quibus sermo, sic intellexisse et exposuisse: „Cathedra Petri (ex mente Iesu Christi) permanere debebat sedes veritatis, et stabilis fidei arx, qua omnes confirmarentur. Verba enim et precatio Domini non solam personam singularem, et proximum tempus respexerunt, sed fundamentum posuerunt et aedificaverunt; ad Ecclesiam ante omnia eiusque futuras necessitates spiritu praevisas pertinuerunt.“

quendi. Si igitur Petrus et Romanus Pontifex, qui in Petro plenam potestatem pascendi universalem Ecclesiam a Christo accepit, falsam doctrinam posset proponere, et dare Ecclesiae, etiam ista habens obligationem sequendi suum Pastorem, idemque cum eo credendi, ferri deberet in eundem errorem, quem ei Romanus Pontifex propinavisset. Si igitur omnes fideles in re fidei ipsius, sui Pastoris, Romani Pontificis vocem sequi debent, iam necessario sequitur, Christum, qui talem obligationem imposuit, etiam prospicere debuisse, ne fideles, mandato suo obtemperantes, in errorem inducantur, seu ut Romanus Pontifex, quum pro munere suo fideles docet, h. e. in fidei et morum decretis e Cathedra infallibilis sit. Nec valet dicere, Romanum Pontificem, utut sit supremus Pastor universae Ecclesiae, ideo non debere esse infallibilitatis praerogativa donatum, quia etiam Episcopi positi sunt regere Ecclesiam Dei, isti igitur Romano Pontifici, falsum docenti, resisterent, et ita Ecclesia invicta adversus errorem perstaret. Ab iis enim, qui sic loquuntur, quaerimus, unde habeant, et quomodo probabunt futurum, ut Episcopi resistant? Qui Romanum Pontificem habet obnoxium errori, potestne maiorem virtutem et constantiam adversus errorem supponere et asserere in Episcopis? Deinde etiam pastorum omnium Pastor est Romanus Pontifex, et qui pastores sunt quoad suum gregem, iidem sunt oves quoad Petrum. Plenam potestatem habet Romanus Pontifex in Petro sibi a Christo traditam, pascendi et regendi universalem Ecclesiam, et „qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.“ [1]) Episcoporum proinde est, audire vocem supremi Pastoris, et hunc sequi. Securitatem Ecclesiae adversus errorem et defectionem a sponso suo Christo, ipse divinus Salvator non in resistentia Episcoporum locavit, sed in firmitate et immobilitate petrae, cui velut fundamento Ecclesiam suam superstruxit. „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“ Praemissum est: „Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.“ Istud vero velut consequens deinde positum

[1]) Rom. 15, 2.

est: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“ Quale autem consequens est, tale multo magis debet esse, unde illud factum est. „Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ An non clarum est, prius esse, Petri fidem non posse deficere, posterius autem, confirmare fratres suos? Quare ex Petri solidata fide Patres, quemadmodum in toties citatis pastoralibus litteris expositum est, etiam Ecclesiae firmitatem repetunt in eadem fide. Quomodo domus erit firma, si firmum non sit illius fundamentum? „Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.“ b) SS. Patrum et aliorum Scriptorum testimonia in illis pastoralibus litteris copiose citata, perhibent graecae, latinaeque Ecclesiae Patrum eam fuisse et constantem sententiam, non posse in fidei rebus decernendis Romanam Sedem et Romanum Pontificem errare. De quorum testimoniorum momento ita disserit auctor operis „Regale Sacerdotium.“ „Huic, inquit, tanta pietate, doctrina, rebusque pro Ecclesia gestis illustrium virorum choro, si tu Gersonem, Almainum opponas, qui saec. 15. contrarium docere coeperunt, quid amabo aliud facies, quam ut paucos aliquos et gregarios milites cum castris Heroum conferas tenuesque radios cum ingenti sole componas? Magnus, fatemur, Gerson, sed quis ille, ut Augustino, Hieronymo, Athanasio, Gregorio, totique Oecumenicae Synodo praeferatur? Et quae ratio, aut aequitas postulat, ut uni mille: non sancto, tot sanctos: Cancellario Parisiensi, Doctores Ecclesiae, immo ipsam Ecclesiam, quae ex illorum sententia pendet, cedere oporteat? Tu ergo Gersoni fidem habes, non habes Hieronymo, non Athanasio, non Augustino, non Fulgentio? — — At Patres non clare loquuntur: immo tam clare, ut clarius non possint: quid enim tam clarum, quam illud Fulgentii: Quod Romana, quae mundi cacumen est, tenet et docet Ecclesia, totus cum ea Christianus orbis nihil haesitans credit. Et illud Augustini: Quid potuit vir ille, S. Innocentius Papa, Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes et Romana cum caeteris tenet perseveranter Ecclesia. Et illud Hieronymi: Ego Beatitudini tuae, hoc est cathedrae Petri

communione consocior: quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est, quicumque tecum non colligit, spargit. Apud vos solos incorrupta Patrum servatur haereditas. Et illud Agathonis Papae sextaeque Synodi: Sedes Romana a tramite Apostolicae traditionis nunquam erravit, -- sed illibata finetenus permanet iuxta pollicitationem Petro factam: pro te rogavi, ut non deficiat fides tua etc. Haec plane et alia Sanctorum Patrum testimonia tam clara et perspicua sunt, ut ad ea intelligenda, nec face, nec glossa opus sit, sed oculo tantum sano purgatoque, nec privatis affectibus tincto; alioquin aegris infectisque oculis, ne sol quidem sine umbra et maculis est.“ c) Ex allatis in praedicta pastorali epistola testimoniis porro patulum fit: Romanos Pontifices factis et verbis inerrantiae praerogativam sibi attribuisse, quin huic quisquam catholicorum contradixerit. Facta huiusmodi sunt ipsa decreta fidei, a Romanis Pontificibus edita. Quam autem vim suis decretis in re fidei tribuerint, et quam Ecclesia agnoverit, ipsa Conciliorum praesertim Oecumenicorum acta manifestant. Haec autem duo testantur: Romanos Pontifices sua fidei decreta tamquam talia considerasse, quae nedum reformari, sed ne in dubium quidem vocari possint. Item ipsa etiam Generalia Concilia hanc eorum decretorum vim adeo agnovisse, ut non solum constanter, et ante omne examen eadem acceptaverint, sed ut ne examen quidem de iis instituere sibi licitum esse duxerint. Vidimus Coelestinum Nestorii haeresim damnasse, Concilio autem dein Ephesi congregato non novum sententiae examen, sed simplicem eius executionem competere voluisse, et Patres Concilii tantum abest, ut eatenus conquererentur, ut potius Coelestini Papae epistola, cuius nullum examen instituerant, ad lugubrem in Nestorium sententiam ferendam se *coactos* declararent. S. Leo M. antequam Concilium Chalcedonense convocaretur, Eutychetis haeresim damnavit, et Concilio omne fidei examen interdixit, cuius Patres in sequelam huius prohibitionis ad nihil aliud moveri se passi sunt, quam ad summarium fidei ex decretis priorum Conciliorum et S. Leonis Epistola concinnandum, nullo Epistolae dogmaticae Leonis instituto examine. S. Agatho

damnata a se Sergii haeresi et sententia Concilio Constantinopolitano III. transmissa, postulavit, ut in Concilio „nihil de iis, quae (in ea sententia) regulariter definita erant, minueretur, nihil mutaretur, vel augeretur, *sed eadem verbis et sensibus illibata custodiretur;* insuper suis legatis mandavit, ut „nihil praesumerent augere vel mutare, sed traditionem huius Apostolicae Sedis — — simpliciter enarrare," et hoc postulavit ideo, quod „Romanae Ecclesiae auctoritatem, utpote Apostolorum principis, semper omnes catholicae Ecclesiae et universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt." Similiter Hadrianus I. Concilio Nicaeno II. praescripsit, ut eam de cultu sanctarum imaginum doctrinam reciperet, quam ipse plenitudine Apostolicae potestatis tenendam esse iam decreverat. Et pariter ambae Synodi Pontificum decretis et mandatis ultro paruerunt, quod facere nullo modo potuissent, si de suprema et infallibili in rebus fidei auctoritate plenissime persvasae non fuissent. d) Sed Romani Pontifices verbis etiam infallibilitatis praerogativam sibi attribuerunt, et schismaticos ad eam agnoscendam compulerunt. Exemplum habemus in formula fidei Hormisdae Papae, cuius tenores communicati sunt in praememoratis pastoralibus litteris, cui formulae subscripserunt Orientales Episcopi, qui Acaciano Schismati adhaeserunt, numero bismille quingenti, et qua profitebantur, „quicunque non *in omnibus Apostolicae Sedi* coniunctus sit, extra Ecclesiam Catholicam esse." [1]) Aliae solemnissimae Romanorum Pontificum enunciationes videantur in citatis pastoralibus litteris, in quibus indicatum etiam est tempus, quo negans Romani Pontificis infallibilitatem opinio in Ecclesia audiri coepit.

38. Quid contra infallibilitatem Romani Pontificis opposuerit Febronius nondum poenitens, audiamus. Sic argumentatur: [2]) „Quis, inquit, non videt, quam invidiosa res sit summam Ecclesiae ac Fidei uni homini, summo quamvis, summaque dignitate praedito, sed mortali tamen, ne quid dicam amplius, permittendam?" Quidquid sit de regnis huius

---

[1]) Lehrbuch der Kirchengeschichte von Ioh. Ios. Ign. Döllinger, T. 1. pag. 194. Regensburg 1835. — [2]) Libr. de Statu Eccl. C. 5.

mundi, in quibus principatum unius exhorrescunt, non sunt humana inventa, terrenaeque sapientiae placita transferenda ad Regnum Christi, seu ad Ecclesiam, quae illius Dei lege constituta est et regitur, cuius sanguine acquisita est. Quot igitur hominibus debuisset Christus summam fidei committere, ne causa praebeatur hominum invidiae? Nisi sciremus, idque ex eloquiis divinis, illos, qui de fidei quaestionibus definiunt, hoc in gravissimo obiecto, et auctoritate divina agere, et auxilio divino protegi ne falsum dicant: profecto nec millium testimonio ac decisioni confideremus. Quod si autem divina assistentia est, quae definitionis veritatem tutissimam efficit, unus etiam sufficit, nisi dicas, defuisse Christo virtutem ac potentiam per unum etiam praestandi, ut fides et Ecclesia firma maneat et inconcussa. Uni autem committere voluit summam fidei, sicut et totam Ecclesiam, dicens Petro: „Pasce oves meas," idque unitatis servandae causa; quem finem Christo fuisse in instituendo Primatu, docent uno ore Patres omnes, sed neque diffitetur ipse Febronius. Propterea autem inter ipsos etiam Apostolos unus electus est, ut Capite constituto Schismatis tolleretur occasio. Anne unitas a pluribus auctoritate paribus servata fuisset? auctoritate enim par, sicut non subest aequali, ita neque debet alterius sibi aequalis suscipere decreta. Scivit hoc antiquissimus ille, atque a S. Polycarpo S. Ioannis Apostoli discipulo, edoctus Episcopus et Martyr Irenaeus, quem dicentem audivimus, ad cognoscendam apostolicam doctrinam necesse non esse, omnium Ecclesiarum traditionem investigare; sed satis esse, ut traditio illius unius Ecclesiae cognoscatur, „cum qua propter potentiorem principalitatem omnes convenire debeant." Scivit etiam S. Cyprianus, quem scribentem vidimus, facilem et brevem esse veritatis probationem; ad originem nimirum et caput esse redeundum, coelestis magistri doctrinam esse attendendam, loquentis ad Petrum: „Ego tibi dico," et rursus: „Pasce oves meas." Scivit S. Hieronymus et expressit, dicens:[1]) „Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam, et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia effici-

[1]) In Dialog. contra Lucif.

entur schismata, quot erunt Sacerdotes.“ Fatendum tamen Febronium poenitentem aliter hac de re sensisse; in sua enim retractatione dicit: „Profiteor quoque Romanum Pontificem esse summum Iudicem controversiarum in rebus fidei et morum, ac in omni eiusmodi controversia exorta, hinc inde dissentientibus animis tum maxime audiendam vocem Hieronymi scribentis ad Damasum: Ego super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio — — Et: adhuc in tres partes scissa ad se me rapere festinat — — Ego interim clamito: Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est.“ Quam sincere autem agnoverit et retractaverit suos errores Febronius, ipse fatetur in litteris ddto 3 Febr. 1779 ad Clerum populumque Archi-Dioecesis Trevirensis exaratis. In his docet, „quod curiosis antiquitatis investigatoribus plerumque contingit, ut novarum observationum publicandarum libidine correpti ad inficetas et absurdas opiniones amplectendas descendant, quas si a novitatis cupidine vacuo et libero animo expenderent, ipsi eas respuerent primi, et perpetuo silentio damnarent, sibi quoque evenisse, publice se confiteri — — non diffitetur, sibi quoque accidisse, ut novitatis cupidine ad inficetas quasdam assertiones statuendas, ac propugnandas descenderit, Romanae Sedis quasdam praerogativas et iura — in controversiam reduceret, minueret et obtereret, de nonnullis eius Praesulibus, etiam sanctitate conspicuis, parum reverenter loqueretur, alios etiam indecenter probris conscinderet, nec non quosdam usus Curiae, quos aequior animus facile excusaret, taxare praesumpsisset. Super his Archi-Episcopum suum ei oculos aperuisse, ostendentem, libros, quos edidisset, idoneos esse ad scindendam catholicam unitatem, — fundatae supra Petrum Ecclesiae ruinam parari, dum ei etiam suppetias ferri imprudentius iudicasset. Optimi Pastoris monitum, atque nutum sese excepisse reverenter, nec haesitasse, ut suam Declarationem de statu Ecclesiae et iuribus Primae Sedis in scripta redigeret, addita Retractatione eorum, quae adversus ea asserta a se quomodolibet essent.“ Si ipse Febronius fatetur, libros contra S. Sedem abs se axaratos, plenos esse inficetarum et absurdarum opinionum, quem iam latere poterit, quod libris illis pretium, et quale argumentis, exinde depromptis, tribuendum sit

momentum, cuiusve spiritus homines illi sint, qui nostro tempore ex illius auctoris libris arma mutuantur, quibus S. Sedem Apostolicam oppugnant!

39. Eadem assistentia divina, Petro et eius successoribus eum in finem promissa et collata, ne cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungentes, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definiunt, in errorem inducere Ecclesiam possint, vadem etiam nobis praebet, nosque securos de eo reddit, nunquam evenisse, nec eventurum, ut aliquis Romanorum Pontificum Deum tentaverit, aut tentet, temere definiendo, idest non adhibendo omnia media, quae ad sensum S. Scripturae et traditionum divino-apostolicarum eruendum conducunt, ad quarum nempe amussim omnis sicut Conciliorum Generalium, ita Ecclesiae etiam Capitis definitio exigenda est. Quae vero haec fuerint adusque media, a Romanis Pontificibus adhibita, et posthac quoque indubie sint adhibenda, recensentur Articulo secundo huius Capitis. Si autem omnis vis ac omne robur definitionum pontificiarum in rebus fidei et morum ab assistentia divina procedit ac pendet, mirum non est, Gallicanorum sententiam a Vaticano Concilio reiectam fuisse, quam vero iam damnaverunt Innocentius XI. a. 1682., Alexander VIII. a. 1690., et Pius VI. a. 1794., ut demonstratum reperitur in pastoralibus ddto 18. Decembris 1871. editis litteris, in quibus etiam expositum habetur, quid de illa sententia Gallicanorum, robur pontificiarum definitionum a consensu suspendentium, tenendum sit. Quae in documentis Pontificum, quibus propositum est edere definitiones doctrinae, quales indubie sunt Bullae dogmaticae, occurrunt incidenter dicta, vel etiam argumenta ad probationem definitivae sententiae allata, haec etsi gravem auctoritatem habeant, non sunt tamen definitiones in-

infallibiles. Pariter, ut observat Franzelin [1]), possunt esse, et sunt Pontificum documenta publica, quibus circa doctrinam de fide vel moribus aliqua monere, svadere, reprehendere, prohibere propagationem alicuius sive opinionis, sive erroris propositum est, quin intendant definitivam sententiam edicere, qua adstringatur tota Ecclesia: eoque ipso non est locutio ex cathedra. „Respondent enim saepe Pontifices, ad privatas huius aut illius Episcopi quaestiones, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse velint ad credendum“ (Melchior Canus) [2]). In hunc censum merito referuntur e. g. duae epistolae Honorii I. ad Sergium Constantinopolitanum.

40. Haec de Capite quarto huius Constitutionis dogmaticae observasse sufficiat, tanto magis, quod ad doctrinae illic propositae rectam intelligentiam ac uberiorem demonstrationem faciant, hocque scopo etiam exaratae fuerint binae illae, quarum iterata mentio iniecta est, Pastorales litterae, quarum aliae traditionis de eadem doctrina apud nos testimonia, aliae autem catholicae traditionis eatenus monumenta ob oculos sistunt, ut adeo nisi recapitulare velimus iam alias proposita ac demonstrata, nihil restat, nisi ad illas litteras remittere lectorem, adiiciendo verba, quibus doctissimus Canariensis Episcopus demonstrationem suam eiusdem veritatis conclusit [3]). „Quamobrem, ait, non equidem intelligo, quonam consilio fideles quidam haereticorum, quam catholicorum opinionibns favere malint. Nam haeretici video, quid sequantur . . volunt sine capite corpus — — volunt sine iudice lites, ut dissidiorum nullus finis sit; atque ita cum amoto arbitro adversus doctos dimicent, victores a turba iudicentur. Turbari demum omnia volunt, quoniam, ut in Hispanorum proverbio est, turbatum flumen piscatorum est lucrum. Nos autem communem Catholicorum sententiam sequamur: tuto enim sequimur, quoniam communis Catholicorum est. Praeterquam quod ea sentiunt, quae sacrarum etiam litterarum testimonia confirmant, Pontificum decreta finiunt, veterum Sanctorum chorus concinit,

---

[1]) in cit. op. — [2]) l. VI. c. 8. — [3]) de loc. theol. l. VI. c. 7.

Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiae usus observat. Quapropter si ea, quae dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt, si omnia dixi hausta ex Ecclesiae, Scripturaeque fontibus, si tota oratio nostra certis Theologiae rationibus, integrisque et incorruptis testibus omnem sibi fidem confirmat, assentiamur tandem ex Apostolicae Sedis auctoritate firma Theologos argumenta sumere ad fidei, Theologiaeque dogmata comprobanda." Qui ita scripsit, quive tam invictis argumentis infallibile Magisterium Summi Pontificis propugnavit, ante tria saecula vixit, mortuus 1560. „immortali praeparata sibi fama, in opere illo vix iusti voluminis, quod vere tot laudatores et admiratores, quot lectores habet, locorum scilicet Theologicorum," ut loquitur Nicolaus Antonius Hispalensis [1]).

41. Episcopos, per orbem dispersos, cum Romano Pontifice, ut Capite, coniunctos, et collective sumptos, in fidei morumque rebus errare non posse, seu infallibiles esse, docetur in omni dogmatico scholastico libro, utique, quia haec veritas est de fide, et salva fide negari non potest. Ecclesia enim docens est infallibilis, atque Episcopi dispersi, cum suo tamen Capite, Romano Pontifice, S. Petri successore coniuncti, sunt ipsa Ecclesia docens, et talis quidem in statu suo ordinario, qui est, ut sit dispersa in suis Pastoribus Episcopis cum Pastore supremo, cui in persona Petri dictum a Christo est: „Pasce oves meas," communicantibus. Iam si haec vera sint, sunt autem verissima, quia fide divina certa, quaeritur, quid ergo doceant dispersi per orbem universum Episcopi de magisterio Romani Pontificis? Nemini ignotum est, quod teneant et doceant, Romanum Pontificem e Cathedra loquentem, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi

[1]) in Bibliotheca Hispanica.

in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua Christus Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit. Quae proinde doctrina criterio etiam unanimis consensus dispersae Ecclesiae docentis fulcitur. Intellexerunt hoc pauci, qui adhucdum superfuerunt Systematis Gallicani patroni, ac defensores, perspexeruntque, infallibilitatem e Cathedra definientis Romani Pontificis e principiis Gallicanis negari amplius non posse; accessit enim, quod ipsi praetenderunt, Ecclesiae docentis consensus, isque unanimis ad eam, quam ipsi negaverunt huicque conditioni alligaverunt, doctrinam. Nisi igitur, sibi contradicere, Ecclesiae Catholicae terga vertere, in haeresim et schisma Iansenistarum prolabi, ut factum alibi vidimus, voluerint, infallibilitatem e Cathedra loquentis Ecclesiae Capitis agnoscere debuerunt, et agnoverunt etiam per suam ad Summum Pontificem directam declarationem, vilipendentes venalium calamorum scommata, quae nunc, dum veritati se submiserunt, tam copiose congesta experiebantur, quam larga et effusa laudum praeconia ab iis ipsis calamis de se prius conscripta legerunt, quando nimirum veritatem catholicam oppugnare videbantur. Abhorruerunt vestigia premere Marcionis, Sinopensis Ecclesiae presbyteri, qui a patre Episcopo ob commissi incestus reatum loco motus et ex Ecclesia eiectus, prout S. Epiphanius refert [1]), „Romam post Hygini Papae obitum se contulit, qui a Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiae praefuerat. Eo statim, continuat S. Pater, ac Marcion pervenit, ad seniores

[1]) Haeresi 22. al. 42.

adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petiit. Quamobrem ille — — — vehementius excandescens, ac superbia invidiaque percitus schisma conflavit, et privatim haeresim architectatus est: et *Ecclesiam*, ait, *vestram ego dissociabo, in eamque Schisma sempiternum immittam.*" „Quod ille, addit S. Epiphanius, revera, nec mediocre quidem iniecit: *non ita tamen, ut Ecclesiam, sed ut se potius, ac suos discinderet.*"

42. Idea Primatus non ex praeconceptis opinionibus Scripturae arbitrarie imponenda, sed ex ipsa Scriptura, iuxta sensum SS. Patrum et Ecclesiae interpretationem intellecta, eruenda est, alioquin aedificium sine fundamento erigitur, quod vitium est eorum, qui conceptum Primatus a priori construunt, eflatis Christi, testimoniis SS. Patrum, et dogmaticis Ecclesiae definitionibus adversum. Non licet corrumpere, eo minus invertere facta historica, quae in aliis Pastoralibus litteris recensita, invictissime probant, doctrinam Gallicanam, infallibilitatem Romani Pontificis negantem, usque ad saeculum XV. inauditam, deinde usque ad annum 1682. et ultro in *una* et *sola* universitate Parisiensi traditam, et ab omnibus scholis impugnatam fuisse.

43. Si Scripturis et toti antiquitati ulla fides, si ulla Ecclesia pro universis gentibus a Christo est instituta, haec est Romano-Catholica, nunquam interrupta Pastorum serie, per Petrum Christo conglutinata. „Hac retenta successionis Apostolicitate, Ecclesia, ut inquit Cyprianus [1]), ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur." Unde illa Catholicorum laus: „Ergo iam non estis hospites, et advenae, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in

[1]) de Unit.

templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in spiritu“ [1]). Hac successionis unitate profluunt in generationes saeculorum flumina gratiae et veritatis. Ex adverso „ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescet“ [2]). Ideo dixit S. Augustinus [3]): „Tenet me in Ecclesia Catholica, ab ipsa Sede B. Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio Sacerdotum.“

Dum autem Vobis VV. FF. et Filii has observationes, in quibus concinnandis conciliaria etiam, quae ad manus devenerunt, scripta in usum conversa sunt, pro ea, qua Vos complectimur, caritate, et ea, qua erga vestram et curae Nostrae crediti gregis salutem ferimur, sollicitudine, tradimus, haec Vobis ingeminamus S. Iudae Apostoli verba: „Vos autem charissimi, memores estote verborum, quae praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant Vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant semet ipsos, animales, Spiritum non habentes“ [4]). „Gratia Vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu“ [5]). Strigonii, festo Assumptionis B. M. V. die 15-a Augusti, 1872.

---

[1]) Ephes. 2, 19—22. — [2]) S. Cypr. ibid. — [3]) Epist. Fund. 4. — [4]) Epist. Iud. 17, 19. — [5]) 1. S. Petr. 5. 14.


213
R732
ROSKOVÁNY, AUGUSTINUS DE
445
AUTHOR
Romanus Pontifex Eccl
Primas Et Princeps Civil
TITLE
Tomus VII.
DATE DUE
BORROWER
STOR
44581